RODOLPHVS
HOSPINIANVS
DE
FESTIS
IVDÆORVM
ET ETHNICORVM.

Digitized by Google

RODOLPHI HOSPINIANI

DE FESTIS IVDÆORVM ET ETHNICORVM,

HOC EST,

DE ORIGINE, PROGRESSV, CEREMONIIS & RITIBVS FESTORVM *apud* IVDÆOS, GRÆCOS, ROMANOS, TVRCAS & INDIANOS,

LIBRI TRES.

THEOLOGIS, PHILOSOPHIS, ATQVE ADEO LITERATIS OMNIBVS, AD intelligendum, non ſolùm S. Scripturæ, *ſed etiam* Oratorum, Hiſtoricorum & Poëtarum, *tam Græcorum quàm Latinorum, difficiliora loca, utiliſſ*

EDITIO TERTIA, Aucta & Locupletata.

CVM TRIPLICI INDICE: AVTHORVM QVI IN HIS LIBRIS CITANTVR; Locorum Scripturæ Sacræ *quæ in iis explicantur*, Rerum *item ac* Verborum *Memorabilium.*



GENEVÆ,
Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.
M. DC. LXXIV.

Digitized by Google

GENERE, PIETATE, & PRVDENTIA

Clariſſimis VIRIS

D. OTHONIA GRVNRADE,

& D. ABRAHAMO COLBINGERO, *Illuſtriſſimi Principis, ac D. D. Friderici IV. Comitis Palatini ad Rhenum & Electoris, Conſiliariis intimis, Dominis ſuis colendis* S.

QVEMADMODVM rerum omnium à DEO Optimo Maximo conditarum ea eſt conditio, Viri Clariſſimi, ut viciſſitudine quadam immutentur, neque in eodem ſtatu diu perſiſtant, ita ſanè, ut divina etiam illa ac cœleſtia corpora, admirabili quadam ratione perpetuò circumvolvantur: utque res eędem ſic ſunt comparatę, ut in peius ſubinde ruant, & temporis progreſſu reddantur deteriores: ita etiam Dei Eccleſiam in his terris agitatam comperimus. Ea ſiquidem ęterno Dei Filio Domino & Servatore noſtro Ieſu Chriſto in aſſumpta humanitate, & Apoſtolorum Choro adhuc in terris agente, prę̨ſtantiſſimam, elegantiſſimámque faciem habuit, quòd Verbum Dei ſacroſanctum purè & incorruptè in ea tum doceretur, & noui populi ſocietas Sacramentis numero pauciſſimis, ſignificatione prę̨ſtantiſſimis & obſervatione facillimis colligaretur, ut D. Auguſtinus loquitur. Mox autem poſt Chriſti in cœlos Aſcenſionem, & Apoſtolorum ex hoc mundo in cœleſtem patriam Migrationem, mutationes varię tam in doctrina quàm ceremoniis acciderunt. Teſtatur hoc Euſebius libro 3. cap. 32. Eccleſiaſticę Hiſtorię, inquiens: Ad hęc uſque tempora, virgo pura & incorrupta manſit Eccleſia, iis qui ſanum ſalutaris prędicationis canonem corrumpere conati ſunt, ſi tum aliqui fuerunt, adúſque temporis in obſcura quadam caligine deliteſcentibus. Poſtquam autem Sacer Apoſtolorum Chorus differentem ſortitus eſt finem, & generatio illa prę̨teriit, quę Divinam Sapientiam ſuis auribus audire meruerat, tunc impij erroris conſpiratio, per ſeductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quoniam nemo amplius ſuperſtes erat ex Apoſtolis, jam nudo vertice contra veritatis prędicationem falſi nominis ſcientiam ex adverſo prędicare conati ſunt. Quum autem progreſſu temporis Myſterium illud iniquitatis, de quo Paulus lo-

quitur, caput ſuum exerere, & palàm operari cœpiſſet, tum verò horribilis inclinatio & mutatio in Eccleſia facta eſt: nam & verbum Dei purum humanis traditionibus nefariè corruptum & adulteratum, & ceremoniæ prodigiosè accumulatæ, & omnis generis ἐθελοθρησκίαι tam impudenter introductæ ſunt, ut planè novam faciem Eccleſiam Dei temporibus illis induiſſe jure optimo dicere poſſimus, quam tamen hodie nonnulli antiquiſſimam eſſe hominibus perſuadere conantur. Quod igitur de Catone dicitur illum, quùm Græci per incredibilem arrogantiam ſummámque levitatem ſe omnium hominum primos eſſe falsò dicerent, & artium liberalium aliarúmque rerum inventionem non ad veram originem referrent, ſed ſibi ſolis vendicarent, eóque omnium populorum hiſtorias pervertere, & antiquiſſimam doctrinam abolere conarentur, Librum de Originibus rerum ſcripſiſſe, ne qui falſum pro vero crederent: ita noſtra quoque memoria, ex noſtris prodierunt nonnulli, qui Pſeudoeccleſiæ huic larvam antiquitatis detraxerunt, & Originem veram Progreſſúmque Errorum ac Superſtitionum, quæ irrepſerunt in Eccleſiam poſt ſexcenteſimum à nato in carne Filio Dei annum, demonſtrarunt, ut quo tempore, authore, quaue occaſione unumquódque exortum ſit conſtaret, ne poſthac Antiquitatis argumento fucum ſimplicioribus facere poſſent. Hujus generis lucubrationum à me quoque, Vobis potiſſimùm vrgentibus, Viri Ornatiſſimi, duo ante paucos annos ſunt editi Tomi, in quorum priore agitur de Origine & Progreſſu Templorum omnium Populorum, & rerum quæ vel in Templis continentur, vel extra illa ſunt, ad Templa tamen pertinent: in poſteriori verò tractatur de Origine & Progreſſu Monachatus, & ordinum Monachorum. Hos jam ſequitur tertius, de Origine, Progreſſu, Ceremoniis & Ritibus Feſtorum Iudæorum, Græcorum, Romanorum & Turcarum, quibus, quod maximè tamen cupiebam, Chriſtianorum Solennitates & Feriæ ob inſtantes Francofurtenſes nundinas conjungi non potuerunt. In his autem Libris, qui jam in lucem à nobis eduntur, omnia quæ in hac materia cùm in Sacris Literis, tùm in Græcis & Latinis Oratoribns, Hiſtoricis & Poëtis diſperſa extant, incredibili cum labore euolvendo iſtorum ferè omnium quos nominaui libros ita complexi ſumus, vt confidamus non tantùm per ſe lectu jucundiſſimos, ſed etiam ad quoſcunque authores illuſtrandos, & ad difficiliora in eis loca intelligenda, accommodatiſſimos fore.

Porrò in evolvendis Veterum monumentis, conquirendíſque Iudæorum & Ethnicorum potiſſimùm Feſtis, duo inprimis obſervavi, quæ cùm ab argumento horum Librorum non ſint aliena, commemoranda videntur. Primum eſt, quod Feſtorum ſuorum & Solennitatum Iudæi authorem habuerunt Deum, Ethnici verò judicium humanum & carnis ſapientiam, quæ ſtultitia in Religione & rebus Divinis eſt: inde factum, ut cùm Deos ſuos in univerſum, tùm verò Feſtis ſtultè coluerint, ac leuibus ex cauſis, plerunque etiam fabuloſis & ridiculis in eorum honorem feſta inſtituerint, eáque ſuperſtitioſiſſimè ſtultiſſiméque celebrarint. Et quamuis Romani hac in parte Græcis ſapientiores longè videantur, nihilominus ii quoquę cæcitatem humanæ ſapientię hîc prodiderunt.

derunt. Nullum equidem apud Romanos Feſtum atratum aut lugubre actum, neque planctus habiti ob raptos Deos, ac lamenta mulierum, qualia Feſta & Sacra Græci Ægyptiíque celebrarunt, raptum Proſerpinæ, caſuſque Adonidis, Oſiridis & Bacchi referentia, & id genus alia. Ac ne corruptiſſimis quidem temporibus vidiſſetis apud ipſos arreptos Numine, aut furorem Corybanticum, non Bacchanalia cœtúſve clancularios, aut occulta Myſteria: non virorum promiſcuè cum fœminis peruigilia, non his ſimilia prodigia: ſed omnia religioſè fiebant ac dicebantur, quæ ad eos attinebant, præter morem Græcorum ac Barbararum gentium. Et quod maximè mirandum, quamvis innumeræ nationes Romam conveniſſent, quibus neceſſitas incubuit Patrios Deos domeſtico ritu colere, nulla tamen peregrina Sacra fuerunt unquam recepta publicè, quod in multis urbibus factum legimus: ſed etiam ſi qua oraculorum juſſu introducta eſſent aliunde, ſuo more colebantur à ciuibus, abdicatis fabularum miraculis, ſicut in Matris Idææ Sacris factum. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædebant & ludos faciebanr: Sacerdotio verò ejus fungebantur Phryges vir & mulier, eámque vicatim circumtulerunt more ſuo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorúmque ſonitum: ingenuus autem Romanus nullus erat Mitriacus, nec oberrabat ad Phrygios modulos indutus ſyntheſim, neque ex decreto Senatus initiabatur Magnę Matris Orgiis. Romulus quoque Templa & Aras, Feſta item, quæ cuíque Deorum Dæmonúmve celebranda eſſent, & Sacrificia, adhæc rationes induciarum, celebritatum, intermittendorum laborum, cæteráque huiuſmodi omnia juxta optimos quóſque Græcorum ritus diſpoſuit: fabulas autem à Majoribus de ipſis traditas, probra eorum continentes & crimina, turpes cenſuit & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum Diis ſuperis. Neque enim, inquit Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſecundo Antiquit. Romanarum, Cœlius exſectus à ſuis liberis apud Romanos traditur: neque Saturnus proprios natos deuorans, metuénſve ne appetatur eorum inſidiis: non Iupiter Saturnum Patrem regno deiectum includens carcere Tartari: ac ne bella quidem & vulnera, ac vincula Deorum. Audimus hîc quidem Romuli inſtitutum minimè profanum: ſed tamen humani judicii, cui verbum Dei non affulſit, infelicem & cæcitatem & vanitatem, quum de Religione pronunciandum eſt, ſimul etiam videmus. Graviter ille quidem judicabat, pernicioſam illam eſſe Græcorum profanam impiámque prudentiam, qui fabuloſas ſuperſtitiones eſſe perutiles hominibus arbitrati ſunt, ut quæ vel opera naturæ (ſicut Dionyſius Halicarnaſſeus loquitur) per allegoriam indicarent, vel ad conſolationem humanorum caſuum excogitatę eſſent, vel populum terrerent, & in officio continerent: hæc enim pauci intelligunt. Vulgus autem omne duplex inde percipiebat incommodum, aut Deos contemnens, tanquam multis involutos infortuniis, aut à nulla iniquitate ſeu turpitudine abſtinens, quum videret Deos quoque his obnoxios, quod ipſemet Dionyſius fateri quoque cogitur. Sed quid obſecro in harum fabularum & ineptiarum locum, præter meras fabulas & ineptias author ille Romanæ gentis & Reli-

gionis ſubſtituere potuit, qui nihil de Religione habuit ſolidi, nihil veri? Cúmque ſuum judicium, ſuos affectus in conſtituenda Religione ſequutus ſit, Religiones fabuloſas, & peregrinas ſuperſtitiones verbo quidem damnare potuit, re verò ipſa aut in earum locum non meliores ſubſtituit. Et ſanè ea tandem Romanæ ſapientiæ fuit inſania ac ſtultitia, ut Græcis in ſuperſtitionibus fabuloſis non multùm ceſſerint, judicarintque expedire Reipublicæ populum in Religione falli, ſicut Auguſtinus indicat libro quarto & ſexto, de Civitate Dei. Sed idem Romanis Ethnicis olim accidit, quod poſtea Romanis Chriſtianis eveniſſe cernimus. Rectè enim illi fabulis de gentium Diis credere nolunt, interim verò de ſuis Diis, hoc eſt, de Sanctis mortuis, aut opinione ſaltem talibus, nihil non fabularum & ineptiarum credunt, eóſque ſuperſtitioſiſſimè colunt.

Fuiſſe tamen religioſiſſimam ſanctiſſimámque feſtorum ſeu feriarum & ſolennitatum obſervationem tam apud Iudęos quàm Ethnicos, ſecundo loco in perluſtrandis eorum libris facilè animadverti. Et ut de Ethnicis tantùm loquar, Demoſthenes cæſus alapa in orcheſtra Bacchanalium à Midia homine opulentiſſimo, impietatis & capitis ſimul eum accuſat apud populum, quod hoc facto & Bacchum & Feſtum eius violaſſet. Exaggerat accuſationem recitatione legis quam Euegorus tulerat, in eáque decreverat, ne in Bacchi Feſtis liceat vel pignora, vel quicquam quod ſit alterius capere, ne illorum quidem, qui ad diem non ſolviſſent. Si quis verò in horum aliquid commiſiſſet, ei qui paſſus eſſet injuriam, jus erat accuſandi & conquerendi de eo in concione in ęde Bacchi congregata. Ad finem Orationis indicat, hanc legem ita ſanctè ab Athenienſibus obſervatam, ut Evandrum quendam damnarint, nullius alterius criminis reum, ἢ ὅτι δίκην ἐμπορικὴν καταδικασάμενος τοῦ Μενίππου, οὐκ ἔχων πρότερον λαβεῖν αὐτὸν, τοῖς Μυστηρίοις ἐπιδημοῦντος ἐπελάβετο: hoc eſt, quàm quòd Menippum à ſe actione Mercatoria damnatum, quum prius comprehendere nuſquam potuiſſet, in Myſteriis hominem nactus comprehendiſſet. Chariclidę ſimiliter Viri Prætorii patrem Athenienſes condemnaſſe dicit, quòd quendam in Bacchi Feſtis theatro exegiſſet, locum non ſuum occupantem. Morte præterea mulctaſſe eoſdem ait Cteſiclem, quòd quum intereſſet pompę in Bacchi Feſto, ſcutica, quam geſtabat, quendam ſuum inimicum verberaſſet. Apud Romanos quoque Ferię ſic Sanctę ſunt habitę, ut in Tabulis XII. ita à Decemviris decretum ſit: Feriis jurgia amouento: eáſque in famulis, operibus patratis, habento. Quam Legem Cicero libro ſecundo de Legibus explicans, Feriarum, inquit, feſtorúmque dierum ratio in liberis requietem habet litium, in ſervis operum & laborum. Numa Pompilius etiam ſecundus Romanorum Rex inſtituit, ut in Profeſtis, & omninò in Sacerdotum Feſtis, per urbem pręcones pręcederent, qui quieſcere cives, & ab operibus deſiſtere juberent. Quemadmodum enim Pythagoras non permittebat homines per tranſitum adorare Deos Immortales, ſed continuò ex ipſa domo mente ad id paratos pergere: ita & Numa decere cives exiſtimavit, neque audire quicquam rerum Divinarum, neque aſpicere per deſidiam atque negligen-

gligentiam, ſed vacare à cæteris oportere, mentémque adhibere, perinde ut rei ad pietatem maximé opportunæ: unde & crepitibus, ſtrepitibus, gemitibúſque & quæcunque huiuſmodi neceſſarios vulgarium artium labores conſequuntur, vias vacuas ceremoniis præſtare juſſit, ut Plutarchus in eius vita teſtatur. Sed & Macrobius refert, Saturnalibus bellum ſumere nefas habitum, pœnas quoque à nocente iiſdem diebus ſumere, & feriis in univerſum vim cuiquam fieri piaculare fuiſſe. Apud eundem tamen authorem Vmbro negat, eum Feſtos dies violare & polluere, qui opus vel ad Deos pertinens, ſacrorúmue cauſa feciſſet, vel qui aliquid ad urgentem vitæ neceſſitatem reſpiciens actitaſſet. Scæuola etiam conſultus quid Feriis agi liceret, reſpondit, Quod prætermiſſum noceret. Quapropter ſi bos in ſpecum decidiſſet, eúmque paterfamiliâs adhibitis operis liberaſſet, non eſt tamen viſus Ethnicis Ferias polluiſſe: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminente vindicaſſet ruina. Vnde & Vergilius omnium diſciplinarum peritiſſimus libro primo Georgic. cecinit:

Quippe etiam Feſtis quædam exercere diebus
Fas & iura ſinunt: riuos deducere nulla
Religio vetuit: ſegeti prætendere ſepem:
Inſidias auibus moliri: incendere vepres
Balantúmque gregem fluvio merſare ſalubri.

Ad quem verſum Macrobius, Adiiciendo, inquit, Salubri, oſtendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanę cauſa fieri conceſſum. Superſtitioſiores igitur Ethnicis hac ex parte fuerunt Iudæi poſteriores, qui ſcelus vix venia dignum putarunt, ſi quis Sabbatho vel ſalientem publicem cœpiſſet. Licet etiam Ethnici in ſuis Feſtis & Sacrificiis convivia cum hilaritate & lætitia celebrarint, magna tamen verecundia & modeſtia temperata erant, ceu Diis ipſis, in quorum illa honorem fiebant, præſentibus, & auritis oculatíſque omnium eorum quæ agerentur teſtibus. Teſtatur hoc Athenæus lib 8. Dipnoſoph. his verbis: Antiqui quum Deos ἀνθρωποειδεῖς, id eſt, humana ſpecie atque forma præditos eſſe ſtatuerent, his ea quæ in Feſtis fiunt accommodarunt. Nam quum vidiſſent hominum impetum, quo rapiuntur ad voluptatem, non omninò reprimi & cohiberi poſſe, utile autem inprimis & conducibile eſſe, ſi his ipſis εὐτάκτως non κοσμίως, hoc eſt, compoſitè moderatéque non ſplendidè uti aſſueſcerent, certo quodam, definito ac conſtituto tempore, & priùs re divina facta, illos ad animi remiſſionem dimiſerunt, ita ut quiſque eorum perſuaſum habens ipſos Deos ad primitiarum Oblationem atque Libamina accedere, tanto majori cum pudore atque verecundia cœtus, conviviáque illa concelebrarent, Hinc Homerus:

Ἦλθε δ' Ἀθήνη ἱερῶν ἀντήσασα,
Id eſt,
Pallas venit obvia Sacris.

Et alio

Et alio in loco:

Αἰθίοπας μετεκίαθεν τηλόθ' ἐόντας,
Ἀντιόων ταύρωντε, καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.

Hoc eſt,

Æthiopas ad longinquos venit, adfuit ille
Mactatis agnis, & tauris fortè ſacratis.

Item:

καὶ ὁ Ζεὺς
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοί τ' ἅμα πάντες,

Id eſt,

Et Iupiter
Iuit ad heſternos convivia cauta, ſecuti
Pone Dei ſimul omnes.

Si vir quiſpiam adſit provectioris ætatis, atque honeſtatis ſtudioſus, pudet homines turpe quid dicere aut facere, ſecundùm illud Epicharmi, Ἀλλὰ καὶ σιγῆν ἀγαθὸν ὅκα παρέοντι κάῤῥονες, hoc eſt, Sed & ſilere bonum eſt, ſi meliores adſint: quantò magis igitur quum ipſos Deos ſibi perſuaderent eſſe præſentes, feſtivitates illas ὀλιγάκτως καὶ σωφρόνως ordinatè temperantérque celebrabant? Vnde neque accumbere apud antiquos moris fuit, ſed ſedentes epulabantur, neque ad ebrietatem uſque bibebant, ſed libatione prius peracta, tantùm quiſque bibebat, quantùm illi ſuadebat animus, ac deinde ſinguli domum abibant. Quòd ſi Ethnici impura ſua ac profana Feſta & ſacra ob deorum ſuorum præſentiam ſibi magna cum reverentia atque modeſtia celebranda faciendáque eſſe duxerunt, quanto majori cum animi corporíſque ſinceritate & caſtitate Chriſtianos ſua Feſta ac Sacra peragere deceret, vero Deo præſente, cui omnia noſtra non dicta ſolùm atque facta, ſed etiam cogitata, atque adeò intimos animorum noſtrorum receſſus perſpectos penitùs, exploratóſque eſſe certò ſcimus? Sed vicerunt Ethnici, quod nolentes fateri cogimur, tametſi in Ethnica ſuperſtitione conſtituti, nos Chriſtianos hac in parte longiſſimè. Grauiter de hoc conqueſti ſunt jam olim Tertullianus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, aliíque pii & moderati viri: ſed nullo unquam tempore maior fuit occaſio hac de re conquerendi, quàm hodie. Negari enim non poteſt, quòd Dominicis, aliíſque Feſtis diebus non vtamur ad auditum Verbi Dei, ad preces, ad vſum Sacramentorum, ad lectionem Scripturæ Sacræ, & ad ſimilia pia ac honeſta exercitia: ſed quòd abutamur potius iis ad compotationes, ebrietates, helluationes, ludos, ſpectacula, pugnas, mercatus, choreas & alia tam ſedulò, ac ſi lege aliqua ita fieri opoteat. Putant multi Romanam Rempublicam propterea diutiſſimè floruiſſe, ac totiùs orbis terrarum Dominam factam fuiſſe, quòd religioſiſſimè Feſta Sacráque ſua coluetit & obſervarit, eáque ob bella intermiſſa majore ſemper fœnore renovarit. Quid igitur de nobis Chriſtianis dicemus, qui Religionem, Feſtos dies, & quæ in iis ſanctè & religioſè peragenda ſunt negligimus, contemnimus & adulteramus? In promptu igitur cauſa eſt, ob quam fortuna, qua Romani florentiſſima, nos Chriſtiani duriore ſubinde vtamur,

& bellis, ſeditionibus, morbis, fame, egeſtate, aliiſque malis ſine intermiſſione conflictemur. Per Ieremiam Prophetam 17. cap. comminatur Deus excidium Hieroſolymæ ob profanationem Sabbathi aliorúmque Feſtorum. Si non obedieritis, inquit, mihi, ut ſanctificetis diem Sabbathi, ne portetis onus, nec ingrediamini cum onere per portas Hieruſalem die Sabbathi, ſuccendam ignem in portis eius, qui deuorabit domos Hieruſalem, nec extinguetur. Vnde & Nehemias cap. 13. iis qui mercatu & nundinis publicis Sabbathum ſuo tempore polluerant, dicit: Quæ eſt hæc res mala quam facitis vos, & profanatis diem Sabbathi? Nunquid non hæc fecerunt Patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper vos omne malum hoc, & ſuper civitatem hanc? Sed longiùs progreditur oratio, propter rei indignitatem, quàm putabam. Ad vos igitur me convertam, Viri Genere, Pietate & Prudentia Ornatiſſimi, & paucis enumerabo cauſas ob quas hos Libros Clariſſimo Veſtro Nomini dedicare, & quaſi conſecrare volui. Eæ autem ſunt multæ & graves. Primò namque, vos Antiquitatum, quibus hi libri referti ſunt, ſtudioſiſſimos eſſe, & inter occupationes graviſſimas multùm temporis earum ſtudio tribuere ſcio. Deinde Vos potiſſimùm, Vos inquam, quum Σύνοψιν Operis mei de Originibus à me accepiſſetis, ad id pertexendum & in apertum proferendum adhortati eſtis, quin imò velut ex pacto mecum in omnibus veſtris ac ſingulis ad me literis etiamnùm agitis, quòd vltrò Opus hoc ſuſceperim, quòd promiſerim, quòd debeam Eccleſiæ & Reipub. Literariæ, quòd plurimùm eo ipſo commodaturus ſim, adeóque à me non niſi cum Reipub. Chriſtianæ injuria inſigni aut ſupprimi, aut è manibus abiici poſſit: ut ſi quid ex noſtris laboribus ad Eccleſiam & Scholas redundet vtilitatis, id omne Vobis acceptum referri debeat. Tertiò extant veſtra in Eccleſiam Chriſti & Rempublicam non vulgaria beneficia. Traditus fuit, Nobiliſſime à Grunrade, ab Illuſtriſſimo Ioanne Caſimiro Sanctiſſimæ memoriæ Principe, diſciplinę & inſtitutioni tuæ Generoſiſſimus Princeps ac Dominus, D. Fridericus IV. Comes Palatinus, & nunc Elector: eum in orthodoxa Religione, vera pietate & artibus liberalibus ita inſtituiſti, ut, accedente Principis ſumma ingenii indole, ſummáque virtute, in Principem verè Chriſtianum, nutritium Eccleſiæ Chriſti, & ornamentum columenque non ſolùm Germaniæ noſtrę & Imperii Romani, ſed totius Chriſtiani orbis euaſerit. De quo non tam Electori Friderico Reſpublica Tigurina Patria mea dulciſſima, omnéſque orthodoxi gratulantur, quàm tibi, Nobiliſſime à Grunrade, gratias agunt, egóque id beneficium à te Eccleſiæ exhibitum hujus Libri Dedicatione ſempiternæ hominum memoriæ commendatum volo. Tuum verò, Præſtantiſſime Colbingere, ingens ſtudium erga orthodoxam & veram Religionem, erga Scholas, Bonas Literas, & Literatos Homines, quis eſt qui ignoret? Tu etiam pietatem, prudentiam ſinceritatem aliáſque virtutes ſingulares & raras, quibus à Deo Opt. Max. ornatus es, ita probaſti Illuſtriſſimo Principi D. Ioanni Caſimiro, dum adhuc in terris ageret, ut opera tua & in dandis conſiliis, & in obeundis Legationibus, aliiſque difficillimis negotiis ſubinde vſus ſit, & Illuſtriſſimus Princeps Fridericus Elector adhuc hodie libenter utatur. Accedit his ſumma erga me veſtra benevolentia, multa item & magna beneficia, quæ in filium meum, quatuor jam annos in Academia florentiſſima Heydel-

Heydelbergenſi agentem, atque adeò in me quoque contuliſtis, pro quibus, quandoquidem aliter non poſſum, chartaceo hoc munuſculo gratiam vobis aliquam ſaltem referre volui, ut homini non omninò ingrato Vos benefeciſſe intelligatis. Accipite igitur Viri Clariſſimi leuidenſe hoc munuſculum hilari vultu ab homine veſtri Obſervantiſſimo profectum, & me meóſque porrò commendatos habete. Id ut faciatis, ita à Vobis peto, ut majori ſtudio, magíſve ex animo petere non poſſim. VALETE. *Datæ Tiguri 7. Id. Auguſti, anno nati in carne Filii Dei 1592.*

VESTRÆ AMPLITVDINI

Addictiſſimus

Rodolphus HOSPINIANVS, *Tigurinus.*

IVDICIVM DE HOC OPERE

CL. V. D. D. ANDREÆ ORIGANI

Mathematicæ Profeſſoris Ordinarii in Academia Francofurtenſi ad Oderam, & Ephemeridum Brandeburg. Authoris.

Hoſpinianus, , inquit, *diligentiſſimus eſt Feſtorum Enarrator, quem maxima ex parte in his ſequuti ſumus.*

Et paulò pòſt, videlicet Literâ III. *Conſulas in his*, ait, *Authores, qui de Feſtis Græcorum & Romanorum, quæ certis menſium diebus adſcribuntur, ſcripſerunt; inprimis* Rodolphum Hoſpinianum, *qui egregiam in his poſteritati navavit operam.*

INDEX PRI-

INDEX PRIMUS

CONTINET EORVM NOMINA, QVORVM *Opera Author noſter in his Libris conficiendis, vſus eſt, qui non tantùm, nominatim citantur, ſed inſigniora quædam illorum loca explicantur, notantur & emendantur: Philologis inſeruiens.*

ACCIAIOLI error 188.
Adriani Iunii error 190.
Agellius 134.
Æliani ſophiſtæ inſigniora loca 163. 164. 238.
Æſchines
Æſchilus
Albertus Cranzius
Alcoranus
Alexand. ab Alexandro citatus & emendatus 103. 114. 125. 126. 144. 161. errores 164. 176. 188.
Alexander Sardus
Alphonſus Abulenſis
Ambroſius
Ammianus Marcellinus 189.
Ammonius
Anatolius
Andreas Alciatus
Andreas Hyperius
Angelus Polytianus 147.
Anshelmus Cantuarienſ.
Antonius Florentinus
Antoninus Conſtantius Fannenſis
Antonius Margarita
Antonius Mancinellus
Apollodorus 114.
Apulæi loci quidam explicati 125. 140.
Ariſtophanes & eius Scholiaſtes 120 121. 140. 162. 172. 175.
Ariſtoteles 75.
Arnobii ſententia de Origine feſt. 117. matris Deûm 156. Oſiridis indagatione 222 Phalli 117. Theſmophoriis 215.
Artemidorus
Athenæi loca inſigniora 116. 120. ibid. 152. 237. 244. 258. 138. ibid.
Auguſtinus arguitur 35. & 36. explicatur 19. 24. eius iudicium de Dierum obſervatione 60. 88. de nocturnis ſacris 140. taxat turpitudinem feſti matris Deûm 136. & Periphalliorum 116.
Aulus Gellius 134.
Auſonius
Author hiſtoriæ Scolaſticæ

BAptiſta Mantuan. 60.
Bartholom. Georgieviz
Baſilius
Beda
Bellarmini error 33. 36.
Benedictus Aretius
Beroſus
Blondus

CAius Iulius Cæſar
Calendarium Maffeianum
Calendarium vetus
Canones Apoſtolorum
Caſſius Hemina
Catullus
Cenſorinus 68.
Chaldæus Paraphraſtes
Chron. Magdeburgenſ.
Chronicon Saxoniæ.
Ciceron. teſtimonia 68. 162. 186. 189. 209. 210. 226.

Claudianus 140.
Claudianus Ptolemæus
Cleantes
Columella
Cœlius Rhodiginus 122. 138.
Conciliorum liber
Conradus Geſnerus
Cornelius Ianſenius
Cornelius Labeo
Cornelius Tacitus
Crates Athenienſis
Cuſpinianus
Cyprianus

DAmaſcenus
Demoſthenes
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dionis locus 88. & ſeq.
Dionyſius Alexandrinus
Dionyſii Halicarnaſſæi loca explicata 175. Macrobio conciliatur 88. 62. 101. 102. 145. 153. 156. 161.
Dionyſius Halicarnaſſ. multis in locis.
Donati error 89.
Dorothæus Sydonius 143.
Doſithæus

ELias Reuſnerus
Epigrammata Græca
Epiphanius
Eraſmus Roterod.
Etymologicus
Euagrius
Euſebius
Euſtathius

FEneſtella
Feſti Pompei error 18.
Flauius Vopiſcus
Fulgentius

GOthardus Atthus
Granius Licinianus
Gregorius Magnus
Gregorius Nazianz. 28.
Guiliel. Budæus
Guiliel. Durandus
Gyraldi error 189.

HAly Aſtrologus
Harpocration
Haymo
Henricus Bullingerus
Henricus Glareanus
Henricus Panthaleon
Henricus Stephanus
Hermannus Mutius
Herodianus 135.
Herodotus 116. 138.
Heſiodi loca illuſtrata 6.
Heſychius 139.
Hieronymus
Hieronymus de Oleaſtro
Homerus 87. 139. 240.
Honorius Auguſtodunenſis
Horatius 123. 124. 226. 232
Hugo Carrenſis
Hyginus
Hyperides

IAcobus Cuatius
Ioannes Auentinus
Ioannes Baptiſtapius
Ioannes Brodęus
Ioannes Buxsdorfius
Ioannes Chryſoſtomus
Ioannes Cuſpinianus
Ioannes Funccius
Ioannes Grammaticus
Ioannes Lalemantius
Ioannes de Monte regio
Ioannes Nauclerus
Ioannes Picus
Ioannes de Sacrobuſto
Ioannes Stoefflerus
Ioſephus 74. 81.
Ioſephus Scaliger
Iſidorus Hiſpalenſis
Iſocrates
Iulius Cæſar
Iulius Cæſar Scaliger
Iulius Capitolinus
Iulius Firmicus
Iulius Modeſtus

Iulius

Iulius Pollux
Ius Ciuile
Ius Pontificium
Iuſtini error.18.
Iuvenalis 135.

LAërtius 138.
Lactantius 219.259.222.
Lactantius Gram. 139.
Lazii errores 134.145.186.
Licinius
Ludovicus Viues 148.
Lucianus 188.
Lucius Actius
Lucretius

MAcrobius 12. 60. 85. 94. 102. 127.
Manuel Moſchopulus
Maria Sypontius
Marcellus Francolinus
Marcellinus
Marcus Cato
Marcus Lombardus
Martialis 124.
Martianus Capella
Marinus Neapolitanus
Maximus
Melanthius
Muſæus

NAtalis Comes: corrigitur 173.
Nævius
Nicolaus Lyranus
Nicolaus Myrothecius

ORigenes
Orpheus
Ouidius
Ouidii loca variè citata, explicata & emendata 67. 69. 71. 72. 74. 76. 77. 91. 92. 93. 96. 97. 98. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 123. 125. 126. 133. 134. 135. 143. 144. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 156. 157. 158. 159. 164. 166. 167. 168. 169. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 185. 186. 187. 188. 191. 199. 200. 202. 205. 217.

PApinius Statius 135.
Paulus Eberus
Paulus Fagius
Paulus Marſus
Paulus à Mittelburg
Pauſanias 101.
Perſius
Petrus Alfonſus
Petrus Martyr.
Petrus Pithoeus
Phauorinus 139.
Philaſtrius Epiſ. Brixienſ. 122.
Philippus Beroaldus
Philippus Melanthon 69.
Philo Iudæus
Philochorus
Phurnutus ſeu Cornutus 114.
Pindarus
Pierius
Plautus
Plinii loca emendantur 156.211.
Plutarchi teſtimonia commodiſſimè citata 121. 123. 124. 151. 152. error 185. 186. locus emaculatur 164. 175. 186. 211. 116. 217. 220. 243. 245. 253.
Polydorus Virgilius
Pomponius Lætus
Porphyrion
Probus Grammaticus
Proclus
Procopius
Propertius
Prudentius

QVintus Claudius

RAbi Aben Ezra
Rabi Dauid Kimhi
Rabi Eleazarus
Rabi Iehoſua
Rabi Moſes
Rabi Salomon
Radulphus Flauiacenſis
Ranulphus
Remigius
Robertus Bellarminus
Rupertus Tuitienſis 36.
Raymundus Marlianus

Sabellicus
Sardus
Saxo Grammaticus
Sæder Olam libri author
Scholiaſtes Ariſtoph.
Scholiaſtes Demoſth.
Scholiaſtes Pindari
Sebaſtianus Munſterus
Seruius Maurus 139. 143.
Sempronius
Sextus Aurelius Victor noua & antiqua editio
Sextus Pompeius
Simonides
Solinus
Silius Italicus 144.
Sophocles
Statius Papinius 135.
Stephanus
Strabo
Suetonius
Suidæ error 225.
Symachus

Taciti error 18.
Tertullianus 241.
Thalmud
Theodoretus
Theodorus Bibliander
Theodotion
Theon
Theocritus 137. & ſeq. 192.
Thomas de Aquino 23.
Thomas de Vio Caietanus
Thucidides 114.
Tibullus
Titus Liuius 65. 128. 129. 130. 131. 132. 143. 144. 223.
Titus Quintus
Tranquillus
Trebatius
Tretzes

Valerius Maximus
Varro 134.
Verderius
Verrius Flaccus
Vergilius 43. 58. 98. 128. 179. 193. 228.
Vibius Sequeſter 135.
Vincentius Bellouicenſis.
Vitruuius

Xenophon 142.

Zacharias Calliergus
Zoſimus.

INDEX II. THEOLOGICVS.

IN QVO SACRÆ SCRIPTVRÆ LOCA QVÆDAM COMMODE citantur, explicantur, inſtituto accommodantur & Capita notantur.

GENESIS.

CAP. I. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diviſit lucem à tenebris 5

1. Et vocavit lucem, diem, & tenebras noctem, factúmque eſt veſpere & mane dies unus ibid.

1. Ecce dedi vobis omnem ſeminantem herbam 11.

2. Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum 14. 25

2. Benedixit diei ſeptimo & ſanctificauit eum 16. 25.

7. Menſe ſecundo, duodecimo die cœperunt aquę diluvii 9.

29. Imple menſem dierum 8. & ſeq.

EXODVS.

11. Tranſibo per terram Ægypti nocte illa 27.

12. Menſis iſte erit vobis caput menſium, primus erit vobis in menſibus anni 10.

12. Immolabis inter duas veſperas 28. & ſeq.

12. In die primo erit conuocatio ſancta: etiam ſeptimo die erit convocatio ſancta 28. & ſeq.

12. Cùm ingreſſi fueritis in terram quam daturus ſit ipſis, tum maximè obſervent cultum hunc 31.

12. Et cùm dixerint vobis filij veſtri: quæ eſt iſta ceremonia, &c. 31.

12. Omnis alienigena non comedet ex ea ibid.

12. Qui circumciſus non fuerit, non veſcetur ibid.

16. Et ſabbatizavit populus die ſeptimo 16.

19. Menſe tertio egreſſionis filiorum Iſraël de Ægypto, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai 36.

19. Cœperunt audiri tonitrua 36.

19. Sint parati in diem tertium 25. & 26.

21. Quarti præcepti explicatio 16. & ſeqq.

21. Erit ei ſervus in ſeculum 19.

23. Sex annis ſeminabis terram tuam 42.

23. Septimo dimittes eam ibid.

23. Celebrabis ſolennitatem in exitu anni 9.

31. Die ſeptimo eſt Schabath Schabathon 25.

31. Moriendo morietur ibid.

31. Cuſtodient Sabbathum in perpetuum 19.

31. Scriptas digito Dei 16.

24. Solennitatem celebrabis redeunte anni tempore 9.

23. Cùm ingreſſi fueritis terram 32.

23. Offeratis Homer de primitiis ſpicarum 8. 15.

23. Craſtino Sabbathi 33.

23. Numerabitis ab altero die Sabbathi 35.

23. Vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ibid.

23. Offeretis cum panibus duos agnos 35.

23. Menſe ſeptimo: prima die menſis, erit vobis Sabbathum memoriale, clangentibus tubis 37.

23. Decimo die menſis hujus ſeptimi, dies expiationum erit 39. eius feſti explicatio ibid.

23. Feſti tabernaculorum pleniſſima explicatio 41. & ſeq. 225.

23. Offeretis ſacrificium feſtum eſt enim Iehovæ, omne opus ſervitutis non facietis 2.

23. Die octaua conuocatio ſancta erit vobis & offeretis ſacrificium Domino 2. & ſeq.

23. Die primo ut die octavo erit Sabbathum 14.

25. Septimo anno Sabbatum erit terræ 42.

25. Eritque Sabbathum terræ vobis in cibum 14.

25. Numerabis ſeptem hebdomadas annorum 15. 43.

25. Sanctificabis annum quinquageſimum 43.

25. Dabo benedictionem meam anno ſexto & faciet fructus trium annorum 43.

NUMERI.

11. Vſque ad menſem dierum 7.

15. Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus 25.

28 In initiis menſium veſtrorum offeretis holocauſtum Domino 26.

29. Præter holocauſtum novilunii 7.

DEUTERON.

Cap. 16. Immolabis in veſpera primi diei uſque mane 30.

16. Non poteris immolare Paſcha in qualibet vrbium tuarum 31.

16. Sex diebus comedes Azyma & die ſeptimo eſt Azæreth 3.

16. Memento quod ſervus fuiſti in Ægypto 35.

16. Tribus vicibus apparebit per annum 12.

18. Gentes iſtæ quarum poſſidetis terram, augures & divinos audiunt 60.

13. Ponite in arcam fœderis 16.

IUDICUM.

7. Gedeon ingreſſus eſt caſtra Madian vigiliis nocturnis 7.

I. SAMUEL.

11. Saul ingreſſus eſt Caſtra Moabitarum vigilia matutina 7.

20. Ecce Calendæ ſunt cras 26.

20. Cras Calendæ ſunt ibid.

13. Nec factum eſt Paſcha à diebus Iudicum 28.

NEHEMIÆ.

13. Quæ eſt hæc res mala quam bis facitis & prophanatis diem Sabbathi 26.

ISAIAS.

1. Si peccatum fuerint ut coccinum. Ridicula Iudæorum expoſitio 55.

1. Væ illis qui vertunt diem in noctem 5.

58. Si reuerti feceris Sabbatho pedem 24.

58. Tunc delectaveris in Iehoua, ut equitare faciam ſuper te excelſa terræ 26.

66. Erit menſis ex menſe 7. 15. 25.

IEREMIAS.

10. A ſignis cœli noli metuere 60.

17. Si me audieritis non inferetis onera in die Sabbathi 26.

17. Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbathi 25.

EZECHIEL.

1. 2. 3. 4. Explicatur locus de diebus quorum ibi fit mentio 9.

8. Mulieres ſedebant plangentes Adonidum 188. & ſeq.

HOSEAS.

6. Miſericordiam volo non ſacrificium 23.

AMOS.

8. Quando tranſibit Sabbathum & Nouilunium 7.

ZACHAR.

7. Non Ieiunaſtis mihi

MATTHÆUS.

14. Dies natalis Herodis 212.

14. Veſpere facto acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum 29.

14. Veſpere autem facto ſolus erat 29.

20. Parabola de conductis operariis in vineam 6.

27. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt uſque ad horam nonam 6.
27. Circa horam nonam clamavit Ieſus ibid.
28. In extremo Sabbathi, cùm jam illuceſceret in primam Sabbathi 5.

Marcvs.

2. Ibat Sabbathis per ſata 14.
2. Numquid legiſtis 21. & ſeq.
6. Herodes natalis ſui cœnam fecit 240.
6. Circa quartam vigiliam noctis venit Ieſus ad vos 6.
13. Erat hora tertia quando crucifixerunt eum 6.
16. Cùm præteriiſſet Sabbathum ſumma diluculo 15.

Lvcas.

2. Cuſtodieritis vigilias noctis 7.
2. Ibunt quotannis in feſto Paſchalis Hieroſolymam 31.
4 Vt prædicens annum acceptum Domini 44.
6. Sabbatho ſecundo primo 14.
12. An vigilia ſecunda an tertia venturus ſit 7
8. Ieiuno bis in Sabbatho 15.
22. Appropinquabat dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha 26.

Iohannes.

5. Pater meus vſque nunc operatur 17.
7. Vltimo die illo magno feſti 42.
10. Facta eſt Encænia Hieroſol. 46.
11. Bethania aberat ſtadiis fermè quindecim 21.
19. Erat hora ferè ſexta 6.
19. Erat magnus dies ille Sabbathi 15. & 16.

Acta.

1. Sabbathi iter 21.
2. Et cùm complerentur dies Pentecoſtes 12.34.
20. Feſtinabat Paulus ut in die Pentecoſtes eſſet Hieroſolymis 34.

I. Corinth.

4. Purgamenta mundi facti ſumus 138.
5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus 27. 47.
8. Epulemur in Azymis ſinceritatis ac veritatis 32.

Galat.

4. Dies obſeruatis & menſes 47. 60. & ſeq.

Coloss.

2. Deleuit rituum chirographum 47.

I. Thess.

4. Dominus deſcendet cum tuba Dei 44.

Hebr.

4. Relinquetur Sabbathiſmus populo Dei 15. 25.
9. Neque per ſanguinem hircorum, & vitulorum 38.
13. Quorum animalium ſanguis infertur pro peccato in Sacrarium 39.

INDEX TERTIUS GENERALIS:
RERUM ET VERBORUM
Hebræorum, Græcorum & Latinorum Memorabilium.

AB *Menſis Heb.* 8. 45.
Abib *menſis* 8. 28.
Ablutiones *ſuperſtitioſa Iudaorum* 49.
Acarnanes *ſex tantum menſes habuerunt* 69.
Aceſſæus *nauta* 60.
Aceſſæi *Luna Pro.* 56.
Achillis *funebria* 262.
Actiaci *quinquennales* 264.
Adar 12. *menſis Heb.* 8. *reſpondit Martio* 72. *& ſeq.*
Admete *fabula* 244.
Adonis *quis* 188.
Adonia *quando celebrata ibid. in cuius honorem celebrata* 188. *origo ibid. à ſolis mulieribus celebrata* 189. *ritus ibid.*
Æditus Herculis *cum Deatalis ludit* 158.
Ægyptiorum *anni ratio* 65. *initium* 80. *Bacchi Feſtum ut celebrarint* 116. *eorum dies quales* 5. *non invenerunt deorum nomina* 89. *eorum feſta, vide* Feſta *eorum menſium cum Rom. comparatio* 83. *cur* Priapum *coluerint* 117. *ut* Serapin *coluerint* 109.
Æſculapius *ubi ſepultus* 113.
Æſculapij *feſtum* 100. *ludi* 113.
Æternum *quid* 19.
Agaparum *Origo* 32.
Agni Paſchalis *Celebratio* 28. 29. *vide P. quando immolandus* 28.
Aglauria *in ſaxum converſa* 142.
Agonalia 95. *repetita ibid. etymologia & ritus ibid.*
Agonalia *altera* 169.
Αγων *muliebris* 175.
Agronia *unde dicta & eorum ritus* 232.
Α...ιδι 77.
Αλαλκομένιος Septembri *reſpondet* 79.
Alectoriorum *origo & ritus* 233.
Alemanici *Ludi* 217. *& ſeq.*
Alexandrinorum *Ritus* 233.
Αλῶος *ibid.*
Alia *ibid.*
Alva *in cuius honorem celebrata ibid.*
Alotia *unde dicta & eorum origo* 81. 234.
Amariſia *in cuius honorem celebrata* 234.
Αμ...ριον *quid ibid.*
Ambarualia, *quando & cur celebrata, ritus* 98.
Αμβρόσια 38. 91.
Amphitheatri *Origo Roma* 64.
Αμύλα *quid* 120.
Anna perenna *in amnem ſe præcipitat* 126. *eius feſti dies ibid. eludit Martem* 127.
Anacia *feſtum Dioſcurorum* 234.
Annales *quid* 62. 63.
Ανάρρυσις *eius etymologia* 218.
Ancillarum *feſtum* 193.
Anciliorum *origo, tempus & ceremonia* 124.
Anciliorum *Miniſtri* 125. *Feſta epipare celebrata ibid. eo tempore nuptia prohibita ibid.*
Angerona Dea *qua* 231.
Angeronalia *quo die celebrata* 231. *cur inſtituta ibid.*
Angina *liberati Romani ibid.*
Anteſphoria 234.
Antinea *in cuius honorem inſtituta ibid.*
Anteſterion *Novembri non reſpondet* 80.
Anteſteria 114. *ſic dicuntur omnia feſta qua Baccho celebrantur ibid.*
Ανθεστηριών vernus menſis 73. *unde dicatur ibid. varia habet nomina ibid.*
Antevidemia 256.
Annus biſſextilis *ominoſus* 60.
Annus Embolimæus 66.
Annus Iubilæus 43.
Annus Iudæorum 9. *eius initium ante liberationem Ægyptiacam* 9. *poſt eam ibid. cur in menſe* Tiſri *auſpicarint ibid. cur in menſe* Niſan *ibid.*
Anni ratio *apud Ægyptios* 55.
Arabes *ibid.* Hebræos 27. 55.
Anni initium *variè conſtitutum fuit ab omnibus nationibus* 9. 66. *& ſeq.*
Anni, Latium, *olim nullam habuit rationem* 67.
Anni *Initium ante Numam* 122.
Anni *Ratio cur difficulter conciliari poſſit* 66. *& ſeq.* Romuli *diviſio anni* 67. Numæ *diviſio* 68.
Anni novi *feſtum* 54. *præparatio ibid. Novum annum, Deum in cœlo celebrare fingunt Iudai* 53.
Mundus *quo Anni tempore conditus* 10. 66.
Animam *affligere quid* 39.
Animas *impiorum in fluminibus recreationem quærere putant Iudai* 49.
Apaturia *quo menſe celebrata* 218. *quamdiu celebrata ibid. varia habet nomina, & eorum ethymon* 218. *origo* 219. *ethymon ibid.*
ad Apaturia *profectus, rediit Targeliona Prov.* 219.
Apidis *ſepultura feſtum & eius ritus* 229.
Αφεσις ιππων 91.
Αποχειρικός 90.
Απελλαῖος 81. *Decembri reſpondit.*
Apollo *cur Carneus dictus* 137. *eius feſtum* 219. *ei Sacra* Neomeniæ 84. *& ſeptima dies* 88. *Natalis ibidem.*
Apollonis *Solennitas apud Sicyonios* 234. Comæi *ibid.* Malloentis *ibid.* Parrhaſii *ibid.* Apollo *inſtituit Pythios ludos* 111. *non Draconem ſed hominem nocentiſſimum huius nominis interfecit ibid.*
Apollinares ludi 191. *quando inſtituti ibid. origo ibid. à quo primo celebrati ibid. ubi Roma celebrati* 192. *populus laureatus eos ſpectavit ibid.*

A Chris

A Chriſtianis *mutato nomine in S.* Apollinaris *aſſumpta* 192.

Ἀποφρὰς *homo quis* 58.

Ἀποφράδες *dies ibid.*

Ἀφροδίσιος *Martio reſpondit* 73.

Ἀφροδίσια 237.

Apophoreta 228.

Aphrodiſiorum *Ritus* 237.

Aprilis menſis *unde dictus* 74.

Aquationis *feſtum apud Peguanos* 279.

Ara *Feſtum* 204.

Arabum *anni ratio* 65.

Arati *natalitia & ritus* 235

Arcades *tres tantum menſes habuerunt* 69.

Archelaus Rex *Ioni & Muſis certamina inſtituit* 252.

Arcis *Hierosol. expiatio* 47.

Arcturus *quando oriatur* 79.

Ἀρχιερεὺς *menſis* 81.

Arca 235.

Arges *Loca Romæ quæ* 134.

Arginæ Mulieres *liberant patriam* 137.

Ariadnæ *Feſtum & eius origo* 211.

Armiluſtrium 281.

Ἀρδοιιν *quid* 85.

Ἀρτεμισιων *menſis* 121.

Ἀρτεμίσια 121.

Artemyſia *Cyrenenſium & eorum ritus* 237.

Ἀρτεμίδος *feſta varia* 236. *vide Dianæ.*

Aſinariorum origo 189. *dies ibid.*

Ἀσκὸς εἰς Ἀργοὺς 174.

Ἀσκοφορμίται *qui* 121.

Aſcoliorum *Ritus* 121. *à Romanis celebrata ibid. ab hæreticis mutuata ibid.*

Aſtrologiæ *ſuperſtitioſa obſervatio damnatur* 61.

Aſylum Romanum 100.

Athenæorum *ritus cruenti* 233.

Athenarum *nomen* 175. *luſtratio* 178.

Athenienſes Bacchanaliorum *Authores* 114. *ſuperſtitioſi dierum obſervatores à Laced. victi* 61. *dies quatis* 5. *eorum Virgines furore correpta ſe ipſas ſuſpendunt* 233.

Ἀθὺρ *Ægypt. menſis* 81.

Atellanæ fabulæ 65.

Atriæ *libertatis feſtum* 149.

Atys *quis, & eius fabula* 144. *& ſeq. impregnauit Cybelem* 252.

Αὐστραῖος 70.

Auguria *ſuperſtitioſa Iudæorum* 53.

Auguſtus menſis *olim Sextilis dictus* 79. *item Commodus ibid.*

Auguſtales ludi 259.

Auguſt. Cæſ. *in infantia Thurinus dictus* 96. *quando Auguſti nomen aſſumpſerit ibid. Pater patriæ declaratus* 101.

Auguſti *feſtum* 101. *& eius origo ibid. inſtituit decennales ludos* 265.

Auguſtalia *eorúmque ludi* 220.

Aulii Poſthumii *votum* 194.

Αὐτοκρατορικὸς 80.

Autumno *an mundus conditus* 11.

Azzaræch. Heb. *quid* 2. 42. *ſignificatio ibid.*

B Abyloniorum *dies* 5

Baita *Turcis quid* 266.

Βάκχος *unde deriuetur* 128.

Bacchus *cur* Dionyſius *dicatur* 114. *cur liber dictus* 237. *& ſeq hedera cur coronatus* 114.

Bacchi liberi *apud athenienſes* 237. *myſteria duplicia* 134. *ubi & quo die celebrata ibid.*

Sacrorum Bacchi *ritus* 115. *ritus apud varias gentes ibid. eius myſteria magna, quando celebrata* 198. *ritus* 199. *certamina ubi celebrata ibid. ut à* Ptolomæo Philadelpho *celebrata* 200. *& ſeq. triennalia fuerunt* 202. *author* 293.

Bacchum Sabbatho *colere Iudaos Ethnici putarunt* 13. 23.

Bacchanaliorum *Authores* 114. *Miniſtri ibid. Romanorum* 127. *etymon.* 128. *origo in Italia ibid. ritus turpiſſimus* 128. *& ſeq reſtituta Romæ* 132. *& ſeq. filii nobilium togam ſumebant ibid. Proceſſio* 134.

in Bacchanalibus *tantùm vinum ad temulentiam bibere licuit* 115. *Chriſtianorum impietas* 117. *Iudæi receperunt Senatusconſultu Romæ damnata* 132. *improbat M. Cato ibid. Scythæ damnarunt* 117.

Bacchanalia *apud peguanos* 269.

Baubonis *obſcœnum facinus* 216.

Βάζω 128.

Bellonæ Deæ *feſti, dies, origo & ritus* 177. *& ſeq.*

Βενδὶς *quid* 139.

Βενδίδια *feſta ibid.*

Berecynthia *quæ* 143.

Biſſextilis *annus ominoſus* 60.

Boëdromiorum *origo, & ritus* 196. *ſecunda* 197. *quarta ibid. ſexta ibid. in* Duodecima *die ibid.*

Βοηδρομιών *Auguſto reſpondit* 79.

Bollona Dea *quæ* 177. *& ſeq.*

Bona Dea *quæ fuerit* 164. *eius feſtum, ibid. dies ibid. ubi & quando* 165. *à ſolis mulieribus celebratum ibid. ritus ibid. nocte* 166. *relig. ibid. violata ibid.*

Bona Forda *quæ* 150.

Borealia *cur inſtituta* 241.

Brachmonat 73.

Brumæ *Initium* 81.

Brumalia *unde dicta & quando celebrata* 224. *non ſunt Bacchi Feſtum ibid.*

Bul. Heb. *quid* 8. 80.

Βύνσμα 70.

Buphonia 163. *cui celebratum Dies ibid. ritus ibid*

Burtanica porio 99.

Buſiri *celebrant Sacra in honorem Dianæ* 260.

Bures Sacerdos 163.

Βύστος 75.

C Abiri *qui* 247.

Cabirorum *Origo, ritus & ſacra religioſa* 247. *eorum templum ingreſſi, delirare cœperunt ibid.*

Cacus *abegit Herculis boues* 178.

Caius Iulius Cæſar *interfectus* 127. *quo die interfectus ibid.*

Calabra *quid* 83.

Calendariis *addicti Germani* 60.

Calare *quid* 83.

Calendæ 26. 83. *unde dictæ ibid. apud Latinos* Iunoni Sacræ 85. *Græci non habent* 84. Calendæ & Neomeniæ *quid differant* 83. Calendarum *Obſeruatio apud Iudæos* 26. *in* Calendis *exigebantur elocata pecunia* 84.

Calendæ Ianuariæ Rom. *feſtum* 91, *ceremonia varia ibid. munera mittunt* 92. *celebriores factæ* 93. *iuramentum eo die præſtabatur ibid. bona precabantur* 92. *ſtrenæ ibid. & munera aurea & argentea mittebantur ibid. non perſequebantur hac die Chriſtianos* 93. *ſaltarunt & monſtroſas veſtes induerunt* 94.

Calendæ Februariæ 100.

Calendarum Martii *ritus* 123. *initium ante Numam ibid.*

Calendæ.

Calendæ Aprilis 143.
Calendæ Maiæ 164.
Calendæ Iunii 176.
Calendarum Iulii *ritus* 189. *locationes domorum fiebant* 190.
Calendæ Auguſtæ 204.
Calendæ Septembris 212.
Canarium augurium 157.
Candelis cereis *in Paſchate vtuntur Iudæi* 49.
in Candeſio Cetlanæ *inſula feſta* 271.
Canenſis *clades* 59.
Canem *cur in Lupercis immolarint* 104.
Canum Feſti *dies & origo* 211. *fidi custodes* 231.
Canephoria *Athenienſium Feſta* 142. *in cuius honorem celebrabant ritus ib.*
Cantus *in feſto tabernaculorum* 39.
Cantici *varii in Pythiis* 111.
Capitolium Romæ *à quo conditum & dedicatum* 212.
Capitolini ludi, *eorum origo & ritus* 244.
Caphyenſes *iniuſtè occidunt pueros* 236.
Carmentalis *Porta* 95.
Carmenta quæ *ibid.*
Carmentæ *Dea ædes* 96. *Romanis mulieribus frequentata ibid. & cur ibid.*
Carmentalia *unde dicta* 95. *quo die celebrata* 96. *repetita ibid.*
Carnæa Dea *quæ* 176 *Feſti eius origo ibid. ritus ibid. quando instituta* 138. *quando & vbi celebrata* 137. *origo & ritus* 138.
Carolus V. *obſervavit in expeditionibus Aſtrologiam* 60.
Carpentis *vti mulieribus Romæ interdictum* 96.
Caprotinæ Nonæ 193. *origo & ritus ibid.*
Caſtor & Pollux *antecedunt Roman. agmina, & victoriam denuntiant* 194.
Caſtoris & Pollucis *Feſtum* 91. *dies & origo ibid. Ludi & eorum ritus* 194. *& ſeq. certamina in his ludis* 195.
Caſtrenſes *ludi* 266.
Cauea quid 64.
Ceres *agriculturam docuit* 139. 216.
Cereis *feſta* 241. *myſteria* 139. *& ſeqq. vide M. cur nigra dicta ibid. ſacrum quale* 148. *cur & hic honor habitus ibid. ſacrificia ibid.* 104.
Cerealium Ludorum *Origo* 147. *ritus* 148. *cum liberalibus iuncti* 149.
Ceremonialis *Lex ut abrogata* 19.
C. rux *quando ſaltant* 79.
Chag Heb. *quid* 2. *unde deriuetur ibid.*
Chag Halukot *Hebr. quid* 39.
Chaggnaraim *quid* 40. 41.
Chalcea *in cuius honorem & quando celebrata* 219. *& ſeq.*
Chalcedoniis *qui dies infauſti* 59.
Chanucah Heb. *quid.* 46.
Chaos *unde dictum* 69.
Χαρίλα 259.
Chariſtiarum *Etymologia & ritus* 108.
Χαρμόσυνα 259.
Χελιδόνισμα *quid* 203.
Chelidoniorum *Ritus* 203. *non ad menſem Auguſtum referendum* 204.
Chodeſch Heb. *quid.*
Χόες *quid* 119.
Choin *feſtum, quo die & ritu celebratum* 119. *author ibid. conuiuiorum apparatus* 120.
Chorea Sueuica 126.
Chriſtus *quando expiarit* 29. *an fermentatis panibus vſus ſit* 33.
Chriſtiani *non obſeruant dies* 60.
Χθόνια *origo & ritus* 122.
Chthonia Argiua *puella* 122.
Circum maximum *quis extruxerit* 64. *eius deſcriptio ibid.*
Circenſes Ludi 64. *cur ſic dicti* 206. *& ſpectacula improbata ab Ethnicis* 209. *à Chriſtianis Doctoribus damnata ibid. improbauit* Theodoricus *Italiæ Rex ibid.*
Ciſleu *Menſis cur ſic dictus* 8.
Claui figendi *ſolennitas* 213. *index numeri annorum fuit ibid.*
Cœnæ Pontificalis *celebritas* 196. *dies & ritus ibid.*
Cœna Paſchalis *recentiorum Iudæorum* 51.
Comactho *Sacerdos ſtuprauit virginem* 236.
Comitiales dies *qui* 62.
Comperendini dies 62.
Compitalia *Romanorum* 63.
Compitalia 94. *Author ibid. Ludi* 93. *ritus* 94. *conceptiua ibid.*
Computatio 50. *dierum ab egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto* 35. *Auguſtini ſententia ibid. Durandi ibid. Lyrani ibid. Ruperti ibid R. Solomonis ibid.*
Conceptiuæ 61.
Concionis *ſeu* Celebritatis *magnæ feſtum* 42. *cauſa & ritus ibid.*
Concordiæ *feſtum* 136. 184.
Concordiæ *Templi dedicatio & feſtum* 97. *à quo extructum* 94.
Conſus *quis* 205.
Conſualiorum *dies & origo* 205. *ritus* 206.
Conuiuiorum in Chois *apparatus* 120. *in Herculis ſacris* 178. *inueſta* 181. *matris Deûm* 146. *in Neomeniis* 26.
Conuocatio ſancta *quid* 18.
Corona *victori in Pythiis data* 111. *Iſthmiis* 113.
Corona oleagina *non pecunia in Olympiacis præmium conſtitutum fuit* 172.
Coroniſmata *quid* 248.
Coſſotomia *ibid.*
Corytia Corinthiorum *feſtum* 248. *alia in Sycilia ibid.*
Corybantus 252.
Craſtinum Sabbathi *quid* 33.
Critici dies *Medicorum* 88.
Croniorum *ritus* 174.
Cruenta ſacrificia *in Achaia* 236.
Cululi *qui* 181.
Curetes 145.
Curſus *certaminum in Iſthmiis* 113.
Cybeles *quæ & unde dicta* 143.
Χύτροι *quando celebrati* 120. *nomen unde & ritus* 41.
Czamach Ludi *Turcarum* 266.

Δαίσιος 60.
Dædalus 239.
Dædalorum *origo ibid minera & eorum ritus* 240. *maiora & eorum ritus ibid.*
Dædala *ex quo arbore confecta* 240.
Dauladis *feſtum ibid.*
December 81. *varia nomina ibid.*
Decennales Ludi 265. *ab Auguſto instituti* 265. Conſtantinus *M. &* Gallienus *celebrarunt ibid.*
Decurſionis *feſtum apud Indos* 269. *& ſeq.*

Dedi;

Dedicatio *Tabernaculi & Templi Hiero.*46. Templi *anniverſaria ibid.* Templi *Iuturnæ* 96. Concordiæ 97.

Delia 240. *eorum origo & ritus ibid. inſtaurata* 241.

Demetria *& ritus* 241.

Δευτεροπρώτου σάββατου *quid* 15.

Διώσιος 78.

Diagondas Thebanus *nocturna ſacra abrogauit* 219.

Dianæ *templo cur cornua affixa Romæ* 136.

Diana *formoſa* 234. *ſtrangulatam ſingunt* Caphyenſes 236. *cur* Condyloa *dicta ibid.* Stophæa 249. Laphria 249. Lemnaridis 236. Mymnia *ibid.* Triclaria *ibid.* Stymphalia *cur dicta ibid.*

Diamaſtigoſis *à Laceda. uſurpata* 241. *ritus & origo ibid.*

Διάσια 163.

Dies *alij ſacri alii prophani. Dies ſacri, an ex ſe habeant ſanctitatem ibid.*

Diei diuiſio 5. *Artificialis ibid. eius partitio in quadrantes* 5. Eccleſiaſtici *diuiſio ibid.*

Dies naturalis 5. *eius initium ibid.*

Diei *partitio apud Iudæos* 16.

Dierum partitio *apud Iudæos* 6.

Dierum partitio *in hebdomadas* 7. *earum nomina apud Hebræos ibid.*

Dierum ſupputatio *apud Ethnicos* 58.

Dierum nomina *apud Germanos* 89.

Dierum nomina *à Planetis non Dei, ſed hominum inſtitutum* 88. *Albi & nigri* 58.

Dies Critici 88. *Communes & Plebei* 58.

Dierum delectus *eſt ſuperſtitioſus* 58. 59.

Dies fauſtus, *aliis infauſtus fuit* 61.

Dies fauſti *& infauſti* 58.

Dies quinta *infauſta ibid.*

Dierum obſeruatio *ſuperſtitioſa damnatur* 60.

Dies obſeruantes *infeliciſſimi* 62.

Dies *qui & quibus vitandi* 59. 60.

Dies Febuata quæ 63.

Dies Solis *ſacer* 88.

Die ſeptima *Apollo natus* 51.

Dies ſeptima *menſis lunaris ſacra* 87.

Dies trigeſimus *fauſtus* 88. *ſecundus Fauſto ſacer ibid. tertium* Mineruæ *ibid. quartus* Mercurio *ibid. octaua* Neptuno *ibid. Nonus* Soli *ibid. decimus quintus* Mineruæ *ibid. decimus ſeptimus diremptorius ibid. penultimus* Plutoni *ibid.*

Dies hebdomadæ *non planetarum ſed numero diſtinguebantur ibid. à planetis nomina habent ibid.*

Διιπόλια 163.

Diluuium *quo anni tempore conditus* 10.

Διονύσια 241.

Διονυσος μίλασις *ibid.*

Dionyſius *cur Bacchus dicatur* 114. Iachus *cur dictus* 199. Bacchanalium *author* 204.

Dionyſia 114.

Dionyſia magna 198. *Myſteria duplicia* 114. *vide B.*

Dionyſia *in agris* 203.

Δῖος *Menſis* 80.

Dominica die *non licet ieiunare* 88.

Domorum locationes *quando Romæ fiebant* 189.

Donſtag 89.

Dorpium quid 242.

Δορπεία *unde dicta* 219.

Dorpiorum *ritus* 242.

Dulciaria quid 92.

Δύστρος 73.

E

Ἑβδομαγέτῃ 59.

Ἑκατόμβαια 170.

Ἑκατομβαιών *Menſis* 77.

Ἐλευθέρια 242.

Ἐπιλήναια 170.

Ἐλαφηβολιών Februario *reſpondet* 73. *unde dicatur ibid.*

Elaphebolia *à Phocenſibus celebrata* 12. *origo ibid.*

Eleazarus author *Tranſlationis Neomeniæ primi menſis* 12. *mutationis Paraſceues* 15.

Eleii *fugant Arcades* 242.

Eleuſinia ſacra 139. 140. 199. *vide Myſteria Cereris.*

Eleutheria Platæenſium *origo & ritus* 242. *& ſeqq.* Samiorum *ibid.*

Ἐλευσίνια 242.

Elythyarum *origo & ritus* 242.

Ἑλλώτια 243.

Elul *ſextus menſis Heb.* 8.

Empanda Dea *qua* 99.

Ἐμπολαῖα 243.

Embolimæus *menſis* 66. *Annus ibid.*

Enceniorum *feſtum Iudæorum nomen vnde* 13. 46. recentiorum Iudæorum quale 56.

Ἑορτὴ *quid* 3. *unde deriuetur ibid.*

Eoſter *Anglorum Aprilis* 76.

Ἐπαγόμεναι *feſta* 243.

Ἐπίβδα Feſt. *& eius etymon* 219.

Epheſtria *in honorem Tireſiæ inſtituta & quare* 244. *ritus & unde dicta ibid.*

Epidauria 243.

Ἐπικρατία *quid* 84.

Epulum Iouis 223.

Epulæ Frugales *in Feraliis & eorum deſcriptio* 107.

Epulones *qui* 224.

Equus *apud multas Gentes immolatus ibid.*

Equitia 110. *dies & ritus ibid. repetita ibid. origo* 151. *quo die celebrata ibid.*

Erichthonius Panathenæorum *Author* 175.

Erigones *laqueo vitam finiuit* 233. *inter aſtra relata ibid.*

Ἐρωτίδια 243.

Ethanin menſis *unde dicatur* 8.

Ἐπιτείδεια 243.

Eurypilus *furore corripitur & cur* 236.

Expiationis feſtum 38. *ritus ſacrificandi in hoc feſto ibid. cauſa inſtituti huius feſti* 39.

F

Fabaciæ Calendæ 176.

Fabarum uſus *cur in Lemuriis* 267.

Fabii ſex & trecenti *uno prælio occubuerunt* 102.

Farris torrendi *ratio priſcis ignota* 106.

Faſti dies *qui* 62.

Fauſtinus October *dictus* 80.

Fauſto genio *ſecundus dies ſacer* 88.

Faunus *quis* 101.

Faunalia *cur inſtituta ibid.* 225. *& ſeq.*

Faunalia *dies & ritus* 225. *& ſeq.*

Faunum *qui viderunt ſubitò mortui ſunt* 226.

Februarius *unde dictus* 71. *cur* 47. *dies aſſignati* 72.

Februarius *olim vltimus menſis* 68.

Februa *quid* 71.

Februata dies *quid* 63.

Februata Iuno 73.

Feralia *vnde dicta* 107. *cur inſtituta & eorum ritus ibid. origo ibid. quando celebrata ibid. epulæ frugales ibid. victima mactata manibus ibid. in his quæ vetita ibid.*

Freytag 92.
Freyen *Germanis quid ibid.*
Feriæ *vnde dicta* 4.
Feriarum *diuiſio apud Ethnicos* 62.
Feriæ conceptiuæ 62. *imperatiuæ ibid. nundinæ ibid. publicæ ibid. à quibus indictæ* 63. *ſtatiuæ ibid.*
Feriarum *indictionis modus* 63. *apud Ethnicos innumerabilis copia ibid.*
Feriæ Gallis *&* Græcis *defuſſis* 225.
Feriæ *apud Iudæos ſtatiuæ* 12. *eorum diſtinctio ibid. cauſa ibid.*
Feriæ conceptiuæ *apud Iudæos quæ* 13. *eorum numerus quando apud Iudæos multiplicari cœperit ibid. non probanda ibid.*
Fermento in Paſchate *veſci non licet* 31.
Fermentum *expurgandi modus recentiorum Iudæorum* 49.
Erſt tag 4.
Feyrtag 4.
Feſtum *quid* 4.
in Feſtis *quid agendum*.3.62.
Feſtorum dierum *apud Ethnicos diuiſio* 62.
Feſtorum nomina *apud Iudæos*.2.
Feſta Iudæorum *omnia in Dei honorem inſtituta* 47. *Ceremonialia fuerunt, ideóque abrogata ibid.*
Feſta Ægyptiorum *varia* 261. ἄφοις Ἰσιδος ἐκ φοινίκης. 91.
Ἐπαγομένης *feſta* 243. Ἑρμαῖα 212. *aliud eorum ibid. die menſis Thoth*. 212. Iſidis puerperium 250. Iſidis *feſtum*.146. Pamylia 253. τοφῆς ἀοιδος 257. ζέτησις ὀσίριδος. 222.
Feſta Græcorum 76. Æſculapii 100. *alij* 112. Ἀγριάνια 232. Ἀδώνια 188. Ἀθηναῖα 233. Alectoria *ibid.* Ἀλεξάνδρεια *ibid.* Ἀλῶτις *ibid.* Ἀλῖα *ibid.* Aloa *ibid.* Alotia 234. Ἀμαρύνια *ibid.* Ἀμβροσία 90. Ἀνάκεια *ibid.* Ἀνακτῶν παίδων *ibid.* Anteſphoria *ibid.* Antinoa *ibid.* Ἀνθεστήρια 114. Ἀπατούρια 218. Apollinis *Solennitas apud Sicyonios* 254. Apollinis *Comæi ibid.* Melloris 235. Patralii *ibid.* Ἀρότου ἱεροῦ 235. Ἀρρηφόρια 135. Artemidis *Feſta varia* 255. *& ſeq. vide* Diana Ἀφροδίσια 257. Ariadnæ 114. Artemyſia *Cyrenenſium* 217. Ἀσκλήπεια 289. Ἀττάλεια 121. Ἀρτεμίσια 121. Bacchi Myſteria Magna 198. *& ſeq.* 199. 202. Bacchanalia 114. *& ſeq.* Βάκχου ἐλάθεια 237. Βενδίδεια 139. Βοηδρόμια 237. Βραυρώνια 237. Βυφόνια 102. Γαμήλια 90. Γέλωτος θεοῦ *Feſtum* 238. Γενέθλια *&* γενέσια *ibid.* Geræſtia 139. Γυμνοπαιδία 239.
Dædalia magna *& parua* 237.
Daulidis *Feſtum* 240.
Deliæ 240.
Δημήτρια 241.
Δήμητρος μύλαιος 241.
Dianæ Condyleæ 236. Hymniæ Stophææ *ibidem* Stymphaliæ *ibid.*
Tuclariæ 236.
Dianæ *Feſta alia* 237.
Diamaſtigoſis 241.
Διάσια 163.
Διιπόλεια *ibid.*
Διονύσια *duplicia* 51. 116.
Dionyſia 198.
Dorpiorum 242.

E Ἰσιτήρια 170.
Εἰλειθυίας 229.
Ἑκατόμβαια 109.
Ἐλαφηβόλια 99. 100.
Ἐλένεια 242.
Eleuteria *Platæenſium & Samiorum* 242. *& ſeq.*
Ἐλώτια 243.
Ἐμπλόκια 243.
Εὐβουλίδος σπονδαὶ εἰς τὴν σελήνην 113.
Ephæſtria 244.
Ἐπιτάφια 245.
Ἐπισκίδεια 243. ἡλίου *Feſtum* 219. 220. ἡραῖα 172. ἡρωίς 245. ἡφαίστεια 245. Harpocratis 204. Heræ 173. Herœorum 244. Hereclea 245. *alia ibid.* Hermea 243. θαλύσια 245. θαργήλια 157. θεσμοφόρια 216. *& ſeq.* θεοξένια 246. θησεῖα 174. θυῖα 246. θεοίνια *ibid.* Ieiunium Tarentinorum 232. ἰθύφαλλοι 116. Iſthmii Ludi 112. Ἰλεῖα 246. Inonis *Feſtum* 246. Iolaia 247. Ἰσοπυθόρομια 170. καλλιστεῖα 142. κάρνειον 59. καρύατις 248. κοτύττια *ibid.* κρόνια 101. 174. κυβερνήσια 249. Cabirorum 247. Ciſſotomos λαμπαδηφορία 249. λαφρία 249. λαμπτήρια 249. λήναια 90. λύκαια 114. Lupercalia 250. Luſtratio Athenarum 138. μαιμακτήρια 250. μουνυχία 250. Marcellea 251. Matris Magnæ Orgea. 251. Μεταγειτνια 257. μεγαλαρτία 251. Μεσογειτνια 188. Μιλησία.174. μίθρας 252. Μουνυχία μουνυχιῶνος 251. Muſarum Ludi *ibid.* Mutia *ibid.* μουνυχιῶνος μηνὸς 122. Παναθήναια μικρά 110. Πάνδια 163. Panmationis *qui ad Platæas occubuerunt* 212. Peliora 254. πιθοιγία 115. Πλυντήρια 142. Ποσειδώνια 224. προηρόσια 256. Pythii Ludi 110. Pythia *alia* 111. Πυρσοῦ 254. προμηθεῖα 255. πυανέψια 114. ῥαψῳδοί 256. Saceas *Feſtum* 205. Saronia 256. Σεπτήριον *Feſtum ibidem* Σκιροφορία Σωτήρια 256. Σκιροφόρια 163. Σωτήρια 113. Taſichon 276. Theogemia 246. Theophania *ibidem* Teſſeracoſton 257. Τιθηνίδια *ibid.* Tlepolemia *ibid.* Τίτανες 158. Tybe *ibid.* Trœzeniorum 101. φαγησία 258. φαλλαγώγια 116. *& ſeq.* Phlerephalia 259. χαλκεῖα 219. χαρίλα 259. χαριστήρια *ibid.* Chariſtitia 197. Chelidonia 197. χθόνια 122. χόων *Feſtum* 119 χύτροι *Feſtum* ὑακίνθια 258. ὑδροφόρια 141. ὑδροφορία 258. Ὠμοφαγία 259. ὡραῖα 259.

F Eria *quid* 4.
Feſtum *quid* 3.
in Feſtis *quid actum ibid.*
Feſta Indianorum. 270.
Feſta Iudæorum *omnia in Dei honorem inſtituta* 47. *fuerunt* Ceremonialia *ideóque abrogata ibid.*
Feſta Iudæorum *Concionis* 41. Encænia 46. Expiationis 38. Godoliæ 45. Heſteræ 44. Iubilæi 43. Ieiuniorum 44. Neomenia 26. Obſidionis Ieroſolymæ 44. *deſolatæ ibid.* Paſchalis 27. *& ſeq.* Pentecoſte 34. Phurim *vel* Sortium 46. Tabernaculorum 37. 38. Tubarum 37. 41. Ξυλοφορίας 29.
Recentiorum Iudæorum 48 *& ſeq.*
Feſta Romanorum Agonalia 94. Alemanici Ludi 220. Ambarualia 98. Annæ Perennæ 127. Ancillarum *Feſtum* 193. Ancyliorum 124. Angeronalia 231. Apollinares Ludi 191. Aræ 204. Armiluſtrium 222. Auguſti *Feſtum* 101. Auguſtalia 220. Bacchanalia Rom. 127. *& ſeq.* Bellonæ 178. Bonæ Deæ 164. *& ſeq.* Bruſmalia 224. Caii *Iulii Cæſaris Feſtum* 114. Calendarum 91. *vide* C. Calendæ Martiæ 112. Calendæ Aprilis 143. Calendæ Maii 164. Calendarum Iulii menſis 188. Calendæ Auguſtæ 204. Calendæ Septemb 212. Canarium Augurium 196. Canum Feſtum 211. Carmentalia 95. repetita 96. Carneæ Deæ 176. Caprotinæ nouæ 193. Caſtoris & Pollucis 194. *& ſeq.* Chariſtia 108. Clavi figendi *Solennitas* 213. Cœnæ Pontificalis *Celebritas* 196. Compitalia 94. Concordia 143 184. Concordiæ *templi dedicatio* 97. Cenſualia 105. Divalia 231. Equiria 97. Faunalia 101. Feralia 106. Feriæ Gallis & Græcis 225. Floralia 158. Fontanalia 221. Fornacalia

calia 166. Fortis Fortunę 186. Forticidiorum 150. Fortunalia 205. Fortunę 183. Fortunę mulieris 190. Fortunæ publicę 147. 161. Funebres & Gladiatorii 266. Furinalia 212. Gothici Ludi 101. Herculum 178. Hilaria 135. Iani 130. Iduum Ianuarii celebritas 96. Iduum Martiarum 168. Iduum Augusti celebritas 204. Iduum Septembris 212. Iduum Octobris celebritas 221. Iouis Epulum 223. Iovis victoris 149. Iovis invicti 184. Iovis Statoris 187. Iulij Cæſaris 78. Iuvenalia 194. Iunonalia 126. 177. Latemalia 231. 225. 233. Larium 164. 231. Latina feria 161. Laurentinalia 158. *& ſequentibus*. Lectiſternia & Pulvinaria 223. Lemuria 166. Liberalia 128. *& ſeq.* Libertatis 149. Lignepaſia 204. Ludi Romani *Magni &* Circenſes 206. *& ſeq.* Ludi plebei 224. Ludi Trojani 262. Ludi Capitolini 263. Ludi Auguſtales & Palatini 264. Ludi Votivi, triumphales *& victoria* 264. Ludi Actiaci *ibidem* Ludi Quinquennales *alii à ſuperioribus* 265. Decennales & Tricennales *ibid.* Caſtrenſes 266. Ludi *ob victoriam Cæſaris* 147. Ludi Cereales *ibidem* Lucaria 100. Lunæ 102. Lupercalia 136. *vide L.* Martis Deûm *Lauatio* 129. Matralia *ſeu* Matutæ Deę 181. *& ſeq.* Martis extramurani 177. Martis victoris 266. Martiales Ludi 204. Matronalia 123. Meditrinalia 113. Megaleſia 143. *& ſequentibus* Mentis *Sacrum* 180. Mercurii 169. Mercatorum *ibidem* Meretricum Feſtum 107. Mutę Deę 175. Natalii Ludi 113. Neptunalia 222. Opalia 230. Opis *conſiuæ* 211. Opigenæ Deę *Sacrum* 136. Pacis 99. Paganalia *ibidem* Palatini Ludi 97. Paliliorum 151. Palladis 186. Phallagoria 210. Perſici Ludi 168. Paſcatorum Feriæ 180. Populi fugia 193. Porrima 96. Poſt verta 96. Stercoris *Deportatio ex æde Veſtæ* 186. Quinquatres *Minuſcula* 185. Quinquatria 134. Quirinalia 105. Regifugium 169. 109. Robigalia 110. Saliorum 124. Salutis 204. 135. Sancti Fidii Semipatris 179. Sarmatici Ludi 221. Saturnaliorum *Solennitas* 226. *& ſeq.* Seculares Ludi 153. Sementinæ Ferię 98. Septimonia 226. Sigillaria 230. Solis *indigetis* 204. Sumani celebritas 186. Taurinalia 110. Tempeſtatis 177. Terminalia 109. *& ſeq.* Tubę luſtrium 135. 189. Vacunalia 232. Veſtę Palatinę 161. Veſtalia 127. 180. 181. Veiovis 127. Venatorum 210. Vertumnalia 221. Vinalia priora 156. Vinalia *altera* 210. Vitulæ Deę 194. Vulcanalia 169. 210. Vulpium combuſtio 151. Vrbis Romę Natalis 155.

Feſta Rugianorum 267.

Feſta Turcarum *ibid.*

Flagellationis *Feſtum* 241.

Flagellationum *Solennitas apud Lacedæmonios & ritus* 241. *ab aliis etiam vſurpata* 242. *Chriſtianorum ibidem.*

Flagellatio *Mulierum* 256.

Flora Dea *quæ* 158.

Floralia Dies *& origo* 158. *ritus* 160. *anniuerſaria feſta ibid. vbi Romæ celebrata* 161.

Fluvius Sabbathius 20.

Fontanalia 221.

Fordicidiorum *Feſtum* 150. *vnde dicta: origo, ritus quando & cur celebrata ibid.*

Fornax Dea 106.

Fornicaliorum *author* 106. *cur instituta ibid. quis indixerit ibid. Stultorum Feſtum ibid.*

Fores Cates *non amplius ſunt Anteſteria Proverb.* 119.

Fortunæ *Feſtum* 183. *dies ibid. origo* 184.

Fortunę publicæ *Feſtum* 147. *quo die celebratum ibid. publica feſtum* 169.

Fortunę fortis *Feſtum* 187.

Fortis Fortunę *Feſtum ibid. eius dies & origo ibid. ritus ibid.*

Fortunę muliebris *Feſtum dies & origo* 190. *miraculo confirmatum ibid.*

Francolinus *notatur* 36.

Friderici Secundi *idem dies. Imperij & funeris* 58.

Funebrium Ludorum *origo* 266. *abrogati ibidem.*

Furina Dea *quæ* 210.

Furinalia *ibid.*

Futis *ſeu Futile quid.* 181.

GAllorum *dies* 5.

Galli Miniſtri *magna Dea* 145.

Gallogallinaceo, *quomodo ſtultè peccata ſua expiare ſoleant Iudæi* 54.

Γαμηλιὼν Menſis 70.

γαμήλια 90.

Gaudii legis *Iudæorum Feſtum hodiernum* 55. *ratio ridicula* 56.

Genethlia *&* geneſia *differunt* 238. *quid ſint & eorum ritus* 238.

Γέρανος *quid* 240.

Geræſtia *quid* 239.

Germanicus menſis *quis* 77.

Germani Matthæleos *inſtauratores* 60. *apud Germanos deorum nomina* 89. *& ſeq.*

Gladiatorii *ludi* 266.

Gomer *quid* 32.

Gomer *primitiarum poſtridie Paſchatis offerabatur* 33.

Græcorum *menſium cum Romanis comparatio* 83.

Græcorum Ludi *duplicis generis* 64.

Græci *in rebus agendis Lunam obſeruant* 60. *qui dies eis infauſti ibid.*

Grammaticorum *recentiorum error* 134.

Grues *quando diſcedant* 79.

Gothici *ludi* 101.

Gymnopodia *& eorum ritus* 239.

HAlcyon *auis quando fœturam edat* 81.

Halij *de Aſtrologia judicium* 62.

Halegmonat 81.

Harpocratis *feſt.* 204.

Hebdomadarum *quo ſenſu ab antiquis mentio fiat* 88. *earum nomina apud Iudæos quales* 7. *orig.* 87. *ante Ptolomæum apud Ethnicos non fuerunt ibidem. poſt in vſu fuerunt ibid. non Planetarum nomina habuerunt ibid.*

Hebdomadarum *Feſtum* 35.

Hebdomada *annorum* 88.

Hebiæorum *Feſta* 2. *Dioi* 5. *Hora* 6. *Septimana* 7. *Menſos* 7. *& ſeq. Anni ratio* 9. 65.

Hecatis Sacra 84.

Hecatombæon menſis *varia interpretatio & eius cauſa* 79. *incidit in Solſtitium æſtiuum ibid.*

Hecatombæa *vnde dicta* 169.

Hecatombæ *quid* 169. *quando celebrata ibid.*

Hedera *cur coronatus Bacchus* 115.

Hedera *poſt antheſteria Prou.* 114.

Heliam *in Sabbatho vocant Iudæi* 50. *eius aduentum ſperant* 51.

Hellotiorum *origo* 243. *& ritus*

Hephæſtiorum ritus 243.
Hera Dea quæ 244.
Heræorum origo 244. ritus ibid.
Heracleorum origo & ritus 245. præmium ibidem.
Heræa Iunoni celebrata 173. origo & ritus ibidem.
Hærea alia 173.
Herbſtmonat 80.
Hereb. Heb. quid. 28.
Herſiliæ prudens conſilium 123.
Herculis feſti origo 178. conuiuia in iis celebrata ibi. antiquitas ibid. ritus 179. nullus alius Deus in eius ſacris nominabatur ibid.
Hercules ſuſtulit ſacrificia viuorum hominum 168.
Sigillariorum author 230. myſteriis Cereris initiari cupit 141.
Hermes falſus vates 89.
Hermæa ſacra apud Cretenſ. 243. Herois nono quoque anno celebrata 245.
Heteridiorum origo 91.
Heſtiatora quæ 236.
Heſteræ ieiunium 13.
Hetruſci à Romanis deuicti 167.
Hilaria Rom. Feſta 135. quo die celebrata & origo ibidem.
Hippodromia quale feſtum 170.
Hippocratia Rom. 206.
Hippius cur dictus Neptunus 206
Hitpala impura Bacchanaliorum ſacra prodie 129. & ſeq.
Horarum ratio apud Iudæos 6. non fit mentio ante captiuitatem Babylonicam 25. collatio cum noſtris horis ibid. partitio apud Pontifices 6.
Heræorum ritus 259.
Horda quid 150.
Hordicalia ibid.
Hoſtis apud Plautum quid 63.
Hoſiannæ vocis frequens vſus in feſto Tabernaculorum 40.
Hornmonat 78.
Hugonis Carrenſis error 15.
Hyacinthiorum origo & ritus 258.
Hybriſtirica ſacra Argiuorum 136. & ſeq.
Hydrophoria Athenienſ. 258.

IAculorum certamen in Iſthmiis 112.
Ianus Saturnum in regni ſocium aſſumpſit 227.
Iani feſtum 136.
Ianuarius primus menſis anni 67. unde dictus 68. cur primus ibid. Ianus quis ibid eius forma ibid. Ianiculi conditor ibid. Ianuare reſpondit menſi Tebeth Heb. & Græc. 17. dictus Demetriius ibidem à Iano dictus 91.
Iacchus Eleuſinem portatus 199.
Ianuario menſe feſta à Romanis celebrata 91. & ſeqq.
Icarus Erigones Pater à Ruſticis ebriis interfectus eſt 233.
Idæa mater 144. 147.
Idulus ouis 96.
Iduare quid 90.
Idus omnes Ioui ſacra 149.
Idus unde dicta 89. & ſequentibus. Ioui Sacra ibidem Idibus Martii Cæſar interfectus 127. parricidium dicitur ibidem.
Iduum Maiarum feſtum 168. origo & ritus ibidem cur Mercuriæ dicta 169. Horrendi ritus ab Hercule mutati ibid.
Iduum Auguſti celebritas, & vnde facta, earùmque ritus 204. Memoriale Dianæ 205.
Iduum Octobris celebritas 8.
Ieiunium Iudæorum ridiculum 55.
Ieiuniorum feſtum Iudaorum 56.
Ieiuniorum dies ſolennes apud Iudæos 44. fractarum tabularum 45. Deſolatæ Hieroſolymæ 45. Godoliæ ibid. Heſteræ ibid. obſidionis & occupata Hieroſolyma ibid.
Ieiunium Heſteræ 13.
Ieiunia in Theſmophoriis 218.
Ieiunij feſtum apud Tarentinos 253.
Ἱεροσολυμία quid 3.
Ieſuitæ refutantur 33.
Ijar menſis ſecundus 8. 75.
Imperatiuę dies 63.
Indianorum feſta 67. 29.
Ino, quæ & Matuta: in mare ſe præcipitauit 182.
Iobal quid 43.
Iulaia 200.
Iomhapkiporim Feſtum Iudaorum 55.
Iouis ſolennitas 122 Victoris feſtum 149.
Iouis inuicti feſti dies & origo 185.
Iouis Statoris Feſtum dies & origo 187.
Iupiter cur Stator dictus 187.
Iouis epulum quando celebratum.
Ἱπποδρόμιος menſis & unde ſic dictus 78
Iter Sabbathi 21.
Ithomæa 246.
Itis 89.
Iſteuon Germanorum Mercurius 90.
Iſidis puerperium 247.
Iſidis aliud feſtum 22.
Iſtmii ludi 62. 112. locus & origo ibid. religio ibid. ritus 112. præmium victori ibid. magna hominum frequentia ibidem Theſeus ex nocturnis diurnos fecit 112. Quinquennales erant ibidem tria præcipuè agebantur ibid.
Iubilæus annus 43. cornu arietino indicitur ibidem cur inſtitutum & eius myſterium 44. per Iubilæos Iudæi tempora numerabant ibid. vltimus temporibus Chriſti fuit ib.
Iudæorum feſtorum nomina 2. Dierum ratio 5. Horæ 6. earum cum noſtris collatio 6. Septimanarum 7. menſium ibidem Annorum 8. Feriæ 13. Solemnitatum cauſa 11.
Iudæi Sabbatharii dicti 22. otio abuſi ad ebrietatem 23. ignorant momentum quando incipiat Sabbathum 26.
Iulius Cæſar emendauit annum 65.
Iulii Cæſaris feſta 204.
Ἰούνιος 79.
Iunius Menſis unde dictus 77. varia nomina habuit ibid. Germanicus dictus ibid.
Iuno Ioui iraſcitur 239. quomodo placata ſit ibidem Iunonis & Iouis mirabile certamen 243.
Iunonis feſtum & eius ritus 246.
Iunonis aliud feſtum 245.
Iunoni Calendæ ſacra 85.
Iuno & Luna an idem ibid.
Iunonis Lucinæ ædes 123.
Iunonalia 126.
Iupiter ab Ithome nutrice cognominatus 246.

Iuturna

Iuturna *qua* 96.108.*templi eius dedicatio* 96.
Iuuenaliorum *origo & ritus* 231.
Iuramentum ſolenne *Cal. Ian. Romæ præſtabatur* 93.
Iuſtinus *quando mortuus* 79.

K Alendæ 3.*vide Calenda* 26.83.
Kalender.6c.
Καισαριος 78.
Kanaka *Heb.feſtum* 49.
Κάρνεια 137.
Κάρνιος *menſis* 75.78.
Κονὶς *quid* 257.
Κορώνης *feſtum & ritus* 248.
Κοτύττια Corinthiorum *feſtum* 248.
Κρίσιμοι *dies* 88.
Κρόνιος *menſis* 78.*feriant* Spartani 60.
Κροσία *feſta* 100.
Κυρηνιτις *feſt.*219.
Κύβηλα 143.
Κυβερνησια 249.*Vide plura in C.*

L Aborum *remiſſionem concedit* Deus *in Sabbatho* 23.24.*quando laborare liceat ibid.*
Lacedæmonii *quibus diebus bellum non geſſerint* 60. *plenilunium obſeruans ibid.*
Lætitiæ *feſtum apud recentiores Iudæos* 55. *quo die celebratum* 56.
Lagenophoriorum *origo & ritus* 249.
Lalaria 107.
Lampadophoria 255.
Lampadum *certamina Athenis* 255.
Lampteria *vnde dicta & eorum ritus* 255.
Lampada *tradere Prou.*255.
Laocionici ludi 226.
Laphria *vnde dicta* 249. *Diana celebrata & ritus ibid.*
Lapidibus *pluit Romæ* 261.
Laqueo *vitam finiuit* Erogones, *quam inſequutæ ſunt virgines Athenienſes* 233.
Lar *quid* 107.
Larinm feſtum,*quo die & cur celebratum* 164. *aliud* 187.
Lariæ feriæ *repetita & eorum ritus* 232.
Laribus *vt ſacrificatum* 94.
Larentia *qua* 158. *feſta ibid. diuerſa de iis ſententia ibid.ſententia* 159.
Larentalia,*dies & origo* 232.
Larentia & Laurentia *an diuerſa* 159.
Latinæ feriæ 161. *vnde dicta ibid erant conceptiuæ ibid.ritus* 161.*religio* 162.*Tempus ibid.eo tempore inducia erant cum hoſtibus ibid.*
Larentia *fauſti vxor* 232.
Larium *olim anni habuit ratione* 67.
Lauatio matris *Deûm* 135.Auguſtinus *turpitudinem taxat* 136.
Laureati *Poëta* 265.
Lecythi *mirabilis auctio* 56.
Lectiſternium 63.*& ſeq.*Lectiſternia 225.*eorum origo ibid.ritus* Lectiſternium *quid ibid.*
Lemures *qui* 167.
Lemuria 166. *dies cur celebrata ibidem ritus ibid. tribus noctibus* 167. *qua eo tempore prohibita origo ibidem. remuria dicta ibid.*
Lenæa 114.
Leonum *pugna in ludis circenſibus* 109.
Lex *quoto die lata.*35.
Liber *luſtrat inferos* 117.
Liberalia 127.
Liberalia *& Bacchanalia differunt* 128. *vnde & cur ſic dicta ibid.vide* Bacchanalia.
Libera *lingua loqui quid.* 128.
Libertatis *feſtum* 169. *cur & quando celebratum ibidem.*
Lignapeſia *Rom.* 204.
Lithoboliorum *ritus* 249.
Locuſtæ *quando uterum ferant* 79.
Lucaria *feſta* 100.
Lucernarum *accenſio* 261.
Ludi *quid ſint* 63.*cur inſtituti ibid.*
Ludi *Actiaci quinquennales* 265. Alemannici 220. Apollinares *vide A.*191.*& ſeq.*
Ludi Auguſtales 220.264. Caſtoris *&* Pollucis 194. *ritus ibidem Certamina* 195. Cereales 148 *& ſeqq. Vide C.* Circenſes *qui & vnde dicti* 64. Compitalitii *diuerſi à Romanis & plebeis* 94.*Cenſuales* 205. *Decennales* 265. Funebres Geræſtia 241. Gothici 101. Græcorum *duplicis generis* 261. *è* Græcia *Romam tranſlati* 261.*in Gymnaſiis* 112.Iſtmii *Vide I* Iuuenales 231. Larini 159. Martiales 204. Martis vltoris 168. Matris D.ûm 146. Megalenſes 143. Natalitii *& eorum ritus* 113. Nemei 197.*Vide N.*197. Olympiaci 170. *Vide Olym. Palatini* 97.*author ibid. &* 264.*Plebei* 224. *Pythii* 111.*Vide Pythii.*
Ludi Romani *Magni* 206. *cur ſic dicti ibidem ritus factiones quatuor* 107.*ſignum ibid. feræ exhibitæ ibidem Vide* Circenſes *ibid.*
Ludi Rom. *ad feſta pertinentia* 262. armatici 221. Scenici *qui* 64. *origo* 65. *ſpecies ibidem* Triumphales Taurii 110. Troiani 269. Tricennales 262. Victoria 264. *ob victoriam* Cæſaris 265. Vicennales 149. Votiui 264.
Lucinæ *ſacrum apud* Eleenſes 242. aliud apud Hermiones *ibidem.*
Luculli *præclarum dictum de dierum differentia* 61.
Luminarium feſtum *apud Iudæos* 47. *recentiores* 56.
Luna *qua dies denominata* 89.
Luna *apud Germanos maſculini generis* 89.
Lunæ feſtum *& eius dies* 136.
Luperci currunt, *& obuios verberant* 104. *verbera lacte & ſanguine abſtergunt ibidem caprarum pellibus uſi ibidem cur palmas cadendas præbuerunt mulieres ibidem.*
Lupercalia *quando celebrata* 102. Ethymologia 105.*de* Origine *varia ſententia ibidem ritus* 103. *cauſa* 102 *capra mactata ibidem nudi diſcurrunt ibidem turpitudo* 105.*reſtituta ibidem.*
Luſtrare *quid* 98.
Luſtratio *Athenarum* 138. *Dies hic Græcis auſpicatiſſimus ibidem.*
Λυκαια 104.*& ſeq.*
Λίμναι *locus Athenis* 199.
Λυσια 90.
Λυκαιων 71. *reſpondet* Ianuario *ibidem cur ſic dictus ibidem.*
Λῷος Auguſto *reſpondit* 79.

M Acedonici menſes 70.
Mæmactiria cur inſtituta 211.
Magici ritus *Romanorum, Chriſtianorum & Turcarum* 107.
Magorum *occiſio* 96.
Magnæ *matris Orgia* 251.
Magophoniotum origo 250.
Μαιμακτηριὼν Septembri *reſpondit* 79. *vnde ſic dictus. ibidem.*
Maius menſis *vnde dictus* 76. Claudii *nomen habuit ibidem.*
Maia Dea *qua* 76.
Maiuma *ciuitas in Palaſtina* 251.
Maiuma feſtum *Orientale, & eius turpitudo* 250. *abrogatum ab Arcadio ibid.*
Mahometanorum *feſta* 267. *Vide T.*
Manalis lapis *Roma quis* 177.
Mamurius faber 124.
Manuel Comnenus *Aſtrologia ſuperſtitioſus obſeruator claſſem in Sicilia amiſit* 62.
Mannæ collectio *confirmat* Sabbathum 16.
Mannus Thuiſconis filius 91. *Germanorum* Deus *ibid.*
Marcellea Syracuſanorum 251.
Marcheſchuan menſis *cur ſic dictus* 8.
Martis vltoris *feſtum, dies & origo* 167.
Martis extra murani *feſtum* 177.
Martialis *Ludi* 204.
Martius menſis *olim primus* 68. *& ſeq. cur primus* 72. *olim diuerſimodè vſi ibid.*
Matralia *à quo & vbi inſtituta, eorùmque ritus* 251. *quo die celebrata ibid.*
Martinalia noſtra *Græcorum Pithoegia ſunt* 119.
Matrimonium *quando non licuerit contrahere* 107.
Mater Phrygia 143.
Mater Idæa 143.
Mater magna *qua* 143. *quando Romam tranſlata varia habet nomina* 144.
Matris Deûm feſtum 135. 143. 144. *origo* 135. *ritus* 136. *turpitudo ibidem deducendi ritus ad Almonem ibid. vide L.*
Matronaliorum & cauſæ *quinque* 123. *ritus* Saturnalia *fœminarum dicta feria* 124. *Fœminea ibid.*
Matura Dea *qua* 182. templum *Romæ conditum ibid.*
Medius fidius *iurandi forma* 179.
Megaleſia 143. *quo die celebrata ibid. ritus.* 144. *& ſeq.*
Melampus *Dionyſiorum author* 116.
Melanippus *in templo Dianæ ſtuprauit virginem* 236. *pœna ſubſequuta ibid.*
Mey 77.
Μεῖζον *quid* 141.
Membrum *virile à Matronis Romanis cultum* 210. *vide Phallagogia.*
Menii votum *ſtultum Calendis Ianuar.* 92.
Menoe Rex *Phrygia* 251.
Menſis *vera definitio.* 9.
Menſes Lunares *Iudæis vſitati* 75. *& ſeq.*
Menſis Solaris 7.
Menſis Embolimæus 8. 66.
Menſis Thiſri *cur primus* 8. *cur annum ab eo auſpicarint Iudæi* 9.
Menſis *quot dierum apud Iudæos* 7. *eorum nomina ante & poſt captiuitatem Babylonicam* 8.
Menſium comparatio, *in tabula delineata* 82.
Menſtruatura *quid* 85.
Mentis ſacri feſti *origo* 180. *Lactantius irridet ib.*
Meonenim *Heb. quid* 60.
Mercatorum *feſtum* 169.
Mercurius *Germanorum quis* 89.
Mercurii feſtum *cur celebratum, ritus* 169.
Meretricum *feſtum* 157.
Meſſalina, *ludicro vinalium, Adulterium tegebat* 65.
Meſſalina, *ludicro vinalium, Adulterium tegebat* 210.
Meſori menſis *Ægyptiorum* 65. 78.
Μεταγειτνιὼν menſis *Græcis inauſpicatus* 60.
Μεταγειτνιὼν menſis *Athenienſium* 78.
Metageitniorum origo 186.
Metæriorum origo 174.
Miditrionalia *& ritus* 113.
Milichus fluuius 236.
Minerua *quando nata* 137. *quinquatria in eius honorem celebrata* 85.
Mineruæ *tertius dies ſacer* 88. *dicimus quintus ibid.*
Minyæ filiæ *appetunt humanas carnes edere* 233.
Mithriaca *quale feſtum* 251.
Mitwochen 90.
Μητραγύρται qui 146.
Μητρῷα καὶ ἀγερσίαι 146.
Moæd Heb. *quid & eius deriuatio* 2.
Monarchia *præſtantiſſima Reſp.* 265.
Moneta *Dea quæ* 276.
Monomachia *Xanthi* & Melanthii *admirabilis* 219.
Monophagiorum *origo & ritus* 251.
Mortium *quid* 146.
Montag 90.
Morale præceptum *non abrogatum* 18.
Mortuis juſta *quomodo ſoluenda* 167. *mos intermiſſus reſtitutus ibid.*
Mulierum Romanarum *mira ſuperſtitio* 104. *& ſeq. vnde fœcundas fore ſperent ibid.*
Mundus *quo anni tempore conditus* 11.
Mundum patere *quid* 220. *eo tempore non licebat adminiſtrare quæ ad militiam pertinebant* 220.
Munerum ludi *apud Romanos* 266.
Μουνυχιὼν Athen. menſis Martio *reſpondit* 73. *vnde dictus ibi.* 73.
Μουνύχια 251.
Muſarum feſtum 187. 251.
Muſcæ *in Olympiacis catervatim* Piſas *concedunt* 173.
Muta Dea *qua* 107. *à Mercurio grauida facta ibid.* Larium mater *ibid.*
Mutæ feſtum *cur inſtitutum, & ritus* 107. *& ſeq.*
Mutia 251. Mithridates *abrogare noluit ibid.*
Μύλλος *quid* 217.
Mymnia *vnde dicta* Diana, *ſacrorum ritus* 236.
Myſteria Cereris & Theſmophoria differunt 139.
Myſteria Cæſaris 149.
Myſteria Cereris *duplicia* 139.
Magoz 139. *de origine eorum varia ſententia ib. ritus. ibi. non euulganda ibid. veſtigia* 140. *fuerunt in magna authoritate ibi. pluribus diebus celebrabantur. ibi. verno tempore celebrata* 141. *Paruorum origo & ritus ibid. fuerunt præparatio ad magna ibid.*

N Abuchodonoſor *quando,* Ieroſol. *obſidere cœperit & iam occuparit* 45.
Natalis Chriſti *in quem diem iuxta ſententiam Epiphanii inciderit* 70.
Nautis *qui dies infauſti* 60.
Natalitii *ludi* 113.
Neſaſti *dies qui* 62.
Nemeorum etymon *& origo* 197. *ritus ibid. præmium* 198.
Νεομηνία *qui* 83. *quid differant à Calendis* 84. *apud*

Græcos

Gracos feſta ibid. Apollini *Sacra ibid. in* Neomenijs *ſoluebantur debita. ibid.*

Neomenia *non ſemper celebrata prima nouiluuij die 31. quomodo tranſlata 11. à quo ibid. non opus fuiſſet ibid. ſimilis apud Romanos. 12.*

Neomenia *quando & cur celebrata 26. eius ſacrificium ibid. conuiuia ibid.*

Neptunus *cur* Hippius *ſeu* Equeſter *dictus* 266.

Nemei *Ludi* 63.

Neptuni Oncheſtij *Feſtum* 214.

Neptuno *octaua dies ſacer* 88. Neronæus *Menſis* 74.

Nero *inſtituit Iuvenalia* 231.

Nicias Dux *infelix obſeruator dierum* 62.

Νηστεία Tarentinorum 251.

Niſan Menſis 8. 10. *cur initium anni ibid. cur ſic dicatur* 8. *ex parte* Aprili *reſpondit* 74.

Nox *quid* 5. *eius diuiſio* 7.

Nocturna ſacra bonæ Deæ 165. *turpe facinus commiſſum* 166. *in Lemuriis* 167.

Noctu *cur ſacra ſua celebrarunt Gentes* 147.

Nocturna Sacra *horrenda in Bacchanalibus Roma* 130. *abrogata* 131. *& ſeq.*

Novendialia *Sacra* 262.

Novilunium 26. *recentiorum Iudaorum* 52.

Nonę vnde dictæ 85. *natalis dies Seruij Tullij* 86.

Nudi *cur* Luperci *diſcurrant* 103.

Nudipedalia 279.

Numa annum in 12. Menſes *diſtribuit* 69. *ordinem menſium tantum mutauit* 70.

Numa annum *quomodo diſtribuerit* 66. *quando inceperit* 68. *vnde anni ſui formam habuerit ibid. ordinatio anni* 85. *quomodo Feſta diſtribuerit* 62. *inſtituit* Ferialia 107. Terminalium *author* 108.

Numenius Philoſophus Eleuſinia *ſacra reuelauit, & eius pœna* 140.

Nundinæ *quæ* 63.

Nundinę *non ſunt* Nonæ 85. *cur* Calendis *&* Nonis *non ſint celebrata* 85. *cur* Feriæ *dicantur* 86. *cur* Ruſticę *feria* 86. *in* Nundinis *epulæ celebrata* 87. *eadem ferè ratio quæ hebdomadarum ibid.* Nundinæ 85. *vnde dicta* 85. *origo* 87. *ratio & forma* 85.

Nuptiæ prohibitę *tempore Ancyliorum* 62. *apud Romanos non celebrabantur Nonis* 85. *prohibita in Lemuriis ibid.*

Nutricalia 257.

Oblatio Manipulorum *cur inſtituta* 34.

Obſervatio dierum *ſuperſtitioſa* 58. *damnatur* 59. Ethnici *quoque damnarunt* 60.

Octavianus *olim dictus* Thurinus 96. *quando* Auguſti nomen *aſſumpſerit ibid.*

Ocriſia Mater Servij Tullij 93.

October *vnde dictus* 80. *varia eius nomina ibidem.*

Octiduum *pro Septimana numerantur* 86.

Olam *quid ſignificet* 19.

Olei ridicula *auctio apud Iudaos* 56.

Oleria 253.

Olympiaci Ludi *quando celebrati* 63. *vnde dicti* 173. *de Origine varia ſententia* 170. *& ſeq. vbi celebrata ib. qua certamina addita ibid. puerorum certamina quando inſtituta* 171. *quando nudi in Olympiacis certare cœpium ibid. fraude & dolo uti non licebat ibid. iudices certaminum ibid. pugnaturi ſorte eligebantur* 172. *victorum pramia ibid. quomodo incoata & quandiu celebrata ibid. quinto quoque anno celebrata* 173. *quomodo intelligendum ibid.*

Olympia *alia* 173.

Opalia *quando celebrata & vnde dicta* 230. *ritus ibidem.*

Opera *quæ Sabbatho licita* 33.

Opigenæ Deę *Sacrum* 195.

Ονομαστήρια. 253.

Ονομάτα 253.

Orgia Sacra 140. *vide M.*

Oſchophoria *à quo menſe & die celebrata* 214. *& ſeq.*

Oſcillarij Ludi 230.

Oſiridis nativitas 222. *fabula* 116. *indagatio* 222. *Ægyptiorum feſtum & ejus origo ibid.*

Oſteren *vnde dicatur* 76.

Orba maria *Chriſtianorum* 249.

Otium *puluinar Diaboli* 23.

Otij cauſa *non inſtitutum eſt Sabbathum* 23. *otio abuſi ſunt Iudæi ad crapulam* 23.

Pacis Feſtum 99. 136.

Παχὼν *Ægypt. menſis* 77.

Peſach *quid propriè* 27. *quid impropriè ib. vox apud Gracos & Latinos corrupta ibid.*

Paganalia *& eorum origo* 99.

Palladis *Feſtum, dies & origo* 186.

Palatini ludi *& eorum autor* 87. 263.

Pales *quæ* 98

Palilia *ante conditam Romam celebrata* 153.

Palmarum *Feſtum apud Iudaos* 11.

Palmarum *quis vſus in Lupercis* 103.

Pambœotia 219.

Pamylia *vnde dicta, & eorum origo & ritus* 253.

Pan Deorum *antiquiſſimus* 102. *eius figura & Templum* 103.

Panathenęa Magna: *origo & quando celebrata* 175. *vnde dicta ibid. ritus ibid. γυμνάσια qualia & pramium ibid. bouem mittebant* Celonę Athenienſium 176.

Panathenæa duplicia 110. *parua quando celebrata ibid.*

Πάνεμος 72.

Πανήγυρεις *quid* 3. 100.

Panis Feſtum 254.

Pantheus Rex *Thebanorum Bacchanalia abrogare tentauit* 119.

Paſchatis *nomen quid* 27. *quando inſtitutum* 28. *quale Feſtum ibid. ritus* 29. *& ſeq. in quem finem inſtitutum* 31. *transgreſſorum pœna* 32. *poſtridie* Paſchatis Gomer *Primitiarum offerebatur* 32. *in* Paſchate *à fermento abſtinendum* 31. *tranſgreſſorum* pœna 32. *vera* computatio 30.

Paſchatis tranſlatio *in Sabbathi diem* 33.

Paſcha recentiorum Iudæorum *praparatio* 50. *celebrandi ratio ibid. quomodo ſeptem illis diebus ſe gerant, idque finiant* 51.

Paſchalis Agnus *quare incorruptus* 28. *quando mactari debeat. ibid.*

Paſchali Eſui *certus deſtinatus locus* 30.

Paſchali Sacro *totus Iſrael aſtrictus* 31.

Paſchalis cœna 51.

Paſchalia ſodalitia 31.

Paſcha Turcarum 267.

Patritius vicus *Roma* 159.

Parentatio *eorum qui in Platea pugna occubuerunt* 211 *& ſeq.*

Παῦνι Ægypt. *Menſis* 78.

Peccata confitendi ratio *ridicula apud Iudaos* 55.

Peliotia *origo & ritus* 254.

Pentecoſte Iudæorum 34. *vnde dicatur ibid. vocabulum late patet ibid. ritus* 35. *vno die celebratur* 34. *compu-*

putationis 50.*dierum ab egreſſu Iſraelitarum varia ſententia* 35.*& ſeq.*
Pentecoſtes feſtum *quo die celebratum* 12.
Pontecoſte Chriſtianorum 36. *incidit in diem Dominicam ibid.*
Perennare quid 126.
Perjuria *vt recentiores Iudæi expiare ſoleant* 55.
Prælium *quando committere Ethnicis non licuerit* 60.
Perſarum Reges *in Solis feſto ebrij ſunt* 252.
Pfingſten.34.
Pfreia Germanorum Dea 90.
Pithoegia *quo die & ritu celebrata ibid. eadem quæ antheſteria* 119.
Πυανεψιὼν 80.
Πυρσεῖν.254.
Pœnitentiæ *feſtum apud Narſingas*.269.
Peguanorum *Feſta* 269. *& ſeq.*
Pœnitentiales dies *ridiculi apud hodiernos Iudæos* 54.*& ſeq.*
Planetarum *ordo* 88.*dierum nomina ibid.*
Platea pugna 212.
Plebei Ludi 224.
Pleiades quando oriantur 80.
πλημόχοη *quid* 140.
πλυντήρια 142. *in cuius honorē celebrata & ritus ib.*
Pluto *ſepulchrorum & funeralium vſum introduxit* 107.πολύφθογγον *quid* 137.
Pollucis *feſtum* 99.
Pollucis *feſtum & ludi* 194.*vide Caſtor.*
Pontificum Rom.*officium in iudicandis diebus* 83.
Porrima *Feſta quæ* 96.
ποσειδεὼν Decembri *reſpondit* 81.
ποσειδώνια 225.
Poſtridie *Sabbathi quid* 33.
Poſtriduani *dies Romanis infauſti* 60.
Poſtuerta 96.
Populi fuga *feſtum* 193.*etymon ibid. origo ibid.*
Præcepta moralia *& cæremonialia vt differant* 18.
Præcepta *ſine & cum negatione quam vim habeant* 19.
Præliares dies *qui* 62.
Præparatio *recentiorum Iudæorum ad Sabbath.*48. *ad* Paſcha 49. cœnam Paſchalem 50. *ad feſtum* Reconciliationis 54.*ad* noui Anni *feſtum ibid.*
Prætextæ *quando à pueris Romæ vſurpari cœpta* 133. *& ſeq.author ibid.cur in Bacchanalibus ibid.*
Priapum *cur* Ægyptii *&* Græci *coluerint* 116.*cur additus Bacchi ſacris* 117.
Priap. Arnobii *ſententia* 116. Natalis comitis 117. Ludoici Vivis *ibid.*Theodoreti *ibid.*
Primitiarum *Feſtum* 34.
Profeſti dies *qui apud Ethnicos* 62.
προμηθεῖα 255. *ritus ibid.*
Prometheus *author certaminis Lampadum*.255.
Proſumnus *quis* 117.
Phageſia *&* Phageſipoſis 258.
Phallus *quid* 116.*circumgeſtationis origo ibid.*
de Phalli origine *Arnobii ſententia* 117.
Phallagogia *Romæ* 210.*& ſeq.*
Φαλλοφόροι *qui* 116.
Φαμενὼθ 73.
Φαρμουθὶ 75.
Φαωφὶ *menſis* 80.
Pherephatiorum *ritus* 259.
Philippi Melanthonis error 69.
Phurim feſtum Iudæorum 45. recentiorum Iudæorum ridiculum 56.
Pythij ludi 56.
Pub. Clodij *nefandū facinus in ſacris bonæ Deæ* 166.
Pub. Ebutius *ſacrorū Bacchanaliū* judex 128.*& ſeq.*
Pub.Sempronius Sophus *inſtituit fortunæ publicæ feſtum & cur* 147.
Pulvinaria *quid* 223.
Purpura Megalenſis *Prou.*147.
Pyanepſia Athenienſium *feſtum* 214.*vnde dicta varia ejus nomina, dies & origo* 214.*ritus ibid.*
Pythagoras *quo tēpore vixerit* 68.Numa *poſterior ib.*
Pythii ludi 110.*alij ibi.de eorum origine variæ ſententiæ ibid.antiquitas ibid.ritus* 111.*præmia ibid. quando celebrati* 112.*Athenas tranſlati ibid.*
QVarta hebdomada *quid* 88.
Quirinus *cur dictus Romulus* 105.
Quirinalia: *quo die celebrata* 105. *origo ibid. ſtultorum feſtum notatur* 106.
Quirini *feſtum dies & origo* 187.
Quinta dies *cur infauſta* 59.
Quinquatria Feſta *& quando Romæ celebrata* 134. *origo* Mineruæ *dicata ibid.etymon ibid.* Mineruał.*appellatum ibid.*
Quinquatres minuſculæ 185.*dies ibid. origo ibid.*
Quinquennales *erant ludi Iſthmii* 112.
Quinquennales *alij à ſuperioribus* 265.*à Domitiano inſtituti ibid.*
RAbbi Iehoſva *taxatur* 10.
Ramorum *Feſtum* 11.
Reconciliationis *Feſtum ſuperſtitioſum Iudæorum* 54 *ejus celebrandi ratio* 55.
Regifugium *Feſtum* 109.169 *Tempus & cauſa* 110.
Rex Sacerdotum *vt judicat ferias* 63.
Rhea *quæ* 143.
Rhenia Inſula *Delo annexa* 241.
Riſus Feſtum *apud Theſſalos* 273.
Roberti Bellarmini *error* 33.
Romuli nativitas 231.
Romulus Aſyla *conſtituit* 101.*Lupercaliū author* 102 *& ſeq.*Matronalia *inſtituit* 123.*cur dictus* Quirinus 105.
Romulus *quomodo annum inſtituerit* 69.*habuit duodecim menſes lunares* 69. *ejus eruditio, prudentia ibid.* Nundinas *inſtituit* 86.*cur Æquinoctio verno* 87.*annum auſpicatus* 72.*in tempeſtate raptus à Marte* 192.*ſtruxit* Vulcani Templum *extra Romam* 209.
Romæ Natalis *Feſtum* 151.*vide Palilia.*
Romæ *quaquis vellet veſte vti non licebat* 229.
Romanorum *in obſeruatione dierum ſuperſtitio* 59. *quoto Rom. menſium die Græcus quiſque menſis initium ſumpſerit* 83.*quoto Rom.menſium die Ægypt quiſque menſis initium ſumpſerit ibid.*
Romanorum Ludi 64.
Robigaliorum *dies* 157.*quare coluerint Romani ibid. ritus ibid.origo* 158.
Rubigo *quid* 157.*quomodo auertatur ibid.*
Rugianorum *Feſta* 267. *& ſeq.*
Ruſtici *tres ferias menſtruas Romæ habuerunt* 86.
SAbbathum *quid* 3. *vnde deriuetur* 3. Fundamentum *aliorum præceptorū* 16.*varie in S.l.ſignificat* 14.*&* 15.
Sabbathi vera etymologia 13.*&* 14.*nomen vnde* Plutarchus *deriuet ibid.vnde* Appiōn *deriuet* 14.*vnde* Sypontinus *ibid.*
Sabbathorum *apud Iudæos diuiſio* 12.
Sabbat hebdomadarium 16.*à quo inſtitutum ibid.Etiam ante Moſem fuit ibid.habuerunt primi Patres ibid. quando lege mandatum ibid.ſeueriſſimè mandatum ejus præceptum diligenter inculcatur* 17.
Sabbathi *inſtituti Cauſa Ciuiles, Eccleſiaſtica, Spirituales* 23.*ſignat æternam requiem* 15.*triplex figura juxta Radulphum* 16.
Sabbatho quieſcendum *à peccatis* 24.
Sabbathi iter 21.
Sabbathum *defendentium rationes* 18.*&* 19. *ad eas reſponſio* 19.

ad Sab-

ad Sabbathum *Præparatio recens Iudæorum* 48. *ejus celebratio ibid.*

Sabbathum *quieti deſtinatum* 20. *quomodo quieſcendum* 22. *non propter otium inſtitutum eſt* 23. *quatenus laborare liceat* 22.

Sabbathi obſervatio *ampliſſimas habet promiſſiones* 26. ſuperſtitioſa *eius* obſervatio 26. *hodierna celebratio ſuperſtitioſa* 49. *rationes contra eam ſuperſtitionem* 22.

Sabbatum *quando incipiat ignorant Iudæi* 25. conuiuia *in* Sabbatho *hodie obſeruata* 48. *Sacrificium* 26.

Sabbathum hebdomad. *abrogatum* 18.

Sabbathum ſecundum *primum quid* 15.

Sabbathum alterum *in Leuitico quid* 33.

Sabbatharius annus 42. *cur inſtitutus* 43. *exemplum obſeruati ibid.*

Sabbatharii 29.

Sabbatharii Iudæi *dicti* 22.

Sabbathum flumen 19.

Σαββὼ *quid* 13.

Σαββάζειν *quid ibid.*

Schabat *&* Schabbathon *differunt* 25.

Sacææ *Feſtum* 203.

Sacrificia Cruenta *in Achaia* 256.

Sacrificia humana in Saturnalibus *abrogata* 230. *Sabbathi* 16. Neomeniæ. *ibid.*

Salii vnde dicti 124. *qui* 125.

Saliorum *feſtum* 124. *vide* Ancylia

Saltandi mos *per ignem apud Pontificios* 107.

Salutis *Feſtum* 204.

Sambstag 90.

Sancti fidii *Semipatris* 179.

Sarmatici Ludi 221.

Saronia 256.

Saturni *&* Martis *Coniunctio non timenda* 89.

Saturnalia Athenienſium 226 *nomen. ibid. ſolennitas ibid. de eorum origine varia ſententiæ ibid. antiquitas* 227. *antiquiſſima origo ibid.* Romæ *quando inſtituta ibi. quot diebus celebrata ibid. ritus* 228. aureum ſeculum *referebant ibid.* Domini ſervos conviuiis *excipiebant ibid. bellum ſumere nefas erat* 59. 228. *munera mittebant ibid.* Ceteri *cur in vſu ibid.* Domini *cum ſeruis veſtes mutabant* 230.

Satyræ 65.

Scenici Ludi *vnde dicti* 64.

Scenicorum Ludorum *origo* 65.

Species 65.

Scacha *vel* Sacea quid 203. *quale feſtum & origo ibid.*

Scheba *&* Schabat *differunt* 14.

Schebet Menſis 8. *reſpondet Ianuario* 72.

Scytharum *inhumanus ſacrificandi mos* 235.

Scieriorum *ritus* 256.

Scitophoria 163. *vnde dicta, in cujus honorem celebrata dies & ritus ibid.*

Σεβαςὸς Auguſtus eſt 79.

Sebat Hebr. Februario *reſpondet* 70.

Seculares Ludi 153. *origo* 154. *quando celebrati* 153. *variè celebrati* 154. *forma* 155. *veſtigia apud Pontificios* 156.

Sementinæ feriæ *conceptiuæ* 98. *vnde dicta* 98. *ſpecies paganalium ibid.*

Σιμωνῶν *feſt.* 256.

Septerii *origo ibid.*

Σεπτήριον 256.

September *vnde dictus* 79. Antonius *dictus &* Commodus *ibid.*

Septenarii Numeri *myſterium* 17.

Septima dies *Menſis lunaris Ethnici ſacra* 87. *& ſeq.*

per Septimam diem *quid in Decalogo intelligatur* 18.

Septimanarum *origo apud Gentes* 87.

Septimanæ Nomina *apud Hebr.* 7. *Vide plus Hebd.*

Septimontia *cur inſtituta* 226.

Servius Tullius *cur Fortunæ Feſtum condiderit* 188.

Servij Tullij *natales quales* 11.

Σκίρα 163.

Σκιροφοριὼν *menſis* 75.

Σκιροφόρια 163.

Σκίρεια 256.

Σκηνὴ *vnde dicta* 64.

Silicernium *quid* 106. *& ſeq.*

Sigillaria *quid* 230. *eorum ritus & origo ibid. vicus Romæ ibid.*

Simulachrum *Romæ humana voce loquitur* 190.

Siuan menſis *tertius* 8. *Hebr. Iunio conuenit* 77.

Socratis *natalis* 138.

Solennitatum Iudæorum *cauſa* 12.

Soli *quæ dies aſſignata* 88. *apud Germanos fœminini generis eſt* 89. Thuiſconis *vxor* 90.

Solis feſti *dies ortus & ratio* 220.

Solis indigetis 204.

Solſtitiorum *Feſtum* 13.

Sontag 89.

Sortium Feſtum *quis inſtituerit* 46.

Soſpitæ Deæ *Feſtum* 100.

Sotitiorum *tempus & origo* 113. *& ſeq.*

Spiritus Sanctus *quo die à Chriſto miſſus* 12.

Stator *cur dictus* Iupiter 187. *eius Templum conflagrauit ibid.*

Statiui dies *qui* 62.

Stercoris deportatio *ex æde Veſtæ dies* 186.

Stipis *quid* 92.

Stipem *colligendi ratio apud* Rom. *& Monachos* 150.

Stipendium *vnde deriuetur* 92.

Strena *quid & vnde dicta* 92. *mittendi mos vnde ibidem origo* 93.

Stymphalius *obſtructus & aqua rurſum receſſerit* 236.

Stamphylia Sacra *ibid.*

Summanus *quis, & vnde dictus* 186. *ejus feſtum ibid. dies & origo* 187.

Suouetaurilia Sacra 98.

Syderum *nomina hominum eſt inuentum* 89. *erant in cælo ante conditum hominem ibid.*

Sylvanus *vxorem Herculis ſuo damno tenidit* 103.

Syntheſis *qualis veſtis* 229.

Sypontini *error* 13.

Σύκινον εἴδωλον *Lectio emendatur* 116.

Σύριγγες 111.

Σωτήρια *Origo & ritus* 113. *& ſeq.*

Σωσίπολις Templum 242.

TAbernaculorum *Feſtum & nominis ejus ratio* 37. *Explicatio* 39. *& ſeq. ritus ibid. cantus vſurpatus ibi. appendix* 42. *cur inſtitutum* 41. *& ſeq. ſacrificium abrogatum ibid.*

Tabernaculorum *Feſtum hodie quale* 52.

Tarichorum *origo & ritus* 256.

Tarquinij Priſci *Superſtitio* 94.

Tarquinius Priſcus *maximum circum Romæ extruxit* 64.

Tatius Rex *ſtrenas inſtituit* 93.

Taurij Ludi 110.

Tauriliorum *Origo ibid.*

Tebeth menſis 8.

Tekupharim *Feſtum apud Iudæos* 56.

Τελετὴ *quid* 3.

Tempeſtatis *Feſtum* 177.

Tempus certum *cultus Diuino conſtitutum* 1.

Tēporis Mutatio *apud Iudæos in cap. anni* 11. *& ſeq.*

Terra Mater Deûm 143.

Terminus agrorum Deus 109. *cur nullum animal ei ſit ſacrificatum ibid.*

Termi-

Digitized by Google

Terminaliorum *origo & cauſa* 108. *& ſeqq. quando & in cujus honorem celebrata ibid. ritus* 108. *& ſeqq.*
Teſſaracoſton *Feſti origo* 257.
Teſtuatium *quid* 183.
Tertius dies Minervæ *ſacer* 88.
Thalyſia *quæ* 245. *& ſeq.*
Thamuz Deus *quis* 188.
Thamuz Menſis *quartus* 45. *Hebræorum* 8.
Thargelia, *rum, dies, in cujus honorem celebrata* 137.
Θαργηλιὼν Menſis *Athenienſium* 75. *unde dictus ibid.*
Theatri *Origo & author* 65.
Theatri *figura* 65. *ejus partes ibid.*
Thebet Menſis *decimus Judæorum* 45.
Theogamia *unde dicta* 246.
Θεοφάνεια *quid* 3.
Theophania 246.
Θεοξένια 3.
Theoxenia *quæ* 246. *certamen Pellenſium ibid.*
Theſeus *inſtituit Delia* 240. *inſtituit pyanepſia* 214.
Theſei *Feſti origo & ritus* 18. 28.
Theſmophoria *unde dicta* 216. *origo* 116. *Athenas tranſlata* 217. *ritus ibid.* Ovidius *confundit cum Eleuſiniis miraculum ibid. turpitudo ibid.*
Thiſchri Menſis *ſeptimus cur ſic dictus* 8. *cur initium Anni* 9. 36.
Thiiri *Hebr. Menſis* 80.
Thoth Ægypt. *Menſis reſpondit Septembri ibid.*
Thucididis *Locus emendatus* 114.
Thuiſconis *uxor Sel.* 89.
Thylorum *ritus* 246.
Tiberius *prohibuit ſtrenas ultrà Cal. Ian. mittere* 92.
Tibicinum collegium *Roma diſcedunt, & reſtituuntur* 185.
Tiburtini *reſtituunt actu Tibicines Romanis* 185.
Tireſias Vates *in fœminam mutatus* 243. *à Junone excæcatus* 244.
Titi Tempronij *perfidia in privignum* 128. *& ſeq.*
Tithenidiorum *ritus* 257.
Tlepolemia Rhodiorum 257.
Torniamenta Germanica *unde* 263.
Tranſlationis Neomeniæ *non opus fuiſſet* 11. *& ſeq. ejus author Eleazarus ibid.*
Tricennales *Ludi* 265.
Triclariæ Dianæ *Feſti ratio, origo & ritus* 236.
Trigeſimus Menſis *dies fauſtus* 88.
Triumphales *Ludi* 264.
Trojani Ludi 262. *eorum antiquitas ibid. unde orti diverſa ſententia ibid.*
Troezeniorum *Feſtum* 100.
Tubarum Feſtum 37. cur inſtitutum *ibid. abrogatum* 47.
Tubiluſtrium *feſtum origo & ritus* 135.
Tubiluſtria 169.
Turcis Veneris *dies pro Dominica ſacer ritus ibidem eorum* Paſcha. 167. *religioſorum apud eos feſta ibid.*
Turcæ *quibus artibus fugitivos ſervos revocent* 108.
Tutela ancilla Roman. 193.
Tobi Ægypt. *reſpondit* Ianuario 70.
Typarum *ritus* 257.
Typhon *interfecit Oſiridem* 91.
Typhonis imaginem *contumelioſè tractarunt Ægyptii* 91.
Thyrbe *feſtum* 257.

V Acuna *Dea quæ* 232.
Vacunalia *ibid.*
Valentinianus Imp. *biſſexto Febr. non prodibat in publicum* 60.
Veader menſis *embolimæus* 8. *veſtigia in ſacris literis* 9.
Venatorum *feſtum* 210.
Venus *cur Aphroditis dicta* 237. Erycina 157.
Veneris *feſtum apud Naucratitas eiúſque origo* 237.
Veneris *diem colunt Turcæ* 114.
Veſpera *unde dicatur Hebræis* 28. *quid ſit ibidem prima & ſecunda quid* 29. *quando incipiat ibid.*
Verno tempore *an mundus conditus* 10.
Vertumnalia 221.
Vergiliarum *ortus* 81.
Veiovis *feſti origo* 125.
Veſtalia 180.
Veſta Dea *quæ* 180 *unde dicta ibid.*
Veſtaliorum *dies* 180. *ſacra vetuſta ibid. à quo Romæ inſtituta ibid. ornatus & ritus* 181. *nudis pedibus ibant matronæ ibid. aſini caput coronabatur ibid.*
Veſtium mutationis *origo* 230.
Vicennales *ludi* 265.
Victoriæ *ludi* 264.
Victimæ humanæ *abrogata* 230.
Vidua *unde derivetur* 90.
Vigiliarum *frequens mentio in ſacris literis* 7.
Vinalia priora 156 *dies Iovi ſacra ibid. ritus ibid.*
Venalia altera, *quæ Ruſtica dicebantur* 210. *dies & ritus ibid. vinum novum ante illa celebrat. non licebat in urbem invehere ibid.*
Vitula Dea *quæ* 194.
Vitulatio *quid ibid.*
Vitulationis *dies & origo* 194.
Votivi 263.
Vulcani templum *cur extra Romam* 210.
Vulcanaliorum *dies ludi & ritus ibid.*
Vulcanalia 169.
Vulpium combuſtio *feſtum* 151.
Weynmonat 81.
Wintermonat 81.
Wolffmonat 81.

X *Ανθικὸς menſis primus in anno* 74.
Xenia 219.
Xerxes *natalem diem celebrat* 238. *& ſeq.*
Ξηροφαγεῖν 76.
Xoana quid 239.
Ξυλοφορία 13. 46.

Y Στηνια 258.
Ὑδροφορία 258.
Ὑπερβερεταῖος 79. *& ſeq.*
Z Ephyrus unde dictus 67.
Zinſtag 90.
Ziph menſis *& cur ſic dictus* 8.
Maio *correſpondit* 76.
Zoganes *quid* 203. 227.
Zoilus ſacerdos 232. *& ſeq.*

IN LIBROS

IN LIBROS
DE ORIGINE ET PROGRESSV
FESTORVM DIERVM
PROLEGOMENA.

QVIA parte primâ Operis noſtri ORIGINVM, de Loco Sacro, hoc eſt, de Templis & iis omnibus quæ propriè ad Templa pertinent, diſſeruimus: ideo nunc parte hac de Tempore Sacro, id eſt, de Origine & incrementis Feſtorum dierum tractabimus. Quemadmodum enim Religioni & Cultui externo exercendo certus meritò deputatur locus, quod & ab omnibus non omninò barbaris gentibus factitatum legimus: ſic eidem tempus fixum apud immaniſſimos quoſque populos ſemper fuit deſignatum. Quum enim vita humana tota ferè in actione conſiſtat, actionum autem aliæ ſint Sacræ, adeóque Religioſę, pro exercitiò Religionis externæ ſuſceptæ: Aliæ verò manuariæ & quaſi prophanę, pro victu & amictu, neceſſariíſque vitę parandis inſtitutæ: Actiones autem hę omnes non ſint ſine tempore: (omnis enim actio tempore continetur:) propterea diſtinxit & quaſi accommodauit tempus ad actiones hominis Deus, & ſcintillæ illæ cognitionis Dei, quæ etiam in Ethnicis reliquæ manſerunt: ita vt, juxta actiones humanas, alii quidem dies eſſent Sacri, alii verò Prophani: & illi quidem exercitio Religionis externæ, hi autem labori & manuariis artibus inſeruirent: non quòd prophani dies, in quibus manibus laboratur, non ſint etiam Sancti & Deo conſecrati, aut quòd Sacri dies ex ſe vel in ſe aliquid peculiaris Sanctitatis & Spiritualis influentiæ habeant: quum enim Deus omni tempore coli velit, omne quoque tempus & ſingulos ſibi vendicat dies: ſed quòd Feriæ peculiariter, & magis quàm dies prophani externo Dei Cultui & Sacris rebus ſint ſeparatę ac deſtinatę. Sic etiam panis ille, quo in ædibus noſtris vtimur prophanus dicitur, non per ſe, omnia enim dona Dei Sacroſancta ſunt: & panis Euchariſticus Sacer eſt, non mutatione ſubſtantiæ, ſed propter vſum cui vterque eſt deſtinatus.

Enumerabo autem his Libris primò Iudæorum, deinde Ethnicorum, tertiò Mahometanorum Feſta. De Chriſtianorum Feriis peculiari Libro agam, & quòd pauciſſimas habuerit vera Primitiua Eccleſia, progreſſu autem

tem temporis mirandum in modum à ſuperſtitioſis hominibus ſint accumulatæ, & non in Dei, ſed hominum mortuorum honorem & cultum inſtitutæ, oſtendam.

De nominibus & ſignificatione Feſtorum ac Solennitatum, quibus tàm Hebræi & Græci, quàm Latini & Germani vtuntur.

חג quid. HEbraïca vox חג *Chag* quâ Moſes Exod.5.& 12. Leuit.23. Num.29. Dauid Pſal.42. Eſd. c.3. Zach. Propheta c.14.aliíque vtuntur, eáque Feſtiuitates & Solennitates Domini in genere deſignant, deriuatur à verbo חגג & ſaltare aut tripudiare propriè ſignificat: quòd, quemadmodum Gentes in Solennitatibus ſuis & Ludis ſaltarent, ſic Dei populus ſpiritu tripudiare, hoc eſt, exultare, gaudere & lętitiâ animi in Feſtis ſuis diebus jucundè exerceri deberet. Agnus quoque vel pecus eodem appellatur nomine apud Eſaïam 29. cap.& in Pſal. 118. quòd in lætitia & tripudio offerretur. Per Antiphraſin Eſa. 19. pro pauore & tremore, ſeu luctu & triſtitia accipitur.

מועד quid. Dies etiam Feſtos & Solennes Moſes Leuit. 23. Num. 15. & Eſaïas 1. & 14. cap. Ezech. 44. nomine מועד *Moad*, ſignificant: deriuatur id à verbo יעד quod ſignificat paciſci, conteſtari additâ promiſſione, jurejurando, vel ſigno, vt fit in ſponſalibus: conuenire & congregare: fuerunt enim dies Feſti teſtimonium & pactum quoddam, quo teſtabantur Iſraelitæ publicè, ſe eſſe Dei populum, & Deum eſſe Dominum eorum: conueniebat etiam populus his diebus, à Deo definitis & conſtitutis, magnâ frequentiâ ad ſacrificandum, orandum, & audiendum verbum ſeu legem Domini. Vnde & locus ille, qui cultui Sacro deſtinatus erat, Tabernaculum ſcilicet, *Ohelmoad*, Hebraicè dicitur, id eſt, Tabernaculum conuentionis, eò quòd Iſraelitæ conteſtati ibi conuenirent & congregarentur, vt inquit R.Kimhi. Vel quòd Deus prę ceperat, ſe ibi Moſem & populum ſuum conuenturum, vt idem ſcribit.

עצרת quid. Vocatur item Solennitas & Feſtum עצרת *Azaræth*, à verbo עצר quod prohibere, coërcere, cohibere, congregare & colligere ſignificat. Colligitur enim & congregatur his diebus populus in cœtum: prohibetur etiam ne quod opus in illis fiat: & ita exponitur hoc nomen Leuit. 23. verſu 36. vbi dicitur: *Offeretis Sacrificium Domino*, עצרת *Feſtum eſt enim, omne opus ſeruitutis* (id eſt, ſeruile) *non facietis*. Specialiter tamen octauus dies Tabernaculorum Feſti, & ſeptimus Paſchę hoc nomine appellabatur, cùm quòd in die illo Tabernaculorum, nihil erat à quo denominari poſſet, ſicut in feſtis Paſchę, Pentecoſtes & Tabernaculorum: tùm verò, quòd in fine harum feriarum hoc adhuc die retineretur populus, nec dimitteretur, donec vltimum hunc diem Feſtum tranſegiſſet. Vnde nonnulli *Retentionem*, alii *Prohibitionem*, quidam etiam *Collectam* nomen hoc interpretantur: quòd, ſicuti diximus, tranſactis ſeptem Solennitatis Tabernaculorum diebus, populus vno adhuc die retineretur, & collectus eſſet: aut omne opus iſtis quoque diebus, vt in reliquis, prohiberetur. Ita enim præcipitur Leuit. 23. de Tabernaculorum Feſto: *Die octauo Conuocatio ſancta erit vobis, & offeretis Sacrificium Domino*, עצרת היא quod quidam ſimpliciter Feſtum eſt, alii retentio ſeu prohibitio eſt, nonnulli

nulli conjunctim, Feſtum retentionis vel prohibitionis eſt, vertunt. Idem. Num.29.2. Paral. 7. Nehem. 8. legitur. De ſeptimo autem die Solennitatis Paſchę ita mandatur Deut. 16. *Sex diebus comedes Azyma, & die ſeptimo* עצרת.

Sępè etiam in lege Moſis & apud Prophetas non ſolùm ſeptima dies vniuſcuiuſque hebdomadę, ſed etiam omnia reliqua Iudęorum Feſta & Solennitates, ſiue in ſeptimam ſiue in aliam diem inciderent, generaliter שבתות *Sabbatha* appellantur, à שבת, quod eſt ceſſare & quieſcere: quòd in iſtis Solennitatibus & Feſtis à prophanis operibus non minus quieſcere, & nomen Dei celebrare tenerentur, quàm in Sabbatho hebdomadę. שבתות quid.

Gręci dies Feſtos & Solennes appellarunt πανηγύρεις, ἱερομηνίας, θεοφάνεια, θεοξένιαν, καὶ ἑορτάς. Pollux enim lib. 1. tit. περὶ καιρῶν ἑορτασίμων ſic ſcribit: Καιροὶ δὲ ἱεροὶ, πανηγύρεις, ἱερομηνίαι, θεοξένια, θεοφάνεια, ἑορταί. Πανηγύρεις autem, vt Henric. Steph. in linguę Gręcę Theſauro indicat, propriè ſignificat, publicum Cœtum ſeu Conuentum, & Celebritatem publicam: veluti quum die Feſto, Ludis ſolennibus, aut celebri mercatu tota aliqua gens vnum in locum conuenit, vt in Græcia Ludis Olympiacis, Iſthmiacis, Pythicis & Nemeacis: Feſto item Eleuſiniorum, Panathenęorum & ſimilium, vt eſt videre apud Demoſthenem pro Corona, in Decreto Bizantiorum: idem etiam Author Διονύσια appellat πανήγυριν, ſicut Cicero *Nundinas*, ad Atticum lib. 1. epiſt. 9. Pompas etiam, ſpectacula & conuiuia, quę publicè à Regibus Principibúſve exhibentur, πανηγύρεις nominant Athenęus lib. 5. de Antiocho ſcribens, Herodianus lib. 3. & Xenophon lib. 6. pæd. Πανήγυρις quid.

Ἱερομηνία eſt dies menſis, in quo Feſtum aliquod celebratur, vel Sacra ſtata aliquo menſe, Aut etiam generaliter accipitur pro die feſto, vt placet Budęo, qui addit, de ludorum die à Demoſthene vſurpari. Thucydides lib. 5. inquit de Carneo menſe, τὸν μέλλοντα ἱερομηνία Δωριεῦσι παρεσκευάζεσθαι. Et Herodianus lib. 1. ἐπεὶ μέχρι νῦν Ἰταλιῶται τῷ μὲν Κρόνια προσεορτάζουσι θεῷ τῷ λαχόντι, τὴν δὲ τοῦ ἔτους ἀρχὴν ἱερομηνίαν ἄγουσι τῷ τῆς Ἰταλίας ἔθει. Ἱερομηνία quid.

De Θεοξενίοις in Appendice ad Gręcorum Feſta dicturi ſumus.

Θεοφάνεια verò, ſiue θεοφανία Feſtum Græcis ſignificat ſolenne, quod illo die celebrabatur, quo Deus hominibus apparuiſſet. Meminit ejus Herodotus libro 1. de Cratere argenteo, qui amphoras ſexaginta capiebat, à Crœſo Delphis dicato, ἐπικίρναται γὰρ ὑπὸ Δελφῶν θεοφανίοισι. Ho ceſt, *miſcebatur in eo vinum à Delphis Theophanijs*, ſeu *Theophaniæ Feſto*. Θεοφάνεια quid.

Ἑορτὰς autem Gręci generaliter Feſta appellant, παρὰ τὸ ἐρῶ, vt quidam voluerunt, id eſt, ab amore & appetitu, quo ad amplectendos & agendos dies feſtos plerique ferimur: Πάντας γὰρ αὐτῶν ἐρῶσι. Alii verò deriuant παρὰ τὸ διὰ αὐτῆς ἐᾶ (id eſt ἀγαθὰ) ὀρνύναι τοῖς ἀνθρώποις: quòd beneficio dierum feſtorum multa bona à Diis immortalibus contingant hominibus. Ἑορτὴ quid.

Τελετὰς quoque majora Feſta vocarunt, quòd non citra Grandiorum impenſam fierent. Nam τελεῖν impendere eſt: vnde & qui multa profundunt πολυτελεῖς, qui pauca εὐτελεῖς dicunt, vt Cœlius indicat Lect. Antiq. libr. 7. cap. 2. Τελετὴ quid.

Latini antiquiores Feſta, quaſi ſolenniter lætos dies appellârunt, Feſto teſte. Nam Feſtus, a, um, idem illis fuit, quod poſtea lętus, a, um. In iis enim vel Sacrificia Diis offerebantur: vel epulationes & conuiuia celebrabantur: vel Ludi in honorem Deorum agebantur, vel ferię obſeruabantur, Feſtum quid. In feſtis quid actum

uabantur, idque cum gaudio & lætitia tam corporis quàm animi. Cicero Feſti nomine non vtitur, quod ego quidem ſciam, tanquam ſubſtantiuo, in hac ſignificatione, ſed pro adjectiuo, diei nomine ſemper addito. Veluti pro Seſtio inquit, *Cùm itinere toto vrbes Italiæ dies Feſtos agerent.* De Finibus: *Quem Tyberina diſſenſio feſto illo die tanto gaudio affecit. &c.* Pro eo autem apud recentiores *Feriarum* nomen in vſu eſſe cæpit: idque vel à feriendis victimis & pecudibus, quas illis diebus offerebant: vel à ferendis epulis, quæ fiebant ex his pecudum frugúmque prouentibus.

Feriæ quid.

Germani Solennitatum nomina à Latinis mutuati ſunt: vocant enim eas Feſt / & Feſttag / à Feſtis: Feyrtag / à Feriis: illiſque verbum Feyren idem ſignificat, quod his feriari.

Feſt/ Feſttag vñ Feyrtag.

DE ORIGINE

DE
ORIGINE ET PROGRESSV
FESTORVM DIERVM
APVD IVDÆOS,
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Die, Horis, Septimanis, Menſibus & Anno Iudæorum.

DE Feſtis & Solennitatibus Iudæorum dicturus, opera pretium me facturum arbitror, ſi de Diebus, Horis, Septimanis, Menſibus & Anno eorum, illa præmittam ſaltim, quæ ad inſtitutum noſtrum maximè pertinebunt: nam omnia & ſingula, quæ de ijs poſſent dici, hoc loco referre, inutilis & ſuperuacaneus labor foret, quum id diligentiſſimè ante me multi doctiſſimi viri perſequuti ſint.

De Die Iudæorum.

Diei diuiſio. *INcipiam autem à* DIE, *quia per Dies, Septimanas, Menſes, & Annum metimur. Eum faciunt vel* Naturalem: *vel* Civilem,
Dies ciuilis. Vulgarem *&* Artificialem: *& hunc quidem ab oriente Sole ad occidentem vſque intermedio tempore definiunt, quo nimirum Sol hemiſphærium noſtrum illuſtrat. Cui oppoſita eſt*
Nox. NOX, *dum Sol fertur ſub horizonte noſtro, & tenebræ occupant terras. Hac ſignificatione Moſes vſurpat, ſic inquiens de primo die:* Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem. *Et Iſaias:*
Dies naturalis. Væ illis, qui vertunt diem in noctem: *Illum verò non niſi viginti quatuor horarum curriculo abſoluunt, idque tempus intelligunt, quod vno fit cæli circumactu, quo dies verus & nox ſimul continentur: vt quum dicimus, annus habet dies 365. non excludimus noctes, ſed eas quoque ſimul intelligimus: vocatúrque à Græcis* Νυχθήμερον *omne id tempus. Eſt hæc definitio diei naturalis Ioannis de Monte Regio in Epitome Ptolomaici Almageſti.* Dies, *inquit,* naturalis dicitur tempus reuolutionis Solis per motum primi mobilis ab horizonte aut meridiano, donec ad ipſum redeat. *Ad eundem etiam modum Ioannes de Sacro buſco, Stoeflerus & alij diem naturalem definiunt. Proinde Cenſorini cap. 19. artificialis diei definitio naturali diei conuenit.*

Initium autem diei naturalis non eſt idem apud omnes, ſed pro regionum & nationum diuerſarum vſu & conſuetudine quadrifariam ferè variat, vt Plinius refert libro ſecundo, capite 87. Babylonij enim ab exortu vno Solis ad exortum alium ejuſdem aſtri metiuntur eum. Diei naturalis initium
Ægyptij & Romanorum Sacerdotes à media nocte ad proximè ſequentem mediam noctem diem hunc conſtituerunt. Quam conſuetudinem Iudæis contrariam, putant aliqui Matthæum ſequi cap. 28. in his verbis: In extremo Sabbathi, cùm jam illuceſceret in primam Sabbathi. *Vmbri & Aſtrologi à meridie ad meridiem diei hujus curriculum metiuntur. Athenienſes, Galli veteres & Iudæi ab vno occaſu Solis ad alium, ſiue à veſpera ad veſperam dies ſuos inchoârunt. Sic enim de Gallis illis C. Cæſar ſcribit lib. 6. Comment. belli Gallici:* Galli, *ait,* ſe omnes à Dite patre propagatos prædicant. Ob eam cauſam ſpacia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt: & dies natales, & menſium & annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies

ſubſequatur. De Hebræis hoc non eſt in dubio. Sic enim Moſes Geneſ.1. loquitur: Factum eſt veſperè & manè dies vnus: ubi veſperam præponit diei: ſignificans vtique, noctem præcedere diei. Adhæc, priores extiterunt tenebræ, & Deus juſſit lucem de tenebris ſplendeſcere, vt loquitur Apoſtolus Paulus. Inde factum eſt, vt etiam Sabbathi celebratio à veſpere præcedentis diei incipienda fuerit in Veteri Teſtamento, ſicuti præcipitur Leuit.23.cap. Ad hanc Iudæorum & Athenienſium rationem hodiè adhuc. Italorum & Boemorum horologia aptata ſunt, vt initio noctis horam primam indicent, & ſic deinceps.

De Horis Iudæorum.

Diei partitio apud Iudæos.

Diei Partitio antiquiſſima apud Iudæos ſimplex admodum fuit, non in horas, ſed per effectus aliquos ſiderum, aut alterius naturæ inſignita. Hæc enim nomina ferè temporis apud Sacros Scriptores reperiuntur: manè, aurora, illuceſcente jà ſole inclinata dies, veſpera, aura diei, occaſus ſolis, nox, media nox, galli cantus, dormientibus hominibus, pro eo quod ab alijs Concubium vocatur. In Sacris alioquin literis, quæ ante Captiuitatem Babylonicam ſcripta ſunt, nulla ſit prorſus horarum mentio: neque nomen Hebraicum extat, quod horam notat, ſed Syriacum שעה Daniel. 3. Tametſi Auguſtinus & alij quidam decem lineas graduum in horologio Achazi, decem horas innuere exiſtiment: poſtea autem hoc Νυχθήμερον, id eſt, diei naturalis tempus, diem ſimul & noctem complectens, in viginti quatuor horas, & has rurſus in duodenas diſtribuerunt, ita vt non à meridie & media nocte, ſicuti nos, ſed ab occaſu Solis vſque ad ortum numerarent duodecim horas, & rurſus totidem ab exortu vſque ad occaſum: vnde Seruator, Ioannis 11.cap. Nonne, inquit, horæ duodecim diei ſunt? adeóque prima hora matutina ea fuit illis quæ nobis eſt nona, ſexta quæ nobis eſt duodecima, nona quæ nobis eſt tertia, duodecima quæ nobis eſt ſexta: eademque ratio fuit in nocturnis horis numerandis. Hinc poteſt interpretatio deſumi, quoad tempus, ejus parabolæ quæ eſt apud Matthæum 20. cap. de conductis à patre familias operarijs in vineam ſuam manè, & horâ tertiâ ſimiliter ſextâ, nonâ, vndecimâ: itemque verborum quæ apud eundem Euangeliſtam extant 27.cap. vbi dicit, à ſexta hora tenebras factas ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam: & circa horam nonam emiſiſſe Ieſum ſpiritum ſuum. Collatio autem horarum ſecundùm noſtram ſupputationem & Orientalium ſeu Iudæorum, ex hac tabella manifeſtius conſpicitur.

Horarũ non fit mentio in Sacris literis ante Babyl. captiuitatem.

Explicatio parabolæ quoad tempus Matth. 20. cap.

Horæ Iudæorum.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Horæ noſtræ.
7. 8. 9. 10. 11. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Rurſus autem has diei horas duodecim in quatuor ſeu quadrantes diuiſerunt, quorum ſinguli à prima exordij ſui hora nomen ſumpſerunt. Primus ergo quadrans tres primas horas diei habebat, & totus hora prima dicebatur. Secunda pars, quæ à fine primæ vſque ad ſextam, hoc eſt, meridiem extendebatur, illis erat hora tertia. Tertius quadrans à ſexta vſque ad nonam numerabatur, id eſt, à meridie vſque ad tertiam pomeridianam, & ſexta hora nomen habuit. Quartum verò, nonam horam appellârunt, eò quòd à nona, hoc eſt, tertia hora, ſecundùm noſtram ſupputationem, inciperet, & indè reliquas diei horas vſque ad duodecimam, ſeu noſtram ſextam complecteretur, qui totius diei finis erat. Ita verò ſolitos fuiſſe Veteres diem diſtinguere, apparet ex parabola quæ habetur Matth. 20. vbi dies in iſtos quadrantes ſecatur, ex recepta nimirum conſuetudine. Hanc rationem ſupputandi horas, nonnulli Eccleſiaſticam, ſeu Templi nominant, & vſurpatam aiunt à Iudæis in diſtinguendis precibus & peragendis Sacris. Talis ratio obſeruatur etiámnum hodie in Pontificiorum Templis, vbi preces, quas vocant Canonicas, Primas, Tertias, Sextas, Nonas appellant. Vt autem res meliùs intelligatur, vulgatam horarum ſupputationem, & hanc Eccleſiaſticam templi apud Iudæos, in ſubjecta tabella Lectori ob oculos ponam.

Diei artificialis in quadrantes partitio.

Diei diuiſio eccleſiaſtica, ſeu Templi.

Horæ Templi.

Prima	Tertia	Sexta	Nona
1. 2. 3.	4. 5. 6.	7. 8. 9.	10. 11. 12.

Hinc explicari poteſt nodus ille, qui circa temporis notationem Paſſionis Chriſti apud Marcum & Ioannem Euangeliſtas occurrit. Marcus enim 15.cap. dicit, fuiſſe horam tertiam, quando crucifixerunt eum: Ioannes verò 19. cap. ferè ſextam horam fuiſſe, ſcribit. quando Pilatus pro tribunali conſedit, vt eum condemnaret. Marcus enim ad hanc Eccleſiaſticam ſeu templi horarum diſtinctionem reſpiciens, horam tertiam fuiſſe dicit, quando Chriſtum crucifixerunt, & ſecundam diei partem vel quadrantem intelligit, quæ ab hora tertia incipiens quartam, quintam & ſextam, hoc eſt, juxta noſtram computationem decimam, vndecimam, & duodecimam comprehendebat: & proinde à Ioanne nihil diſſentit, qui juxta priorem diſtinctionem loquitur, & horam fermè ſextam

Explicatio locorum Mar. 15. & Ioan. 19.

fuiſſe

fuiſſe ſcribit. D. Auguſtinus tamen in Quæſtionibus ex novo Teſtamento quæſt. 65. & in Dialogo quæſtionum 65 paulò aliter reſpondet: id verò nimis coactum videtur.

Noctis diviſio in Vigilias.

Similiter etiam horarum nocturnarum ſpacia in quaternas Vigilias diſtribuerunt, quæ ſingula, teſte Hieronymo in epiſt. 139. ad Cyprianum, trinorum horarum ſpacio ſupputabantur, ita vt prima Vigilia tres priores horas, primam. ſecundam & tertiam, *ſecunda autem tres proximè ſequentes comprehenderit ante noctem mediam: poſt eam verò tertia vigilia* ſeptimam, octavam & nonam *: quarta reliquum noctis tempus vſq; ad auroram habuerit. Harum vigiliarum frequens admodum fit mentio in Sacris literis. Sic Iudic. 7.* Gedeon *dicitur* ingreſſus fuiſſe caſtra Madian incipientibus Vigiliis nocturnis. *Et 1. Reg. 11.* Saul ingreſſus eſt media caſtra Moabitarum & Ammonitarum in Vigilia matutina. *Luc. 2. dicitur de paſtoribus,* quòd cuſtodierint Vigilias noctis ſuper gregem ſuum *Matth. 14. & Mar. 6. Chriſtus legitur veniſſe ad Diſcipulos in mari periclitantes quartâ vigiliâ noctis. Luc. 12. ait Dominus,* incertum eſſe, an venturus ſit Vigiliâ ſecundâ, an tertiâ. *Quarta vigilia fit mentio Matth. 14. & Mar. 6.*

Vigiliarum mentio in ſacris literis frequens.

De Septimanis Iudæorum.

Dierum partitio in hebdomadas.

Dies autem in hebdomadas vel ſeptimanas apud Iudæos diſtributi fuerunt, quæ deinde Menſes & Annum conſtituerunt. Sex enim dies continuos omnia opera externa perficere illis licuit: ſeptimo autem quoque die ab iis omninò ceſſare debuerunt ex peculiari mandato Dei, vnde & Sabbathum, hoc eſt, ceſſatio & quies dies ille appellatus fuit, & tantùm res ad Dei cultum pertinentes tractare tum eis licuit: à quo ſeptenario numero hebdomadas ſeu ſeptimanas dies quoſque ſeptem nominârunt. Sumpſit hæc res originem à prima & ſingulari illa hebdomada, quâ Dominus ſex diebus vniverſam mundi machinam perficiens ſeu abſolvens, ſeptimo requievit ab omnibus operibus ſuis, voluitque vt ſe in eo imitarentur homines.

Dierum ſeptimanæ nomina apud Hebræos.

Ita autem computabatur antiquitus à populo Dei Hebdomada, vt prima, ſecunda, tertia, &c. eius dies, non diceretur Lunæ, Martis, Mercurij, &c. dies, ſed prima Sabbathi, vel vna Sabbathi, aut Sabbathorum: Secunda Sabbathi, tertia Sabbathi, &c. Non quòd omnes Sabbathorum, hoc eſt requietionum dies eſſent: ſed quòd à Sabbatho, id eſt, die requietis, qui ſuo nomine & cultu ſingulariter excellebat, prima, vel ſecunda vel tertia, vel cætera ſuo quæque cenſerentur ex ordine: Bedâ teſte lib. de Rerum Natura cap. 8. Vnde ſimul apparet, fuiſſe etiam aliquos dies Sacros, aliquos prophanos: non quidem ex ſe vel per ſe: (omnes enim dies Domini ſunt) ſed propter vſum cui à Deo ſunt deſtinati & quaſi conſecrati: Hinc dies illi ſex operibus externis & ſervilibus deſtinati, prophani: ſeptimus autem quiſque imò ille etiam ex ſex prioribus, in quem Solennia feſta inciderint, Sacer dicebatur, ob res ſacras, quibus erat conſecratus.

De Menſibus Iudæorum.

Menſis nomen apud Iudæos Germanos Græcos vnde.

Menſis ab Hebræis ירח *Iareach, à* ירח *Iareach, hoc eſt, Luna denominatur: quemadmodum à Germanis* Monat *à* Mon/ *quæ vox Lunam ſignificat. Græci etiam* Μῆνα *à* Μήνη *Luna appellant: quòd eius curriculo menſis conficiatur, vt Macrobio & Probo Grammat. placet. Rurſus apud Hebræos Menſis dicitur* חדש *Chedeſch, quæ vox propriè novitatem ſeu renovationem ſignificat, ideòque ad lunam tranſlata, novam lunam ſeu novilunium denotat: Sic Num. 29. dicitur, præter holocauſtum* חדש*. id eſt, novilunij, aut primæ diei. Ita opinor de novilunij Feſto intelligi, quod Amos 8. Divites dicunt:* Quàndo tranſibit ſabbathum & novilunium (חדש) vt vendamus frumentum: *nam his diebus non licebat aliquid vendere aut emere. Sic Iſaia 66. prædicitur fore* חדש*, id eſt, novilunia perpetua. Deinde communiter vſurpatur etiam pro integro menſe, & ſpacium temporis ab vno novilunio ad alterum ſignificat. In hac ſignificatione aut adiectum habet numerum dierum ab innovatione lunæ elapſorum, vt dicitur prima luna, ſecunda luna, decima quarta vel decima quinta luna, quod idem eſt ac ſi diceres, prima, ſecunda dies menſis, &c. aut nomen dierum ſimpliciter additur, ſic Gen. 29. dicitur,* Habitavit Iacob cum Laban menſem dierum חדש ימים *Num. 11.* Vſq; ad menſem dierum. *Et Deut. 21.* Lugebit patrem ſuum, & matrem ſuam menſem dierum. *Hac phraſi ſignificare volunt Hebræi, integrum planè menſem, omnibus ſuis diebus conſtantem. Latini à* metior Menſem *deducunt, quòd ſit res numero dierum menſa: Vnde Cicero lib 2. de Natura Deorum inquit,* Qui, quia menſa ſpacia conficiunt, Menſes nominantur : *poteſt tamen hæc etymologia etiam ad lunam referri, quòd eius curſu menſa ſpacia conficiat. Hæc autem menſium nomina, menſes olim lunares & ad lunæ curſum accommodatos fuiſſe indicant Quocirca & Beda cap. 11. de rerum nat.* Antiqui, *inquit* Menſes ſuos non à Solis, ſed ad Lunæ curſum computare ſolebant. Vnde quoties in Scriptura Sancta, ſive in lege, ſive ante legem, quota die menſis quid factum dictumúe ſit, indicatur, non aliud quàm lunæ ætas ſignificatur: à qua ſemper Hebræi, antiquo patrum more, Menſes obſervare non ceſſant.

Menſis nomen apud Latinos vnde.

Menſes olim ad lunæ curſum accommodati.

Menſes Iudæorum quot dierum.

Menſis autem Hebræorum non omnes fuerunt 30. dierum, vt nonnulli affirmant: ſed partim 29. partim verò 30. dierum, idque alternis.

Menſiũ nomina ante & poſt captiuitatem Babylon. diuerſa.

Nomina verò Menſium ante & poſt Captiuitatem Babylonicam non eadem fuerunt. Ab initio enim ſanctâ quâdam ſimplicitate, à numero & ordine tantùm appellati ſunt, Primus, Secundus, Tertius & ſic deinceps. Et ex omnibus quidem duodecim, quatuor ſolùm proprijs nominibus ante Babylonicum exilium inſigniti ſunt: nempe Primus, Secundus, Septimus & Octauus. Primum vocârunt Ethanim, *hoc eſt,* Fortium, *à præſtantia nimirum & dignitate, quia non anni tantùm, ſed etiam Sabbathi Iubilæi principium fuit. 1. Reg. 8. Secundus, qui poſtea Octauus fuit, & noſtro Nouembri aliqua ex parte reſpondet, dictus fuit* Bul, *quaſi defluens, hoc enim menſe arboribus folia decidunt & quaſi defluunt. Putant alij dictum hunc Menſem* בול *quaſi* מבול, *hoc eſt, Inundatio, à crebris, quæ in eo fiunt, pluuijs. 3. Reg. 6. Septimus, qui poſtea factus eſt primus.* Abib, *à nouis frugibus Exod. 16. Leuit. 2. Octauus* Zif *appellatus fuit à candore 3. Reg. 5. Babylonicæ autem Captiuitatis tempore, patrio & antiquo more ſpreto, non ſolùm his menſibus, ſed etiam reliquis omnibus Chaldaica nomina impoſita ſunt.*

Menſis Abib ſeu Niſan

Primum ex Moſis inſtitutione, qui Septimus antiquitus, & Abib, *vt diximus, appellatus fuit* ניסן Niſan *vocarunt. Nehe. 2. Eſth. 3. Is, propter multiuagum lunæ curſum, nunc in Menſem Martium, nunc in Aprilem incidit: interdum etiam Maij menſis dies aliquot ſibi vendicat. Sed rectiùs Aprili deputatur: in ipſo enim vel incipit, vel deſinit, vel totus includitur. Eâ duntaxat regulâ obſeruatâ, vt quæ decima quinta, poſt æquinoxium, luna extiterit, primum ſequentis anni menſem faciat; quæ verò antea, nouiſſimum præcedentis: & ſic per ordinem: vt Beda refert cap. 11. de Rerum nat. Nomen habet à nouis frugibus vel ſpicis, quæ tunc matureſcere incipiunt. Vnde & Leuit. 23. mandatur,* vt alterâ die Paſchæ offeratur Domino Gomer, *hoc eſt, Menſura granorum, quæ ex nouis ſpicis excutiebantur. Vel ſic dicitur, quòd ſit Niſim, hoc eſt miraculorum Menſis, plurima enim miracula & prodigia hoc tempore facta ſunt, quæ in libris Moſis diligenter commemorantur: veluti quòd hoc ipſo educti eſſent ex Ægypto, tabernaculum effectum dedicâſſent, duce Ioſuâ Iordanem traiceiſſent auxilia à Rege Artaxerxe, ad inſtaurandam Hieroſolymorum vrbem, per Nehemiam impetrâſſent, alijſque alibi bonis potiti eſſent. Vel, quòd eſſet quaſi ſignum & vexillum redeuntis anni.*

Iiar vel Ziph.

Secundum אייר Iiar *vel* זיף Ziph *ab igne vel luce appellârunt: hoc enim Menſe, vt Vergilius canit,*

Candidus Auratis aperit cum cornibus Annum
Taurus &c.

Vel, vt [illegible] *placet, ſic dicitur à candore florum qui tunc erumpunt. Incidit autem in Maium noſtrum.*

Tertium סיון Siuan *à rubis, vel ſpinis dixere. Eſther. 8.* *Siuan.*

Quartum תמוץ Thamuz *vocârunt: ab idolo fortaſſe, quod eodem nomine appellatur, quodque Iſraelitæ in deſerto abſente Moſe coluerunt: ob quam abominationem Propheta tabulas Decalogi fregit: in cuius rei memoriam 17. die huius menſis Ieiunium Iſraelitæ celebrabant. Hieronymus putat ſic dictum eſſe hunc Menſem, ab Adonide Veneris amaſio, quem hoc nomine compellârint, hoc menſe extincto. Hoc de re vide plura lib. 2. in* Adonijs. *Thamuz.*

Quintum אב Ab *quaſi patrem appellârunt à Fœcunditate: quamuis Sacræ Literæ primum menſem magis propriè ſic nominent.* *Ab.*

Sextum אלול Elul *dictum arbitror à Prælo, vel à Potentia æſtûs ſeu caloris, vel à præſtantia.* *Elul.*

Septimum תשרי Thiſchri *nominârunt, à* Thiroſch, *quod muſtum ſignificat, hoc enim Menſe vindemia erat. Antiquitus* אתנים Ethanim *dicebatur, quaſi fortitudines, vel menſis fortium, propter plurima Feſta quæ in eum inciderunt. Vel propter copiam fructuum & frugum, quæ illo menſe colligebatur: fructibus enim terræ vita hominis roboratur. Alii hunc menſem ſic dictum putant, quòd eo fœderis arca, in Templum Solomonis, recens extructum, à viris fortibus tranſlata ſit, & tum validæ preces, & multa Sacrificio Deo oblata ſint: 2. Reg 8 Et quod anni Sabbatarii ac Iubilæi eodem inchoati fuerint. Nonnullis ſic appellatum placet hunc menſem, quòd autumni tempore multi in morbos incidant, eoque probetur, qui nam ſint validâ ac firmâ corporum conſtitutione.* *Thiſchri.*

Octauum dixerunt מרחשין Marcheſchuan, *veteres* Bul. *à Pluuiarum inundatione quaſi diluuium: vel à Nabal, id eſt, cadendo, quòd folia ex arboribus tunc decidant, alimento deſtitutis, effœtâ iam terrâ: vnde eum cum præcedenti* φυλλοχόους *Græci nuncupârunt.* *Marcheſchuan.*

Nonum כסלו Ciſleu *ab Arcturo: aut fortè à calice quòd hac menſe vini dolia reſerare conſueuerint, & poculis certârint.* *Ciſleu.*

Decimum טבת Tebeth *vocârunt, Eſther. 2. à crebris pluuiis.* *Tebeth.*

Vndecimum שבת Schebath, *1. Machab. 16. & vltimo: à Virga vel Baculo.* *Schebath.*

Duodecimum אדר Adar *appellârunt, quaſi Latum, quòd extendat ſe ad finem anni.* *Adar.*

His duodecim menſibus Lunaribus, tricenis vndetriceniſque diebus alternantibus, decimus tertius adijcitur tertio aut ſecundo anno, quem Embolimæum *vel* Intercalarem *vocant: & quia vltimo menſi* אדר Adar *ſubiungitur, ipſe quoque dicitur* ואדר Veadar, *id eſt, & Adar, quaſi Adar iteratus. Menſes enim ſicut & anni* *Veadar, menſis embolimæus.*

totius

totius divinæ formæ, Solis motum, quaſi regulam, quam ſequantur, ſibi proponunt. Sol autem curſum ſuum per duodecimam partem Zodieci triginta diebus, & decem ſemis horis abſolvit: Luna verò Zodiacum quidem 27. diebus & 8. horis, ſui verò curſûs ordinem 29. diebus, & horis 12. ſalaâ ſui ſaltûs ratione conficit. Quo fit, vt annus Solaris habeat 365. dies, & ſex horas, Lunaris autem annus, ſeu menſes illi duodecim, tantùm dies 354. horas 8. ſcrupulos 876. Cùm igitur reſtent in anno ſolari, applicato lunari, dies 10. hora 21. ſcrupuli 204. cùm primum in menſem excreverit numerus hic Dierum horarum & ſcrupulorum, quod fieri poteſt tertio & ſecundo anno, duodecimo ſeu vltimo menſi adjicitur: & ſic anni ſolaris abundantia, duodecim lunarium menſium defectum quodammodo reſarcit.

Menſis Veadar veſtigia in ſacris literis.

Ac licèt hujus menſis decimi tertii expreſſè nulla mentio fiat in Sacris literis, extant tamen eius non obſcura in eis veſtigia. Nam Geneſ. 7. vbi diluvium deſcribitur, aqua Dies 150. creviſſe dicuntur. At Menſis 2. Die 17. pluvia cœperant: & Menſis 7. Die 17. cubitis 15. decreverant, nam Arcam eo Die ſuper montes Ararath requieviſſe cap. 8. eiuſdem libri dicitur. Inter hos autem terminos tantùm Dies 147. numerantur. Niſi igitur Menſem Intercalarem addas, Dies illos 150. quibus aqua creverunt, & reliquos quibus decreverunt 15. cubitis, nuſquam invenies.

Explicatur locus Gen. 7.

Explicatur locus Ezechielis.

Præterea apud Ezechielem primis quatuor capitibus indicatur, quod Propheta illi anno quinto Menſis quarti Die quintâ revelatio ſit facta, & poſt ſeptem dies juſſus ſit in latere ſiniſtro jacere dies 390. & portare peccata Iſraelis, deinde in latere dextro Dies 40. & portare iniquitatem Iuda. Sed anno 6. menſe 6. die 5. rurſus ſediſſe dicitur inter Seniores Iſrael. Cùm igitur ſpatium illud, quod eſt inter Diem 12. Menſis 4. & Diem 5. Menſis 6. ſequentis anni non contineat Dies 430. vides annum illum intercalarem fuiſſe & vno Menſe abundâſſe. Etſi enim demus hæc in viſione accidiſſe, non tamen credibile eſt, eum ante elapſos 390. & 40. Dies ad populum prodiiſſe, ne falſam revelationem ei narrare videretur.

Menſis vera definitio.

Hinc ſimul intelligitur, Menſis veram definitionem non eſſe, quandiu nimirum luna Zodiacum circulum percurrat. Sed Menſis lunaris eſt, lunæ circuitus ac redintegratio de nova ad novam: Solaris autem Menſis eſt, digreſſio & curſus Solis per duodecimam partem Zodiaci, qui 30. Diebus & decem ſemis horis impletur.

De Anno Iudæorum.

QVia verò in iis quæ modò diximus, jam Menſem Ethanim, qui poſtea T[illegible] jam Abib, qui poſtea Niſan appellatus fuit, PRIMVM vocavimus, reſtat illa contrarietas nobis explicanda. Eam verò ſic expediemus, vt eâdem operâ Anni Iudaici rationem ſeu formam ſimul quoque explicaturi ſimus.

Anni ratio apud Iudæos.

M. Tiſri apud veteres Iudæos primus.

Sciendum itaque apud Hebræos veteres Menſem Tiſri primum fuiſſe, eoſque annum ſuum à novilunio ejus inchoâſſe. Hanc conſuetudinem in rebus civilibus etiamnum hodie obſervant Iudæi: ob eamque cauſam neomeniam menſis Tiſri caput anni nuncupant: & ab eo temporum ſupputationes deducunt: Iabileum quoque ac ſeptimum annum, qui Deo dicatus fuit, ab eo incipiunt, ne fructus duorum annorum perdant: Si enim Menſem Niſan primum conſtituerent, & ab eo annum inchoarent, perderent per annum ſeptimum fructus duorum annorum, quòd meſſem anni ſexti non poſſent colligere, neque anno ſeptimo ſeminare. Hæc facit quòd Exod. 23. præcipitur, Solennitatem Tabernaculorum celebrandam in exitu anni. Et 34. cap. præcipitur. Feſtum hoc celebrari debere, quando, redeunte anni tempore, cuncta conduntur.

Explicatio locorum Exod. 23 & 34.

Quod exponens D. Hieronymus in epiſtola de Solennitatibus legis dicit, Iudæos feſta ſua ſolennia celebrare in fine anni Solaris, hoc eſt, quando congregantur fructus in horrea ſive cellaria. Vnde & idē lib. 12. ſuper Ezechielem, exordiū anni auſpicatur à Menſe Tiſri: adducens etiam Theodotionem, qui pro anni exordio poſuit annum novum, ſic ſcribens: Quod ſi juxta Theodotionem, qui in eo loco, vbi nos poſuimus, In exordio anni, interpretatus eſt, In novo anno: novus autem annus apud Hebræos vocatur menſis ſeptimus, qui apud eos vocatur menſis Tiſri, cujus calendis fit tubarum clangor, & decimâ die ejuſdem menſis dies Iejunii & Placationis: quintadecimâ verò die, quando totus lunæ orbis expletus, dies Scenopegiarum datur intelligi. Idem ſuper Ezechielem cap. 1. Illud quoque, inquit, intelligendum eſt, quòd Chriſtus in trigeſimo ætatis ſuæ anno ad baptiſmum venerit in quarto menſe, qui apud nos vocatur Ianuarius. Et poſt pauca ſubdit: Apud Orientales enim populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis & Ianuarius quartus. In quo tamen nonnihil errare videtur Hieronymus: cùm enim annus antiquus apud Hebræos incipiat ab æquinoctio hyberno, tantùm exorbitat, quantum eſt ſpatium ab æquinoctio verno, quod primum Hebræorum Menſem inchoare debet, vſque ad ſequentis Menſis initium. Similiter quoque Beda libro de Temporibus cap. 12. ſcribens, de Menſe Tiſri dicit, ab eo annum inchoari.

Ratio autem quæ movit Iudæos, vt annum

ſuum

Cur Iudæi annum ſuum inchoauerint à M. Tiſri

ſuum inchoarent à nouilunio menſis Tiſri, æquinoctio autumnali proximo, non ſolùm eſt verbum Dei, ſicut modò expoſuimus, ſed quod, Ioſepho Teſte, mundum eodem æquinoctio à Deo creatum exiſtimarent. Quamuis ſint nonnulli, qui dicant, quòd anni principium Hebræi ante exitum ex Ægypto habuerint, nuſquam in Sacris literis expreſſum eſſe.

Poſt liberationem Ægyptiacam anni principium in M. Niſan tranſlatum.

Poſt liberationem verò Iſraelitici populi ex duriſſima ſeruitute Ægyptiaca, quædam mutatio facta eſt. Nam Deus anni principium in Menſem ſeptimum tranſtulit, quem Abib poſtea verò Niſan dixerunt. Hunc enim iuſſit eſſe primum inter menſes, & caput anni Exod. 12. dicens: Menſis iſte (quo nimirum vos ex terra Ægypti eduxi) erit vobis caput Menſium: primus erit vobis in menſibus anni. Hoc autem à Deo ſic inſtitutum fuiſſe nonnulli arbitrantur, ratione tantùm Feſtorum & rerum Eccleſiaſticarum: quòd Feſtorum ſeriem ab hoc Menſe computare deberent: ſaluo interim veteri iure menſis Tiſri in ciuilibus cauſis. Quod etiam hodie fieri videmus ferè apud Romanos & Eccleſiaſticos, qui annum ciuilem à Ianuario incipiunt, Feſta autem mobilia à Paſchate computant. Facta eſt autem hæc anni & Menſium mutatio in liberationis Ægyptiacæ memoriam quam hoc modo conſeruare in populo ſuo voluit. Quemadmodum enim Sanctis vtriuſque Teſtamenti nomina quandoque mutata ſunt, vt noua vocationis, & promiſſionum, atque beneficiorum perpetua recordatio ipſo nomine offerretur ipſis: ſic mutatione hac temporis, & nuncupatione Menſis Niſan, à quo ceu primo reliqui deinceps numerarentur, Deus tantùm hoc ſuum beneficium in recenti memoria retinere voluit.

Mundus quo anni tempore conditus.

Quæ quum ita ſint, erràſſe videntur Rabbi Iehoſua, & quotquot eum ſecuti ſunt Chriſtiani poſtea Theologi, videlicet Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Damaſcenus, Beda, Iſidorus, & recentiores plerique Theologi atque Aſtronomi, aſſerentes mundum in verno æquinoctio conditum, & propterea Deum hoc initium dimetiendi Annos & Menſes populo Iſraelitico per Moſem tradidiſſe. Nam in liberationis Ægyptiacæ, non Creationis mundi, memoriam hoc à Deo ſic inſtitutum fuiſſe, ex Sacris literis haud obſcurè colligi poteſt. Ad hæc ſi Mundus eo tempore conditus eſt, quo Hebræorum annus incipit, in quo omnes ferè conſentire videntur: quodnam obſecro tempus huic rei deſtinabimus, quàm illud ipſum quod à principio deputatum fuit anni initio? Ver autem tum demùm annum inchoare cœpit, quum primum Paſcha mactatum eſt: ſequitur ergo, & ex Sacris literis manifeſtè colligitur, primum & antiquiſſimum anni principium autumnum fuiſſe.

Rationes eorũ qui volunt Mundũ in Vere creatum.

Sed quia grauis hæc de re eſt diſputatio, operæ pretium me facturum arbitror, ſi reliquas etiam videamus rationes, quibus in Vere mundum conditum eſſe probare conantur, & ad eas paucis reſpondeamus. Ac primo piè quidem & acutè admodum ratiocinantur, obſeruatas eſſe omnes negotiorum circumſtantias in reparando genere, quæcunque in lapſu Adami euenerint. 1.
Sicut enim ex arbore pomo decerpto contra mandatum Dei, primi Parentes mortem ſibi atque poſteris conciliauerunt: ita in Cruce Dei filius vitam reparauit: & ſic deinceps. Vt ergo circumſtantiæ congruunt inſtrumentis, &c. ita etiam temporis circumſtantias probè conuenire volunt. Sed hæc dicentes ſeipſos produnt. Cum enim primi Parentes poma decerpſerint ex arbore, eáque comederint, ſequitur etiam matura fuiſſe. Vnde & Geneſ. 3. dicitur, Vidit mulier quòd bona eſſet arbor ad veſcendum, quodque deſiderabilis eſſet oculis, & concupiſcibilis eſſet arbor ad intelligendum. Quæro autem quo anni tempore poma matura ſint? certè non in vere, ſed autumno. Aliam deinde rationem Damaſcenus his verbis exponit: Per Solem; inquit, quatuor temporum verſiones 2.
immutationéſque conſtituuntur: primam autem eſſe vernam, in ipſa enim Deum feciſſe vniuerſa, &c. Sed eſt hæc principij petitio: de eo enim controuertitur, vernaléne an autumnale æquinoctium prius extiterit: certè autumnale primum fuiſſe veroſimilius eſt ex iis quæ modò diximus, & deinceps dicturi ſumus. Ad- 3.
dunt alij, Deum id tempus quo Mundum creârit, celebre feciſſe inſignibus miraculis & anniuerſarijs Feſtis. Nulla autem tempore plura feſta inſtituta & maiora miracula edita quàm in Vere. Pro confirmatione huius aiunt, hoc tempore Noam arcam ingreſſum eſſe, & Deum Mundum vniuerſum Diluuio delere incepiſſe: populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxiſſe, &c. Sed plura in autumno & quidem celeberrima Feſta, quàm in vere celebrata eſſe Dei iuſſu certum eſt.

Diluuium, quo tempore anni.

De Diluuio quod adducitur falſum eſt. Nam vernum tempus ad collectionem alimentorum, quæ pro ſe & cunctis animantibus in arcam deferre iuſſus erat Noa, non fuit idoneum, ſed potiùs meſſis & autumnus. Veris quoque & æſtatis tempora exiccandis aquis aptiora fuerunt, quàm autumnus & hyems tempora naturâ ſuâ humida & pluuia. Ad hæc, ſi Noa in autumno ex arca egreſſus eſt, potuit eo adhuc anno ſementis fieri, at ſi Diluuium cœpiſſet in Vere, duorum annorum fructus periiſſent: quia & Meſſis & ſementis tempore in arca Noa hæſiſſet. Adde quòd Moſes narrat, diluuium cœpiſſe 17. Die Menſis ſecundi: Die autem 17. menſis ſeptimi arcam reſediſſe ſuper montes Ararat. At illo tempore, quo facta hæc eſſe dicuntur, nulla mutatio temporis adhuc facta fuit, quàm ſub Moſe demùm factam ſuprà diximus: menſis igitur ſecundus tum temporis fuit, qui Bull, poſtea verò

M

Digitized by Google

Marcheſuan appellatus eſt, & Nanembri noſtro reſpandet: quad apertè atteſtatur Iaſephus lib. 1. Antiquit. cap 5. vbi Menſem Marcheſuan, qui Macedonibus Διῶ dicitur, diluuium cœpiſſe affirmat,

Rationes mūdum in autumno conditum.

Reſtat vt Mundum in autumno, non in vere conditum eſſe rationibus probemus. Fuit ea de re inter Iudaos, Rabbi Eleazarum & Rabbi Ichoſuam grauis contentia, quam narrat author libri Sader Olam. Docet autem id ſatis luculenter ipſa Creationis hiſtoria. Nam ita creata dicuntur herbæ, planta & arbores, vt licet recens natæ eſſent, ſemina tamen ſua & fructus ferrent in ſua perfectiane: Hac enim Deus ita eſſe vidiſſe & approbâſſe dicitur. Neque dubium alicui eſſe debet, quin fructus maturos creârit, quo homini alimenta ſuppeditarent. Dixi enim primis duabus Parentibus, Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemen, quæ eſt in ſuperficie vniuerſæ terræ, & omnem arborem, in qua eſt fructus ligni ſeminantis ſemen, vt ſint vobis in eſcam, &c. Hac autem non in vere, ſed in autumna plerunque & circa fiunt. Deinde lapſus primorum hominum, quod omnes circumſtantia manifeſtè docent, proximè creationem ſequutus eſt: poma autem quæ homini ad lapſum occaſionem prabaerunt, ſi ut diximus, non ante Menſem Auguſtum matura ſunt in ipſis quoque Orientalibus regionibus. Quod ſi verna tempore creatus eſſet homa, & integros quinque Menſes in perfectione & innocentia ſua perſtitiſſet, Caïnus certè in peccatis non eſſet conceptus. Iam enim illis dictum fuerat: Creſcite & multiplicamini, &c.

Mutatio temporis apud Iudaos in capite anni. Neomeniam menſis primi non ſemper celebrāt Iudæi nouiluniy die ob duas cauſas.

Non prætereunda hac loca videtur etiam illa mutatio temporis, quæ apud Iudaos in capite anni, hoc eſt, primâ die anni fiebat. Illud certum eſt, annum apud Iudaos inchaari à neomenia, & primâ Die Menſis eſſe neameniam debere. Neameniam autem primi Menſis Tiſri non ſemper celebrant Hebræi, eo die quo fit luminarium coniunctio: idque propter duas cauſas, Vna eſt legitima alia illegitima & contra legem excogitata. Legitima hæc eſt. Quoties neomenia prima aut alia quacunque habuerit vltra integras ferias plures quàm decem & octo horas, non ipſo Die ſeruatur, ſed in ſequentem transfertur: hoc eſt quoties luminarium media congreſſio fuerit ante meridiē, ſeruatur eâ Die neomenia, ſin verò minuto poſt meridiem, acciderit, transfertur in ſequentem Diem. Stultum enim eſſe
2. arbitrantur celebrare neameniam quando Luna in cœlo adhuc eſſet vetus, & nondum innouata. Alterà cauſa illegitima eſt: Verebantur enim,
2. ne, ſi in ipſa luminarium oppoſitione neomeniam primo Die primi Menſis celebrarent, ſemper dua Feſta interdum continuata ſint. Quia enim ad Luna motum ſecundum Dies Menſium Feſta legalia ſeruanda fuerunt, non ſemper in vnam eandémque Diem ſeptimana incidere poterant, ſed quotannis variabant, nunc in hanc, nunc in aliam Diem incidentes, quo factum eſt, vt ſapè duo Feſta concurrerent, Sabbathum nimirum hebdomadarium, & aliquod aliud ex Moſaïcis Feſtis ſecundariis. Sed hoc Iudæis duabus de cauſis incommodum viſum fuit. Primò ſi neomenia anni feriâ primâ hebdomada, hoc eſt, Die Dominicâ obſeruaretur, Feſtum Ramorum ſiue Palmarum, neceſſariò in Sabbatho accideret, in Sabbatho autem non licere ſibi exiſtimabant faſciculum portare, multóque minus genio indulgere & voluptatibus, quibus in Feſto Ramorum inueteratâ iam conſuetudine frui ſolebant. Etſi neomenia illa feriâ 4. aut 6. obſeruaretur, caderet Feſtum Propitiationis in feriam ſextam aut Dominicam Diem, & tunc cogerentur dua celebrare Feſta, Sabbathum hebdomadarium, & Feſtiuitatem Propitiationis quòd incommodiſſimum eſſet, propter mortuos ſepeliendos, & conſeruationem coctorum ciborum. Cibi enim feriâ quintâ cocti vix totum biduum à fœtore & putredine conſeruari poterant, & mortuos inhumatos duos dies domi habere incommodum & indecorum putabant, præſertim in Orientalibus & proinde calidis regionibus.

Neomenia primi menſis à Iudæis quomodo trāſlata ſæpè.

His incommodis vt occurrerent, & ne tam intempeſtiuè Legalia Feſta caderent, neomeniam primi Menſis transferebant nonnunquam. Nolebant enim aliis Diebus, quoad numerum Menſium, Feſta ſua celebrare, quàm in lege preſcribetur ſed tantùm aliâ feriâ. Quod quidem omnium commodiſſimè fieri potuit, primâ die anni in talem feriam tranſlatâ, quæ eiuſmodi incommodum nullum afferret. Statuiſſe hac dicitur Eleazarus quidam reliquis omnibus maior, & ordinaſſe, vt Feſtum Sortium nunquam obſeruetur feriâ 2. 4. 7. Paſcha nunquam feriâ 2. 4. aut 6. Pentecoſte nunquam feriâ 3. 5. aut 7. Tabernaculorum Solennitas nunquam feriâ 1. 4. & 6. Ieiunium Expiationis nunquam feriâ 1. 3. vel. 6. Principium anni nunquam feriâ 1. 4. & 6. Hac decretum poſt Babylonicum exilium & ſecundam Templi inſtaurationem factum aſſerunt Iudæi, annis 350. ante Chriſti Natiuitatem: & extat deſcriptum in libro Gamalielis Chriſti Diſcipuli, Pauli verò præceptoris, quem de Solis & Lunæ motibus, annique ratione compoſuit, vt Paulus Burgenſis in additione ad Liranum capitis 26. Matthæi, item Paulus à Middelburg Foroſempronienſis Epiſcopus lib. 3. de die Paſſionis Chriſti, & Munſterus in Calendaria Hebraica itémque in ſuis ad caput 26. Euangelii Matthæi Hebraïci Annotationibus referūt.

Eleazarus author tranſlationis neomeniæ primi menſis.

Tranſlatione neomeniæ primi menſis non opus fuiſſet.

Hac verò tranſlatione Feſtorum ob iſta incommoda nequaquam opus fuiſſet, ſi ad legem Dei attentè reſpexiſſent. Ibi enim labores qui iuxta legem in Sabbatho & magnis Solennitatibus

tibus fiebant à Sacerdotibus, non diſsimiles erant iſtis quos huic tranſlationi prætexunt,& tamen quia ad Religionem pertinebant, ijs non violabatur Sabbathum. Deinde is, qui Manna in ſexta feria collectum in primam vſque ſeruare potuit, duos integros Dies, quod vltro Diem naturalem alioquin non durabat: quique homines mortuos, quo minus putreſcerent aut fœterent ante Captiuitatem Babylonicam & hanc temporis mutationem conſeruare potuit, ille ipſe etiam poſt eam idem potuiſſet. Sed homunciones iſti plus ſapere volebant quàm Deus.

Hæc tamen mutatio temporis confirmatur eorum ſententiâ qui aſſerunt, Pentecoſten Iudæorum, eo tempore quo Seruator ſuis Diſcipulis Spiritum Sanctum miſit, celebratam primâ Die hebdomadæ: dicebat enim, vt quemadmodum Chriſtus ſuâ Reſurrectione Diem Dominicam Sanctificauit, ſic etiam Spiritus Sanctus ſuo aduentu eandem Diem nobis conſecraret & confirmaret: & propterea rectè à Chriſtianis hodie Die Dominicâ etiam celebrari eam Solennitatem. Nam ſi tempore Chriſti Paſcha tranſlatum fuit ex feria ſexta in ſeptimam, hoc eſt, Sabbathum, & manipulus ſpicarum oblatus fuit poſtridie eius diei, à quo quinquageſimus Dies Pentecoſtes numerabatur, præcisè Feſtum hoc in Diem Dominicam incidit. Quòd ſi verò tranſlatio nulla eſt facta, & Paſcha celebratum eſt feriâ ſextâ, in quam tempore Chriſti incidit, & faſciculus ſpicarum oblatus eſt in Sabbatho, ſequeretur Diem Pentecoſtes tunc etiam in Sabbathum incidiſſe, & à nobis quoque hodie eodem Die celebrandum.

Huic tranſlationi Neomeniæ Iudaicæ, ſimile quid factum apud Rom.

Huic verò tranſlationi Neomenia in capite anni apud Iudæos, non diſsimile quid factum apud Romanos. Nam, vt Macrobius lib. 1. Saturnal. refert: quoties incipiente anno, Dies cœpit qui adiectus eſſet Nundinis, omnis ille annus infauſtus caſibus luctuoſus fuit, maximèque Lepidiano tumultu opinio iſta firmata fuit. Nonis autem conuentus vniuerſæ multitudinis vitandus exiſtimabatur, quoniam populus Romanus exactis etiam Regibus, Diem hunc Nonarum maximè celebrabat: quem natalem Seruij Tullij exiſtimabant. Qui quum incertum eſſet, quo Menſe Seruius Tullius natus eſſet, Nonis tamen natum eſſe conſtaret, omnes Nonas celebri notitiâ frequentabant. Veriti ergo qui Diebus præerant, ne quid Nundinis collecta vniuerſitas ob Regis deſiderium nouaret, cauerunt vt Nonæ à Nundinis ſegregarentur. Vnde Dies ille, qui à Numa in honorem imparis numeri, anno adiectus & Ianuario additus fuit, quoque annus abundauit, eorum eſt permiſſus arbitrio, qui faſtis præerant, vt quum vellent intercalarent: dummodo eum in medio Terminaliorum, vel Menſis intercalaris ita locarent, vt à ſuſpecto die celebritatem auerterent Nundinarum.

Capvt II.

Sabbathorum & Feſtorum Iudaicorum Diuiſio.

Feriæ apud Iudæos ſtatiuæ. Feriarũ Iud. diſtinctio.

Feriorum autem apud Iudæos aliæ quidem fuerunt Statiuæ, *vniuerſo populo communes, quæ certo & conſtituto tempore fiebant. Eæ diſtinctæ fuerunt, primùm in Septimanas, quorum ſingulæ habebant Sabbathum, Diem nimirum ſeptimam, quam in Creatione Mundi cultui ſuo conſecrauit Deus.* 1. *Nec demonſtrari poteſt in Sacris literis Patriarchas & Populum Dei alias ferias præter hoc Sabbathum habuiſſe annis* 2. *circiter 2455. Deinde in Menſes: nam prima cuiuſque menſis Dies Sancta erat Domino: eas ferias appellârunt Neomenias ſiue Nouilunia.* 3. *Tertiò in anniuerſarias ſeu annuas ferias, quarum tres fuerunt præcipuæ, Paſcha, Pentecoſte & Septimi Menſis vel Tabernaculorum, ſub qua comprehendebantur etiam Feſta Tubarum, & Expiationis, quibus nonnulli tertiam annumerant, quam Concionem vel Celebritatem magnam vocant. His tribus Solennitatibus ac Feſtis, voluit Dominus totam gentem Iudaicam, primò ad Tabernaculum, deinde autem eo tranſlato ad Templum Hieroſolymitanum, tanquam ad ſuam eámque vnicam Parochiam, conuenire. Vnde ſic Moſes Deuter. 16. ait:* Tribus vicibus quotannis conſpicietur omnis maſculus tuus coram Iehoua Deo tuo, in loco quem elegerit: in Solennitate Infermentatorum, & in Solennitate Hebdomadum, & in Solennitate Tabernaculorum, *&c. Inſtitutum hoc fuit ſic, primò, vt Cultus Diuini & Fidei vnitatem ſeruare diſcerent Iſraelitæ. Cùm enim ex longinquis regionibus Hieroſolymam venirent, nec tamen ibi aliam quàm domi doctrinam audirent, mirificè in ea confirmabantur. Deinde, vt ea Sacra, quæ in tanto hominum conuentu fiebant, hoc eſſent auguſtiora & celebriora, ideoque etiam Deus maiore cum timore ac reuerentia coleretur, tum quoque, cùm domum reuerterentur. Tertiò, vt huiuſmodi Feſta ritè celebrantes, Sacris & delubris Dæmonum non delectarentur, ſed in Templo Creatoris, omnia bona ſuppeditantis, feſtina fruerentur Beatitudine: vt Theodoretus ſcribit in Exod. quæſt. 54. Adhæc adumbratus eo fuit Chriſtus. Quemadmodum enim in his Solennitatibus conueniebant ad vnum Templum, vnam Aram, vnum ſummum Pontificem: ita habere ſe declarabant eo ipſo vnicum Sacrificium, vnicum Mediatorem, vnicum Pontificem Ieſum Chriſtum, ad quem ſolùm confugere, & ab eo ſolo auxilium petere debeant. Etſi verò mares tantùm ad ſolennia hæc Feſta conuenire iubentur in lege, non tamen excluduntur fœminæ, quas etiam aſcendiſſe legimus. Noluit enim*

Trium ſolennitatum Iudaicarum cauſa.

Deus

Deus eas lege aliquâ adſtringere, qoòd multa impedimenta eſſent, ob qua aſcendere non poterant ſemper. Adde, quòd Hebræi dicunt, eos tantum lege hac comprehenſos inter mares quóque, qui maiores eſſent annis 20. & minores annis 50. reliquos omnes exemptos fuiſſe.

4\. *Quartò, etiam Statiuæ ſolennitates diſtincta erant in annorum ferias duas, quarum prima ſeptimo, altera quinquageſimo quoque anno celebratur: & hanc* annum Iubilæum, *illam verò* annum Semita, *hoc eſt, dimiſſionis nominârunt. Habent hæc Feſta omnia authorem ipſum Deum qui ea per Moſem Prophetam inſtituit, ſicuti de vnoquóque in ſequentibus demonſtrabitur.*

Feriæ conceptiuæ apud Iudæos.

Aliæ autem Iudæorum Feriæ fuerunt, Conceptiuæ: *quas propterea ſic appello, quòd eæ non diſertè à Deo præcepta, ſed ab Eccleſia receptæ eſſent ad gloriam Dei, & ad retinendam maximorum benefi iorum Dei memoriam. In horum Feſtorum Catalogo primum locum tenent quatuor illa* Ieiunia, *in memoriam calamitatum illarum, quæ eis à Babyloniis illatæ fuerant, inſtituta. Quibus eodem captiuitatis tempore acceſſit Ieiunium Heſteræ, & dies* Phurim, *id eſt, ſortium. Et quemadmodum, iuxta Dialecticorum regulam, vno inconuenienti dato, mox plura alia ſequuntur: ita quum, quoad Feſta, ſemel à verbo Dei receſſiſſent, progreſſu temporis aliquot ſuperſtitioſæ Feſtiuitates ab eis inſtitutæ ſunt, nimirum Feſta Ξυλοφορίας &* Encæniorum: *quibus poſteriores Iudæi ſecundi quoque menſis diem 23. quinimò dies* ſolſtitiorum *&* æquinoctiorum, *& diem quendam* Rogationis *adiecerunt: de quibus omnibus ſuo loco plura dicturi ſumus. Quo ipſo feriarum numerus, quem certum & definitum præſcripſerat Deus, humano arbitrio multiplicatus eſt. Fieri hoc cœpit circa Babylonicæ captiuitatis initia: quo tempore Pontificatus Iudaicus ab antiqua laude, virtute & pietate degenerauit quoque, vt Vrim & Thumim, perſpicuitas, veritas ac perfectio doctrinæ cæleſtis, in ſuperſtitionem & tyrannidem paulatim ceſſârint. Eodem etiam tempore Prophetia ceſſauit, Haggeo, Zachariâ & Malachia Prophetis mortuis. Mirum igitur nemini videri debet, Si hoc tempore zelo quidem bono, ſed imprudenti, aliquid ſit excogitatum & Eccleſiæ obtruſum, quod legibus Dei non eſt conſentaneum: quod ipſum quoque poſtea in Eccleſia Chriſti factum eſſe, rebus in ea ad ruinam vergentibus ſuo loco indicabitur.*

Feriarum numerus apud Iudæos quando multiplicare cœperit.

Hæc feriarum multiplicatio non probanda.

Hæc autem feriarum multiplicatio ſuperſtitioſa, & citra Dei mandatum facta probari non poteſt. Nam, vt præclarè Chryſoſtomus Orat. 1. contra Iudæos inquit, Quicquid fit iuxta Dei voluntatem, quamuis videatur improbum eſſe, tamen omninò Deo gratum eſt & acceptum: Contrà, quod fit præter Dei voluntatem, ac ſecus quàm ille vult fieri, quanquam exiſtimatur acceptum Deo, tamen eſt omnium peſſimum & iniquiſſimum. *Vnde & Ieiunia illa, quæ primò inter has ferias humanas inſtituta fuerunt, Zacharias Propheta cap. 7. Dei iuſſu reprehendit, & Deo celebrata eſſe negat. Apud Ieremiam quoque & Ezechielem non ſemel conqueritur, ſua Sabbatha ſuáſque leges negligi, & alia, quæ ipſe non præceperit, obſeruari.*

Cùm autem hæc ipſa Feſta ab hominibus quidem excogitata, ſed tamen in ſolius Dei honorem ac gloriam inſtituta, nihilominus ei diſplicuerunt, quid eum de his iudicare hodie cenſes, quæ & ab hominibus inuenta, & in creaturarum ſeu hominum mortuorum, non Dei, honorem inſtituta ſunt?

CAPVT III.

De Origine & Progreſſu Sabbathi diei apud Iudæos.

INter Feſta, Ferias, Dies Sanctos & Solennitates Iudæorum caput eſt, SABBATHVM, *vt Rab. Aben Ezra dicit in 23. cap. Leuit. & propterea de eo quoque primo loco dicemus.*

Sabbathi nomen vnde Plutarchus deriuet.

Quia Iudæi Sabbathis lautiùs viuere ſolebant, & hilaritatem quandam præ ſe ferre, quam Deus etiam lege præcepit: ideò Plutarchus Sabbathum à σαββάζειν deriuatum exiſtimauit: eſt enim σαβάζειν Barbaris, præſertim Phrygibus, exporrigere frontem, tripudiare, genialiter viuere, bacchari, ſeu more Bacchantium εὐάζειν ouare, à σαβάσιος quod Bacchum ſignificat, vel Bacchi filium, vt ex Amphitheo & Mnaſea Cælius Rhodig. indicat lib. 4. cap. 15. L. A. ab eiuſmodi Sabaſmis, & furioſis tripudiis ac ſaltationibus. Ac propterea eodem authore, à Iudæis in Sabbathis ſuis Bacchum coli ſolitum Plutarchus putauit, quòd eâ ſe die inuicem ad bibendum largiùs ſoliti eſſent inuitare. Verba Plutarchi lib. 4. Sympoſ. hæc ſunt: Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τοῦ σαββάτου ἑορτὴν μὴ κατὰ πᾶσαν ἀπροσδιόνυσον εἶναι, σάββους γὰρ καὶ νῦν πολλοὶ τοὺς βάκχους καλοῦσι. *Et mox:* αὐτοὶ δὲ τῷ λόγῳ μαρτυροῦσιν ὅτι σάββατον τιμῶσι, μάλιστα μὲν πίνειν καὶ οἰνοῦσθαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους. *Verùm etſi Sabbatho Iudæi progreſſu temporis ad omnem intemperantiam & laſciuiam abuſi ſint, vt non iniuriâ Feſtū aliquod Baccho eos celebrare Ethnici putârint, tamen à Deo nequaquam in hunc finem inſtitutum fuit, ſed potius vt eo cultui Diuino & rebus Sacris vacarent. ideóque cum Sabbis Bacchi Sacerdotibus & Menadibus, nihil cōmune habuit: nec Sabbathum à σαβάζειν deſluxit, ſed contrà σαβάζειν à Sabbatho deſcendiſ-*

ſe videri poteſt. Conſtat enim gentes æmulatas eſſe veram religionem & Dei cultum, adeóque res cum omnibus deprauâſſe.

Sabbathi nomen vnde Appion deriuet. Appion à σαββὼ, id eſt, liene ſeu ſplene Sabbathum deriuari aſſeruit, quòd Iudæi hoc die labore feſſi, & ſplenis dolore correpti fuiſſent, ſicut Gyraldus refert in libro de Annis & Menſibus.

Sabbathi nomen vnde Sypontinus deducat. Similiter & Sypontinus in huius vocis etymologia errauit, qui à Septenario numero Sabbathum à Iudæis dici exiſtimauit: apud eos enim Scheba ſeptem ſignificat. Sed apud Hebræos nulla eſt harum vocum cognatio, nam Schebàn ſeptem ſignificat: Schabat verò quietem, & propterea etiam non ab eadem radice deſcendunt.

Sabbathi vera etymologia. Vt igitur præcedente capite diximus, ab Hebræo verbo שבת deriuatur, quod quieſcere ſignificat, adeóque nomen שבת (vnde Schabat vel Schobothum) quietem, & diem quietis denotat.

Sabbathi nomen varia ſignificat in ſacris literis. Ob hanc autem ſignificationem, Sabbathi vox non vno modo in Sacris literis accipitur. Primo enim Septima quaque dies cuiúſque hebdomadæ, ab exordio mundi ad Moſis vſque tempora, ſola ſic appellata fuit, idque ab euentu, quòd illa Deus, abſolutâ rerum Creatione, ab operibus Creationis ceſſauit, voluítque vt ea deinceps quóque inter homines, in rei memoriam, quieti deſtinata eſſet, ſic vt non tantùm ad Dei imitationem ceſſatione ab omnibus operibus externis, corporeis & prophanis, ſed etiam cultûs Diuini exercitio ſanctiſſimè obſeruaretur. Sic enim legitur Gen. 2. Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere ſuo quod patrarat. Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. Poſt Moſis verò tempora dies quidem ſeptima nomen Sabbathi retinuit, ſed non ſola. Verùm de hac die paulò poſt plura.

Deinde verò, ob eandem cauſam Sabbathorum nomine intelliguntur omnia Feſta Solennia à Deo inſtituta, etiamſi in diem hanc ſeptimam non incidant, ſicut videre licet Ezech. 20. & 22. & 23. 1. Machab. 1. & 2. Machab. 6. aliíſque in locis. In iis enim perinde ac in Sabbatho ab operibus ſeruilibus ceſſare debebant, adeóque non minus dies quietis erant, quàm ſeptima hebdomadæ dies.

Tertiò, annus quiſque ſeptimus totus Sabbathum etiam appellatur, quòd Deus iuſſiſſet Iſraelitas in eo terram otioſam incultámque relinquere, vt ſuam quietem quoque habeat: ideóque Sabbathum terræ annus ille non immeritò dici potuit. Sic enim legitur Leuit. 25. Cùm veneritis in terram quam ego do vobis, quieſcet terra, & habebit Sabbathum Domini. Sex annis ſeminabis agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam & colliges fructum eius. In anno verò ſeptimo, Sabbathum quietis terræ erit, Sabbathum inquam Domini: agrum tuum non ſeminabis, & vineam tuam non putabis. Et iterum: Eritque Sabbathum terræ vobis in cibum: vbi Sabbathum vocat fructus Sabbathi, hoc eſt, ſeptimi anni. Vbi obiter notandum, ſeptimum hunc annum, qui hoc loco Sabbathum appellatur, & ſex præcedentes annos hebdomadam talem annorum ſcilicet, quæ ſeptem annos integros in ſe comprehendat, efficere, de qua Propheta Daniel. 9. cap. loquitur. De eodem Sabbatho ſic legitur 2. Paralip. 36. cap. Perficiet terra Sabbatha ſua cunctis diebus, quibus erit deſolata. Quæ verba ex 25. & 29. cap. Iere. deſumpta ſunt, quibus Deus ſic per Prophetam populum ſuum alloqui velle videtur: Cùm nolueritis ſeptimo anno, iuxta verbum meum, Sabbathum concedere terræ, ego ſanè ei dabo ſatis Sabbathorum, curabo enim vt longo tempore inculta iaceat, ſeptuaginta nimirum annis, quibus in Babylone eritis. Vnde Ioſephus lib. 14. Antiqu. cap. 19. hunc annum Sabbathicum vocat.

Quartò, Sabbathum in Feſto, quod non in vno ſed pluribus diebus peragebatur, peculiariter erat prima & vltima dies totius illius Feſti. Sic enim Moſes de Tabernaculorum Feſto Leuit. 23. loquens, ait: Die primo erit Sabbathum, & die octauo erit Sabbathum. Reliqui dies intermedij, non erant Sabbatha, ſed profeſti dies. *4. Explicatur locus Luc. 6.* Inde eſſe putant nonnulli, quòd Lucæ 6. cap. mentio fit δευτεροπρώτῳ σαββάτῳ ſecundo primi Sabbathi: hoc eſt, vltima illius diei, quæ vt ordine erat ſecundum aut poſterius Sabbathum, ita dignitate erat perinde primum aut ſummum, ſicut & prima dies totius Feſti: Vt igitur primus Solennitatis Paſchalis & Tabernaculorum dies, primum Sabbathum, ita vltimus, qui æquè celebris erat ſecundo primum dictum fuit, quaſi dicas primum ſecundario repetitum. Nam Matthæus & Marcus, qui eandem hiſtoriam cũ Luca deſcribunt pro δευτεροπρώτῳ σαββάτῳ, ipſi τῶν σαββάτων mentionem faciunt: In illo tempore, inquit Matthæus, ibat Ieſus, τοῖς σάββασι Sabbathis, per ſata: ita etiam Marcus cap. 2. *Sabbathum ſecundum primo quid.* Videntur itáque vltimam Feſtiuitatem Paſchatis ſignificare, hoc eſt, ſeptimum diem Azymorũ, eóque decerptas ſpicas, fortaſſis in eo itinere, quo Chriſtus à Feſto Paſchatis, cuius Ioannes meminit, ex Iudæa in Galilæam rediit. Nam ſecundo primo Feſti Tabernaculorum Sabbatho, nulla ſpica, nulláque ſeges, in vllo Iudææ agro reperiri potuit. Vt igitur ſummatim dicam, nominis δευτεροπρώτῳ prior pars ordinem aut tempus notat, & reſpicit ad illud prius ac ſummum Feſtũ: poſterior autem particula πρῶτον primum, ſignificat dignitatem, & reſpicit ad reliquas intermedias

medias dies inter quas iſta quoque vltima fuit primaria & ſumma ſeu celeberrima. Chryſoſtomus tamen putat, eam Feſtiuitatem, quæ proximè Sabbathum ſequuta fuiſſet, Sabbathum ſecundoprimum ab Euangeliſta vocari. Vnde Ambroſius annotauit, nouè dictum eſſe ſecundo-primum, pro eo quod eſt primo ſecundum: *vt ſit ſenſus, Dominum cum Diſcipulis per ſata ambulaſſe Sabbatho ſecundo Paſchatis poſt primum & ſolenne: & hæc quidem ſimpliciſsima videtur eſſe ſententia. Nec procul ab hac recentior Græcus Interpres diſtat, cuius verba hæc ſunt:* Οἱ Ἰουδαῖοι πᾶσαν ἑορτὴν σάββατον ὠνόμαζον· ἀνάπαυσις γὰρ τὸ σάββατον. Πολλάκις οὖν ἀπήντα ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ Παρασκευῇ, καὶ ἐκάλουν τὴν Παρασκευὴν σάββατον διὰ τὴν ἑορτήν· εἶτα τὸ κυρίως σάββατον ὠνόμαζον δευτερόπρωτον, ὡς δεύτερον ὂν προηγησαμένης ἄλλης ἑορτῆς, καὶ σαββάτου. *Hoc eſt*: Iudæi totum Feſtum Sabbathum vocabant, nam Sabbathum requiem ſonat. Sæpenumero igitur incidebat feſtum in Paraſceuen, & vocabant Paraſceuen Sabbathum propter feſtum. Itáque quod propriè Sabbathum erat, nominabant ſecundoprimum, quod ſecundum eſſet ab altero feſto. *Adſtipulari igitur videtur ſuperiori ſententiæ quod putat, Secundaprimum Sabbathum dici id, quod Sabbathum proximè præcedens proximè ſequatur. In eo tamen errat, quòd ait*, Paſchatis Feſtum ſæpenumero incidiſſe in Paraſceuen, *id eſt, ſextam feriam ſeu diem Veneris, vt hodiè loquimur: narrant enim Iudæorum Rabbini, vt ſuo loco pluribus indicabitur, à ſecundi templi reſtauratione, annis 350. ante Chriſti Natiuitatem, certas ob cauſas ab Eleazaro tunc ſummo Pontifice conſtitutum, ne Paſcha feriâ 2. 4. aut 6. celebretur. Sed longius à vero aberrat Hugo Carrenſis, qui ſecundo-primum Sabbathum dici autumat, quod à præcedenti proximum eſt: iuxta hanc enim ſententiam omnia Sabbatha* δευτερόπρωτα *eſſent præter primũ quo Deus in mundi exordio ab operibus Creationis ceſſauit. Sunt denique, qui Pentecoſtes Feſtum hoc nomine ab Euangeliſta intelligi exiſtimant, eò quòd ſecundum ſit poſt Paſcha primum & præcipuum omnium Feſtorum & Solennitatum. Deinde quòd putant, hoc alio tempore à Chriſti Diſcipulis fieri non potuiſſe quàm in ipſo Pentecoſtes Feſto, aut circa, alioquin nullas inueniſſent ſpicas. Sed ante & circa Pentecoſten nulla Feſta vel Sabbatha concurrunt, inter quæ hoc primum, illud ſecundũ dici poßit, niſi Paſcha: abſurdum autem putant dicere, Diſcipulos in Paſchate maturas & aridas ſpicas reperiſſe. Qui verò ita ſentiunt bis falli videntur. Primò quòd Pentecoſten ſic dici putant quum nomen hoc in veteri Teſtamento nuſquam ei detur. Deinde pro abſurdo ſumunt id quod nequoquam eſt. Palæſtina enim regio propè decem & octo gradibus longius quàm Germania noſtra, ab arcto ad auſtrum recedit, itaque meſſis multò citiùs venit quàm in his ſeptentrionalibus regionibus, videlicet intra Paſcha & Pentecoſten. Vnde & Leuit. 23 præcipitur*, vt alterâ die Paſchæ offeratur Domino Gomer, *id eſt, Menſura granorum, quæ ex nouis ſpicis excutiebantur, vel faſciculus ſiue manipulus nouarum ſpicarum. vt alij interpretantur. Hæc per digreſsionem datâ operâ pluribus dicere volui ad locum illum Lucæ 6. de Secundo primo Sabbatho, quòd admodum ſit obſcurus. Vnde & ipſe Nazianzenus, cùm interrogaretur ab Hieronymo quid ſibi vellet apud Lucam Sabbathum* δευτερόπρωτον, *nec (vt opinor) haberet in promptu quod reſponderet, ioco eluſit dixitque*: Docebo te apud populum, vbi acclamantibus & applaudentibus cunctis velis nolis cogeris aſſentiri nobis.

Quintò, nonnunquam Sabbathum per catachreſin pro tota hebdomada & cæteris diebus Sabbathum in hebdomada ſequentibus ponitur, vel συνεκδοχικῶς: *pars pro toto, quia in vnaquaque hebdomada Sabbathum eſt. Sic enim Leuit. 23. iubet Deus Iſraelitas numerare, à prima die oblatarum primitiorum in Paſchate, ſeptem Sabbatha, id eſt, hebdomadas ad Pentecoſtes feſtum. Ita & Lucæ 18. Phariſæus ille gloriatur, ſe ieiunare bis in Sabbatho, hoc eſt, in ſeptimana. Hinc etiam dies hebdomadæ diſtinguuntur inuicem in Sacris literis, per diſtantiam ipſorum à Sabbatho, addito numero diſtantiam ſignificante, vt cùm dicitur, primâ Sabbathi, ſecundâ, tertiâ Sabbathi, &c. id eſt primâ ſecundâ, &c. die hebdomadæ. Sic Matthæus 28. cap. loqui videtur, cùm inquit*: Serò autem, vel in extremo Sabbathorum illuſcente in primam Sabbathorum: *hoc eſt, deſinente iam vltimâ die prioris hebdomadæ, Sabbatho nimirum & ſeptimò die. & illuceſcente ſeu incipiente primâ die ſequentis hebdomadæ Marcus autem ſic habet*: Cùm præteriſſet Sabbathum, ſummo diluculo diei primi Sabbathorum veniunt ad monumentum: *id eſt, manè diei primæ hebdomadæ.* 5

Explicatur locus Luc. 18. & Mat. 28.

Sextò, eſt Sabbathum hebdomadarum annorum, Leuit. 25. deſcriptum, quod complectebatur 49. annos quo exeunte, erat Iubilæus. Sic enim præcipitur: Numerabis tibi ſeptem Sabbatha annorum, *id eſt, ſeptem annos ſeptem vicibus: qui quidem dies ſeptem Sabbathorum annorum, efficient tibi quadraginta nouem annos.* 6

Septimò etiam mentio fit Sabbathi magni, per quod intelliguntur tria illa Solenniſsima Feſta Iudæorum, Paſchæ Pentecoſte & Tabernaculorum ſolennitas. Sunt tamen qui hoc intelligant de duplicato Sabbatho, cùm nimirum dies Paſchæ incidebat in diem ſeptimam aut Sabbathi. Sic aliqui exponunt illud Ioannis 19. 7

Explicatur locus Ioan. 19

Erat enim mangus ille dies Sabbathi.

Octauò, Sabbathum etiam ſignificat in Sacris literis æternam quietem & beatitudinem in altera vita: vt eſt videre apud Praphetam Iſaïam cap. 66. & in epiſt. Pauli ad Hebr. cap. 4: Eſt enim ſignum & figura Sabbathum eius quietis, quâ electi in Regno cælorum perpetuò fruentur. Vnde Hayma ſuper 119. Pſalmum: Lex, *inquit*, æternam requiem non dabat, nec de ea agebat, ſed de ſignificatione illius quietis: & in hoc erat totus finis, quia lex præcipiebat in Sabbatho feriari, quod erat ſignum futuræ quietis. *Et Remigius in Pſalmum 91.* Quod, *inquit*, Sabbathum illud, quod Iudæis fuit iniunctum ad celebrandum, ſit ſignum futuræ requiei, notat liber Geneſeos, qui cùm præcedentes dies per manè & veſperè determinat, ſeptimam illam diem, videlicet Sabbathum, in quo Dominus ab opere requieuit per veſperum non determinauit. Quia requies illa quæ per hoc Sabbathum futura deſignatur, nullis tenebris obfuſcatur: ſed in puriſſima claritate æternaliter agitur. *Radulphus quoque Flauiacenſis*, Triplex, *ait*, eſt Sabbathi figura, nam in præſenti vita dupliciter obſervatur, in fortuna autem Sabbathorum Deo promittente ſperatur. Erit enim tunc Sabbathum ex Sabbatho: quia Sanctorum quies hic inchoatur, illic verò qualiber ex parte perficitur: *lib. 16. cap. 1. in Leuit. Et:* Sicut ſex diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo: ſicut Chriſtus ſextâ feriâ in cruce poſitus compleuit opus ſuum, dicens poſt propinatum acetum, Conſummatum eſt, Sabbatho autem quieuit in ſepulchro: ſic & iuſtis omnibus in mundo preſſura, in mundo labor indicitur: ſed poſt mundi finem, qui per ſex ætates quaſi per ſex dies paritur, in ſeptima eis requies perfecta ſervatur: *lib. 16. cap. 1. in Leuit. Hinc non immeritò Sabbathum internum & Spirituale vita æterna dici poteſt.*

Sabbathum hebdomadarium à quo inſtitutum.

His ita explicatis, deinceps de Sabbatho, vt primo loco accipitur, hoc eſt, de ſeptima quáque die hebdomada quieti & ceſſationi ab omnibus operibus deſtinata in Veteri Teſtamento, ſic agemus, vt à quo, quando, quid, quâ formâ & modo, denique in quem vſum & finem ea inſtituta ſit ordine dicturi ſimus. Quoad primum tenendum eſt, Sabbathum à Deo Opt. Max. inſtitutum, (Dei enim ſalius eſt Sabbatha inſtituere & abolere) non Moſis demùm temporibus in monte Sina, ſed in ipſa mundi origine & creatione. Inde enim nan dicitur in Decalogo: Sanctifica Sabbathum: ſed, Memento, *ſiue* recordare diei Sabbathi, vt ipſam ſanctifices: *quo vtique ſignificatur, vetuſtiſſimam eſſe Sabbathi inſtitutionem, iam olim Patribus traditam, nunc verò per Dominum de nouo populo Iſraelitico repetitam & lege inſtitutam. Rurſus manifeſtius antiquiſſimam obſervationem alleggans Dominus in eodem præcepto de Religione Sabbathi lato, dicit,* Quoniam ſex diebus fecit Iehova cœlum, & terram, mare & quæcunque ſunt in eis: & requievit die ſeptimo: idcirco benedixit Iehova diei Sabbathi, & Sanctificavit eum: *quæ verba habentur etiam in fine 2. cap. Gen. Deinde, cùm certum ſit, Patres illos primos à creato mundo cœtus Sacros & Sacrificia ſua habuiſſe, certa quoque tempora, quibus conuenirent, ipſos habuiſſe veriſimile eſt: quem autem diem potius delegiſſent, quàm hunc ipſum, quem à Deo Sanctificatum eſſe abſq; omni dubio ſciebant? Neque enim crediderim ego, ignoraſſe eos hanc Dei ſanctificationem, cùm hiſtoria Creationis mundi eis notiſſima fuerit. In hiſtoria quoq; diluuij columba ex arca emiſſa ſeptenario dierum interuallo Sabbathi ratione videntur. Præterea in deſerto, antequam ad montem Sina perueniſſent Iſraelitæ, & lex illa de Sanctificanda Sabbatho publicè ibi promulgata eſſet, Sabbathum ex mandato Dei obſeruarunt, ſicuti manifeſtiſſimè ex Manna hiſtoria colligitur quæ Exod. 16. cap. extat: vbi inter alia ſic loquitur Dominus,* Videte quòd Iehova poſuerit vobis Sabbathum, ideirco dat vobis die ſexto panem duorum dierum: maneat igitur quiſque apud ſe, & non egrediatur vllus de loco ſuo in die ſeptimo. *& addit ibidem Moſes,* quievisse populum die ſeptimo: & abſtinuiſſe à collectione Mannæ. *Vnde etiam Hebræi dicunt, Sabbathum eſſe fundamentum aliorum præceptorum, quòd ante alia præcepta hoc datum ſit, quando Manna acceperunt. Imò, vt ſuprà diximus, ante Moſem obſeruatum fuit: Tertullianus tamen aliter ſentire videtur. Sabbathum enim temporarium fuiſſe, & propterea abrogandum hoc argumento contra Iudæos probat, quòd vetuſtiſſimi & primi Patres Adam, Enoch, Noe, & Abraham non obſeruârint Sabbatha. Non tamen de omni obſeruatione loqui eum dicere poſſumus, ſed de illa rigida tantùm quietis & ceſſationis exactione, quam apud Iudæos in vſu fuiſſe ſcimus.*

Sabbathum hebdomadarium etiam ante Moſem fuit.

Sabbathum hebdomadarium habuerunt primi patres ſecundū Tertul.

Poſt exitum verò ex Ægypto publicè, & magna quidem cum ſolennitate in deſerto ad montem Sina Sabbathū à Deo inter prodigia maxima & ſtupenda, in concione omnium frequentiſſima hominū & Angelorum inſtitutum & mandatū, lexq; illa, ſicut & aliæ nouem, non in cereas ſed lapideas maximéque durabiles tabulas, non Moſis, quantúmvis ſanctiſſimi Prophetæ, vel alicuius Angeli excellentiſſimi, ſed ipſius Dei manu & digito Scripta, & tanquam theſaurus præſtantiſſimus in arcam repoſita eſt; ſicuti legitur

Sabbathum hebdomadarium quando primū lege mandatum.

Exodi 31. Et vix eſt alia in tota Sacra Scriptura, quæ ſæpius repetatur, frequentius vrgeatur ac diligentius inculcetur hac ipsâ lege: vt eſt videre Exod. 23. 31. 34. & 35. capitibus. Leuit. 19. 23. & 26. cap. Num. 15. Deut. 5.

Explicatio quarti præcepti decalog. *Mandauit autem hac lege Deus, vt ſeptima quæque dies eſſet Sancta, hoc eſt, quieti & ceſſationi ab omnibus operibus, otióque adeò Sacro deſtinata.* Sex, *inquit*, diebus operaberis, & facies opus tuum. At die ſeptimo Sabbathum, id eſt, quies, erit Iehouæ Deo tuo. *Rationem, ob quam ſeptima dies Sabbatho, hoc eſt, quieti Sacra conſecrata à Deo ſit, ex Aſtrologia petitam Philo affert, quam nos Philoſophis excutiendam relinquimus. Septenary quóque numeri myſteria hic nonnulli obſeruant:* Senarium, *inquiunt* perfectionem operum Dei indicare, quòd is numerus ex omnibus ſuis partibus conficiatur, ideóque perfectus ſit. *Citant etiam aliqui Heliæ, non Prophetæ illius Thesbitæ, ſed cuiuſdam Rabbini vetuſtiſſimi oraculum, in quo ſex mundi ætates, ſeu millenarij ſex conſtituuntur quibus mundus hic duraturus ſit & poſt eos æternum Sabbathum ſequuturum. Vnde & D. Auguſtinus in lib. de Catechiſandis rudibus cap. 17.* Sex, *ait*, diebus operatus eſt Deus, & ſeptimo requieuit, vt ſignificaret, quòd poſt ſex ætates mundi huius, ſeptimâ ætate, tanquam ſeptimo die requieturus eſſet in Sanctis ſuis. *Et Iſychius lib. 6. in cap. 23. Leuit.* ſeptimum diem Sabbathum Sabbathorum, & numerum ſeptenarium conſummationem temporum ſignificare dicit. *Et lib. 7. in 25. cap. Leuit.* Sex annis, *inquit*, ſerere noſtrum agrum, & plantare vineam, & colligere fructus, qui ex ea naſcantur, poſſumus: id eſt, vſquedum in vita hac viſibili ſumus, quam ſex dierum numerus rectè ſignificat: quia in ſex diebus conſtituta ſunt, quæ videntur omnia. Septimo autem anno Sabbathum & requies erit terræ. Quando enim intelligibile noſtrum venerit Sabbathum, id eſt, præſentis ſeculi requies, (de qua Paulus ait Hebr. 4. Ergo relinquitur Sabbatiſmus populo Dei, quem ſignat dies ſeptima, quia ſeptima die requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, videlicet viſibilibus) tunc operationis non eſt tempus: & ideò nec agrum legis tunc ſerere, nec Euangelicam vineam plantare poſſumus. *Et Rodulphus Flauiacenſis*, Iuſtis, *ait*, omnibus in mundo preſſura, in mundo labor indicitur: ſed poſt mundi finem, qui per ſex ætates, quaſi per ſex dies partitur, in ſeptima eis requies perfecta ſeruatur: *lib. 16. cap. 1. in Leuit.*

Verùm hæc & ſimilia, & ſi ſint pia & probabilia, tamen ſuperuacanea eſſe cenſeo hoc loco, cum in ipſa lege à Deo ratio huius numeri expreſſè appoſita ſit: Sex diebus, *inquit*, fecit Iehoua cœlum & terram mare & quæ ſunt in eis: & requieuit die ſeptimo: idcirco benedixit Iehoua diei Sabbathi, & ſanctificauit eum. *Hinc manifeſtè colligitur à Deo ſeptimam diem diuino cultui & ceſſationi ab operibus deſtinatam fuiſſe quod tota hæc mundi machina & omnis rerum vniuerſitas ſeptimo die abſoluta & perfecta eſſet, & Deus in eo quieuiſſet: Requies duo ſignificat, vel finem terminúmque actionis, vel refrigerium poſt laborem. Primo modo ceſsâſſe à labore Deus in lege hac dicitur: à creandi enim opificio quieuit, ſic vt nullas poſthac alias condiderit, aut conditurus ſit creaturas, quemadmodum illi falsò opinantur, qui plures mundos poſt hunc noſtrum, & neſcio quæ alia expectant. Alioquin* pater operatur vſque adhuc, *Chriſto teſte Ioan. 5. & omnia à ſe condita fideliſſimè regit atque conſeruat*, quia in ipſo viuimus, mouemur & ſumus: *Actor. 17. Vnde Auguſtinus mox ab initio lib. 1. de Mirabilibus Sacræ ſcripturæ*, Deus, *inquit*, in die ſexto omnia perfecit, vt in die ſeptimo non à labore, ſed ab opere videatur ceſsâſſe. In die enim ſexto creaturæ naturas perfecit, quas gubernare etiam nunc non deſinit: & in die ſeptimo requieuit ab opere Creationis, qui nunquam ceſſat à gubernationis regimine. Tunc ergo Creator, nunc Gubernator Deus intelligendus eſt: ac per hoc etiam ſi noui aliquid in creaturis exoriri videamus, non creare ibi nouam naturam, ſed gubernare olim creatam Deus putandus eſt. Sed ita potens eſt in gubernatione creaturæ qui condidit, vt veluti naturam nouam creare videatur, cùm ex abditis naturæ finibus, quod in illa latebat, depromit. *Vide eundem in Euangel. Ioannis Tractatu 20. Et contra Adimantum cap. 2. ait:* De eo quod ſcriptum eſt, conſummauit Deus die ſexto omnia opera ſua quæ fecit, & in ſeptimo requieuit ab omnibus operibus eiſdem quæ fecerat, Manichæi calumniam mouent, & dicunt nouo Teſtamento aduerſari, in quo Dominus dicat, Pater meus vſque nunc operatur. Sed nullo modo contrarium eſt: Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum ſic requieuiſſe die ſeptimo, vt ex illo prorſus nihil operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, vt iam vltra non faceret mundum cum omnibus quæ in eo ſunt: non tamen vt etiam à mundi adminiſtratione requieſceret. Non enim ſcriptum eſt, requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, vt deinceps non operaretur: ſed ſcriptum eſt, requieuit ab omnibus operibus ſuis quæ fecit: vt deinde non in facien- *Explicatur locus Ioan. 5.*

do mundo; à quo opere poſt perfectionem ceſſauerat, ſed in adminiſtrando operatur, in quo opere eum eſſe Dominus intimauit. Nec illa requies, quaſi poſt laborem Deum pauſam quæſiiſſe, ſed ab inſtituendis rerum naturis poſt earum rerum perfectionem ceſſâſſe ſignificat, quamuis vſque adhuc in adminiſtrandis operetur, *&c. Ex quibus error ſimul deprehenditur Iuſtini, Taciti & aliorum, qui indicârunt, Sabbathũ à Moſe habuiſſe initium, quem referunt, quum ſeptem dierũ ieiunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus ad montem Sinai veniſſet, ſeptimum diem in omne æuum ieiunio & quieti deſtinâſſe, quòd illa dies famem eius errorémq; finiiſſet.*

Iuſtini & Taciti error.

Quid per ſeptimam diem in decalogo intelligatur. Sabbathum hebdomadarium Iud. vt abrogatum.

Intelligunt autem plerique in quarto præcepto decalogi per ſeptimam diem, hanc ſeptimam quâ nimirum Deus ceſſauit ab operibus, eámque ſeptimæ diei definitionem in lege hac rem eſſe ceremonialem Auguſtinum epiſtola 119. *ad Ianuarium & alios Patres docuiſſe volunt, ideóque abrogatam. Qua de re Thomas quoque de Aquino Secundâ* 2. *quæſt.* 122. *artic.* 4. *ad hunc modum ſcribit.* Præceptum, *inquit*, de Sanctificatione Sabbathi literaliter intellectum, eſt partim morale, partim autem ceremoniale. Morale quidẽ, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquot tempus vitæ ſuæ ad vacandum Diuinis. Ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei neceſſariæ deputet aliquod tempus: ſicut corporali refectioni, ſomno & aliis huiuſmodi. Vnde etiam ſpirituali refectioni, quâ mens hominis in Deo reficitur, ſecundùm dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputet homo: & ſic, habere aliquod tempus deputatum ad vacandum Diuinis, cadit ſub præcepto morali: ſed quantum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus in ſignum Creationis mundi, ſic eſt præceptum ceremoniale. Sic etiam ceremoniale eſt ſecundùm allegoricam ſignificationem, prout fiat ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fiat ſeptimâ die: & ſimiliter ſecundùm moralem ſignificationem, prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo, & ſecundum hoc quodammodo eſt præceptum generale. Similiter etiam ceremoniale eſt ſecundùm ſignificationem anagogicam, prout ſcilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de ſanctificatione Sabbathi ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum eſt præceptum morale, non in quantum eſt ceremoniale. *Hæc Thomas. Sic etiam dicunt in aliis præceptis & ceremoniis veteris Teſtamenti aliquid eſſe perpetuum & æternum: aliquid verò mutabile & temporarium. In Circumciſione perpetuum eſſe debuit, vt qui ad fœdus Dei pertinerent, ſigno aliquo notarentur externo: mutabile autem ac temporarium fuit genus ſigni, nimirum præputij abſciſsio. Similiter perpetuum & æternum eſt, vt quandiu mundus hic durat, Eccleſiarum Miniſtris victus detur: vtrum verò ex decimis, vel aliunde id fiat, pro regionum & temporum conditione ſtatui poteſt. Ita vt vnus aliquis & certus dies in vnaquaq; hebdomada cultui Diuino deſtinetur fixum ac ratum eſſe debere ad finem vſque mundi: quod verò hic in lege conſtituatur, temporarium eſſe. Ex quibus omnibus colligunt, taxationem tantùm (vt Scholaſtici Doctores loquuntur) huius ſeptimæ diei in lege iſta Dei abrogatam eſſe.*

Aliis contrà videtur hâc ſententiâ ceremoniis in decalogum feneſtram ſeu ianuam aperiri quæ certè ſi pateret, mox etiam leges de Idolis, honore parentibus debito, matrimonio, cæde furtis & rapinis in typos & vmbras reſoluendi improbis hominibus anſam & occaſionem daret. Voluit igitur legem hanc non ſeptimam à mundi exordio diem, ſed è ſeptem diebus vnam, earúmque poſtremam, nullo termino calculi adhibito, cultui Diuino conſecrare, & nulla opera certa à quibus hac abſtinendum ſic definire: Moſem autem ad ſeptimam ab initio mundi diem ſacrum hoc tẽpus tranſtuliſſe, & certa opera eaq; ſtrictim hac die cauenda determinâſſe, Exod. 23.12. *Et hæc ceremonialia Chriſtum ſuſtuliſſe dicunt. Quòd verò ad Auguſtinum aliosq; Patres attinet, reſpondent, illos non de quarti præcepti verbis ſed eius Moſaica interpretatione, &, vt paucis dicam, de Iudaico Sabbatho loqui.*

Siue autem Deus ipſe in lege hanc ſeptimam à mundi Creatione diem definierit, ſiue Moſes poſtea interpretatione ſuâ id demum conſtituerit, certum tamen eſt ex Paulo, diſcrimina iſta dierum, quæ à Iudæis obſeruata, aduentu Chriſti abrogata eſſe, & nominatim Sabbatha Moſaica, ſicut docet Rom. 14. *Gal.* 4. *Col.* 2.

Petrus Alphonſus ex Iudæo Chriſtianus factus anno Chriſti 1106. *hâc ratione probare conatur in Dialogo contra Iudæos tit.* 12. *Sabbathum Iudæorum & ſeptimæ illius diei obſeruationem abolitam, quòd dicit, fuiſſe typum & figuram Paſsionis Dominicæ: inde ſic argumentatur. Aduentus Chriſti, qui omnia opera ſua, quæ in mundo viuens patrauit, ſexto die, id eſt, die Veneris compleuit, quando pro nobis mortem ſuſcepit. Die autem ſeptimo, id eſt, die Sabbathi quieuit: quin & omnes, qui ante mortem ſuam in ſe credentes, ſecum ab inferni doloribus requieſcere fecit. Completo autem illo, cuius obſeruatio Sabbathi ſignum fuit, iam illud vlterà obſeruari neceſſe non fuit.*

Rationes eorũ qui volũt ſabbathum Iudæorũ etiam in

Fuerunt tamen nonnulli Patrum noſtrorum memoriâ qui voluerunt Sabbathum Moſaicum nunc quoq; in Chriſtiana Religione obſeruandũ eſſe,

Nouo Teſtamento obſeruãdum. *eſſe, quos* Sabbatharios *propterea nominarunt. Vt autem ita ſentiant his ſe moueri rationibus dixerunt.*

1. *Primò, quòd Sabbathi obſeruatio pertineat ad legem moralem: Decalogum enim, in quo Sabbathum præcipitur, ſummam eſſe legis moralis. Quemadmodum igitur reliquæ Decalogi leges omnes ad nos pertineant, quum lex naturæ ad informandos mores omnibus ac ſingulis ſit propoſita: ſic etiam Sabbathi obſeruationem tanquam rem moralem ad cunctos pertinere.*

2. *Deinde aiunt, Ceremonias, per Moſem inſtitutas, ſolùm abolitas eſſe: Sabbathum autem non per Moſem inſtitutum, ſed ab origine mundi ſanctificatum eſſe, ideóque non abolitum.*

3. *Tertiò, beneficium Creationis Mundi ad omnes homines, tam ad Chriſtianos quàm Iudæos, & ad omnes hominum ætates pertinere, adeóque figuram, ad eius memoriam inter homines conſeruandam, inſtitutam, ab omnibus ſeruandam. Eſſe autem aliam rationem Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum Feſtiuitatum: his enim diebus Feſtis commemorari ea beneficia, quæ Deus peculiariter Iſraelitico populo exhibuit, hoc autem non eſſe tale beneficium ſingulare, quod tantùm ad Iſraelitas pertineat.*

4. *Quartò, Sabbathum nominari à Deo pactum,* עולם Olam, *id eſt, perpetuum: Ita enim Exodi 31. legitur:* Et cuſtodient filij Iſrael Sabbathum, vt faciant Sabbathum in generationibus ſuis pacto ſeculi, &c.

5. *Quintò dicunt: eundem eſſe Sabbathiſmum ſpiritualem Veteris & Noui Teſtamenti, ideóque idem Sabbathum etiam vtriúſque eſſe debere.*

6. *Sextò obijciunt, eſſe quendam fluuium, qui per totam hebdomadam lapides trahat, & in Sabbatho quieſcat, vnde & Sabbathicum appellatum eſſe volunt. Atque hinc argumentum colligunt, adhuc hodiè Sabbathum Iudaicum obſeruandum.*

1. Reſponſio ad Sabbatariorũ rationes *Sed rationibus his nequaquam id quod volunt, efficiunt. Ad primum argumentum paulò ante reſpondimus.*

2. *Ad ſecundum quod attinet, dicimus, falsò ab illis ſumi, eas tantùm Ceremonias abrogatas, quæ Moſis demùm tempore inſtitutæ ſint. Sacrificia enim pecorum iam inde à Mundi origine à Sanctis Patribus vſurpata fuerunt, ea tamen Chriſti aduentu ſublata ſunt. Lex de ſuffocato & ſanguine poſt diluuium demùm data, hodiè in vſu non eſt. Circumciſio Abrahami temporibus inſtituta fuit, ſed illam in vſu eſſe non debere in Nouo Teſtamento Paulus non vno in loco grauiſſimè docet. Deinde, quod in minori dicunt, Sabbathum ſanctificatum à condito mundo, verum quidem eſt: ſed Patres ante legem idcirco Sabbathum obſeruâſſe ex ſcripto Dei verbo probari non poteſt, imò apertè id negat Tertullianus, vt ſuprà diximus: & Iudæi ipſi, licèt Sabbathum ſuperſtitioſiſſimè obſeruârint, tamen in minori expoſitione in Geneſim arbitrantur, Abrahamum non obſeruâſſe Sabbathum: de quo tamen nolim ego cum quoquam odioſius contendere.*

3. *Ad tertium reſpondemus, non minus falſum eſſe quod dicunt, Figuras & Symbola earum rerũ quarum cognitio neceſſaria eſt, ſeruanda eſſe. Quæcunque enim per Veteris Teſtamenti Ceremonias adumbrata fuerunt, nobis cognitu neceſſaria ſunt, & quidem ad vitam æternam, Sic Circumciſio figura fuit impuræ & corruptæ noſtræ naturæ, atque iccirco omnes homines putatione & Regeneratione opus habere admonuit, quæ nobis in Chriſto Ieſu obtingat: Agnus Paſchalis typus fuit Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, vnde & Ioãnes Baptiſta eum vocat* Agnum Dei, tollentem peccata mundi. *Eadem ratio eſt reliquarum Ceremoniarum penè omnium. Non enim verum eſt quod dicunt, eas ſymbola fuiſſe eorum tantùm beneficiorum quæ Deus Iſraelitico populo peculiariter præſtitit: nam ſimul quoque rerum futurarum typi & vmbræ fuerunt.*

Quarto argumento ineſt vitium æquiuocationis. Monet enim Rabbi Moſes, vocem Hebraam עולם Olam, *quàm aliâs ſeculum, aliâs perpetuum, aliâs æternum vertunt, non ſemper ſignificare durationem omni fine carentem, ſed interdum longum tempus, nonnunquam etiam durationem iuſtam ac debitam illi rei de qua agitur. Sic ſæpè aliqua in Sacris literis promittuntur* לעלם Leolam, *in ſeculum aut perpetuum, quæ tamen certo tempore deſierunt. De Circumciſione Geneſ. 17. dicitur,* Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus perpetuum. *De poſſeſſione terræ Chanaan ibidem dicitur,* Dabo tibi & ſemini tuo poſt te, terram peregrinationum tuarum, nempe totam terram Chanaan in poſſeſſionem perpetuam: *ex qua tamen certo tempore eiecti & exturbati fuerunt: Exod. 21. dicitur,* Seruiet ei in perpetuum, *id eſt, vſque ad mortem & Iubileum. De Sacerdotio Leuitico in eodem lib. cap. 29. dicitur,* Erit eis Sacerdotium in ſtatutum perpetuum. *Pſal. 89. Dominus promittit Dauidi:* In perpetuum firmabo ſemen tuum, ædificabo in generatione & generationem ſolium tuum: *Dauidis autem Regnum & poſteritas deſiit, niſi quòd poſtea ſpiritualiter in Meſſiam translatum eſt. Ita etiam Eleazaro & eius poſteris promittitur perpetuum Sacerdotium, quibus id tamen Solomon abſtulit.* 4. Olam quid Heb ſignificat.

D. Auguſtinus in quæſt. ſuper Exodum, quæſt. 43. explicans præceptum illud, Facietis diem hunc in progenies veſtras, legitimum æternum, *&c. adhuc ita reſpondet.* Hoc, *inquit,* non ſic accipiendum eſt, tanquam poſſit iſtorum prætereuntium dies eſſe vllus æternus: ſed illud æternum eſt, quod iſte

ſignificat dies: velut cum dicimus ipſum Deum æternum non vtique iſtas duas ſyllabas DE, VS æternas dicimus, ſed quod ſignificant. Et diligenter ſcrutandum eſt, quomodo appellare Scriptura ſoleat æternum, ne forte ita dixerit ſolenniter æternum, quem nefas habeant prætermittere, aut ſuâ ſponte mutare. Aliud eſt enim quod præcipitur quouſque fiat, ſicut præceptum eſt, vt ſepties muros Hiericho circumitet arca. Aliud cùm præcipitur ſic obſeruari aliquid, vt nullus terminus præfiniatur obſeruationis, ſiue quotidie, ſiue per menſes, ſiue per annos ſolenniter, ſiue per multorum vel aliquorum annorum certa interualla. Aut ergo ſic appellauit æternum, quòd non ſuâ ſponte audeant definere celebrare: aut, ſicut dixi, vt non ipſa ſigna rerum, ſed res quę iis ſignificantur æternæ intelligantur. *Quibus etiam hoc adiicere poſſumus, ea præcepta Decalogi quæ cum negatione efferuntur, nunquam vllam admittere exceptionem, ſed obſtringere omnes, & in omne tempus: ea verò quæ ſine negatione efferuntur, exceptionem pati: licèt enim obligent omnes, non tamen in omne tempus. Sunt autem duo abſque negatione enunciata: alterum de ſanctificando Sabbatho, de quo hic agimus: alterum de honorandis parentibus.*

5. *Quinta etiam rationis conſequentia falſa eſt. Non enim à reipſa ad typum argumentari licèt. Vnus Chriſtus, vna eadémque Redemptio eſt Veteris & Noui Teſtamenti, at non ſequitur propterea, eadem externa ſymbola in vtroque Teſtamento eſſe debere, quibus adumbrantur.*

6. *De fluuio Sabbathico.*

Ad vltimum argumentum audiamus quid P. Galatinus reſpondeat, qui libro 1. cap. 9. ita ſcribit: Quemadmodum fluvius ille fictus obſeruandi Sabbathi ſignum fuit, cùm in tota hebdomada lapides trahendo flueret, & in Sabbathis quieſceret, vt ipſi fabulantur: ita quoque nunc eſt Sabbathi non obſeruandi efficax contra eos argumentum. Cùm nuſquam ſub cœlo ſit nunc fluvius, qui magis in Sabbathis, quàm cæteris diebus quieſcat. Per vniuerſum namque orbem mercatores diſcurrunt, qui ſicuti ab extremis terris aduehunt medicinalia, variaque pigmenta: ita tantùm, quid ſi verum eſſet, ſibi inuicem narrarent. *Quod verò ex Ioſepho libro 7. cap. 24. de iſto fluuio adducitur, vbi ſic ſcribit:* Titus aliquandiu quidem Berithi commorabatur: Indè autem reuerſus, & per omnes, quas obiret Syrię ciuitates magnificentiſſima celebrans ſpectacula, Iudæorum captiuis ad oſtentationem cladis eorum abutebatur. Conſpicit autem in itinere fluvium cognitione digniſſimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates. Habet quoddam peculiare miraculum. Nam cùm ſit, quando fluit plurimus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nullâ mutatione factâ ſeptimo die ſimilis exoritur, atque hunc ordinem ſemper eum obſeruare pro certo compertum eſt. Vnde etiam Sabbathicus appellatus eſt, à Sacro Iudæorum ſeptimo die ſic nominatus. *Hæc Ioſephus. Similiter & quod Plinius libro 31. de naturali hiſt. cap. 2. de hoc fluuio meminit, ſic dicens:* In Iudęa fluvius Sabbathis omnibus ſiccatur. *Ad hæc inquam omnia, Galatinus ita reſpondet:* Fateor quidem tunc ejuſmodi fluvium extitiſſe. Nunc autem nemo eſt, qui ipſum vel vidiſſe ſe dicat, vel ab aliquo viſum fuiſſe, referat. Quare iſtiuſmodi fluvium dicere nunc eſſe, & figmentum & mendacium meritò dicendum eſt. Neque etiam Ioſephus, neque Plinius dicunt, eum in Sabbathis quieuiſſe, vt iſti afferunt. Sed quo futuram Sabbathi defectionem & ſectionem portendebat, quòd ſcilicet illo die vlterius venerandum non eſſet.

Sabbathum hebdomadarium quieti deſtinatum.

Igitur ſeptima hebdomada Dies, ſicut diximus, quieti & ceſſationi ab omnibus operibus à Deo eſt conſecrata. Vnde in lege dicit: Non facies vllum opus neque tu, neque filius tuus, neque filia tua, neque ſervus tuus, neque ancilla tua neque jumentum tuum, neque peregrinus tuus, qui eſt in portis tuis.

Superſtitioſa Iudæorũ Sabbathi obſeruatio.

Quæ verba Iudæi poſteriores ad literam accipientes, ſuperſtitioſiſſimè Sabbathum obſeruarunt. Quum enim Antiochi Epiphanis milites Iudæos, qui in montium latebras confugerant, & Regis mandato obedire recuſárant, aggreſſi eſſent Die Sabbathi, ita vt erant in ſpeluncis exuſſerunt, non repugnantes, ac ne aditus quidem ſpeluncarum obturantes. Propter religionem enim dici repugnare nolebant, ne in aduerſitatibus quidem violarent Sabbathum, quando lex iubet feriari ab omni opere. *Itáque perierunt, cũ vxoribus & liberis ſuffocati in ſpeluncis circiter mille. Elapſos autem cum reliquis Iudæis Matathias Sacerdos, Iudæ Machabæi pater, monuit pugnandum etiam Sabbathis, ſin minus, ipſos ſibi futuros exitio, hoſtibus eam occaſionem obſeruantibus, & non niſi Sabbatho eos aggredientibus: atque ita fore, vt vel ſine certamine omnes facilè opprimantur. Refert. Ioſephus lib. 12. cap. 7 Antiquit. vbi porrò indicat, hac admonitione effeciſſe Matathiam, vt ad ſua vſque tempora mos hic perdurarit, vt ſi neceſſitas poſtulâſſet, etiam Sabbatho pugnarint. In eo tamen hallucinatur Ioſephus: Nam quum Pompeius M. Hieroſolymam graui obſidione cingeret, & videret vrbem difficulter expugnari poſſe, obſerua-*

obſeruauit diem Sabbathi; quem ſanctiſſimè iuxta legem obſeruare Iudæos ſciebat. Itaque ſemel iterumque eo die aggreſſus eſt. Quamvis autem intelligerent Iudæi, id fuco hoſtis fieri, vrbem tamen direptam hoſti tradere, quàm ſuperſtitioſam Sabbathi religionem negligere maluerunt, eadem Ioſepho authore libro 14. cap. 8. & Dione Nicæo in Pompeia. Progreſſu etiam temporis ſuperſtitio ita inualuit, vt ſcelus vix veniâ dignum putârint, ſi quis Sabbatho vel pomum igni admouiſſet, vel herbam calcando euulſiſſet, vel arborem ſcandendo ramum fregiſſet, vel etiam ſalientem pulicem cepiſſet. Diuus Auguſtinus libro 6. contra Fauſtum Manichæum cap. 4. indicat, Iudæos Sabbatho ſuo, non ſolùm in agro fructum nullum decerpere, ſed nec in domo concidere aut coquere. Certas quoque Rabbini eorum fixerunt metas, quas deambulando Sabbathis tranſire non licuit. Ea fuerunt, teſte Origine Peri Archon. lib. 4. ſpacium bis mille vlnarum ſeu paſſuum, quod vulgò iter Sabbathi vocârunt. Qua de re & Eraſmus in ſuis ad cap. 1. Actor. Annotationibus ad hunc modum ſcribit: Lucas, *inquit*, hîc per iter Sabbathi intelligit ſpacium bis mille paſſuum. Longius iter facere Iudæis fas non erat Sabbathis. Hoc enim indicat Hieronymus quoque ſcribens ad Algaſiam quæſt. 10. nimirum Iudæis religiosè obſeruatum, ne Sabbathis ambularent ſupra bis mille paſſus, ex inſtitutione Barachibæ, Simeonis & Hellis Rabbinorum, quos illi Magiſtros noſtros vocare ſoliti ſunt, vt inibi docet Hieronymus, & Anſhelmus Cantuarienſis in 2. cap. Coloſſ. *Præterea apud Ioannem cap. 11. legitur*, Bethaniam abfuiſſe ab Hieroſolymis ſtadiis fermè quindecim. *Ea conficiunt paulò minus quàm paſſuum duo millia. Erat autem Bethania in latere montis Oliueti. Teſtatur idem Chryſoſtomus in enarratione conuiuij Simonis leproſi. Proinde mirandum, vnde Lyranus cæteríque recentiores Interpretes dicant, iter Sabbathi non plus habere quàm mille paſſus: niſi fortè ſit vitium typographicum Doſitheus Samaritanus in eãdem ſententiam docuit, quemcunque in eo veſtitus genere, loco, ſede, quâ Sabbathum deprehendiſſet eum permanere debere immotum: propterea quòd ſcriptum ſit*, vt diebus Sabbathi ſedeat vnuſquiſque in domo ſua, & non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat. *Ex Euangelica hiſtoria patet etiam, Phariſæos violari Sabbathi accuſâſſe tum Apoſtolos, ob ſpicas die Sabbathi auulſas & manibus contritas, tum ipſum Chriſtum quoque, quod illo ipſa die ægrotos ſanâſſet. Ioſephus libro 2. cap. 7. belli Iudaici de Eſſenis, Iudæorum ſecta, ſcribit, quòd Sabbathis operationem aliquam contigiſſe, omnibus Iudæis diligentiſſimè interdicant: neque cibum ſolùm pridiè præparare ſibi, ne videlicet illo die ignem accendere oporteat: ſed neque vas aliquod tranſponere audere, imò nec aluum purgare.*

Durauit hæc ſuperſtitia apud infelicem gentem adhuc circa annos à nato Chriſto 1270. Cùm enim Magdeburgi Iudæus quidam in cloacam decidiſſet, Iudæi tanti fecerunt, ex veteri illa ſuperſtitione, Sabbathum ſuum, vt ipſum eo die extrahere nollent. Re verò delatâ ad Conradum eius vrbis Epiſcopum, dixiſſe illum aiunt, Cùm Iudæi tanti faciant ſuum Sabbathum, vt hominem ſuæ Religionis ex cloaca extrahere nolint, ergo etiam nos Chriſtiani noſtrum Sabbathum tanti faciamus. Mandauit itaq; capitali ipſis interminatâ pœnâ, ne ſequente Dominico die extraheretur Iudæus, & tertio demum die extractus eſt: vt indicat Chron. Magdeburg. Cranzius lib. 8. cap. 33. Metrop. Simile quiddam accidit anno Chriſti 1229. Teukſburi: quum enim Iudæus in foricam itidem delapſus eſſet, extrahi noluit ſuperſtitioſiſſimus homo ob dies Religioſam obſeruationem. Cùm igitur Richardus de Clara Comes Glauerniæ id cognouiſſet, etiam ſequente Dominico die fieri illud prohibuit, miſer verò ille vel frigore vel fœtore extinctus fuit, Ranulpho teſte lib. 7. cap. 37. in Polychronico & Volaterano lib. 3. Geographia.

De hac ſuperſtitioſa Sabbathi obſeruatione apud Iudæos, extat in Talmudd prolixus tractatus, ſuper quo doctiſſimi eorum Rabbini commentati ſunt plurima, ex quibus paucula quædam hoc loco referam, vt homines iſtos verè excæcatos & induratos eſſe Lector intelligat. Et primò quidem quod ad bruta animalia attinet, quum Deus in lege ſua præcipiat, vt non homines ſolùm, ſed etiam bruta animalia Sabbatho quieſcant, Rabbini diſputant, quouſque brutum aliquod, videlicet, equus, aſinus, &c. hoc die progredi debeat? item, an & quid portare debeat? Omnium ſententia hæc eſt: Animal nullum Sabbatho ex ædibus egrediatur, quod plus geſtet, quàm quo ſaltem duci, retardari, & in poteſtate ſeruari poſſit. Sic equus vel aſinus è domini ſui ſtabulo exiens, frenum, habenam, capiſtrum, nec aliud quicquam portet, &c. Equo ſellam imponere vetitum eſt: Hominem vel aliud onus non portabit. Quod ſi quis die Sabbathi cum equo vel aſino domum reuertatur, vel ad hoſpitem aliquem diuertat, tum quidem clitellas ſoluere licet, deponere verò non licet. Si verò equus vel aſinus clitellas excutiat, tunc ille cuius ſunt excuſatus eſt. Si quis equum habenâ ducat, diligenter attendat, ne ligulam extra manum vltra manûs latitudinem propendere ſinat. Cauebit etiam, ne inter manum & equum ligula eadem nimium propendeat. Id enim ſi fieret, ducens equum non videretur equum ducere ſed habenam portare: atqui Sabbatho vel tantillum portare

peccatum

peccatum eſt. Gallinam Sabbatho panniculo vel funicula ad pedem vel alam, vt ſigno hoc cognoſcatur, aſſuto in publicum prodire permittere, Religio eſt panniculus etiam iſte vel funiculus die Veneris à gallina auferendus eſt, vt Sabbatho ſine moleſtia quieſcat. Si pecus aliquod in foſſam cadat, nec exire per ſe valeat, tum ei pabulum ſuppeditandum, donec Sabbathum finitum eſt, tunc extrahi poteſt. Nec huic contrarium eſt, vt ſceleratus Rabbi Lipomanus finxit, quod Chriſtus Matth. 12. ad Iudæos dixit Quis eſt inter vos, qui ouem Sabbatho in foueam prolapſam, die eodem extrahere non conetur? Nam hodiè, iuxta Talmud hoc non licet: tempore autem Chriſti licuit; ſin minus, Phariſæi certè & Scribæ non tacuiſſent, ſed mendacij eum continuò arguiſſent.

Iam quod ad homines attinet, viris & mulieribus Sabbatho currere prohibitum eſt. Iuuenibus tamen permiſſum eſt, vt deambulando, currendo, ſaltando, &c. Sabbatho ſeſe oblectent ſi id in honorem Sabbathi faciant. Foſſam etiam tranſilire permiſſum eſt: per aquas autem incedere prohibitum, ne quis caligas madefactas rurſus ſiccare cogatur. Viro arma, nempe gladium, haſtam, &c. geſtare non licet. Sartor cum veſte, in qua acus aliqua hæreat infixa, extra ædes exire non debet. Claudus ſe baculo fulcire poteſt, cæcus nequaquam. Aliquid aliò trāſportare vetitum eſt. Laruas, ad terrendos alios, inducere nefas eſt. Emplaſtrum, & quicquid vulneri curando opus eſt, ſuper vulnere portare licet: ſi tamen deciderit, rurſus eleuare vulnerique denuò imponere non licet: vulnus quoque recens obligare nefas eſt. Pecuniam ſacco vel ſarcina incluſam, aut veſtibus inſutam, peregrè geſtare piaculum eſt. Cœnum calceis adhærens decutere licet. Flabellum muſcarium portare, ad abigendas muſcas, nemini permiſſum eſt. Pulicem ſuper terra vel veſtibus ſalientem capere non licet: ſiue, à quem pungat, è veſtigio quidem capi, lædi, accidi non licet, ſed viuus ſolùm abiiciendus eſt. Circulis ianuarum ferreis, vt & malleis oſtia pulſare nemini permiſſum eſt: ob quam cauſam æditu us eorum ianuas manu pulſat, quoties in Synagogam veniendi eis ſignum dat. Super menſa humida, ſuper cinere vel puluere terræ nemini literam digito ſcribere licet. Scripturam ſcalpendo eradere nefas eſt, &c.

Iudæi Sabbatharij dicti.

Ob hanc ſuperſtitioſam Sabbathi obſeruationem Iudæi per contemptum Sabbatharij à Romanis nominati ſunt. Et Martialis inter ea quæ peſſimè olere ſolent, numerauit ieiunia Sabbathariorum, hoc eſt, Iudæorum qui non ſolùm die ſeptimo ab omni opere feriati ſunt, ſed etiam Ieiunijs ſuperſtitioſis Sabbatha coluerunt. Meminit eius etiam Tranquillus in Auguſto Imper. quem dixiſſe refert, Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbathis jejunium ſeruat, quàm hodie ego ſervavi. *Huiuſce Ieiunij Iuſtinus, Tacitus & alij vera antiquitatis ignari, hanc finxerunt cauſam: Moſes Damaſcenâ patriâ antiquâ repetitâ, montem Sinai occupauit, quo ſeptem dierum Ieiunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus, cùm tandem veniſſet, ſeptimum diem more gentis Sabbathum hoc eſt, diem quietis appellatum in omne æuum ieiunia ſeruauit & quiete, quoniam illa dies famem ei errorémque finierat: Sed aliter Moſes & Ioſephus. Eundem Sabbathi cultum ſuperſtitioſum Iudæis exprobrauit etiam Iuuenalis Satyrâ 14. vbi dicit:*

Quidam ſortiti metuentem Sabbatha patrem. *Et paulò poſt:*
Sed pater (*Moſes*) in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux,
Ignava, & partē vitę non attigit vllam.

Sabbatho quomodo quieſcendum.

Nihil verò eiuſmodi ineptiarum inſtituere voluit Dominus, ſed præcipere tantùm, vt à cunctis operibus ſeruilibus abſtineatur, quo cultui Diuino & rebus Sacris commodius vacare poſſent homines. Imò in his ipſis operibus ſeruilibus etiam diſpenſationem concedit benignus pater, quoties vel neceſſitas ineuitabilis, vel ſalus hominum id requirit. Docet hoc filius Dei Ieſus Chriſtus non ſolùm exemplo ſuo, Sabbatho opera charitatis & humanitatis faciens vt videre licet Luc. 6. & 13. Ioan. 5. cap. ſed etiam disertis verbis Matth. 12. Mar. 2. Luc. 6. & 14. cap. quibus locis enumeratas Iudæorum ſuperſtitiones ſoliđiſſimè contundit & refutat primò Dauidis exēplo, qui fugiens Saulem, venit Nober cum ſocijs, accedénſque Pontificem, poſtulat ab eo cibum: cumque non alij tum fortè ad manus eſſent panes, quàm Propoſitionis, acceptis his à Sacerdote, veſcitur ijs. Lex autem extat Leuit. 24. cap. de non comedendis his panibus, niſi à ſolis Sacerdotibus. Non tamen hoc factum vitio datur à Spiritu Sancto Dauidi, eò quòd neceſſitas famėſque vrgeret, & factum ipſum cum nulla eſſet coniunctum contemptu, aut legis apertâ contumeliâ. Ita licet in lege præcipiat Deus, vt nullum opus ſeruile fiat in Sabbatho, nihilominus ſi neceſſitas expoſtulet, & legis contemptus abſit, operari licet. Deinde adducit exemplum Sacerdotū, quod vnicum confutandis Iudæis ſuffiœret. Sacerdotes enim Veteris Teſtamenti diebus Sabbathis ea peregerunt in ipſo Templo Domini, coram tota Eccleſia, quæ lanij diebus profanis tantùm in macello facere audent. Nam iugulârunt pecudes, detraxerunt pelles, diſſecuerunt membra, lauarunt, purgârunt, congeſſerunt ligna, eorum pyras ſtruxerunt, coxerunt, quin etiam non rarò circumciderunt Sabbatho infantes quod ſine labore manuum fieri non potuit, aliaq; his ſimilia multa opera fecerunt: & tamen fuerunt ἀναίτιοι, *hoc eſt, culpa & crimen violati Sabbathi propterea nullum eis imputatum fuit. Tertiò, cum Deus*

Rationes contra ſuperſtitioſam Sabbathi obſeruationem.

*apud Oſeam Prophetam cap.6.dicat,*Miſericordiam volo, non ſacrificium, *eoque ſignificet, miſericordia & charitatis opera ipſis quoque ſacrificijs Deum præferre quibus tamen nihil in toto illo cultu externo auguſtius & ſanctius fuit, manifeſtum eſt, noluiſſe Deum, vt propter Sabbathi Religionem opera miſericordia & charitatis intermittantur. Quartò, vt tota hæc mundi machina, & quæcunque in ea ſunt, propter hominem facta ſunt, vt illius vſibus & conſeruationi inſeruiant: ita Sabbathi quoque otium hominis causâ inſtitutum, non homo propter Sabbathum conditus, vt eius ſuperſtitioſæ obſeruationi ſeruiliter ſubjectus eſſe debeat. Eſt enim Sabbathi Dominus Filius hominis.*

Hac de re Thomas quoque Secunda 2.quaſt. 123.artic.4.ad hunc modum ſcribit: Opus, *inquit,* corporale, pertinens ad conſeruandam ſalutem proprii corporis, non violat Sabbathum. Non enim contra obſeruantiam Sabbathi quod aliquis comedat, & alia hujuſmodi faciat, quibus ſalus corporis conſervatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbathum, pugnantes ad ſui defenſionem die Sabbathi, vt legitur 1.Machab.2. Similiter nec etiam Helias fugiens à facie Iezabel in die Sabbathi. Et propter hoc etiam Dominus Matthæi 12. excuſat Diſcipulos ſuos, qui colligebāt ſpicas in die Sabbathi propter neceſſitatem quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad Salutem corporalem alterius, non eſt contra obſeruantiam Sabbathi. Vnde dicitur Ioan.7. Mihi indignamini quòd totum hominem ſanum fecerim Sabbatho. *Et inde eſt (vt idem ſcribit Secunda 2.qu.40.art.4.)* quòd medici licitè poſſunt omnes medicari in die Feſto. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbathum. Vnde dicit Dominus Matth.12. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem vnam, & ſi ea inciderit Sabbatho in foueam, non apprehendat eam & erigat? Quantò verò præſtat homo oui? Multò magis autem obſeruanda eſt ſalus Reip. per quam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala corporalia & ſpiritualia, quàm ſalus corporalis vnius hominis: & id eſt, pro tuitione Reip. fidelium licitum eſt juſta bella exercere in diebus Feſtis: ſi tamen hoc neceſſitas expoſtular. Hoc enim eſſet tentare Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate, vellet à bello abſtinere. Sed neceſſitate ceſſante, non eſt licitum bellare in diebus Feſtis: *vt habet idem eodem loco.*

Sabbathū non propter

Diſcimus hinc ſimul, Sabbathum non propter quietem & otium ipſum inſtitutum eſſe à Deo, quaſi is tantopere delectetur eo, ſi quis omnem ætatem otioſam & quietam ab opere & labore traducat. Hoc etiam inde intelligi poteſt, quòd ex ſeptem diebus hebdomada vnicam ſaltem huic otio Sacro & quieti, omnes autem reliquas ſex labori deſtinauit, quibus quiſque omnia ſibi ſuaq́; familia neceſſaria comparare queat. Nam otium multorum ſcelerum & vitiorum occaſionem præbet: vnde non immeritò puluinar Satanæ appellatur: Quia enim hominis ingenium eſt, vt quieſcere omninò non poſſit, niſi honeſtis aliquibus ſtudijs & actionibus occupetur, ad inhoneſta atque illicita continuò delabitur. Quæ etiam cauſa eſt, quòd non ſcriptura modò Sacra otium damnant, ſed apud gentes quoque in benè conſtitutis ciuitatibus otioſis pœna olim conſtituta fuerunt. Apud Athenienſes enim diligenter in vnumquenque inquiri ſolebat, quâ arte aut quo quæſtu viueret, & otioſi in jus vocabantur, vt inertia & ignauia ſua pœnas darēt: Maſſilienſes verò neminem in ciuitatem ſuam admittebant, qui non artem aliquam teneret, quâ ſe ſuóſque honeſtè aleret: & in eo tam attenti & ſeueri fuerunt, vt non ſolùm mimos & hiſtriones, verùm etiā omnes eos procul arcerent qui ſub aliquo Religionis prætextu inertia alimenta quærebant.

otium ipſum inſtitutum.

Iudæi otio Sabbathi abuſi ſunt ad crapulam & ebrietates.

Etſi verò adeò ſuperſtitiosè Sabbathi otium ab ipſis obſeruatum ſit, tamen progreſſu temporis, eo ad compotationes & comeſſationes adeò intemperanter abuſi ſunt, vt Plutarchus dixerit, Sabbathum Iudæorum non [illegible]. *Ob eámque cauſam Ethnici putârunt, Iudæos Sabbathis ſuis Bacchum colere, quòd nimirum ad voluptates, ad gulam & ebrietatem, ad ſaltationes laſciuas ijs abuterentur. Innuit hoc etiam D. Auguſtinus Tract. 4. in Ioannem vbi & longè melius eſſe dicit, ſi fœminæ eorum lanam facerent, quàm vt eiuſmodi diebus ſaltarent. Eodemque modo à nobis Chriſtianis hodie quoque peccatur. Nam laborem prohibitum hoc die arbitramur, & proinde ab eo ſedulò abſtinemus: nullo verò alio magis ſaltationibus, gula, crapula, ebrietati, genio & omnis generis voluptatibus, quàm hoc ipſo indulgemus.*

Inſtituti Sabbathi cauſa.

Supereſt igitur vt de fine dicamus, in quem quies & otium hoc à Deo inſtitutum ac ordinatum fuit. Primus eſt finis ciuilis & œconomicus, & corporibus ſeruit, quorum vires laboribus fatigatas, & exhauſtas refici oportet. Deus enim non ſolùm corpora creauit, ſed ea quoq́; conſeruat, eorúmque curam habet. Vnde & Plato lib.2.de legibus, Dii, *inquit,* genus hominum laboribus naturâ preſſum miſerati, remiſſionem laborum ipſis ſtatuerunt Solennia Feſta. *Cicero itidem de Legibus,* Ferias, *inquit,* in liberis hominibus habere litium & jurgiorum ceſſationem, in ſervis laborum & operum. *Et eodem loco idem.* Feriis, *ait,* jurgia amovento, eáſque in famulis (operibus patratis)

patratis) habento. *Nemini autem hoc præceptum ſupervacaneũ & inutile videri debet quoad hanc cauſam, quum quiuis conſervationem ſui corporis quærat, & caueat ne nimium laboribus atterat. Sunt enim nonnulli ita avaritiâ excæcati, vt ne ſibi quidem, nedum famulis, quietem aliquam concedant. Deinde non omnes ſui juris ſunt, ſuique corporis poteſtatem habẽt, ſed aliorũ imperio ſubjecti ſunt, vt liberi, ſerui, ancillæ & id genus hominum: horum itaque rationem habet Deus in hac lege, ne nimijs & indeſinentibus laboribus ſuccumbant: & ideò in Exodo cap. 23. etiam dicit:* Sex diebus facies opera tua ſeptimo autem die quieſces, vt quieſcat bos tuus, & aſinus tuus, & vt reſpiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus. *Et rurſus ijſdem penè verbis Deut. 5. cap.* Non facies, *inquit*, die ſeptimo vllum opus, neq; tu, neque filius tuus, neque filia tua, neque ſervus tuus, aut ancilla tua, neque bos tuus, vel aſinus tuus, aut vlla ex jumentis tuis, neque peregrinus qui eſt intra portas tuas: vt quieſcat ſervus tuus & ancilla tua, ſicut tu. Et memineris, quòd & tu ſervus fueris in terra Ægypti & eduxerit te Dominus Deus tuus illinc. *Ideò autem jumentorum quoque mentionem facit in his legibus, non tam quòd jumenti Deus ſit homo, ac iccirco benignè & moderatè eo vti debeat, quàm quòd ſine opera & miniſterio hominum jumenta exerceri non poſſunt. Abducuntur ergo à Religione Sabbathi per jumenta homines, vnde ne abſtrahantur, præcipitur diſertè, vt quies concedatur jumentis quoque.*

2. *Alterum finem inſtitutæ quietis die Sabbathi Eccleſiaſticum dicere poſſumus eò quod circa Dei cultum & meditationem Diuinorum operum verſatur: Etſi verò omnia ea quæ ad veram pietatem & verum Dei cultum pertinent in hoc ſacro otio peragi debebant: veluto ſunt, lectio & interpretatio ſcripturæ publica, adeoq́ etiam diligens auſcultatio, oratio & preces publicæ, ſacrificia ſiue Sacramentorum celebratio, & collecta ac beneficentia: vt ex Nehem. 8. cap. clarè perſpicitur: nihilominus, quemadmodum omnia reliqua Feſta videlicet Paſcha, Pentecoſte & Tabernaculorum Solennitas in commemorationem ſingularium beneficiorum, quæ populo Iudaïco præſtitit Deus, inſtituta fuerunt: ita Sabbathum quoque ejuſque otium in memoriam rei maximè memorabilis ab eodem mandatum fuit: Creationis inquam mundi, ſicuti ex ipſa lege Sabbathi haud obſcurè intelligi poteſt.* Sex, *inquit*, diebus cœlum fecit Deus & terram, & mare, & quæ in eis ſunt, & quievit die ſeptimâ, *&c. Hoc quidem argumento voluit ſuos excitare ad Sabbathi obſervationem: quaſi diceret, Dei imitatores meritò eſſe debetis: ſed Deus quievit die ſeptimâ & hanc ſanctificavit, ergo vos quoque ſeptimâ die quieſcere & eam ſanctificare debetis. Nihilominus quia Deus dicitur hanc diem ſanctificâſſe abſolutâ iam & perfectâ mundi creatione, manifeſtum eſt, ad celebrandã creationis memoriam Sanctificationem hanc inſtitutam fuiſſe. Multùm autem refert creationem mundi ſubinde reminiſci & recordari, vt inde intelligamus, Deum eſſe qui ſit omnium Author, Conditor, Gubernator & Rector, nóſque in hoc mundo quaſi colonos quoſdam eſſe à Deo conſtitutos, quem colere & revereri in omnibus debeamus. Vnde mox à principio fidei noſtræ huius rei etiam mentionem facere jubemur, dicentes:* Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Sicut autem in lege hac Decalogi, Creationis fit mentio, ita Deut. 5. c. liberationis ex Ægypto: Memineris, *ait Dominus*, quòd & tu ſervus fueris in Ægypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus illinc per manum validam & brachium extentum. Ideirco præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt obſerves diem Sabbathi. *Fuit enim liberatio hæc inter maxima Dei beneficia ac miracula numeranda, propterea voluit vt eius etiam poſteri nunquam obliviſcerentur.*

3. *Tertius Sabbathi ejuſque otij finis ſublimior & verè ſpiritualis eſt, atque ad æternam hominis ſalutem propius pertinet. Illo enim typo primo ſpiritualis illa quies adumbratur, quâ ab operibus carnis & mundi feriari debemus, vt Deus ſuo Verbo & ſpiritu in nobis operari poſſit. Sic enim Auguſtinus Tract. 20. in Euangel. Ioan.* Sacramentum, *inquit*, Sabbathi antiquis Patribus noſtris præceptum, nos Chriſtiani Spiritualiter obſervamus: vt ab omni ſervili opere, id eſt, ab omni peccato abſtineamus nos, & habeamus quietem in corde noſtro id eſt, tranquillitatẽ ſpiritualem. *Et hoc præcipuum eſt, quod in Sabbathi obſervatione paſſim Prophetæ vrgent, ne hanc in ignavo otio, aut ſuperſtitioſa ab omnibus operibus ceſſatione conſiſtere putarent, ſed ita corpore quieſcerent & otiarentur, vt animos totos circa Divinæ voluntatis meditationem & vitæ ſanctæ officia occupatos haberent, adeóque operum ſuorũ & anteactæ vitæ recordatione ſeipſos ad pœnitentiam & pietatem exercerent. Quæ etiam cauſa eſt quòd Prophetæ, quoties de Dei cultu prophanato & fœdere violato populum accuſant, inprimis ferè de Sabbathorum prophanatione queruntur. De hoc vſu præcipuo & proprio Sabbathi ejuſque otij Eſaias loquitur 58. cap. dicens:* Si reverti feceris à Sabbatho pedem tuum, vt non facias voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaveris Sabbathum delicias, Sanctum Iehovæ glorioſum, & honore affeceris illud, vt non facias vias tuas, neque invenias voluntatem tuam, néue loquaris verbum: tune delectaberis in Iehova, &

ua,& equitare faciam te ſuper excelſa terræ, & comedere faciam te hæreditatem Iacob patris tui. *Moſes quoque & Ezechiel Sabbathum nominant pactum & ſignum, quòd Deus Iſraëlem ſanctiſicet: ſanctiſicatio autem in carnis mortiſicatione conſiſtit, quam hæc quies ſignificauit. Poteſt tamen fieri, vt ſignum vocetur Sabbathum, quòd Deus voluerit Iudæos diſcernere à Gentibus. Agnouerunt hunc finem Iudæi quoque, quantúmuis improbi, nam definierunt inter alia Sabbathum:* Schabath hu ſud ei chai, *hoc eſt, Sabbathum eſt ſecretum Dei viuentis: quo voluerunt ſignificare, Sabbathum eſſe quaddam otium à peccato à quo Deus ſemper feriatur: ideòque hoc ſabbathi vſu ſolùm reddimur Deo ſimiles: vnde &* ſud, *id eſt, myſterium dicitur.*

Deinde verò typo hoc Sabbathi adumbratur quies illa, quâ omnes in altera vita fruemur apud Deum ſine fine. Docet hoc Auguſtinus in Pſ. 80. inquiens: Sabbathum ſeptimus dies eſt, quo requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis: magnum intimans myſterium quietis noſtrę futuræ ab omnibus operibus noſtris. In præſenti quidem vita ſabbathum hoc imperfectum eſt: poſtquam autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & quum Deus fuerit omnia in omnibus, tunc erit Sabbathum ex Sabbatho, & neomenia ex neomenia, vt Eſaïas docet 66. cap. *Paulus quóque Heb. 4. Sabbathum externum figuram facit æternæ vitæ: quòd non ſolùm propter requiem eius factum puto, ſed propterea etiam, quòd Sabbathum ſine veſpera inſtitutum legatur Gen. 2. Nam ſex primi dies ſuas veſperas habuerunt, vt eſt Gen. 1. cap. videre: ſolus ſeptimus dies ſine veſpera legitur, quod perpetuam & fine carentem requiem denotauit: ſicut docet D. Auguſtinus epiſt. 119. ad Ianuarium, & Confeſſionum lib. 13. cap. 36.*

Petrus Alfonſus Hiſpanus, cuius paulò ante mentionem fecimus, in Dialogo contra Iudæos tit. 12. & Thomas Secundâ 2. q. 122. art. 4. volunt, Sabbathi inſtitutionem typum ſeu figuram fuiſſe, quòd Chriſtus ſeptimo die in ſepulchro quieſcere debuerit. Non malè quidem, ſed quàm verè & commodè non facilè video, Chriſtus enim promiſſus fuit Patribus pro humani generis reparatione poſt Sabbathi inſtitutionem demùm. Item, Si Adam non peccâſſet, Chriſtus non fuiſſet crucifixus: & tamen Sabbathum nihilominus obſeruatum fuiſſet in memoriam creationis mundi: fuit enim ſanctificatum Sabbathum antequam Adam peccâſſet.

Sabbathū ſeueriſſimè mandatum.

Cùm igitur ob has cauſas Sabbathum à Deo inſtitutum ſit, & tanta ac talia myſteria ſub eo lateant, mirum nemini videri debet, quòd vix aliud præceptum repertas, quod ſæpius repetatur, & frequētius hoc ipſo vrgeatur in lege & Prophetis, ſicuti ſuprà indicauimus. Seueriſſimè quoque, non ſolùm multarum calamitatum, ſed mortis etiam pœnâ interminatâ, mādatum fuit. Exod. 31. cap. ſic loquitur Dominus: Sex diebus fiet opus, at die ſeptimo שבת שבתון, *hoc eſt.* Schabbath Schabbathon *eſt. Hâc emphaſi innuit, die ſeptimo maximè Sabbathum eſſe, & prorſus nihil operis in eo faciendū. Quaſi diceret, In die ſeptimo omninò vobis ceſſandum eſt, eſt enim dies ille Domino Deo ſacer, ſiue conſecratus. Quidam Hebræorum tamen inter* Schabbath *&* Schabbathon, *ita diſtinguunt, vt* Schabbath *ſignificet quietem ſiue ceſſationem, quæ incipit à veſpera vnius diei, & deſinit in veſperam ſequētis diei.* Schabbathon *verò eſſe nomen diminutiuum, quaſi dicas ſabbathulum, & per illud ſignificari illud modicum temporis, quod Iudæi de ſuo ad Sabbathum adiiciunt, hoc eſt, vt ipſi loquuntur, à prophano ad ſacrum. Iudæi enim, quia neſciunt, vt ipſi dicunt, momentum illud quo Sabbathum incipit, quo illi ſatisfaciant, horam vnam citiùs illud auſpicantur, & horam vnam tardiùs deſinunt, & hoc tempuſculum vocant* additionem de prophano ad ſacrum. *Hoc ipſum autem additamentum ſignificari aiunt per vocem Schabbathon, quæ formam habet nominis diminutiui, quæ apud Hebræos cōſtituitur per adiectionem ſyllabæ* On *in fine dictionum: ſicuti Paulus Fagius in ſuis ad 31. cap. Exodi Annotat. indicat. Prima tamen ratio magis probatur: eſt enim frequens in Hebraiſmo, vt quæ ſtudioſiſſimè diligentiſſiméque fieri volumus, per huiuſmodi vocum repetitionem efferantur. Eodem capite pœnam violati Sabbathi intentans,* Cuſtodietis, *inquit,* Sabbathum, quia ſanctitas eſt vobis: quiſquis profanauerit illud, moriendo morietur: quia omnis faciens in eo opus, excindetur anima ipſa è medio populorum ſuorum. Sex diebus fiet opus, at die ſeptimo Sabbathum ceſſationis eſt, Sanctitas Iehouæ: quicunque fecerit opus die Sabbathi, moriendo morietur. *Hâc autem phraſi plerúnque vtitur Moſes, quando de capitalibus ſupplicijs loquitur. Deinde Num. 15. mortis genus exprimit Dominus, quo ſit transgreſſor Sabbathi afficiendus:* Moriatur, *ait,* moriendo vir ille, lapidet eum lapidibus vniuerſa congregatio extra caſtra. *Et hoc quidem ſupplicij genere affectum fuiſſe eum, qui Sabbatho ligna tantùm in vſus neceſſarios collegerat, ibidem à Moſe indicatur. Per Ieremiam Prophetam 17. cap. comminatur Deus excidium Hieroſalymæ, ob profanationem Sabbathi:* Si non obedieritis, *inquit,* mihi, vt ſanctificetis diem Sabbathi, ne portetis onus: nec ingrediamini cum onere per portas Hieruſalem die Sabbathi, ſuccendam ignem in portis eius, qui deuorabit domos Hieruſalem, nec extin-

guetur. *Vnde & Nehemias cap.13. ijs qui mercatu & nundinis publicis Sabbathum ſuo tempore polluerant, dicit* : Quæ eſt hæc res mala quam vos facitis, & prophanatis diem Sabbathi? Nunquid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper vos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem hanc? *Mirum, inquam, nemini videri debet cur lex hæc de Sabbatho tam frequenter repetita, & ſeuerè mandato ſit: eſt enim profanatio Sabbathi contemptus totius cultûs Dei qui Sabbatho peragebatur, & ſacri miniſterij cui Sabbathum conſecratum erat, nec non ſanctæ vitæ & æternæ in regno cælorum quietis quam adumbrabat. E contra verò obſeruatia Sabbathi religioſa ampliſſimas habet ob eaſdem cauſas in Verbo Dei promiſſiones. Eſaio 58. cap. ait Dominus.* Delectaberis in Iehoua, & equitare faciam te ſuper excelſa terræ, & comedere faciam te hereditatem Iacob patris tui. *Et rurſus apud Ierem.17.cap.* Si, *inquit*, me diligenter audieritis, nec vlla inferetis onera die Sabbathi, ſed ſanctificabitis Sabbathum, nec quicquam operis in eo facietis: tunc tranſibunt per portas huius vrbis Reges & Principes ſedentes in ſolio Dauidis, vecti curribus & equis, ſedebitque ciuitas iſta in perpetuum: & ferent de ciuitatibus Iuda & Beniamin ſacrificia, thus & laudem in domum Domini.

Sabbathi obſeruatio ampliſſimas habet promiſſiones.

Sacrificium autem Sabbathi peculiare, erat holocauſtum duorum agnorum anniculorum & immaculatorum, cum duabus decimis ſimilæ oleo permixta & duplici libamine vini, ſicut eſt videre Num 28.verſ.9. & 10. præter iuge ſacrificium, quod etiam Sabbatho nõ intermittebatur.

Sacrificiũ Sabbathi.

CAPVT IV.

De Neomenia, ſeu primę diei Menſium Feria.

NEomenia, *Latinè* Nouilunia, *celebrabantur primo die cuiuſque menſis, quos à noua luna auſpicabantur. Etſi verò in Sacris Literis expreſsè demonſtrari non poßit à quo & quando hæ feriæ inſtitutæ ſint, mentio tamen earum fit Num.10. & 28. cap. 1. Samuel. 20. Pſal. 81. Iſa.1. Ezech.46. 2.Paralipom.2. Eſdr. 3. quibus locis omnibus inter Sabbatha, Feſta, & Solennitates numerantur. Inſtituta tamen putatur hæc celebritas à nonnullis Num. 28. vbi dicitur:* In initijs menſium veſtrorum offeretis holocauſtum Domino: *& quidem in memoriam creatæ à Deo lucis: & vt hoc pacto populus Dei auocaretur ab Ethnicorum ſuperſtitionibus & idololatria, qui menſes planetis aliiſque ſignis cœleſtibus ſubijciebant, ſciretque Deum vnum & ſolum menſium, ſicut & totius anni, omniſque temporũ & influentiarum cœleſtium Dominum, Gubernatorem & Moderatorem eſſe: & propterea Deo ageret maiores gratias, qui hæc omnia ad vſum & vtilitatem hominum ordinat. Typus etiam fuit, vt Auguſtinus ſcribit contra Fauſtum lib.19. cap. 10. renouationis hominis, quæ fit per illuminationem Spiritus Sancti, & etiamnum hodie ab omnibus fidelibus requiritur.* Niſi enim homo per Spiritum Dei renatus fuerit, regnum Dei videre non poterit.

Neomenia quãdo celebrata ſit.

Middelburgenſis in ſua Paulina indicat, non ſolùm primam diem menſis à Iudæis ſolennem & celebrem obſeruatam, ſed trigeſimam cuiuſque menſis, quaſi aliquid nouæ lunæ participantem: & ideò, quoties lunatio, vel menſis procedẽs triginta diebus conſtitiſſet, toties ſequentem mẽſem duplicem habuiſſe Neomeniam, quarum prima ad præcedentem menſem ſpectârit.

In his autem menſium exordiis offerebatur holocauſtum Domino, duo iuuenci ſubrumi, aries vnus, agni ſeptem anniculi: pro quolibet vitulo vel cum ſingulis iuuencis tres decimæ ſimilæ oleo permixtæ: cum ariete autem vno duas decimas ſimilæ oleo permixtas lex decernebat: & cum ſingulis agnis ſingulas decimas ſimilæ oleo permixtæ. Libamina autem vini, pro vno vitulo dimidium hin: pro ariete vno tertiam partẽ hin: & pro quolibet Agno quartam partem hin. His adijciebatur hircus vnus pro peccato hominum, abutentium influentiis cæleſtibus & murmurantium aduerſus Deum, ſi quando aliæ ſint tempeſtates, quàm ipſis commodum videatur. Vide capite 28. Num. verſ.11.12.13.14. & 15.

Sacrificium Neomeniæ.

Conuiuia etiam hoc die inter ſe agitârunt Iudæi. Cuius illuſtre in primis extat teſtimoniũ 1.Sam.20.cap. vbi Dauid inquit. Ecce cras Calendæ ſunt, & ſedendo ſedere ſoleo apud Regem ad veſcendum. *Et mox*, Cras ſunt Calendæ, *inquit Ionathan*, itáque remoraberis, vacabitque ſeſſio tua.

Conuiuia in Neomeniis celebrata.

Legimus quoque eodem loco poſtridie Calendarũ etiam fuiſſe epulas à Saule exhibitas, quũ tamen in Nouilunio dies ſecundus Dei verbo non fuerit Feſtus. Eius duæ à clariſſimo Theologo Petro Martyre in ſuis ad hunc librum Comment. afferuntur cauſæ. Vna eſt, quòd Leuit. 7 cap. præcipitur, vt ſi quid de ſacrificiis pacificis ſupereſſet, in poſterũ diem ex eo aliud conuiuium inſtitueretur. Veriſimile itaq; eſt Regem ſplendidè ſacrificâſſe, cumq; omnes illæ epulæ cõſumi nõ potuerint priori die, ex illius reliquiis poſtridie fuiſſe conuiuatum. Altera cauſa erat, vt religioſiores, & ſacrorum obſeruantiores eſſe viderentur, quàm lex ipſa poſtulabat. Saul ergo, quámuis Dauid priori die non adfuiſſet quòd illum arbitraretur eſſe immundum, tamen poſtero die ſperabat illum adfuturum. Nam ſi quis aut immundus fuiſſet, aut in itinere, quum oporteret

teret

teret Paſcha celebrare, ſi iubebatur menſe ſecundo ſeorſim habere Paſcha ſuum. Id illi tranſtulerunt ad alios etiam Feſtos dies.

CAPVT V.

De Paſchate Iudæorum, quod propriè Peſach appellatur.

Paſcha-tis nomē quid. P*Aſcha dicitur Hebraicè* פסח Pæſach: *pro quo Theodotion, vt refert Theodoretus quæſt. 24. in Exod. & poſt eum Hieronymus, nimirum ſecundùm alia puncta, legunt Phaſe: ſed eadem ſemper eſt vox, à* פסח, *quod eſt ſaltare aut tranſilire: vnde & claudum Hebræi Piſſeach appellant, quòd quum ingreditur quaſi ſaltare aut ſubſilire videtur. Hinc propriè non ſignificat immolationem Agni, vt vult author Comment. in cap. 14. Mar. apud Hieronymum: nec tranſitum populi per mare rubrum ad terram promiſſionis, vt docent Nazianzenus Orat. 2. de Paſcha, & Auguſtinus Tract. 55 in Ioannem: neq; etiam primariò ſignificat ipſum tranſitum Angeli per Ægyptum, vt videntur innuere illa verba Dei Exod. 12.* Eſt enim Phaſe, *id eſt, tranſitus Domini: nec ſacrificium pro tranſitu illo: in qua ſententia Philo eſt, qui propterea nomen Hebræum per* Διαβατήρια *reddidit: Sed ſignificat tranſcenſionem, tranſilitionem, & quaſi ſaltum Angeli ſuper ædes Iudæorum. Docet hoc manifeſtè ipſe Dominus Exod. 12. Cùm enim ibi dixiſſet:* Eſt Phaſe, *mox rationem & quaſi interpretationem nominis huius reddens, ſubjungit:* Tranſibo enim per terram Ægypti nocte illâ, & percutiam primogenita Ægyptiorum: erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus veſtris, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga. *Hæc ratio ter eodem capite repetitur, vbi ſemper* פסח *tranſilire ſeu tranſcendere, non ſimpliciter tranſire ſignificat. Vnde Ioſephus lib. 2. Antiquit. cap. 13.* ὑπερβάσιν *tranſcenſionem, & in plurali Symmachus* ὑπερβάσεις, *Paſcha interpretantur. Idem docet etiam Hieronymus in cap. 26. Matt. Quia verò hac tranſilitione ſeu tranſcenſione ex commiſeratione quadam primogenita Iſraelitarum conſeruata ſunt, idcirco Theodoretus quæſt. 24. in Exod cauſam per effectum, ſignum per ſignatum reddens,* Significat, *inquit,* nomen Hebræum ſaluationem primogenitorum. Siquidem juſſerat, accepto hyſſupi faſciculo ſanguine mactatæ ouis tincto poſtes & limen vngere: vt qui inſtabat ad perdenda primogenita Ægyptiorum, aſpecto ſanguine præteriret domos Hebræorum. Non quòd incorporea natura huiuſmodi ſignis egeret, ſed quia conveniebat, vt per ſymbolum intelligerent illi prouidentiam diuinam. *Eâdem ratione nonnulli Hebræorum quoque, & eos ſequuta Complutenſis verſio, verbum Hebræum Paſach Exod. 12. toto capite pro miſereri, parcere & conſeruare interpretantur.*

Paſcha-tis nomē quid. / *Paſach quid ſignificat.*

Impropriè verò hoc nomen etiam ad alia ſignificanda transfertur, Primò ſignificat quoque ipſum Agnum Paſchalem, in memoriam tanti beneficij Dei mactatum & comeſum. Sic ſæpè dicitur in Sacris literis occidere, ſacrificare, immolare & parare Paſcha, quod tantum de Agno intelligitur: frequenter enim in ſacramentis ſignis rerum ſignatarum nomina, propter ſimilitudinem & analogiam tribuuntur. *Paſach quid impropriè ſignificat.* 1.

Secundò, tranſitum Iſraelitici populi, qui illâ ipsâ nocte liberatus ab Ægyptiorum ſeruitute, per mare rubrum tranſijt, vt iret in terrā promiſſam. Ita interpretatur Nazianzenus Orat. 2. de Paſcha, & Auguſt. Tract. 55. in Ioannem. 2.

Tertiò, totum illud Feſtum ſignificat præſertim autem primum eius diem. Ita vox hæc vſurpatur 2. Reg. 23. cap. vbi dicitur, tale Paſcha à Ioſia 18. anno regni ſui celebratum eſſe, quale à Iudicibus, & tempore præcedentium Regum, celebratum non fuerit. *Sic etiam Lucas 22. ca. dicit:* Appropinquabat dies Feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha. 3.

Quartò, Paulus 1. Cor. 5. pro ipſo etiam Chriſto vſurpat, cuius Agnus ille Paſchalis typus fuit, inquiens, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 4.

Porrò vox Hebraica tam apud Latinos, quàm apud Græcos corrupta eſt. Græci enim in aliam, ſed eius ſimilem vocem, ſcilicet Πάσχα *Paſcha, immutârunt eam. Quod nomen decepit quàm plurimos Patres, qui putârunt à verbo* πάσχω, *quod pati ſignificat, deduci, vnde & Paſſionem Tertullianus & Ambroſius in lib. de myſterio Paſchæ cap. 1. interpretantur, quia Paſſionis Domini memoria in Paſchate noſtro celebratur, iuxta illud Apoſtoli,* Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. *Auguſtinus autem in Pſalmum 68. reprehendit hanc opinionem, quemadmodum & Hieronymus: quamvis Auguſtinus in Quæſtionibus Veteris & Noui Teſtamenti quæſt. 110. quaſi ſui oblitus, Paſcha à Paſſione appellatum affirmet. Adſcribam autem verba Gregorij Nazianzeni, qui hanc ſententiam in Sermone de Paſchate his verbis egregiè refutat.* Τὸ Πάσχα τοῦτο τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον φάσκα τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν, δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν· ἱστορικῶς μὲν διὰ τῆς ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίαν φυγῆς τε καὶ μεταναστάσεως, πνευματικῶς δὲ διὰ τῆς ἐκ τῶν κάτω πρὸς τὰ ἄνω καὶ τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας προόδου καὶ ἀναβάσεως. ὅπερ δὲ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς συμβὰν εὑρίσκομεν, ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέρων μεταποίησίν τινα τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικο-

Paſcha vox apud Græcos & Latinos corrupta.

τέρων

τέρων ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον, τοῦτο γὰρ ταῦτα τὸ διῃρημένον τῆς τοῦ σωτῆρος πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναί τινες νομίζοντες, εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνὴν, πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι, προσλαβοῦσα δὲ ἡ συνήθεια τὴν φωνὴν ἰσχυροτέραν ἐποίησε προστριβείσης τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς ὡς εὐσεβεστέρῳ τῷ ῥήματι. *Id eſt*, Venerabile & diuinum Paſcha, ab Hebræis Paſcha ſecundùm eorum linguam appellatur, quæ vox ſignificat tranſitum: hiſtoricè quidem, eum quo ex Ægypto in terram Chananæorum commigrarunt Hebræi: ſecundùm ſpiritum verò, eum tranſitum, quo nos ab his caliginoſis locis deuolamus ad ſuperos. Et quo ſolet ſæpè in Diuinis literis vſu venire, accidiſſe etiam hoc loco comperimus, ſcilicet transferri aliqua nomina, quæ aut obſcura ſunt aut horrida, in alia nomina, quæ & illuſtriora ſint,& venuſtiora. Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipſam ſalutarem Seruatoris paſſionem,ad Græcámque linguam vocem accommodantes,fecerunt ex Pæſch Paſcha. Quòd cùm vſus recepiſſet, jam vehementer inoleuit, aſſentientibus ipſis auribus, vtpote ſanctiori nomini. *Hucuſque Nazianzenus. Quemadmodum verò Chriſtiani Iudæis ſuum Paſach relinquunt, ita nos quoque abjecto eo vocabulo, Paſchæ nomen pro eo vſurpabimus,propter præſtantioris rei memoriam:& in præſenti quidem tractatione pro Feſto & celebritate voce iſtâ vtemur,quo ſenſu tertio loco accipi diximus.*

Paſcha quando inſtitutum. *Inſtituitur autem Feſtum hoc cum ſuis ceremoniis ac ritibus Exod.*12. *Leuit.* 23. *& Deut.* 16.*ab ipſo Deo,anno ab origine mundi* 2447. *à Diluuio* 791.*à promiſſione Abrahamo factâ cùm è patria euocaretur* 430.*eo ipſo tempore quo populum Iſraeliticum ex grauiſſima ſeruitute liberauit & per manum Moſis ex Ægypto eduxit. Etſi igitur pleráque in hoc Feſto ridicula videantur carni noſtræ,tamen, quia Authorem Deũ habent, à piis & electis Dei hominibus contemni nequaquam debent.*

Paſchatis feſtũ quale. *Feſtum verò eſt eiuſmodi. Menſis primi ex inſtitutione Dei per Moſem factâ, qui ab initio Abib, poſtea verò Niſan dictus fuit, die decimâ quintâ juxta legalem ſupputationem à veſpera ad veſperam incipiebat, & per ſeptem continuos dies, vſque ad vigeſimum primum ejuſdem,durabat:ſic tamen,vt prima & vltima, hoc eſt,* 15. *&* 21. *dies præ cæteris eſſent feſta ac ſacra, nec liceret in iis quicquam operis facere, præterquam cibos parare.Vnde &* Conuocatio, Congregatio,& Collectio ſancta *à Moſe ſæpè appellantur, quòd in iis præcipuè populus in cœtus ſacros congregaretur. Sic enim inquit Deus ad Moſem Exod.*12. In die prima erit Conuocatio ſancta: etiam ſeptimâ die erit vobis Conuocatio ſancta: omne opus non fiet in eis. *Alioquin ſeptem hi dies ſimul omnes* Azymorum dies *etiam dicebantur: & prima* καθ᾽ ἐξοχὴν *Paſcha appellabatur, quòd eâ Paſchalis Agnus ederetur. Septèm hi dies includebantur* 15. *&* 21. *diebus incluſiuè ſimul comprehenſis. Quod ſi decimam quartam his annumeremus etiam, quæ Paſchæ quædam Paraſceue fuit, octo dies erunt.*

Ritus Paſchalis Feſti. 1. *Ceremoniæ autem ſeu ritus qui in hoc Feſto obſeruari debuerũt ex inſtituto Dei, hi ferè fuerunt. Decimâ menſis die Agnum elegerunt ex grege integrum,maſculum & anniculum & eum vſque ad quartum decimum diem ſeruârunt ac cuſtodierunt quàm diligentiſſimè. Factum hoc primùm ab ipſis in Ægypto Moſis juſſu,& poſtea quotannis ſic obſeruatum eſt in Paſcha celebratione. Iudæorum Rabbini quatuor cauſas enumerant,ob quas hoc à Deo mandatum fuerit. Prima,ne fortè negotiis multis ac variis, quibus ſeſe ad iter ex Ægypto accingebant, impediti, præcepti huius obliuiſcerentur.Hoc ſi verum eſt, ad Iſraelitas tantùm ex Ægypto migraturos hæc cauſa ſpectabat. Altera,vt toto hoc quatriduo cognoſcere certius poſſent, an aliquod vitium in Agno eſſet,qui integer & ab omni macula purus eſſe debebat.Tertia, vt ex illo quotidiano Agni aſpectu occaſio illis daretur colloquendi, atque adeò etiam erudiendi ſuos liberos de liberatione Ægyptiaca.Vnde ex Iudæorum traditionibus refertur. Agnum iſtum quatriduo eo in ædibus ſingulorum ad ſpondæ fulcrum alligatum fuiſſe, vt ſic omnium oculis expoſitus eſſet, atq; ipſis de redemptione ſua, déque Dei miſericordia,qui illos tam clementer reſpexerat,ampliorẽ inter ſe colloquendi occaſionem daret. Quarta,vt hac occaſione in tempore ad bonum opus accingerentur. Regula enim talis fuit apud Hebræos:* Qui ſtrenuè ſeſe accingit ad præceptum ſeu bonum opus,perinde eſt ac ſi faceret,*ſicuti Rabbini eorum perhibent.*

Paſchalis agnus quare incorruptus eſſe debuerit. *Quòd autem Agnum hunc eſſe voluit integrum,incorruptum,illæſum,non mãcum aut mutilatum,admonuit Iſraelitas integritatis, quam Deus à populo ſuo requirit. Deindè requirit etiam in his quæ ſibi offerimus animum liberalem, qui optima quæque Deo offerre cupiat. Imprimis autem perfectio* Agni Dei,qui mundi peccata tollit, *eo notatur.*

Paſchalis agnus quando mactari debuerit. 2. *Deinde mactari jubetur hic Agnus per ſingulas domos & familias decimo quarto die inter veſperas: quod ſeptuaginta vertunt* πρὸς ἑσπέραν, *& Hieronymus ad veſperam. In Hebræo autem eſt Benarbaijm,hoc eſt, inter duas veſperas.In Chaldæo, Inter duos Soles. Fuit igitur Agnus Paſchalis priuatum ſacrificium, in ſingulis ædibus peragendum,non publicum, quale poſtea,diſtinctum tamen ab hoc priuato, oblatum fuiſſe etiam primo Feſti die,magna cum ſolenni-*

tate,

tate, in Ezechiæ & Ioſiæ Regum hiſtoria legimus.

Per veſperas diei 14. quid intelligatur.

Quæritur autem non immeritò, quodnam tempus per Veſperas *decimi quarti diei intelligatur. Veſpera propriè nihil aliud ſignificat, quàm primam noctis partem poſt Solis occaſum. Dicitur enim à Veſpere ſtella occidentali: quæ Solem occidentem ſequitur, & tenebras ſequẽtes præcedit. Atque ita propriè accipi Veſperam non ſolùm Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 3. & Iſidorus lib. 5. teſtantur, ſed omnium optimè ex Hebraicæ vocis deriuatione intelligitur. Hebræis námque Veſpera dicitur Hereb, à verbo Harab, quod ligare vel obligare ſignificat: eo quòd diem cũ nocte liget ſeu nectat: nec enim lux ſimul tota concidit, ſed ſenſim remittitur & quaſi extinguitur. Impropriè autem per quandam extenſionem latiſſimè ſumitur Veſpera: quandóque enim ſignificat, totum tempus quod eſt poſt meridiem, quandóque verò tempus primæ vigiliæ nocturnæ, vt eſt videre apud Ambroſium lib. 7. ſuper Lucam cap.* 11. *Vnde & varias interpretationes præſentis loci afferunt: aliis juxta propriam, aliis autem juxta impropriam ſignificationem Veſpera eum exponẽtibus. Qui propriè accipiunt, Duas veſperas ſic intelligunt, vt prima ſit in occaſu Solis, ſecunda cùm radij ſolares, aut lumen Solis amplius in aëre non videntur: & prima quidem veſpera ſit veſpera Solis, altera verò ſit veſpera luminis: tempus autem inter veſperas ſit tempus Crepuſculi. Sententiæ huius author videtur Rabbi Aben Ezra, qui ita ſcribit in Commentario ſuo ſuper hunc locum:* Ecce ſunt duæ veſperæ. Vna veſpera Solis, hoc eſt, tempus quô occidit & abſorbetur ſub terram. Veſpera ſecunda, eſt lux, ſplendor ſiue irradiatio illa, quæ poſt occaſum eius in nubibus adhuc aliquandiu apparet. Durat autem hoc tempus quod eſt inter occaſum Solis, & irradiationem ejus in nubibus, ad integram horam & tertiam partem horæ. *Hæc Ezra.*

Rabbi Dauid Kimhi veſpera nomen impropriè accipiens, vocem Hebraicam Benarbaijm in radicibus aliter explicat. Nam primam veſperam incipere aſſerit à meridie, quando Sol incipit declinare ad Occidentem: ſecundam verò poſt occaſum Solis: vt ſit ſenſus, Agnum immolandum fuiſſe tempore illo intermedio, quod eſt à meridie ad occaſum. Et hanc ſententiam ſequi videntur Alphonſus Abulenſis, Nicolaus de Lyra, & Dionyſius Carthuſianus in caput 12. *Exodi: vbi aiunt,* quòd veſperam Iudæi à ſeptima hora quartæ decimæ diei incœperint, quòd illâ horâ jam pertinuerit ad diem Solennem ſequentem. *Sed R. Ezra ſuprà nominato loco refutat horum opinionem, & adducit certa ſcripturæ teſtimonia, quibus illos errare probat, ſuámque ſententiam confirmat.*

Alijs verò magis placet ſententia, quæ dicit, Veſperam incœpiſſe apud Iudæos non à meridie, ſed tribus horis poſt meridiem à Nona nimirum hora, duráſſéque vſque ad vndecimam, hoc eſt, à tertia ad quintam vel ſextam, ſecundùm noſtram numerãdi conſuetudinem. Nam vt cap. 1. de Horis Iudæorum indicauimus, apud illos dies diuidebatur in quatuor quadrantes, quorũ ſinguli etiam à qualitate eius temporis, quod circa finem quadrantis eſt, denominabantur. Quarta igitur & vltima diei pars, quæ in occaſu Solis terminabatur, vocabatur veſpera, quia Veſpera, licet propriè in occaſu Solis intelligatur, toti tamen illi parti vltimæ denominationem quoque dabat. Hanc ſententiam, juxta quam Veſpera ſignificat id etiam tempus quod eſt ante Occaſum Solis, probare conantur ex Matth. 14. cap. Narratur ibi, quòd veſpere facto acceſſerint Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Deſertus eſt locus & hora jam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in caſtella, emant ſibi panes. *Commemorato deinde miraculo quinq; panum & duorum piſcium quibus quinque millia hominum ſaciata ſunt hæc ſubjungit Euangeliſta.* Et dimiſſâ turbâ aſcendit Ieſus in montem ſolus ad orandum: Veſpere autem facto ſolus erat ibi. *Hic bis eodem die ab Euangeliſta dicitur. Veſpere facto. Et priori quidem veſpere intelligit tempus longe ante Solis occaſum, nam miraculum hoc non niſi in die factum intelligi poteſt, quando Sol adhuc ſupra terram erat: quam veſperam Marc. 6. & Luc. 9. cap deſcribentes, dicunt, quòd* dies cœperit inclinare. *Vel, quòd* jam hora multa eſſet. *Poſteriori autem veſpere Matthæus intelligit Solis occaſum, quam Marcus his verbis exprimit,* Cùm ſerò eſſet. *Atque hoc diei tempore Agnũ mactari debuiſſe ijdem volunt. Vnde Caietanus in 12. cap. Exod.* Hora, *inquit*, occidendi Agnum ſtatuitur inter veſperas, hoc eſt, inter occaſum Solis & veſperam, hoc eſt, declinationem Solis ad occaſum: hoc eſt per duas horas vel circiter, ante Solis occaſum. *Hæc ſententia omnium optimè cum typo Agni mactati, hoc eſt, cum Chriſti Ieſu paſſionis tempore conuenit. Hinc R. P. Bullingerus Sermone 6. Decadis* 3. Ita verò, *ait*, ipſe temporis articulus mortis ſeu immolationis ejus expreſſus atque prædictus eſt. Expirauit enim horâ nonâ. Vnde S. Petrus dixit, Prophetas ſcrutatos eſſe ad quẽ aut cuiuſmodi temporis articulum ſignificaret Spiritus Chriſti, qui in eis erat, Chriſtum venturum atque paſſurum. *Et Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis de Concordia Euangeliſt. cap.* 143. *in illa verba:* Ieſus autem iterum clamans voce magna: Obſeruandum, *inquit*, conueniens tempus à Chriſto delectum ſuo ſacrificio. Horâ enim nonâ aut mox poſt eam, hoc eſt, veſperâ, quæ

à nona incœpit apud Iudæos, tum tradidit ſpiritum, quando & immolare juſſi erant Agnum Paſchalem: & quotidianum ſacrificium in Templo immolabant, *Exod.29. Horum ſententiam manifeſtè confirmat Ioſephus lib.7.capite 17. de Bello Iudaico, vbi ait,* quòd a nona hora vſq; ad vndecimam Iudæi in Paſchate hoſtias cædant.

Computatio vera paſchatis. *Ex quibus ſimul vera diei Paſchatis & Azymorum computatio peti poteſt, quæ ab authoribus variè computari ſolet Agnus Paſchalis mactari jubetur die 14. primi menſis inter veſperas, hoc eſt, vt modò diximus, interdiu: veſpera enim Geneſ. 1. noctem ſignificat. Cùm autem noctu edendus fuerit Agnus ille, vt mox dicetur, mactari autem jubeatur die 14. ne quis nocte præcedente diem decimam quartam mactandum fuiſſe putet, additur differentiæ gratia, inter veſperas, veſperam ſcilicet 14. & veſperam 15. dierum, vel inter tempus veſpertinum diei decimi quarti, & noctem ſequentem, quæ decimum quintum diem inchoabat, quâ nocte edebatur. Ergo dies decima quinta Paſcha fuit, ſi juxta legis vſum & morem veterem noctem præcedentem illi annumeres, & eodem fuit prima Azymorum. Colligitur hoc ex Deuteron.16. cap. vbi ſic præcipitur:* Et non videbitur à te fermentum in vniuerſo termino tuo ſeptem diebus, neque morabitur de carne, quam immolabis in veſpera primi diei vſq; mane,

Explicatio locorum Exod.12. & Leui.23. *Vides in veſpero primi Azymorū immolatum fuiſſe Paſcha. Hā ſi iuxta cōmunem morem referas ad diem decimum quartum, dies ille dicetur Paſcha: ſi juxta legem ad decimū quintum hanc referas veſperam, ille Paſcha erit. Hinc facilè conciliari poſſunt ea quæ in lege cōtraria eſſe videntur. Exod.12. dicitur:* In primo menſe 14. die illius menſis ad veſperam comedetis Azyma, vſque ad 21. diem illius menſis ad veſperam *Leuit.23. verò ſcribitur:* In menſe primo in 14. die menſis inter veſperas Paſcha Domini eſt. Et in 15. die menſis iſtius, Feſtum Azymorum eſt. *In Exodo dies Azymorum à 14. incipit: in Leuitico verò à 15. quia nox erat initium Azymorum quam illic dies 14. hic verò 15. diei annumerat.*

3. *Tertiò, in pateram cruorem Agni excipiebant, quem mox aſpergillo hyſopi poſtibus januæ atque ſuperliminari aſpergebant.*

4. *Quartò Agnum ipſum, non elixatum quidem aquis, ſed aſſatum igni, & integrum, hoc eſt, caput cum pedibus eius & inteſtinis comedebant, eâ nocte quæ ſequebatur diem 14. & inchoabat diem decimam quintam artificialem: additis amaris herbis, & pane azymo ſiue infermentato. Ipſi interim epulantes non ſedebant, ſed ſtabant, renes ſeu lumbos ſuccincti, calceati & baculos tenentes in manibus haud ſecus quàm ſi peregrè profecturi eſſent. Edebant autem feſtinantiſſimè Agnum: non relinquebant ex eo quicquam, aut relicta extra ædes exportabant: oſſa eius nec confringebant, nec projiciebant canibus, ſed exurebant cuncta igne. Quia verò Agnus totus erat abſumendus, idcirco ſi minor fuiſſet familia, quàm quæ Agno abſumendo ſufficiſſet, jubetur aſſumere vicinum ſuum proximum domui ſuæ, vt ita duæ familiæ ſimul Agnum totum comedant. Ex ædibus autem, in quibus Agnum edebant, à veſpera illa vſq; mane nemo egredi auſus fuit.*

Vbi obiter notandum, eſſe nonnullos qui affirment, cùm agnus hic ſumptus ſit vt ſacramentum, non tanquam cibus ad ſatiandum, ideò peracto illius eſu inter ſtandum, in Ægyptiacæ ſeruitutis ſignum, tum alia quoque in illa ſolenni conuiuio appoſita fuiſſe, quæ ſedentes ederint, in libertatis adeptæ memoriam. Colligitur hoc ex Agno Paſchali vltimo, quem Chriſtus cum ſuis Diſcipulis comedit. In eius deſcriptione Euangeliſtæ teſtantur manifeſtè, Chriſtum cum Diſcipulis accubuiſſe: quod non de Agni paſchalis eſu intelligendum putant, is enim ſtando ſumi debuit, ſed de poſteriori conuiuio: cuius rei etiam indicio eſt, quòd Iudas buccellam intinxit cum Domino, quod de Agno intelligi non poteſt. Et hinc conſuetudinem poſtea inter Chriſtianos natam arbitrantur, vt Euchariſtiæ Sacra conuiuia conjungerent, quæ Agapas nominârunt. *Agaparum origo.*

Porrò Veſperè decimiquarti diei, quo Agnum hunc mactabant, cogebantur etiam ſimul fermentum omne è domibus ſuis ejicere & expurgare & ſeptem iſtis diebus continuis, à decima quinta vſque ad vigeſimam primam incluſiuè, azymis ſeu infermentatis panibus edere: tranſgreſſori mortis pœnâ denunciatâ. Quæ etiam cauſa eſt ob quam Euangeliſtæ indifferenter diem Azymorum pro Paſchate ponere ſolent. Dicit enim Mar. 14. cap. Erat Paſcha & Azyma poſt biduum *Et Lucas 22. cap.* Appropinquabat dies Azymorum, qui dicitur Paſcha. *Singulis autem his ſeptem diebus duo tauri occidebantur & aries vnus, agni verò ſeptem in holocauſta: hircus quoque pro peccato adjiciebatur per ſingulos dies ad epulas Sacerdotum, vt Ioſephus teſtatur Antiquitat. lib.3. cap.13. Numer.28. cap. ver.19.20 21.22. & 23. offerri jubētur vituli duo, aries vnus, & ſeptem agni, præter juge ſacrificium, ſimilæ tres decimæ pro vnoquoque vitulo duæ pro ariete, vna pro agno, & hircus nihilominus pro peccato.* 5.

Erat autem huic ſacro, & actioni toti à Deo certus deſignatus locus. In Ægypto quidem, quum primum Paſcha celebrarent ſparſim per ſingulas ædes epulabantur. In deſerto, & imprimis in terra promiſſa, non licebat alibi quàm ad Tabernaculum, & poſtea Hieroſolymis tantùm ad Templum celebrare Paſcha. Diſperſi ergo in *Paſchalis eſus certus deſignatus locus.*

Digitized by Google

go in ea vrbe per ædes, ſed per ſodolitia, epulabantur Sic Paſcha celebrare iubetur populus in deſerto Sinai poſt extructum & dedicatum Tabernaculum: Num.9. Et Deut. 16. dicit Dominus: Non poteris immolare Paſcha in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus daturus eſt tibi: ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, immolabis Paſcha. Et cuques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéque conſurgens vades in tabernacula tua. *Vnde Exod.12. præcipitur*, vt cùm ingreſſi fuerint terram, quam daturus ſit ipſis, tunc maximè obſeruent cultum hunc. *Idem etiam videre licet ex ijs quæ Lucas 2.cap. de parentibus Chriſti refert.* Ibant, *inquit*, quotannis Hieroſolymam in Feſto Paſchæ. Et quum factus eſſet Puer annorum duodecim, aſcenderunt ipſi Hieroſolymam ſecundùm ritum Feſti.

Paſchalia ſodalitia.

Ioſephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 17. refert huiuſmodi ſodalitia ſeu contubernia non pauciorum quàm de em hominum fuiſſe. Et vltimo quidem Paſchate, quo vrbs Hieroſolymorum à Romanis capta atque deleta eſt, hoſtiarum ducenta & quinquaginta ſex millia & quingentas numeratas ait, quæ per ſingula ſodalitia cæſa ſint. Inde colligit numerum hominum qui eo tempore ad Paſcha confluxerint. Fiunt enim, *inquit*, ſi denos epulatores per ſingula ſodalitia computemus, vicies centena ac ſeptingenta millia præter leproſos, aut menſtruo aliáque re pollutos & contaminatos.

In Paſchate à fermento abſtinere debuerant per totā Iudæam

Etſi verò tantùm in Hieroſolymorum vrbe Agnus Paſchalis mactandus & comedendus erat, tamen non ſolùm in ea vrbe, ſed etiam per vniuerſam Iudæam in cunctis domibus, & habitaculis & in omnibus terminis ipſorum à fermentato abſtinere juſſi ſunt, vt apparet Exod. 12. & .13. & Deut. 16.

Paſchali ſacro totus Iſrael fuit aſtrictus

Præterea totus Iſrael, omnes inquam & ſinguli homines, huic Sacro peragendo adſtringebantur. Sic enim Exod. 12. dicitur: Hæc eſt lex Iehouæ, quam obſeruabunt omnes filij Iſrael per generationes ſuas *Item*, Vniuerſus cœtus Iſrael facient ipſum. *Numer. 9. cap. addit comminationem quòd animas hanc Ceremoniam negligentium de populo ſuo ſit extirpaturus, exceptis aduenis incircumciſis.* Nullus, *inquit*, incircumciſus de eo veſcetur, neque inquilinus, neque mercenarius. *Exod. 12.*

Qui verò eo tempore, quo celebrabatur, obfuiſſent peregrinantes, aut contaminati eſſent funere, his licebat ſequenti menſe Paſcha celebrare, eo tamen omninò modo quem præſcripſerat aliis, vt videre licet Numer. 9. Sic legimus 2. Paralipom. 30. cap. ſub Ezechia Rege Paſcha, quod antè longo tempore ab impijs pleriſque Regibus, populóque cultibus idololatricis planè dedito intermiſſum fuerat, menſe ſecunda celebratum fuiſſe, quòd primo Templum à ſordibus nondum repurgatum, & expurgatum, nec ipſi Sacerdotes ſatis idonei ad Paſchales ritus tractandos eſſent.

Paſcha in quem finem inſtitutum.

Operæpretium autem eſt, vt videamus in quem finem hoc Feſtum eiuſq; ceremonia inſtituta ſit. Primò, voluit Deus hoc pacto reuocare in memoriam, & quaſi æternitati conſecrare longè maximū beneficium, quod populo Iſraelitico ſemel in Ægypto contulit: quum juſſit Agnum ad veſperam per ſingulas domos mactare, eiúſque ſanguinem ædium poſtibus aſpergere, & per Angelum omnia Ægyptiorum primogenita illâ ipſâ nocte perdidit. Iſraelitis autem quorum ædes Agni ſanguine conſperſa erant, non ſolùm pepercit, ſed eos etiam per Moſem eodem tempore ex duriſſima illa ſeruitute eduxit. Hoc beneficium non tantùm in die illo Feſto prædicari voluit verbis ſed ritu iſto, veteri illi per omnia ſimili, quaſi omnium oculis proponere. Vnde Moſes Exod. 12. Iſraelitas iuſſit, vt filiis ſuis, de hac cæremonia quærentibus, quotannis exponant in hoc Feſto, eam recordationem miraculoſæ liberationis illius.

Deinde, voluit etiam Deus ritum hunc, qui in Feſto illo obſeruabatur, teſtimonium certiſſimum eſſe ſuæ miſericordiæ & potentiæ perpetuæ, quâ erga populum ſuum vti velit. Docet hoc nos David Pſal. 136. inquiens: Celebrate Iehouam, qui percuſſit Ægyptum in primogenitis eorum: quoniam in ſeculum miſericordia ejus. Qui eduxit Iſraelem de medio eorum: quoniam in ſeculum miſericordia ejus, *&c.* 2.

Adhuc, Paſchatis hoc feſtum Chriſti Ieſu & Liberationis per eum factæ typum euidentiſſimum continebat. Quemadmodum enim in eo Agnus immaculatus, maſculus & anniculus ex Agnis vel hædis deligebatur: ita Deus ab æterno deſtinauit nobis filium ſuum, qui etſi de cælo deſcenderit & factus ſit ouis, noſtra ſcilicet ſubſtantia atq; natura, integer eſt tamen ſceleriſque purus, ſine vllo peccato & vitio, conceptus nimirum è Spiritu ſancto, & natus ex Maria caſtiſſima Virgine. Quemadmodum autem Agnus ille typicus mactabatur, & ſanguis eius foribus ædium aſpergebatur, in memoriam tranſeuntis in Ægypto ejuſmodi ædes Angeli, nec interficientis eos qui intus erant: Ita Agnus noſter Ieſus Chriſtus occiſus & quaſi mactatus eſt in cruce pro nobis & eiuſdem ſanguis per Euangelij prædicationem mentibus noſtris aſperſus, nos adverſus ſpiritualem Angelum vaſtatorem, hoc eſt, omnes Diaboli inſidias, mortiſq; æternæ metum defendit, ne illi quicquam in nos iuris & poteſtatis ſit amplius. Quemadmodum verò A- 3.

gnus erat comedendus & quidem totus, caput cum pedibus & inteſtinis, nec quicquam de ea proijciendum canibus: ſic Chriſtus etiam totus edendus eſt, non quidem carnaliter, veluti Capernaitæ imaginabantur ſibi, ſed verâ fide, ſicuti ipſe docet multis Ioan. 6. cap. cumq; cibus ſit ſpiritualis, canibus, hoc eſt impiis & Epicureis non eſt proijciendus.

Agni porrò ejuſdem carnes non aquis elixæ, ſed ardentibus prunis aſſa, Chriſti cùm paſſionem atque cruciatum, tum eximium Charitatis amorem deſignabāt. Erant autem cum celeritate comedendæ vt doceremur, Chriſtum ceu verum animæ pabulum inflammatâ fide, atque animo eſſe comedendum, & ardentiſſimo quodam appetitu quaſi vorandum, & in intimis animi viſceribus condendum, vt in illius ſimilitudinem rapiamur. Oſſa nefas erat contcrere, vt teſtatum eſſet, paſſe quidem Chriſtum mori, non poſſe autem virtutem illius atque robur infringi. Erant aſſa cum reliquiis in ignem conijcienda, nihilq; in poſterum diem reſeruandum: vt admoneremur ea, quæ mēte capere nequimus quòd intellectum noſtrum ſuperent, eſſ. fidei quaſi flammis, & incendio committenda, & ſimul quoque intelligeremus, non eſſe tutum aliquid, quod ad veram animi ſynceritatem pertineat differre atque procraſtinare. Azymi panes animi innocentiam & integritatem ſignificabant, ſecundùm illud Pauli 1. Corinth. 5. Epulemur in Azymis ſynceritatis & veritatis.

4. *Vltimò, officij noſtri, quoad vitam externam, hoc Feſtum eiuſq ceremonia nos admonet. Peragebant, ſicut diximus, epulum in eo peregrinantium habitu, & herbas admiſcebant amaras, imprimis autem à fermento abſtinebant, quin illud omninò ex ædibus expurgabant. Sic meminerimus nos in hiſce terris peregrinos eſſe, & proinde ad patriam Cæleſtem feſtini contendamus. Crucem, quæ pietatem, & vitam Chriſtianam amaram reddit, patienter feramus. Expurgemus autem imprimis, iuxta Chriſti & Pauli doctrinam, vetus fermentum innatæ noſtræ corruptionis, fermentum item Herodis & Phariſæorum, vitæ nimirum ſceleratæ reliquias falſam quoque & impiam doctrinam, cum omnis generis ſuperſtitionibus quæ ex ea promanant. Hæc enim hominem feroci & immani peccandi licentiâ, vel hypocriticâ propriæ juſtitiæ fiduciâ inflant, vitæ conſeruationem totam inficiunt, & noſtra omnia Deo inſipida atque ingrata faciunt. Studeamus autem vitæ innocentiæ, & ab omni criminis contagia caueamus, perpetuo vitæ noſtræ curſu atque ſpatio, quod ſeptem diebus continuis figurabatur, quibus veſci fermentato nefas fuit. Sic etiam calcei induti, veſtes accinctæ, & reliquus itineris confeſtim ineundi apparatus, & ſuſcepta in epulo celeritates docebant, nihil eſſe in re tanta cunctandum, nihil de die in diem differendum, ſed omnem nobis quaſi in procinctu ſtantibus celeritatem adhibendam, vt peccati fines relinquamus, & ſpiritualis illius Pharaonis, hoc eſt, Diaboli immaniſſimi nos pertinaciter inſequentis, ſæuitiam fugiamus, & cōcitato curſu, ad feliciſſimam juſtitiæ, vitæque æternæ hæreditatem properemus.*

Pſchatis tranſgreſſorū pœna.

Hæc igitur cùm Feſto Paſchali ſubſint myſteria, non ſine graui cauſa Deus Exod. 12. præcipit, vt tranſgreſſor ejus exſcindatur ex Iſraeli; & extirpetur ſeu occidatur. *Quo ipſo ſignificare etiam vult, in tanta dignitate & æſtimatione has ceremonias apud Iſraelitas eſſe debere, vt prorſus à nemine negligantur, ſed potius ab omnibus ſumma ſtudio ſummâque diligentiâ obſeruentur. Atque hinc natum eſt, abſque dubio dictum illud Hebræorum Sapientum.* Qui contemnit ſolennia Feſta, vel cœtus Eccleſiaſticos: quique irritum facit fœdus Abrahami patris noſtri, non habebit partem futuri ſeculi. *Hæc conſideranda ſunt neglectoribus & contemptoribus Feſtorum, cœtuum Eccleſiaſticorum, Sacramentorum & aliarum rerum Sacrarum noſtro ſeculo. Si enim Deus in veteri ſuo populo tanti haberi ac fieri voluit ceremonias illas vmbratiles, quanti putas haberi vult ea Religionis ac fidei Chriſtianæ exercitia, quæ filius eius dilectus inſtituit?*

Poſtridie diei Paſchatis Gomer primitiarum meſſis offerebatur.

Reſtat adhuc alia Ceremonia, quæ in hoc Feſto Paſchæ fiebat. Nam poſtridie diei Feſti, ſeu in craſtino Sabbathi afferebant ad Sacerdatem Gomer primitiarum meſſis, qui eas offerebat Domino: & Agnum immaculatum, cum ſuis libamentis & ſimilis, in holocauſtum. Sic enim Levit. 23. præcipitur: Cùm veneritis in terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem eius, inferetis Gomer de primitijs meſſis veſtræ ad Sacerdotem. Qui ventilabit Gomer coram Domino, in veſtri placationem, in craſtinum Sabbathi ventilabit ipſum Sacerdos. Facietis autem illo die, quando ventilaueritis Gomer, ouem ſine macula, maſculam, anniculam, in holocauſtum Domini. Oblatio autem eius Minha, fiet ex duabus decimis ſimilæ, quæ cōmixta ſit oleo, vt ſit ſacrificium ignitum Domino, in odorem ſuauitatis: & libatio eius erit de vino, nempe quarta pars Hin. Et nullum panem, neque roſta aut cocta grana, neque ſpicam tenerram comedetis vſque in illum ipſum diem, quo attuleritis oblationem Deo veſtro: &c. *Intelligunt autem Hebræi hoc loco per* Omer *ſive* Gomer, *menſuram continētem decimam partem Ephah: quo ſenſu accipitur Exod. 16. cap. & Iudæi vulgò* das meßlin *exponunt. Quaniam verò eadem dictio Deut. 24. cap. manipulum ſignificat, ſic enim ibi ſcribitur:* Quum meſſueris meſſem tuam in agro tuo, & oblitus fueris Gomer,

Gomer quid.

id eſt,

id eſt, manipuli tui in agro, non reuertaris vt capias illum: ideò etiam hoc loco manipulum interpretantur Septuaginta & vulgatas Interpres Latinus. Iubet ergo Dominus, vt ſibi offeratur Gomer, hoc eſt, menſura granorum quæ ex nouis ſpicis excutiebantur, vel faſciculus, ſiue manipulus nouarum ſpicarum, vt alij interpretantur. Nam, vt ſuprà quoque diximus, in Palæſtina meſſis intra Paſcha & Pentecoſten venit, quòd ea regio octodecim ferè gradibus ab arcto ad auſtrum recedit longiùs quàm Germania noſtra.

Poſtridie vel craſtinũ Sabbathi quid

Quaritar autem, quid Deus in hoc præcepto per Poſtridiè vel Craſtinum ſeu Alterum diem Sabbathi intelligat, quo Gomer offerendus eſt. Quidam putant, manipulum in ipſo ſolenni die Paſcha, in decima quinta luna offerendam fuiſſe. In qua ſententia Theodoretus fuiſſe videtur quæſt. 23. in Leuiticum. Et tunc ſenſus legis huius eſſet, altero die poſt Paſcha celebratã, offerendum eſſe manipulum, quòd dies is alter ſit dies Sabbathi, id eſt, dies Feſtus. Sed tunc interpretatio illa, Poſtridie diei Sabbathi, id eſt, poſtero die Sabbathum ſequente locum non haberet, nam dies 14. non erat Sabbathum, id eſt, feſtiuus, vt hoc loco accipitur dictio illa, ſed Paraſceue, & tantùm præparatio quædam ad Paſcha. Alij ſtrictius inhærentes literæ per Sabbathum intelligunt, hebdomadariam illud Sabbathum, quod intra dies Azymorum & Paſchæ incidebat: & iuxta hanc ſeatentiam per Poſtridiè & craſtinam ſeu alteram diem Sabbathi, intelligeretur prima dies hebdomodæ, quæ nobis eſt Dominica. Hanc ſeatentiam ſequutus eſt Rabanus lib. 2. in Deut. Iſychius lib. 6. in cap. 23. Leuit. Rupertus Abbas Tuitien. lib. 3. in Exod. cap. 24. & lib. 2. in Leuit. cap. 35. & lib. 10. de Diuinis officiis cap. 12. Durandus in Rationali lib 6. cap. 107. num. 10. Horum ſeatentiam improbare videtur Paulus Middelburg. parte 2. Paulinæ lib. 1. cap. 2. vbi dicit, quòd Sabbathum in lege iſta Leuit. 23. non pro ſeptima die hebdomadæ, quæ propriè Sabbathum dicitur, ſed prọ die ſolenni prima Paſchæ accipiatur, idque omnes Interpretes tam Latinos, quàm Græcos, tam Iudæos, quàm Barbatos aſſerere affirmat. Nonnulli Sabbathum pro toto feſto, hoc eſt, pro tota hebdomada Paſcha, & omnibus ſeptem diebus Azymorum accipiunt: & per alteram diem Sabbathi, diem primam poſt hebdomadam paſchalem intelligunt. Sed hæc ſententia maniſeſtiſſimè pugnat cum iis, quæ ſequenti capite de ſuppatatione diei Pentecoſtes à die hac, quâ manipulus offerebatur, dicturi ſumus. Sunt igitur, qui per Sabbathum intelligunt primum diem Paſchæ, id eſt, 15. diem menſis primi: in cuius initio, nocte ſcilicet, Agnus Paſchalis edebatur, & proinde per Poſtridiè vel craſtinam & alteram diem Sabbathi, primam diem poſt diem ſolennem Paſcha, id eſt, decimam ſextam intelligunt. Hanc ſenſum cum verbis legis congruere arbitror: & proinde eum ſequuntur Rabbini omnes, Liranus, Caietanus, Dionyſius Carthuſienſis, Abuleaſis parte 2. Defenſorij cap. 3. Hieronymus ab Oleaſtro in cap. 23. Leuit. & Middelburgenſis in proœmio 2. partis. Hoc modo etiam intelligit Ioſephus, cui hîc plurimùm tribuendum arbitror, vt qui abſque controuerſia optimè nouerat Praxim huius legis, quum ipſe quoque eſſet Sacerdos, & vixiſſet Hieroſolymis, quum adhuc lex iſta ſeruaretur. Is autem Antiquit. lib. 3. cap. 13. ita ſcribit: Secunda azymorum die, quæ eſt menſis hujus decima ſexta, frugibus demeſſis, & hactenus intactis incipiunt frui: æquum rati, Deum huius vbertatis authorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hunc modum: Spicatum manipulum igni torrent, hordeum deinde pinſunt, atque ita in alicæ modum fracti aſſaronem ad aram offerunt, &c.

Hæc ſententia cum verbis legis ita egregiè congruit, & authoritate Ioſephi ſic eſt munita, vt Ieſuitæ quoque ei ſubſcripſerint: ſed quia animaduerterũt maxima incommoda inde naſci ſibi, vel enim tranſlatio Paſchatis ex feria ſexta in ſeptimum diem, tempore Chriſti facta, iuxta conſtitutionem poſt ſecundi templi inſtaurationem editam, vt reperitur in libro Gamalielis & à Rabbinis Iudæorum citatur, concedenda, quæ Græcorum opinionem nonnihil ſtabilit, quòd Chriſtus fermentatis panibus in Cœna vltima vſus ſit: vel neceſſariò fatendum, Pentecoſtes feſtum, quod à die oblati manipuli numerari iubetur, & quo Chriſtus Apoſtolis Spiritum ſanctum miſit in Sabbathum tunc incidiſſe, & propterea à nobis quoq; hodie celebrandum eodem die: idcirco verborũ legis Diuinæ & Ioſephi, nouam & inuſitatam interpretationem comminiſcuntur. Aiunt enim, quod manipulus præcipitur offerri in ſecunda die Azymorum Lunâ decimâ ſextâ, id intelligebatur procedere communiter, ordinariè, vt in pluribus: ſed in vno caſu, quando poſt Feſtum Paſchæ ſequebatur immediatè feſtum Sabbathi, tunc nõ in Sabbatho: ſed in prima Sabbathi ſequenti, die ſcilicet quam nos vocamus Dominicam, offerendus erat manipulus. Hæc quidem illi, quæ tamen nullâ prorſus, niſi Ieſuiticâ authoritate, nituntur. Sic enim Robertus Bellarminus tom. 3. de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 3. Authorem, inquit, meæ ſententię nõ habeo. Et Marcellus Francolinus in Tract. de tempore horarum Canonicarum cap. 84. Si quæras, ait, vnde hanc declarationem habeam; fateor me illam apud Doctorem aliquem non legiſſe. Quamobrem eâdem facilitate reiici poteſt, quâ affirmatur: præſertim cùm disertè

Ioſephus

Ioſephus abſque omni exceptione ſecŭdam diem Azymorum huic oblationi deſtinet. Et notanda eſt hoc loco iſtiuſmodi hominum impudentia. Reyciunt illi mutationem eam temporũ & trãslationem Paſchatis aliorúmque Feſtorum, de qua cap.1. quadam diximus, cuius tamen fundamenta in Thalmud, & omnium ferè Rabbinorũ libris, quod ad authorem, tempus & alias circumſtantias attinet, demonſtrari poſſunt, & qua adhuc hodie à Iudæis obſeruari ſolent: interim verò illi tranſlationem quandam oblationis manipuli fingunt & excogitant, atque Eccleſia obtrudunt, cuius nulla prorſus ipſis quoque teſtibus, non ſolùm apud veteres, ſed ne modernos quidem authores, extant veſtigia. Verùm ne omnino rationibus deſtitui videantur, eam ob cauſam aſſerunt primo die Azymorum hanc oblationem non factam, ſed ſecundo, quòd hac oblatio manipuli multa opera ſeruilia requireret, nimirum meſſionẽ manipuli, eius exiccationem & delationem ad Sacerdotem: at iſta magis prohibita die Sabbathi hebdomadary, quàm die primo Azymorum: idcóque non licuiſſe in ſecunda die Azymorum hac facere, quando eâ die eſſet Sabbathum. Reſpondeo hac pro nobis facere, ſi vera ſunt qua ab illis dicuntur. Nam ob hac & ſimilia incommoda Paſchatis iſta translatio ex feria ſexta in Sabbathum inſtituta videtur maximè. Deinde pro confeſſo hic ſumunt, de quo non immeritò dubitatur. Quaro enim unde habeant, non licuiſſe primo die Azymorum manipulum offerre, quòd ea res multa opera ſeruilia requireret? Quemadmodum autem id falſum eſt, ita etiam hoc quod inde colligunt, quòd prohibitum fuerit, ne Azymorum ſecundâ die faſciculum meterent & exiccarent, ſi in ipſum Sabbathum incideret. Nam ut rectè Francolinus eodem lib. cap. 66. num. 23. monet, Iudais prohibita erant in diebus Feſtis non omnia opera indiſtinctè, ſed opera ſua propriè: opera autem Dei, qua fiebant ex pracepto Dei, vel ad cultum Dei, non prohibita, ſed licita, & quandóque intelligebantur. Qua igitur ratio conceſſit Sacerdotibus in Sabbatho & diebus Feſtis occidere & excoriare victimas, circumcidere infantes & ſimilia multa facere, eadem conceſſit populo Iudaico ſecundâ die Azymorum metere & exiccare frumentum ſi maximè in Sabbathum incidiſſet: praſertim cum Leuit. 23. cap. diſertè pracipiatur, ut primâ die Feſti Tabernaculorum, quæ tamen omnium erat celeberrima, decerpant & colligant palmarum ſpatulas, ſalices, ramos ſeu frondes arborum, & ex ijs tabernacula extruant, *qua omnia non minus opera ſeruilia æſtimanda ſunt, quàm metere frumentum.*

Oblationis manipuli causa. *Huius autem oblationis, qua iſto die fiebat, ha potiſſimùm cauſa erant. Prima, ut admonerentur de Diuino nouarum frugum beneficio, & publicè rogarent Deum, ut incrementum & benedictionem ſuam effunderet ſuper futuram meſſem. Deinde, ut iſtâ ordinatione cogerentur legitimum tempus meſſis expectare: ante hanc enim oblationem non licebat eis de nouis frugibus edere. Tertia cauſa huius oblationis fuit, ut ab hoc die, oblatione faſciculi ſic inſignito, Pentecoſtes Feſtum numeraretur, de quo iam dicturi ſumus.*

Capvt VI.

De Pentecoſte Iudæorum, ſeu Hebdomadarum Feſto.

Proximum à Paſchate Feſtum ſolenne appellârunt Hebrai שבעות *Schebuoth,* *hoc eſt,* Hebdomadarum, *nam poſt ſeptimam hebdomadam à priore Feſto celebrandum fuit, ut legitur Exod. 34. Leuit. 23. & Deuteron. 16.*

Πεντηκοστὴ quid. *Gracis dicitur* Πεντηκοστὴ. *Quod nomen etiam Latini retinent, & Pentecoſte vocant. Germani quoque ab eodem, immutatis tamen quibuſdam ſyllabis & literis* Pfingſten *appellant. Significat autem diem quinquageſimum à ſecundo Azymorum Solennem ac Feſtiuum: quo ſenſu accipitur à Luca Act. 2. ubi ſic dicit:* Cùm autem compleretur dies Pentecoſtes. *Et cap. 20 de Paulo loquens.* Feſtinabat, *inquit,* ut ſi quo modo poſſet, Pentecoſten ageret Hieroſolymis. *Significantur etiam hoc nomine, omnes illi quinquaginta dies, qui numerãtur à ſecundo Azymorum ad diem Feſtum quinquageſimum. Et ita intellexit vulgata editionis authór, qui verba Act. 2. in numero plurali ſic reddidit:* Cùm complerentur dies Pentecoſtes. *Neque enim per dies Pentecoſtes hoc loco intelligere poſſumus ſeptem dies, quibus hoc Feſtum celebratum fuit, ſicut Feſta Azymorum & Tabernaculorũ, quemadmodum volunt authores hiſtoria Scholaſtica in Num. 43. & 44. & in Act. cap. 2. Hugo Cardinalis in idem caput, & Dionyſius Carthuſ. in Leuit. cap. 23. Nam hac ſententia ex Sacris literis probari non poteſt, ſed eorum potius, qui dicunt, uno die tantum celebratum fuiſſe hoc Feſtum. Pro quinquaginta etiã diebus inter Paſcha & Pentecoſten uſus quoque eſt hoc nomine Hieronymus epiſt. 54. aduerſus Montanum, & in Dialogo contra Luciferianos: & Epiphanius aduerſus hareſes in fine.*

Ne tamen videatur contrarietas aliqua eſſe in numerando hoc Feſto per ſeptem hebdomadas, qua dies tantùm 49 habent, & quinquaginta dies, obſeruandum, terminum alium hebdomadũ in lege definiri, quàm dierum quinquaginta. Hebdomades deſinunt in ipſum Feſtum Pentecoſtes: dies verò quinquaginta in eius craſtinum.

Nam

Digitized by Google

Nam ita expreſsè legitur Leuit. 23. *vſque in craſtinum ſeptimi Sabbathi, (hoc eſt, ſeptimæ ſeptimanæ)* numerabitis quinquaginta dies. *Vel, vt vulgata editio habet:* Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, *id eſt, quinquaginta dies.*

Tertio vocatur etiam Solennitas hæc Feſtum Primitiuorum, *ab oblatis primitiis, ſeu panibus de nouis frugibus. Exod.* 23.

Ritus in Pentecoſte. *Ceremoniæ ſeu ritus eius deſcribitur Leuit.* 23. *cap. in hunc modum:* Offeretis ſacrificium nouum Domino, ex omnibus habitaculis veſtris: panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Offeretiſque cum panibus ſeptem Agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocauſtum cum libamentis ſuis, in odorem ſuauiſſimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duóſque Agnos anniculos, hoſtias pacificorum. Cúmque eleuauerit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vſum ejus. Et vocabitis hunc diem Celeberrimum atque Sanctiſſimum: omne opus ſeruile non facietis in eo. *Num.* 28. *& Deut.* 16. *cap. eadem ferè exponuntur.*

Pentecoſtes Feſti cauſæ. *Cauſæ inſtitutæ huius ſolennitatis ſunt tres præcipuæ. Prima eſt, memoria datæ legis, quæ quinquageſimo die ab egreſſu populi ex Ægypto à Deo in monte Sinai data perhibetur. Cùm enim Dominus dixiſſet Deut.* 16. *cap.* Facies Feſtum diem hebdomadum Domino Deo tuo: *mox ab eo ſubjicitur,* Memento quod ſeruus fuiſti in Ægypto. *Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet: Hic dies ſit tibi monumentum, quod eo conſecutus ſis perfectam libertatem, dum, lege latâ, inter vos inſtituta fuit noua politia, cùm ante a ſerui eſſetis & teneremini Ægyptiorum legibus. Vt igitur inter Iſraelitas confirmaretur tanti beneficij memoria, & declararent ſe gratos erga Deum benefactorem ſuum, Feſtum hoc die, quo hæc facta ſunt, quotannis celebrari præcipitur. Eſt hæc communis omnium veterum Patrum ferè ſententia, imprimis autem D. Auguſtini, epiſt.* 119. *cap.* 16.

Computatio dierũ 50. ab egreſſu Iſraelitarũ ad datæ legis diem. *Non eſt autem contemnenda controuerſia inter Doctores, de computatione quinquaginta dierum ab egreſſu populi Iſraelitici ad datæ legis diem quinquageſimum. Nam Moſes teſtatur Exod.* 19. *veniſſe ſe cum Iſraelitis in deſertum Sinai menſe tertio ab exitu ex Ægypto, ac tertiâ deinde legem datam: non indicat autem quoto die menſis tertij in deſertum Sinai venerint: & propterea non certò conſtat, unde tres illi dies numerandi ſint, de quibus Moſes dicit,* Eſtote paratι in tertium diem. *Hinc variæ hac de re & diuerſæ Doctorum reperiuntur ſententiæ.*

Auguſtini computatio. *D. Auguſtinus in Quæſt. Veteris & Noui Teſtamenti cap.* 95. *& lib.* 2. *quæſt. in Exod. cap.* 70. *& epiſt.* 119. *ad Ianuarium cap.* 16. *quæ etiam habetur inter opera Hieronymi tom.* 9. *epiſt.* 21. *ex cap.* 19. *Exod. probare conatur, datam legem die tertio menſis tertij: & diem illum tertium menſis tertij fuiſſe quinquageſimum à decimo quarta die primi menſis, in quo immolatũ erat Paſcha, includenda vtráque extrema. Nam ex primo menſe habentur dies* 17. *ex ſecundo* 30. *& ex tertio tres: qui omnes faciunt dies* 50. *Hinc porrò colligit, diem Pẽtecoſtes in eâdem eſſe feria, in qua fuerit dies immolationis Agni: quemadmodum igitur primum Paſcha in Ægypto celebratum ſit ab Iſraelitis feriâ* 4. *ad veſperam, quæ erat* 14. *dies menſis primi, ſic datam eſſe legem in monte Sinai eâdem feriâ, quæ fuerit* 3. *dies menſis tertij. Verùm Auguſtinus ita numerando ſibiipſi contrarius videtur. Nam epiſt.* 119. *ad Ianuarium vult Feſtum datæ legis, eſſe Feſtum Pentecoſtes. Id autem Leuit.* 23. *numerari iubetur non à decima quarta die menſis primi, quâ Agnus fuit in Ægypto mactatus, ſicut Auguſtinus facit, ſed à ſecunda Azymorum, hoc eſt à* 16. *die. Si quis dua diuerſa Feſta faciat, datæ legis & Hebdomadarum, quod propriè eſt Feſtum Pentecoſtes, tunc non coincident, & nullum erit Feſtum datæ legis: neque enim legimus alicubi in Veteri Teſtamento, quòd extra Feſtum Hebdomadarum in memoriam datæ legis Feſtũ aliquod peculiariter ſit celebratum.*

Adhæc, etiam in numerandis his diebus quinquaginta, errare videtur Auguſtinus. Nam ex primo menſe ſumit dies 17. *ex ſecundo dies* 30. *ex tertio dies tres: quod falſum eſt. Sed ne quis mihi vitio vertat quòd de Sanctiſſimo viro hæc dicam, Bedam audiamus, qui in lib. de Temp. cap.* 5. *& lib. de Ration. Computi, cap.* 6. *&* 11. *regulam tradens computandorum menſium ad intelligendam Sacram ſcripturam ſic infert de ratione temp. cap.* 9. Antiqui menſes ſuos non à Solis, ſed à Lunæ curſu computare ſolebant. Vnde quoties in Scriptura Sacra ſiue in lege, ſiue ante legem, quotâ die menſis quid factum, dictúmue ſit indicatur, non aliud quàm Lunæ ætas ſignificatur. *Et paulò infrà:* Quos menſes propter Lunæ circulum, qui viginti nouem ſemis diebus conſtat, triceni, vnde triceníſque diebus alternantes, ſecundo demùm vel tertio anno exacto, menſem ſuperfluum, qui ex annuis vndecim Epactarum diebus confici ſolet, intercalant. Vnde nonnullo moueor ſcrupulo, quomodo Majores noſtri diem, quâ lex data eſt, quæ eſt tertia menſis tertij, quinquageſimam ab Agni occiſione

compu-

Digitized by Google

computent:ponentes videlicet primi menſis reſiduos dies 17. quia tredecim priores fuerant ante Paſcha tranſacti: ſecundi 30. tertij 3. qui fiunt ſimul dies 50. Cùm conſtet, duos menſes lunares non 60. ſed 59. diebus debere concludi, ac per hoc in ſumma temporis memorati non plus quàm 49. dies inueniri. Niſi fortè putandum eſt, συνεκδοχικῶς, quæ eſt regula Sanctæ Scripturæ frequentiſſima, computari. *Hæc Beda. Debuit ergo Auguſtinus numerare ex primo menſe 16. ex ſecundo 30. dies: vel ex primo 17. dies, ex ſecundo 29. Præterea Moſes non dicit,* menſe tertiu Paſchatis: *ſed* menſe tertio poſtquam egreſſi ſunt filij Iſrael de terra Ægypti. *Egreſſi autem ſunt non 14. ſed 15. die, vt Num. 33. indicatur.*

Ruperti ſentẽtia. *Rupertus Abbas Tuitien. in eundem cum Auguſtino lapidem impingit, numerando dies 50. ab immolatione Agni ad datam legem: in eo tamen ab illo diſſentit, quòd vnum menſem dierum 29. alterum dierum 30. facit, vt Lunaribus menſibus, qui apud Hebræos in vſu fuerunt, conuenit. Quia verò ſic efficiuntur dies tantùm 49. ſi, que aliâ die data eſſet lex, aliâ miſſus eſſet Spiritus Sanctus, & hac ratione periret pulcherrimus typus noſtræ Pentecoſtes, quem Patres primitiuæ Eccleſiæ ferè omnes agnouerunt, nimirum, quòd Pentecoſte Iudæorum fuerit Feſtum veteris legis, & Pentecoſta Chriſtianorum ſit Feſtum nouæ datæ legis: propterea addit,* legem intelligi debere, datam eſſe non die tertio menſis tertij, in quo audita ſunt tonitrua & ſonitus buccinæ, vt plerique (*inquit*) negligenter legentes putant, ſed in die quarto, in quo lecta fuit lex à Moſe, & à populo audita, vt patet ex cap. 24. Exod. *Refert hæc ille lib. 3. in Exod. cap. 23. & 41. & lib. 2. in Leuit. 34. itémque lib. 10. de Officiis diuinis cap. 12.*

Authorus hiſt. ſcholaſt. & Durandi ſentẽtia. *Author Hiſtoriæ Scholaſticæ in cap. 18. Exod. & Durandus in Rationali lib. 6. cap. 107. num. 9. aſſerunt,* legem datam eſſe quinquageſimo die non ab immolatione Paſchæ, ſed à Solenni eius die. *Et quo faciliùs ſuam ſententiam tueri poſſint, dicunt cum Ruperto, legem datam quarto die menſis tertij, & omnes menſes contra Hebræorum conſuetudinem, triginta faciunt dierum. In vno tamen differunt hi duo authores: Scholiaſtes enim dicit, diem quartum menſis tertij fuiſſe illum, in quo audita ſint tonitrua, & ſonitus buccinæ, & viſa fulgura: Durandus verò ait cum Ruperto, fuiſſe illum, in quo lecta & audita ſit lex à populo.*

R. Solomonis & Lirani ſentẽtia. *Rabbi Solomon, & eum ſequutus Liranus in cap. 19. Exodi, qui menſes Lunares conſtituunt, quinquaginta, hos dies numerant quidem à die ſolenni Paſchæ, & egreſſu populi ex Ægypto, ſed non incluſiuè, verùm excluſiuè, hoc eſt, à ſecundo die Azymorum, & finiunt die ſextâ menſis tertij. Dicunt enim Moſem veniſſe in deſertum Sinai menſis tertij die tertio, ac dein quarto dixiſſe,* Eſtote parati in diem tertiam, *ac ſexto demùm die menſis huius audita eſſe tonitrua & fulgura, & datam eſſe legem verbotenus. Coincidunt hæc cum iis quæ ſuprà in fine capitis quinti diximus. Placet hæc ſententia Bellarmino quoque, vt quæ magis conformis ſit literæ. Verba enim Moſis hæc ſunt:* Menſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai: *vbi illud,* In die hac, *referri videtur ad numerum antea nominatum, nimirum ad tertium, vt ſit ſenſus: Menſe tertio, & die ipsâ, id eſt, eiuſdem numeri, hoc eſt, tertiâ. Iuxta hanc autem ſententiam dies Pentecoſtes, quo miſſus eſt Diſcipulis Chriſti Spiritus Sanctus fuit in Dominica, vnde etiámnum hodie eo die celebratur ab Eccleſia. Oportet igitur, vt dies Azymorũ ſecundus, tempore Paſſionis Chriſti, fuerit in Dominica, & Feſtum Paſcha in Sabbatho. Quodſi autem eo tempore incidit Paſcha in diem Veneris ſeu feriam ſextam, vt ab omnibus creditur neceſſe eſt, vt tunc, iuxta conſtitutionem poſt ſecundi templi inſtaurationem factam, ex hac feria in Sabbathum tranſlatum ſit Paſcha. Nam ſi celebratum fuiſſet die Veneris, vt Pontificij volunt, dies ſecundus Azymorum, in quo oblatus fuit manipulus, & Feſtum Pentecoſtes in Sabbathum incidiſſet, & Sabbatho hodie quoque celebrari deberet. Quæ ita manifeſta ſunt, vt ne ab ipſo quidem Francolino negari poſſint ſicut eſt videre in eius libro de Tempore horarum Canonic. ca. 83. Obſerua tamen quas ibidem quærat elabendi rimulas.* Opinio hæc. *inquit,* mera eſt diuinatio. *Nos verò Bellarmini Ieſuitæ verbis oſtendimus modò, eam magis quàm nullam aliam literæ eſſe conformem. Deinde dicit,* etſi lex data fuerit eo die, quo ipſi dicũt, non tamen neceſſariò ſequi, Feſtum Pentecoſtes ſimili modo eodem die celebrandum: nam aliunde ſumendam eſſe rationem computationis diei Feſti Pentecoſtes, quàm ex die datæ legis, nimirum ex cap. 23. Leuit. vbi celebritatis huius dies præſcribitur à Deo.

Equidem fateor non reperiri in Sacris literis Feſtum hoc celebrandum in memoriam datæ legis eo die. Docet autem hoc Auguſtinus non vno in loco, aliíque multi Patres: & pulcherrimã figuram noſtræ Pentecoſtes in eo monſtrant: ſolus Francolinus negat, ne veritati cedere cogatur. Deinde demonſtratur quidem Leuit. 23. ratio computandi hunc diem Feſtum: hæc autẽ cum ea egregiè congruit. Eiuſdem momenti eſt, quod dicit, Theodoretum in Exod. quæſt. 54. & in Leuit. quæſt. 32. affirmare, Pentecoſtes Feſtum inſtitutum fuiſſe non in memoriam

moriam datæ legis in monte Sinai, ſed in memoriam ingreſſus populi in terram promiſſionis. *Reſpondeo, falſum eſſe, Theodoretum aſſerere, Pentecoſten non in data legis memoriam inſtitutam: ſed ſolùm dicit, Pentecoſten revocare in memoriam ingreſſum in terram promiſſam. Quemadmodum igitur, qui dicit, Pentecoſten inſtitutam fuiſſe ob gratiarum actionem de nouis frugibus, & figuram illius Pentecoſtes quâ Diſcipulis miſſus eſt Spiritus Sanctus, non negat etiam in data legis memoriam inſtitutam: ſic quoque Theodoretus commemorando hunc finem, non negat alterum. Eſt igitur in hoc Francolini argumento Compoſitionis fallacia: conjunguntur enim in eo, quæ erant ſeparanda. Adhæc; ſi maximè Theodoreti hæc eſſet ſententia, vni tamen illi, Auguſtinum & alios multos Patres opponeremus, qui hoc affirmant. Adde, quòd omnia quæ in veteri populo contigerunt, iuxta Paulum* 1. *Corinth.* 10. *typi & figuræ fuerunt rerum futurarum, quibus perficiendis Chriſtus ab æterno prædeſtinatus fuit. At in Auguſtini ſententia longè pulchrior noſtra Pentecoſtes typus, quàm in Theodoreti latet. Ille enim Veteris Teſtamenti typum, cum noſtro Pentecoſte conferens epiſtolâ* 119. *ad Iannarium*, Occiditur (*inquit*) ouis, celebratur Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus, datur lex ad timorem ſcripta digito Dei. Occiditur Chriſtus, qui tanquam ouis ad immolandum ductus eſt, ſicuti Iſaïas teſtatur, celebratur verum Paſcha: & interpoſitis quinquaginta diebus, datur ad charitatem Spiritus Sanctus, qui eſt digitus Dei, *&c. Sacra quoque literæ paſſim teſtantur, Chriſtum finem eſſe legis.*

2. *Porrò altera cauſa inſtituta Pentecoſtes Solennitatis erat oblatio duorum panum è nouis frugibus coctorum, pro primitiis Domino: vt hoc ceremoniâ admonerentur, ſe fruges omnes, adeóque cuncta ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, è manu Dei clementiſſimo accipere, & ſimul excitarentur ad orandum Deum, non tantùm pro benedictione frugum, verùmetiam vt iis ſanctè vteretur.*

3. *Tertiò, Pentecoſte Iudæorum fuit typus illius Pentecoſtes, quâ Chriſtus, poſtquam in altum aſcendit, legem promulgauit, non legem tabulis lapideis inſcriptam, ſed cordi ac menti, legem noui fœderis, quo die primitiæ Spiritus Sancti, eius inquam dona ſtupendo cum miraculo in Apoſtolos effuſa ſunt, à quo mox tempore legem Chriſti Euangelium ſcilicet, magnâ conſtantiâ prædicare cœperunt.*

4. *His adde, ſi libet, quartam cauſam, vt nimirum Pentecoſte Iudæorum, memoriam eis renouaret introitûs in terram promiſſionis: quòd tunc demùm ſerere & metere cœpiſſent.*

CAPVT VII.

De Tabernaculorum Feſto.

M*Enſis Tiſri, qui primus antiquitus, juxta Feſtorum autem ordinem ſeptimus fuit, totus ferè erat Feſtiuus apud Iudæos: erat enim tempus in quod incidit hic menſis, admodum idoneum ad celebranda Feſta, quòd tum omnes fruges terræ ex agris collectæ eſſent: deinde quemadmodum inter dies ſeptem eſt obſeruatum Sabbathum, ſic inter menſes, ſeptimus hic quaſi Sabbathum eſt menſium: præcipuum tamen omnium & maximè Solenne* Tabernaculorum Feſtum *fuit, ſub quo etiam reliqua Feſta huius menſis, tan ſpecies ſub genere continentur, & ob eo ferè denominantur, licèt vnumquodque ſuum peculiare nomen quoque habeat.*

Feſtum Tubarum.

P*Rimum, quod primo die menſis celebrabatur, reliquis autem Calendarum feriis ſolennius habebatur, ob initium anni ſecundùm aliquos, Feſtum* Tubarum, *ſive* Buccinæ *&* Clangoris, *Hebraicè* סכן רתרועה Sichron Theruah *dicebatur: propterea quòd in eo paſſim audiretur tubarum ſonitus & clanger. Inſtituitur Leuitic.* 23. *his verbis.* Menſe ſeptimo; primâ die menſis, erit vobis Sabbathum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitis Sanctum, omne opus ſeruile non facietis in eo. *His additur Num.* 29. *cap.* Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulum de armento vnum: arietem vnum: & agnos anniculos immaculatos ſeptem: & in ſacrificiis eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum, qui ſimul ſunt agni ſeptem: & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, præter holocauſtum Calendarum cum ſacrificiis ſuis; & holocauſtum ſempiternum cum libationibus ſolitis. Eiſdem ceremoniis offeretis in odorem ſuauiſſimum incenſum Domino. *Inſtitutio Feſti Tubarum.*

Varia autem hujus Feſti diei cauſa afferuntur. Rabbini Iudæorum putant, inſtitutum eſſe in memoriam liberationis Iſaaci ab immolatione: & propterea mandatum à Deo, vt clangatur in eo tubâ ſeu cornu arietino, quòd aries inter frutete pro Iſaaco demonſtratus & immolatus ſit, vt habetur Geneſ. 22. *Aliis verò non veriſimile videtur, propter vnius hominis liberationem, Feſtum publicum & So-* *Tubarũ Feſtum cur inſtitutũ.*

lenne inſtitutum fuiſſe. Verùm etiam ipſi diſſentiunt. Nonnulli volunt, inſtitutam eſſe hanc ſolennitatem, vt in memoriam reuocaret grania illa bella, quæ populus Iſraeliticus auſpice & duce Deo geſſerat. primò contra Amelechitas, deinde verò contra Ethnicos: Vtque admonerentur ſimul, vitam humanam nil niſi militiam perpetuam in terris eſſe. Quia verò plurimùm in huius menſis obſeruatione ſitum eſt, tum quòd plures in eo ſunt Feſti dies, quàm in aliis ferè omnibus menſibus: tum verò quòd ab hoc menſe inchoatur numeratio anni Semita vel Sabbatharij & Iubilæi: ideò aliis probabiliùs videtur, voluiſſe Deum primum eius diem Feſto, otio, clangore & ſacrificiis Solennem reddere, vt ex initio ſuo notabilior fieret, & populus ad obſeruationem ſequentium Feſtorum hoc pacto excitaretur: vtque clangore & ſonitu iſto tubarum populus admoneretur & excitaretur, vt gratum ſe Deo præſtaret pro beneficiis omnibus, quæ anno præcedente in eum abundè contuliſſet. Vnde & dies hic memoriale ſeu monumentum clangoris appellatur.

FESTVM EXPIATIONIS.

Ritus obſeruatii in Expiationis Feſto

PRoximum huic eodem menſe, & quidem decimo eius die, celebrari præcipitur Feſtum Expiationis: quod cum ſacrificiis & ceremoniis ſuis inſtituitur à Deo, & multis verbis deſcribitur Leuitici 16. cap. In hac annua Solennitate peragebatur pro omnibus totius populi peccatis vniuerſale expiatorium ſeu propitiatorium ſacrificium ceremoniis pluribus, quibus tota Paſſio & fructus Paſſionis ſeu mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti ad viuum quaſi adumbrabatur quotannis vniuerſa Eccleſiæ. Summus enim Sacerdos in hoc ſacrificio ſolus obibat omnia: imò ne quis omnium ſeſe Pontifici, ſanctuarium ingredienti & pro peccatis ſacrificanti, coniungat diligentiſſimè in lege cauetur: Nullus hominum, inquit Dominus, ſit in tabernaculo, quando Pontifex ſanctuarium ingreditur, &c. Nam Chriſto Domino in ſalutis & redemptionis noſtræ negotio, nemo, ne quidem Propheta vel Apoſtolus, eſt coniungendus. Solus enim eſt Saluator Ieſus Chriſtus, cuius Summus Pontifex veteris Teſtamenti typus fuit.

Ritus ſacrificandi in hoc Feſto

Accipiebat autem Pontifex, hoc die pro peccatis populi ſacrificaturus, de ſuis iuuencum expiatorium & arietem pro holocauſto: à populo autem duos hircos Chriſtus enim ſacrificium noſtrum propitiatorium, quam pro nobis obtulit ſubſtantiam carnis ſuæ, à nobis accepit, ſic tamen vt immunis ſit ab omni macula peccati: vnde & Pontifex ſacrificaturus, communes quidem Sacerdotum veſtes, ſed tamen ſanctas, puras, & candidas induit. Principio autem pro ſe & pro domo ſua mactabat iuuencum: quo ipſo ſignificabat, ſe veri illius & Summi Pontificis typum ſolummodo eſſe. Noſtro enim Pontifici non eſt neceſſe quotidie, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Lex enim homines conſtituit Pontifices infirmos, Chriſtus verò cum iureiurando Pontifex æternus creatus eſt: ſicut Paulus docet Heb. 7. cap. Deinde ſortiebatur Pontifex ante oſtium tabernaculi inter duos hircos. vter mactaretur Domino, vel ablegaretur in deſertum. Duo hirci Chriſtum adumbrant: ita tamen, vt hæc duo animalia non pro duabus perſonis, ſed pro duabus naturis accipiantur. Cùm enim per vnum hircum adumbrari commodè non poſſet tam mortalitas quàm immortalitas Chriſti (nam hircus mortalis eſt ſolum) neceſſariò duo mandati ſunt, vt ille qui mactabatur, carnis paſſibilem naturam præfiguraret: qui verò ſoluebatur, Diuinitatis indicaret naturam impaſſibilem: ſicuti Theodoretus loquitur quæſt. 22. in Leuit. vbi etiam indicat, cur hoc loco per hircos adumbretur Chriſtus, qui aliàs impiorum figura ſunt, & Chriſtus plerúnque Agno comparetur. Tertiò, Pontifex iuuenci & hirci mactati ſanguinem cum thuribulo accipiebat, & intra velum ingrediebatur in Sanctum Sanctorum, idque ſemel tantùm quotannis, hoc ipſo videlicet Expiationis Feſto, ibique incenſum ſuper carbones coram Domino ponebat, vt nebula incenſi thymiamatis operiret propitiatorium, & primum ſanguinem iuuenci, deinde hirci ſuper faciem propitiatorij ad orientem digito ſuo ſepties aſpergebat. Myſterium horum Paulus indicat Heb. 9. cap. inquiens, Chriſtum per maius & perfectius tabernaculum, non manufactum, neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſum eſſe ſemel in Sacrarium, æternâ redemptione repertâ. Septena autem aſperſio ſanguinis iuuenci & hirci, perfectam purgationem innuit, quæ fit per ſanguinem Chriſti tollentem peccata mundi. Neceſſe eſt autem vt ſanguis Chriſti digito eius aſpergatur nobis: eſt is ſpiritus ſuper quem applicatur & confertur hominibus purgatio. Fumus autem thymiamatis magnus, vim maximam precum ſignificat, quas Chriſtus pro nobis ſimul obtulit.

His ita ritè peractis, egrediebatur rurſus in Sanctum Pontifex, ſanguinem ſuper altare aureum ibi collocans. Inde egrediebatur ad holocauſtorũ altare, & impoſitâ manu vtráque hirco alteri, imprecabatur confeſſione ſuâ, & ſine dubio populus quóque, verba Pontificis tacitè ſecum repetens, capiti eius omnia Iſraelitarum peccata, tradebaturq́ cuidam viro, ad id deſtinato, in deſertum abducendus, vt eſſet pro omnibus totius populi peccatis expiatio. Vnde Græcus Interpres

non

non malè pro hirci huius Hebræo nomine ἀποπομπαῖον, *poſuit, quâ voce Græci vocant malorum depulſorem. Hinc & Deos, quos ad depellenda mala coluerant,* ἀποπομπαίους, ἀποτροπαίους, ἀλεξικάκους *appellârunt. Portabat autem ille peccatum populi in deſertum, non vt amplius non eſſet, ſed ne imputaretur ei. Hircus verò, ſeu* ἀποπομπαῖος *ille, verè eſt* filius Dei Ieſus Chriſtus, qui tollit peccata mundi. *Poſthac abluebatur rurſus Pontifex, & depoſitis veſtibus communibus, Pontificalibus induebatur: deinde ſacrificabat arietem in holocauſtum: Chriſtus enim eſt victima æternùm durans. Præterea mittebat iuuencum & hircum priorem in locum ſacrum extra caſtra, vt ibi prorſus comburerentur. Declarat hoc Paulus 13. cap. ad Hebræos vbi dicit:* Quorum animalium ſanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra caſtra. Quapropter & Ieſus, vt ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, paſſus eſt extra portam.

Poſtremò vniuerſo populo in anniuerſaria hac ſolennitate indicitur in lege Ieiunium, & abſtinentia ab omnibus operibus ſeruilibus. Decimo die, *inquit Dominus*, menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus, affligetíſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis: & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo ſuo. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum erit vobis, in cunctis generationibus & habitationibus veſtris: Sabbathum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras, &c. *Leuit. 23. Eadem ferè leguntur eodem libro cap. 16. Refert autem Aben Ezra, vbicunque in Sacris literis verbum affligendi animæ iungatur, ibi ſemper ſignificari ieiunium. Requiritur enim ab his quibus peccata remiſſa, dolor ſerius ex agnitione peccati conceptus: pœnitentia vera, abſtinentia ab omnibus his quæ carnem delectant, & ceſſatio ab omni malo.*

Iudæorum ſententia de cauſa inſtituti Feſti Expiationis. *Iudæi tamen dicunt, Feſtiuitatem hanc inſtitutam, in memoriam eius beneficij, quòd Dominus indulſerit eis peccatum idololatriæ, vituli fabricatione in deſerto commiſſum. Quæ cauſa fortè eſt, quòd Iudæi B. Theodoreti ætate, nullam prorſus hoc ipſo die præ ſe tulerunt triſtitiam vt in lege disertè præcipitur, ſed potius riſerunt, luſerunt, ſaltârunt, ac verbis & rebus obſcœnis vſi ſunt: ſicuti teſtatur quæſt. 32. in Leuiticum.*

Sacrificia alia, quæ offerebantur hoc die, præter hoc expiatorium, deſcribuntur Num. 29. cap. 8. 9. 10. & 11. verſibus.

Festvm Tabernacvlorvm.

Inſtitutio Feſti huius. HIS *diebus Feſtis* Tabernaculorum *demùm* Feſtum *ſuccedebat: quod Hebraicè dicitur* חג הסכות Chag Haſukot: *& à Rab. Aben Ezra in cap. 23. Leuit.* fundamentum omnium Solennitatum, *item* Feſtum principale *præ omnibus Feſtis appellatur. Deſcribitur Leuit. 23. Num. 29. & Deuter. 16. cap. Et primò quidem præcipitur, vt ſeptem continuis diebus, à quintadecima vſque ad vigeſimam primam incluſiuè celebretur, ſic tamen vt prima præ cæteris eſſet Sancta & Feſtiua, ſicut & octaua, de qua poſtea.* A quinta decima (*ait Dominus*) die menſis ſeptimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus: die primo & octauo erit Sabbathum, id eſt, requies: nec licebat aliquod opus ſeruile in iis facere. *Quo ipſa obiter ſuperſtitio humana damnatur, quæ diem decimum quintum omnem, & infauſtum, fugere & cauere iubet: quâ de re cap. 1. lib. 2. pluribus agemus.*

Ritus obſeruati in Tabernaculorum Feſto. *Hoc tamen ipſo die decerpere & colligere iubentur materiam ex arboribus, quibus tabernacula ſibi extruerent.* Sumetíſque vobis (*inquit Dominus*) die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatuláſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente. *Ex hac materia tabernacula, hoc eſt, ſubita ac tumultuaria domitiola, ad breue tempus confecta, qualia ferè ſolent paſtores in deſerto oberrantes, & gregarij milites in caſtris habere, parârunt & extruxerunt vbiuis locorum. Colligimus hæc duo ex cap. 8. libri Nehemiæ, vbi formula Feſti huius legitimè celebrati deſcripta extat.* Egredimini, *dicitur*, in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula ſicut ſcriptum eſt. Et egreſſus eſt omnis populus & attulerunt. Feceruntque ſibi tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atriis ſuis, & in atriis domus Dei, & in platea portę aquarum, & in platea portę Ephraim, &c.

Referunt Hebræi ex hac ipſa materia, factos quoque faſciculos, quos mane per ſeptem hos dies geſtârint hinc inde: omnémque cibum negatum ei qui non prius talem faſciculum portâſſet. Vnde Feſtum hoc etiam Chaggnarauim, *hoc eſt,*

Feſtum Palmarum, *ſeu potius ſalicum dicebatur: gnarabh enim Hebræi ſalicem interpretantur. Ab hac ramorum collectione poſtea dies hæc decima quinta menſis huius ſeptimi* Palmarum dies *appellata fuit. Verùm Paulus Fagius in ſuis ad cap. 23. Leuit. Annotationibus refert, octauam huius Feſti diem ſic appellatam. Vbi porrò ad.it*, circumiuiſſe Hebræos ſeptimo die ſepties altare, portantes palmas in memoriam captæ Hiericho, *quæ prima fuit ciuitas terræ promiſſæ ab Iſraëlitis ſeptenâ circuitione occupata.*

Cantus vſurpatus à Iudæis Tabernaculorum Feſto.

Andreas Oſiander in Annotationibus ſuis ad Harmoniam Euangelicam lib. 3. cap. 36. indicat, vſos etiam fuiſſe Iudæos in hoc Feſto Tabernaculorum & circumgeſtatione ramorum quotidie, præſertim autem ſeptimo eius die, genere quodam cantionis, perſimili Litaniis: quod compoſuerunt occaſione eorum verborum quæ habentur Pſalm. 118. Ana Iehoua hoſan-na, ana Iehoua hatzelicha-na, *id eſt*, quæſo Domine ſalua rogo, obſecro Domine proſperum facito, Benedictus qui venit in nomine Domini. Ac primum, *inquit*, recenſetur ingens aceruus nominum Dei; & ad ſingula ſuccinitur Hoſanna, ad hunc modum: propter te Deum Deorum hoſanna, &c. deinde recenſetur magnus eorum quæ Deo attribuuntur, vt, propter veritatem tuam, hoſanna: propter Teſtamentum tuum, hoſanna, &c. Poſt hæc enumeratur magna congeries earum rerum, quas ſaluari cupiunt: vt, Templum electum, hoſanna: montem Moria, hoſanna: Redemptor & Saluator, hoſanna, &c. Tum iterum ad varias res, & ſeipſos, variis appellationibus ornatos, vt finis nullus battologiæ futurus videatur. Tandem mutatur forma cantionis ad hunc modum, Quæſo redime ſurculum plantationis tuæ, hoſanna: quæſo reſpice ad fœdus annuli tui, hoſanna, &c. Poſt iterum mutatur ad hunc modum, Sicut ſaluaſti fortes in Ægypto, populum tuum, cùm exires in ſalutem: ita hoſanna, &c. Poſtremò reditur ad primam formam, niſi quod membra ſunt longiora, idque ad hunc modum, propter integrum in generationibus ſuis, liberatum ob multitudinem iuſtitiarum ſuarum, ereptum ab inundatione veniente diluuio, & ſuccinitur hoſanna & hoſanna, quia Pater noſter tu es. Et hæc ſuccentiuncula aliquanto pòſt iterum augetur. Denique nullus eſt neque modus neque finis, ſed omnia conerepant, perſtrepunt & reboant Hoſanna, maximè ſeptimo eius diei Feſto, vti diximus. Vnde & cantionem hanc, & Feſtum ipſum in quo canitur, poſteriores Iudæi Hoſanna appellârunt: ſed & ipſos faſciculos frondium, quos manibus geſtant & concutiunt, vocârunt Hoſanna, nominatim autem ſalicem cum palmæ foliis. Hinc & illæ phraſes Iudæorum hodie quoque vſurpatæ, Facere Hoſanna, hoc eſt faſciculos illos ad Feſtum parare ex ſalice, myrto, palma, citro, &c. Item, Hilarem eſſe in Hoſanna, hoc eſt, in Feſto illo canere, tripudiare ac ſummam declarare lætitiam. Et quanquam credibile ſit, multa à recentioribus Iudæis adiecta huic cantioni fuiſſe, præſertim cùm hodie aliter ab Italis, aliter à Germanis Iudæis obſeruetur: tamen tempore Chriſti haſce apud Iudæos cantiones in vſu fuiſſe inde colligi poteſt, quòd Chriſto aſello inſidenti & vrbem Hieroſolymorum ingredienti acclamauit populus, Hoſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini. *Refert etiam Benedictus Aretius in problem. Theolog. loco 39. vbi ille indicat, octauâ huius celebritatis die, de qua poſtea, hæc fieri ſolita.*

In his porrò tabernaculis ſeptem illis diebus continuis habitare iubentur. Menſe ſeptimo, *inquit Dominus Leuit.* 23. Feſta celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus. Omnis qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis. Et lætabimini coram Domino Deo veſtro, &c.

Plutarchus Sympoſ. 4. Problem. 5. meminit etiam huius Feſtiuitatis, ritúſque in ea obſeruati. Ac inter alia dicit, τραπέζας προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, *hoc eſt*, menſas proponunt plenas omnis generis frugum. *Et ſub σκηναῖς, id eſt* tabernaculis degunt, ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, *hoc eſt*, ex palmitibus potiſſimùm & hedera contextis. *Etſi verò honeſte epulari & lætari illis per Deum licuit, tamen luxu adeò profuſo temporis progreſſu ſub tabernaculis iſtis vſi ſunt vt Plutarchus eodem loco hanc Feſtiuitatem* ταῖς τριετηρίσι *: hoc eſt, Feſto illi trienuali, quod in Bacchi honorem olim agitabatur, comparans, inde probare conetur, Iudæos Bacchi ſacris initiatos eiúſque cultores eſſe.*

Tabernaculorum Feſtum quare inſtitutum.

Cauſa autem inſtituti huius Feſti, & ceremoniæ quæ in eo obſeruatur, in lege ſuperioribus mox adiicitur, his verbis: Vt diſcant poſteri veſtri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cùm educerem eos de terra Ægypti. *Voluit igitur Deus hoc Feſto, hóque ritu admonere populum ſuum afflictiſſima, miſerrima & moleſtiſſima eius vita, quam ipſorum maiores Ægypto egreſſi in deſerto quadraginta annis totis, egiſſent, vbi errârunt exules ſine domo, & ſine agro. Deinde vt cogitarent, quàm mirabiliter ſint ab ipſo Deo, ſupra quam natura rerum atque eorum opes ac vires ferrent, ſalui & incolumes conſeruati. Et quidem Hebræi*

brai exiſtimant, hanc vnam ob cauſam fuiſſe inſtitutum hoc Feſtum à Deo, vt memoriâ gratâ poſteritas omnis teneret, quàm mirabili protectione Deus Maiores eorum ſub nube, tanquam ſub vmbra quadam, ſaluos ex Ægypto, & per deſerta loca eduxiſſet. Cui ſententiæ etiam Chaldæus Paraphraſtes ſuffragari videtur, qui illud, Vt ſciant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, *ad hunc modum reddit:* Vt ſciant poſteri veſtri, quòd in vmbraculo nubium ſedere filios Iſrael fecerim. *Adhæc, vt præſentium bonorum fruitionem, & lætam hanc fortunam cum maiorum inopia ac tenuitate conferrent: videlicet quòd olim maiores eorum errârint exules in deſerto, ipſi verò poſſideant nunc multa regna: quòd Maiores eorum nec domos, nec agros habuerint, ſed in tuguriis habitârint, eáque ipſa ſubinde mutârint, ipſi contra nunc non domos tantùm, ſed magnificas ædes, imò clariſſimas & munitiſſimas vrbes poſſideant: quòd Maiores olim finitimis ſuis præda ac direptioni fuerint, ipſi nunc iiſdem formidabiles ſint: ac propter ea ſibi de præſenti rerum ſuarum felici ſtatu gratularentur, Deóque maiores gratias agendas arbitrarentur. Beda cenſet, huius obſeruantiæ ſacramentum eſſe nobis hodie ſpirituali inquiſitione perſcrutandum & cogitandum, eſſe nos peregrinos in hac terra, patriam autem habere in cælis. Eodem etiam D. Auguſtinus, in Pſal. 14. & 18. ſcribens, reſpicit, quando tabernacula ſcribit eſſe quaſi quædam peregrinitatis atque belli ſymbola, ac peregrinæ, afflictæ & inſtabilis eius, quam in his terris agimus, vitæ militiæque nos admonentia. Præcipuè verò docet, eos qui ſunt ex pauperibus & ingloriis diuites ac honorati facti, inopiæ & fortunæ veteris ſemper meminiſſe.*

Sacrificia Feſti Tabernaculorum.

Sacrificia autem ſingulis his ſeptem diebus offerenda ordine deſcribuntur Numer. 29. Die prima (*ait Dominus*) offeretis holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: & in libamentis eorum ſimilæ oleo conſperſę tres decimas per vitulos ſingulos, qui ſunt ſimul vituli tredecim: & duas decimas arieti vni, id eſt ſimul arietibus duobus: & decimam decimæ agnis ſingulis, qui ſunt ſimul agni quatuordecim: & hircum pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno, ac ſacrificio & libamine eius.

In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, Sacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes, & agnos ritè celebrabitis & hircum pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque & libamine eius.

Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: Sacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes, & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato, abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque & libamine eius.

Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque eius & libamine.

Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque eius & libámine.

Die ſexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque eius & libamine.

Die ſeptimo offeretis vitulos ſeptem agnos, arietes duos, & anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & c. arietes & agnos, ritè celebrabitis, & hircum pro peccato: abſque holocauſto ſempiterno ſacrificióque eius & libamine.

Ergo vt prima die Tabernaculorum tredecim vituli offerebantur ſic ſecunda die duodecim, tertia vndecim, quarta decem, quinta nouem, ſexta octo, ſeptima die, quæ & vltima, ſeptem tantùm vituli offerebantur. Arietum autem & agnorum numerus vnus idémque omnibus his diebus retinebatur: ſimiliter & ſimilarum oblatio & libamina, cum hirco & quotidiano iugi ſacrificio eodem modo offerebantur & numero. Erat igitur vitulorum omnium numerus, qui toto Feſto offerebantur, ſeptuaginta, iuxta linguas gentium 70. pro quibus ſecundùm Iudæos offerebantur ſignificando earum ſubinde diminutiones, donec ſub Regem Meſſiam, qui eſt expectatio & ſalus gentium omnia redigantur. Agni verò in vniuerſum offerebantur 98. quod factum Hebræi referunt contra maledictiones 98 quæ in lege habentur contra Iſraelitas, ſi legem Domini tranſgrediantur.

De ſuperſtitionibus quibus adhuc hodie Iudæi vtuntur in hoc Feſto, & præſertim in parandis tabernaculis, conſule authorem Iudaicum libri Arba Turim in tractatu Orach Chaim: & libellum de præceptis Iudæorum affirmatiuis & negatiuis.

Feſtvm Concionis Seu Celebritatis magnæ.

*Q*Vartum huius ſeptimi menſis Feſtum ſequebatur proximè Feſti ſtatutum Tabernaculorum: celebrabatur enim octauo eius, hoc eſt

22. menſis, eratque celeberrima Solemnitas, vnde & 10.7. Magnus dies Feſtus vocatur. Hebræi illud appellant האסף Haaſiph, item עצרת Azzereth, id eſt, Cœtum ſeu Collectionem: vel Retentionem & Prohibitionem. Nam verbum Hebræum עצר retinere & prohibere ſignificat. Quam autem ob cauſam hoc Feſtum ſic appellatum fuerit, variæ ſunt ſententiæ. Vna, quòd peractis Feſti Tabernaculorum ſeptem diebus, populus vnum adhuc diem illum retineretur. Altera, quòd eo die ne quid operis fieret prohibebatur. Tertia, quòd populus ad contributionem pecuniæ in vſus Sacrificiorum retineretur. Quarta eſt R. Dauidis Kimhi, qui putat, hunc diem ſic nominatum, quòd nihil in eo peculiariter fieret, ſicut in reliquis feſtiuitatibus, à quo cognominari poſſet, tantùm enim populus in eo retinebatur, ne quid operis fieret. Quinta, quòd adumbraret collectionem omnium gentium, vel collectionem electorum intra regnum cælorum. Sexta, à collectione frugum, quia hoc die ſerotinarum frugum primitiæ offerebantur, & pro collectis frugibus Deo gratiæ agebantur. Hunc morem Ethnici poſtea ab ijs mutuati ſunt: refert enim Cælius Antiq. Lect. lib. 12. cap. 19. eos primitias, ſubuectis iam frugibus ex agris, perſoluiſſe Dijs, vt denuò vireſcerent, progerminarentque in campis omnia, quod vocârint Græci θάλλειν: atque inde primitias illas Thalyſia, rhetorum autem pleróſque Syncomyſteria, à comportatis frugibus nuncupâſſe.

Octaua dies Feſti Tabernac. cur Retentio & Prohibitio dicatur.

Offerebatur hoc die holocauſtum, vitulus vnus, aries vnus, agni anniculi immaculati ſeptem, & libamina ſingulorum per vitulos, arietes & agnos: hircus quoque pro peccato, præter iuge Sacrificium cum eius libamine: ſicuti præcipitur Num. 29. cap. verſ. 36. 37. 38.

Sacrificium huius diei.

Appendix ad FESTVM Tabernaculorum.

IEroboam, qui à filio Solomonis Roboam defecerat, cum 10. tribubus, & peculiare Regnum conſtituerat, cuius ſedes poſtea fuit SAMARIA, Solennitatem hanc Tabernaculorum, quam Iudæi celebrare iubentur in lege à Deo menſe ſeptimo, qui eſt Thiſri, præcepit celebrari menſe octauo, qui eſt Marcheſuan: vt paulatim filios Iſrael à patrijs abduceret ritibus: aut ſi qui ex ſuis, Feſto Iudæorum intereſſe vellent, in menſe ſeptimo, reuerti poſſent ad hanc ſuam Solennitatem menſe octauo. 3. Reg. 12. cap.

CAPVT VIII.

De Sabbatho Septimi Anni.

Obſeruatio ſeptimi

PRæcepit etiam Deus vt Septimus quiſque annus, qui initium ducebat à menſis ſeptimi decimo die, eſſet Sabbathum. Quies autem & obſeruatio eius in his duobus potiſſimùm conſiſtebat: primò, ne agri colerentur: ſecundò, ne debita à creditoribus exigerentur. Vnde & Moſes Deut. 15. hunc annum ſacrũ vocat annum שמיטה Schemita, hoc eſt, Dimiſſionis, quod & agricultura & debita hoc anno iuſſu Dei dimitterentur. Sic enim loquitur Dominus, Exod. 23. Sex annis ſeminabis terram tuam: & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam & negliges, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit edant beſtiæ agri: ita facies in vinea & in oliueto tuo, Eadem habentur Leuit. 25. vbi hæc adijciuntur: Quæ ſponte gignet humus, non metes, & vuas Conſecrationis tuæ, non colliges quaſi vindemiam. De remiſſione autem debitorum ita præcipitur Deuter. 15. Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre ſuo, repetere non poterit: quia annus Remiſſionis eſt Domini. A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem. D. Auguſtinus quæſt. 89. in Exod priorem legem ſic intelligere videtur, quaſi licuerit quidem anno hoc ſeptimo ſeminare & exercere terram, verùm non colligere fructus in horrea, ſed eos pauperibus dimittere. Quod ſi verò legem penitius inſpiciamus & cultura terræ, & fructuum collectio prohibetur. Nam ſicuti ſex annis permittit ſerere & congregare fructus, idque verſu 10. ſic verſu 11. requirit, vt terra derelinquatur & otioſa dimittatur. Ita intelligit etiam Theodoretus quæſt. 25. in Leuit. vbi dicit, Conſtituere Dominum anno ſeptimo non ſeminatam manere terram: ſic enim loquitur Iehoua Leuit. 25. Septimo anno Sabbathum erit terræ requietionis Sabbathum Domini. Nec eſt vt quæras, ſi ſementis non facta ſit, quid ex agris colligere potuerint? Nam etiam in ijs regionibus, quæ tamen non adeò fertiles ſunt, vt Palæſtina fuit, ex ſpicis, & granis quæ inter metendum in terram labuntur, non contemnenda meſſis ſæpe haberi poteſt. Deinde, eo anno quo terra non excolitur, & ſementis nulla fit, herba tamen adeò multa naſcuntur in agris, vt vice paſcuorum eſſe poſſint. Denique, non tantùm ex agris pauperes fructus colligebant ſeptimo hoc anno, ſed etiam ex vineis & oliuetis.

anni in quo ſita.

Quòd autem in Exodo præcipitur, fructus hos ſponte naſcentes relinquendos pauperibus ac beſtiis, in Leuitico verò domino fundi in cibum conceduntur, non pugnat. Nam etiam in Leuitico prohibentur congregare fructus, ſed illis tanquam communibus vti.

Porrò, ne etiam ſollicitè & anxiè cogitarent, vnde ſeptimo anno, quo ſementem nullam facere li-

re licebat, nec vites putare, vita neceſſaria accipere poſſint, ideò magnificis pollicitationibus Leuit.25.eos placauit, vt Theodoretus loquitur quæſt.35.in Leuit.Promiſit enim anno ſexto ſuppeditaturum ſe non duplum ſolùm prouentum & cum fœnore reddentem vnde ali poſſint anno ſexto & ſeptimo, ſed ad octauum vſque annum ſufficientem. Dabo (*inquit*) benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges vſque ad nonum annum: donec nova naſcantur edetis vetera. *E contrà verò minitatur maledictionem & exitium iis, qui legem hanc violârint Ieremiæ 25. & 29.capitibus, vbi dicit,* quandoquidem noluerint ſeptimo hoc annò quietem concedere terræ, ſe ei ſatis quietis daturum: curaturum enim, vt ſeptuaginta annis totis inculta jaceat, quibus ipſi in Babylone futuri ſint.

Sabbathum anni ſeptimi cum inſtitutũ.

Cauſa autem hujus Feſti partim ſunt ciuiles, partim myſtica. Primò enim docere voluit eas, ne terram aſſiduè exercendo exſugant & ſterilem reddant. Vnde & Theodoretus quæſt.35.in Leuiticum, Hac lege, *inquit*, plectir eorum animum inſatiabilem. Nam ideò ſeminabant, vt plus haberent: terra verò minimè quieſcens, exiliores fructus afferebat. *Nam vt res omnes aliæ, ita terra quoque quiete opus habet: & vt alijs in rebus ita hîc quoque viciſſitudines ſunt obſeruandæ. Quapropter & Vergilius inter multa remedia recreandorum agrorum, ponit præ omnibus intermiſſionem. Sic enim lib. 1. Georg.canit:*

> Alternis idem tonſos ceſſare nouales,
> Et ſegnem patiere ſi tu dureſcere campum. *Rurſus:*
> Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.

Deinde gratitudinem ſimul ac miſericordiam eos hoc ipſo docere voluit: vt meminerint, vnde fructus terræ habeant, à quo accipiant, & quibus prodeſſe eos velit, non ſolùm videlicet poſſeſſoribus ac dominis agrorum, ſed etiam pauperibus ac peregrinis, quorum præcipua ratio in lege hac habetur.

Reuocare etiam voluit Deus hoc Sabbatiſmo eis in memoriam, primum ſtatum Adami, in quo ſpontaneis tantùm fructibus terræ veſcebantur. Deinde eis adumbrare hoc pacto voluit, æternum Sabbathum, hoc eſt, vitam beatam, in qua omnes labores & miſeriæ vitæ præſentis, & creditorum exactiones finem habebunt, & peccata credentibus remittentur. Hinc nonnulli conjiciunt, anſam cuidam Heliæ Rabbino datam, vt mundi durationem ſex annorum millenariis definiret, ſeptimum autem æterno Sabbatho adſcriberet.

Exemplum obſeruati Sabbathici anni.

Exſtat obſeruati huius Sabbathici anni exemplum Nehemiæ 10. cap. Et quia eo tempore inter Iudæos erant, qui ciuium facultates exactione debitorum nimis rigidâ propè exhauſerant: ideò eos Nehemias priùs quidem ſeuerâ caſtigatione repreſſerat, poſtea verò noua obligationis nexu arctiùs vinxerat, & ad id obſtrinxerat, vt anno ſeptimo nec enatas fundis fruges, nec ſibi debitum æs alienum à quoquam exigerent.

CAPVT IX.

De Anno Iubilæo.

Inſtitutio Iubilæi.

V*Ltimum Sabbathum ſeu Feſtum à Deo inſtitutum, eſt Annus* יובל Iobel *quem hodie vulgò* Iubilæum *vocant. Erat autem Quinquageſimus quiſque annus. Sic enim præcipitur Leuit.25. ver. 8.* Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum; *id eſt, ſepties ſeptem annos, qui ſimul faciunt annos quadraginta nouem. Annus igitur qui hunc proximè ſequebatur, erat quinquageſimus & totus Sabbathicus. Ab hoc ſi ad alterum Iubilæum numeres excluſiuè habebis tantùm 49 annos: & ſic numeratur in hoc ver. 8. Sin verò vtrunque priorem & poſteriorem, includas, deprehendes annos 50. & ſic numeratur ver. 10. eodem capite: hæc ratio numerandi nobis quoque hodie vſitatiſſima eſt, octiduum enim nominamus hebdomadam, quia Dominicam vtranque numeramus: earum alterâ excluſâ, erit vera hebdomada vel ſeptimana.*

Ritus Iubilæi anni.

In hoc anno, iuſſu Dei, non ſolùm ſerui Iſraelitæ à ſuis dominis liberi dimittebantur, & carceres aperiebantur: verùm etiam omnia debita relaxabantur, atque adeò venditi agri, vineæ, domus, aliæque poſſeſſiones, ad ſuos priores dominos ac poſſeſſores redibant: nec enim agros aut domos perpetuo contractu aliis vendere licebat, ſed eorum modo vſum fructum vſque ad annum Iubilæum. Ita enim præcepit Dominus Leuit.25. Sanctificabitis annum quinquageſimum, & vocabitis remiſſionem in terra cunctis habitatoribus terræ veſtræ: ipſe eſt enim Iubilæus vobis. Reuertetur quiſque ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque redibit ad familiam ſuam: quia Iubilæus eſt, & quinquageſimus annus erit vobis. Non ſeretis atque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis, &c.

Iubilæus cornu arietino inditus.

Indicebatur autem tubâ ſeu cornu arietino, decimâ die menſis ſeptimi, Feſtum hoc. Vnde ſic mandatur Leuit.25. verſ.9. Pertranſeundo clanges buccinâ menſe ſeptimo, decimâ die menſis, propitiationis die tubam tranſire facietis in vniverſam terram veſtram.

Digitized by Google

Ab hac tuba arietina Feſtum hoc nomen accepit: יובל Iobel *enim nomen Hebraum, ſeu vt Iudai volunt, Arabicum, arietem & cornu arietinum ſignificat, nec non clangorem & ſonum qui illo emittitur. Quomodo autem cornu hoc ex ariete ſumi & parari debeat, & quomodo cum ea ſanandum ſit, miras & ridiculas Iudai habent ſuperſtitiones, quibus adhuc hodie vtuntur. Mirum igitur quòd per* Ἄφεσιν *Septuaginta vocem* Iobel *tranſtulerunt. Fecerunt quidem hoc, vt veraſimile eſt, quòd annus hìc eſſet & diceretur annus Redemptionis ſeu Remiſsionis, vt ſuprà eſt indicatum, ſed hac non eſt vocis proprietas: nec facilè aliquis ſcire poſſet, quid ſibi vellet* Ἄφεσις.

Iubilaus annus cur inſtitutus. *Erat huius Feſti vſus, ſicut & pracedentis, partim ciuilis, partim verò myſticus. Hac enim qua diximus, Deus in ea ſic ordinauerat, ne familia Iſraelitarum prorſus interirent: in primis autem, vt ea familia ſalua & incolumis permaneret, ex qua Meſsias erat oriundus. Deinde ſic docere voluit, cura ſibi eſſe pauperes, eiſque ſpem facere melioris futura conditionis: ſimul quoque viam ſternere ad fraternam communionem, quantum ſtatus huius ſeculi permittit. Tertiò, quemadmodum Olympiades Gracis, Luſtra Romanis priſcis, recentioribus autem Indictiones in vſu fuerunt, quibus tempora ſupputârunt: ſic quoque Hebrai ſua tempora per Iubilaos numerare conſueuerunt, ſed poſt occupatam demùm terram ſanctam· ante id enim tempus celebrare Iubilaos non potuerunt, cùm nec terram, cui requiem concederent, nec poſſeſsiones aliquas, quas ſuis dominis redderent, haberent. Teſtantur autē veteres Hebraorum Chronica, Iſraelitas ſeptem annos in occupanda terra, & ſeptem alios in ea diuidenda conſumpſiſſe: vt anno 15. terram Sanctam poſsidere cœperint. Vnde colligunt nonnulli, annum illum Iubilaum primum fuiſſe. Cùm enim tum primà requiem adepti eſſent, ſine dubio legis Dei memores, & grati, lata illo libertatis clangore terram perſonauerunt. Vltimus autem fuit tempore mortis Chriſti.*

Quartò, Iubilao hoc publico & ſolenni gaudio, Chriſtus, noſtraque ſalutis negotium adumbratum fuit. Meminit huius myſterij ipſe Dominus Luc. 4. cap. vbi dicit, ſe illum eſſe, qui tempus illud acceptum & annum beneplaciti aut gratiæ Divinæ indixerit. *Praſtitit autem id, non quidem arietinâ tubâ aut cornu, ſed pradicatione Euangelij ſui, quâ nobis annunciatur vera libertas filiorum Dei, & remiſſia peccatorum in filio Dei, in cujus merita remittuntur credentibus, per vniuerſam terram agentibus, omnia debita ſiue peccata: eâ tamen conditione, vt nos, quibus iam dimiſſa ſunt debita, illis viciſsim debita remittamus, qui contra nos peccauerunt. Magnum fore huius tuba ſonitum in aduentu Meſsia, Zacharias Propheta pradixit 9. cap. dicens,* Dominus Deus, in tuba canet. *Maiorem autem clangorem huius tuba futurum in vltimo eius aduentu Paulus 1. Theſſ. 4. indicat his verbis:* Ipſe Dominus cum hortatu & voce Archangeli, ac tubâ Dei deſcendet de cœlo, &c. *In Chriſto igitur habebimus vacationem & requiem veram & ſempiternam: per eundem conceditur nobis reditus ad poſſeſsionem vel patriam, vnde cum Adamo excideramus.*

Hoc myſterium Redemptionis noſtra, quod in Iubilao anno latet, ne Iudai nobiſcum fateri cogantur, ipſi fingunt, hâc ceremoniâ coram Deo in memoriam reuocatam colligationem & immolationem Iſaaci factam in monte Moria, vt illius recordationis populo ſuo benefaciat, eiuſque preces exaudiat.

CAPVT X.

Diximus hactenus de ijs Feſtis & Solennitatibus, quas Deus ipſe populo ſuo tradidit, & diligentiſsimè ſeruandas inſtituit. Nunc paucis etiam de ijs agemus, qua non quidem à Deo inſtituta, ſed ab hominibus excogitata, & ab Eccleſia recepta fuerunt, ad Dei tamen honorem, & ad reuocanda in memoriam maxima Dei beneficia.

Dies Iejuniorum Solennes apud Iudæos.

IN memoriam calamitatum earum quas Babylonij Iudais intulerunt, dies aliquot Iejuniorum ſolennes inſtituerunt. Eorum mentio fit apud Prophetam Zachariam 7. & 8. cap. vbi indicatur, Iudaos, qui in Babylone manſerant, etiam poſt id tempus, quo Cyrus ad ſua redeundi copiam feciſſet, vbi audiuiſſent vrbem Hieroſolymorum vnà cum Templo maxima ex parte inſtauratam, & Reipub. formam denuò inſtitutam eſſe, miſiſſe Legatos Hieroſolymam quaſitum ex Sacerdotibus & Prophetis, num deinceps quoque menſe quinto & ſeptimo celebrari debeat luctuoſa vrbis capta & populi diſperſi memoria, an potius vrbis & Templi inſtauratè memoria latior inſtitui? His Deus per Prophetam 7. cap. praſertim verò in fine octaui ita reſpondet, vt indicet, his Iejunijs non amplius opus eſſe, & cùm in ſeptimo duorum tantùm mentionem feciſſet, in 8. cap. quatuor commemorat, Iejunium nimirum quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſium. Nam menſe decimo, die 10. *vrbs à Babylonijs obſideri cœpit. Durauit obſeſsio vſque ad menſis quarti diem 9. (menſes nimirum 6. integros) quo murum perruptum & vrbem captam fuiſſe legimus. Menſe autem quinto die 7. venit Nabuzardan, qui 9. die vrbem cum Templo vaſtauit incendio: vt eſt videre 2. Reg.*

25. &

25. & Ierem.52.cap. & apud Ioſephum de Bello Iudaico libro 7.cap.14. Tandem menſe ſeptimo Godoliæ qui reliquijs Iudæorum defendendis à Nabuzarda Præfectus fuerat, eum multis alijs, ab Iſmaele quodam,ex Regia ſtirpe oriundo, interfectus eſt: quo ſcelere territi qui in patria manſerant, quique diutius Chaldæorum beneficio frui potuiſſent,contra verbum Dei in Ægyptum profugerunt,& ita totus Dei populus fœdè diſſipatus fuit. Hac verò occaſione quatuor Ieiunia humana ſuperſtitio peperit.

Iejunium Obſeſſionis Hieroſolymæ.

PRimò, Iejunium Obſeſſionis vrbis Hieroſolymæ, quod vt menſium ordine poſtremum, ita ſi hiſtoriam & rei geſtæ ordinem ſpectes primum fuit,idque celebrârunt decimo die menſis decimi, quem Thebet Hebræi vocant: hoc enim die & menſe, nono anno Regni Zedechiæ, Rex Babylonius Nabuchodonoſor irritatus defectione Zedechiæ,quem ipſe antea Regem Hieroſolymis fecerat, & vrbi pepercerat, denuò cum vniuerſo exercitu ſuo in Iudæam profectus, Hieroſolymam obſidere cœpit,durauitque obſidio 18. menſes ſupra hoſtilem metum etiam peſte & fame permente incluſas intra mœnia Iudæos.4. Reg.24.cap.& Ioſeph.lib.10.cap.10.

Iejunium Occupatę Hieroſolymę.

SEcundò, Iejunium Occupatæ à Nabuchodonoſore vrbis, quod celebrârunt menſis quarti, qui Thamuz dictus eſt, die nono.

Iejunium Deſolatæ Hieroſolymæ.

TErtiò, Iejunium Deſolationis celebrârunt quinto menſe, Ab ab Hebræis appellato, die 9. in memoriam ejus,quòd hoc die,hocq́; menſe, Vrbs cum Templo incenſa eſſet, primùm quidem & præcipuè à Nabuchodonoſore Babylonio: deinde verò à Tito, quemadmodum hiſtorici omnes Hebræi teſtantur. Vnde etiam pro eo quòd apud Ioſephum lib.7.de Bello Iudaico cap. 14. legitur, Templum concrematum fuiſſe die 10.menſis Auguſti:in Hebræo legitur, id factum fuiſſe die nonâ menſis Ab:vt refert Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus. Sed etſi etiam in Hebræo dies decimus menſis quinti nominaretur, nulla tamen eſſet contrarietas: nam 9 die ignis Templo injectus eſt, qui 10.die id demum totum vaſtauit. Ob quam cauſam recentiores Iudæi hoc die ſtrictiſſimè ieiunantes, nudis incedunt etiam pedibus, humi ſedent, & cùm alias Bibliorum partes recitant,triſtem aliquam hiſtoriam continentes, tum Threnos Ieremiæ ter perlegunt.

Iejunium Godoliæ.

QVartò, Iejunium Godoliæ, quod celebrant menſe ſeptimo qui Tiſri dicitur, die 3.in memoriam Godoliæ relicti in Iudæa à Nabuzarda,& interfecti per inſidias ab Iſmaele quodam,ex Regia familia nato: quæ cædes nouæ migrationi Iudæis in Ægyptum cauſam præbuit,quam tamen Ieremias diſſuaſerat, cap.41. 42.Habetur etiam 4.Reg.cap.vlt.

Iejunium Heſteræ.

HIs quatuor Ieiunijs acceſſit eodem Babylonicæ captiuitatis tempore Iejunium Solenne Heſteræ Reginæ,inſtitutum in memoriam triduani ejus jejunij quod Heſtera,cùm ad Regem Aſſuerum eſſet acceſſura,vt intercederet pro Iudæis,imperauit,celebratúmque fuit menſis duodecimi Adar die decimo tertio,quo inſtinctu Hammani, omnes Iudæi per vniuerſas Regni Perſici prouincias,interimendi erant. Heſt 3. Idem dies poſtea celebrior eſt factus inſigni victoriâ Iudæ Machabæi, occiſo deleróque exercitu Antiochi cum Duce Nicanore 2. Mach.cap.vltimo:& Ioſeph.lib.12. Antiquit.cap.17.

Iejunium fractarum Tabularum Legis.

CElebrârunt etiam Iudæi fractarum Tabularum Legis Dei memoriam, quando nimirum Moſes de monte Sinai deſcendens, propter idololatriam,& vituli adorationem iratus,tabulas illiſit ſolo, & confregit eas. Celebrârunt autem memoriam eius cum Iejunio die 17. menſe quarto, qui Thamuz dictus eſt,quo Iejunium quoque occupatæ Hieroſolymæ ab ipſis celebratum fuiſſe paulò antè diximus. Videtur hujus Iejunij & Feſti dicti inſtitutio prioribus non antiquior fuiſſe,quia ante hæc tempora nulla vſquam ejus fit mentio. Volunt aliqui vno & eodem menſe fractam vrbem & fractas tabulas, lugere illos voluiſſe, vt religioſior eſſet ſuperſtitio. Apud Prophetam Ezechielem 8.cap.inter abominationes Iudæorum, quibus captiuitatis Babylonicæ pœnam ſibi accerſiuerunt, refertur, quòd mulieres quædam ante oſtium Templi ſederint plangentes Thamuz.

CAPVT XI.

De Feſto Phurim vel Sortium.

ACceſſerunt his Iejuniorum Solennitatibus etiam dies Phurim vel Sortium die 14.& 15.menſis Adar cum gaudio & conuiuiis celebrandi: ſic dicti à Sorte, quam impius Hammanus ad temporis electionem quo Iudæi perdendi eſſent,proiici curauerat.Heſt.3.Lib. 2. Machab. appellan-

appellantur Μαρδοχαϊκαὶ ἡμέραι Mardocaïci dies.

Sortium Feſtum quis inſtituerit.

Funccius anno mundi 3463. refert ex Philone, Ioachimum, de quo Nehem. 12. cap. qui vices parentis Ieſu in ejus abſentia geſſerit in ſummo Pontificatu adminiſtrando annos 8. quique hiſtorias Iudith & Heſter conſcripſerit, Feſtum etiam Phurim inſtituiſſe, adhortante eum Mardochæo, in memoriam ejus beneficij Diuini quo à præſenti liberati fuerant excidio, quod Hammanus ipſis projectione Phurim, hoc eſt, ſortium deſtinauerat. Heſt. 9. cap. indicatur à Mardochæo & Heſtera confirmatum fuiſſe hoc Feſtum: ſic enim legitur ibi, Scribit Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis provinciis morabantur, tam in vicino poſitis quâm procul, vt quartam decimam & quintam decimam diem menſis Adar pro Feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolenni celebrarent honore: quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiúmque converſi ſunt, eſſéntque dies iſti epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur. Suſceperúntque Iudęi in Solennem ritum cuncta, quę eo tempore facere cœperant, & quę Mardochæus literis facienda mandaverat.

CAPVT XII.

FESTVM Ξυλοφορίας.

ILla quoque lignorum comportatio, ad ignem Sacrum in Templo Ieroſolymitano juxta legem Dei perpetuò alendum, Nehemia 10. cap. verſu 34. propter itinera paſſim obſeſſa & periculoſa, inſtituta, temporis progreſſu in ſuperſtitioſam Feſtiuitatem abiit.

Ejus enim Ioſephus lib. 2. de Bello Iudaico cap. 17. his verbis meminit. Adveniente (inquit) eâ Feſtivitate, quæ Ξυλοφορία dicitur, in qua mos eſt omnibus grandem lignorum materiam convehere ad Templum, ne vnquam ignis deficiat alimentum, qui inextinguibilis eſt, quoſdam cura religionis excluſit, &c.

CAPVT XIII.

De Encæniis.

Encæniorum nomen vnde.

ENcæniorum nomen Græcum eſt. Apud Græcos enim Ἐγκαίνια dicũtur, ob ἐν & καινίζω, quod eſt innouo, quòd res innouentur, ſic, vt vel ex prophano vſu ad ſacrum, vel ad eum in quem primitùs erant inſtituta, reducantur. Apud Hebræos dicuntur Encænia Chanucah, quod Latinis eſt Dedicatio ſeu Conſecratio. Vocârunt autem ſic Iudæi peculiariter Feſtum quod in memoriam dedicati vel conſecrati Templi Hieroſolymitani, & cæterarum rerum ad id Templum pertinentium, inſtitutum ab ipſis erat, & quotannis celebrabatur. Cæterùm apud Iſraelitas primùm Tabernaculum ſub Moſe conſtructum in deſerto ex peculiari Dei mandato publicâ & ſolenni initiatione conſecratum fuit, vt Exod. 40. ſcribitur. Et Num. 7. in Dedicatione hac afferunt Principes populi ſua donaria Lachanuchat, id eſt, ad Dedicationem. Deinde Solomon quoque Templum à ſe ædificatum magnâ cum Feſtiuitate Divinis cultibus conſecrauit, vt eſt videre 1. Reg. 8. Et ante hunc David multa vaſa ad vſum Templi præparauerat, & conſecrauerat Domino: 2. Reg. 7. Porrò Templo vaſtato per Babylonios, eodémque reparato, iterum ad vſum verè Religionis magna celebritate ſacrificiorum & lætitiâ populi dedicatur per Zorobabelem & alios: 1. Eſdr. 6. & Ioſeph. Antiquit. lib. 4. qui etiam eodem loco dedicationis huius Solemnitatem vocat ἀνανεωτικὴν propter Templum tunc ἀνακαινισθὲν; annis ante Chriſtum natum 515. Vrbis quoque muri dedicantur in hac reparatione: Nehe. 12. & 3. Eſdr. 7. Verùm iſtæ dedicationes omnes Solennitatibus anniuerſarijs caruerunt: ſemel enim factæ non amplius fuerunt repetitæ. Vltima veteris Templi innouatio vel dedicatio facta fuit ſub Iuda Machabæo, annis ante natũ Chriſtum 162. Cùm enim Antiochus Epiphanes, Sacerdotum ambitione & perfidiâ vrbe potius, verum Dei cultum euertiſſet, & Iouis Olympij idolum in Templo Hieroſolymitano collocâſſet, quod militum præſidio defendebatur, multa inſuper non minus crudelia quàm impia aduerſus veri Dei cultores deſignaret (vt in lib. Machabæorum habetur:) primus Matathias contra illum arma cœpit, & filijs etiam author fuit, vt Eccleſiæ reliquiarum curam in ſe reciperent eáſque defenderent. Succeſſit huic Iudas Machabæus, qui mox ſequenti anno poſt idolum Templo impoſitum, Antiochi Duces quatuor magnis prælijs vicit, & profligatis ſimul Antiochi copiis omnibus, vrbéque recuperatâ, Templumquoque repurgauit, idolum exuſſit, & aram vnà cum Templo Sacris legitimè factis rurſum dedicauit. Factum hoc circa finem anni tertii Iudæ, die XXV. menſis Cislen. Atque hæc Dedicatio prima anniuerſaria facta eſt. Quia enim hoc beneficio Deus ſuarum promiſſionum fidem mirificè declarauerat, conſtituit Iudas & fratres eius totáque Iſraelis concio, vt dies renouationis altaris ſuis temporibus agitarentur ſingulis annis, ſcilicet octo totos dies, à XXV. die menſis Cisleu, qui partim Decembri reſpondet, magno cum gaudio & lætitia: de quo vide lib. 1. Machab. 4. cap. & lib. 2.

Tabernaculi & Templum Hieroſol. dedicandi.

Dedicationes primæ Tabernaculi & Templi anniuerſariis ſolennitatibus caruerunt.

Dedicatio Templi prima anniuerſaria.

Google

lib. 2. Machab. 2. & 8. cap. & Ioſephum Antiquit. lib. 12. cap. 2. vbi etiam indicat, Solennitatem hanc Luminum, ſeu Luminarium Feſtum appellatum fuiſſe, non quòd vbique parietibus templi lumina affixerint, ſed quòd, vt ibidem refert, Iudæis præter ſpem hoc tam ſplendidum lumen exercendæ Religionis apparuerit. Atque hæc ſunt illa Encænia, quorum Ioannes Euangeliſta quoque 10. cap. meminit, & Chriſtum iis interfuiſſe ſcribit.

Expiatio Arcis Hieroſolymitanæ.

AD hæc Iudæorum Encænia non incommodè etiam referri poſſe arbitror Solennitatem, à Simone Aſmonæo Iudæ Machabæi fratre, die 23. menſis Iiar inſtitutam. Is enim arcem Hieroſolymitanam, quam Antiochi præſidium eò vſque tenuerat & ciues perpetuis excurſionibus vexauerat, fame expugnatam, expiat ſolenni ritu hoc die, cum magna totius ciuitatis lætitia, & quotannis eum diem ad poſteritatem Feſtiuo gaudio celebrari mandat: 1. Mach. 13. cap.

Appendix ad FESTA Iudæorum Veterum.

Feſta Iudæorũ omnia in Dei honorẽ inſtituta.

HÆc autem Iudæorum Feſta omnia, tam à Deo ipſo, quàm ab hominibus inſtituta, ad nullius creaturæ mortuæ, quantùmuis Sanctiſſimæ excellentiſſimæque imò ne Angeli quidem, ſed ſolius Dei honorem & gloriam erant accommodata, vt videlicet iis fidelibus refricarentur maximorum Dei beneficiorum memoria.

Feſta Iudæorũ fuerunt ceremonialia ideòque abrogata.

Præterea hæc Feſta omnia, vtpote ceremonialia & vmbræ rerum futurarum, abrogata ſunt per aduentum Filii Dei. Docet hoc manifeſtiſſimè Chriſtus ipſe Ioan. 4. cap. vbi de Noui Teſtamenti cultu ſic loquitur, vt facilè intelligamus corporeum illum cultum, hoc eſt, vmbras, figuras & typos Veteris Teſtamenti in illa locum nullum habiturum. Dicit enim, Venit hora & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Et in cruce pendens alta voce clamans, dixit: Conſummatum eſt. Quibus verbis teſtatus eſt, impleta iam eſſe in morte ſua, quæcunque de humani generis Redemptione olim promiſſa, & typis atque figuris corporeis adumbrata fuerint. Vnde & Paulus Coloſſ. 2. Deleuit, inquit, rituum chirographum (legem ceremonialem intelligit) quod aduerſum nos erat, & affixum cruci è medio ſuſtulit. Feſta autem Veteris Teſtamenti ex horum rituum, typorum, figurarum & vmbrarum numero fuerunt. Ergo adueniente veritate, quæ eſt Chriſtus Ieſus, ſublata eſt vmbra Paſchalis igitur ceremonia tota abrogata eſt per Chriſtum, qui corpus eius fuit, Coloſſ. 2. Et Paulus apertè hoc docet 1. Corinth 5. dicens, Paſcha iam noſtrum Chriſtum eſſe: eſt enim ille Agnus Dei, tollens peccata mundi: & propterea à nobis non quotannis ſemel, ſed quotidie verâ fide edendus. Sublata quoque eſt Pentecoſtes celebritas Veteris Teſtamenti, quia quinquageſimâ die poſt, quæ erat prima ſeptimana, quam nos Dominicam vocamus, Spiritus Sanctus miſſus eſt, qui legem Chriſti cordibus inſcribit. Feſtum Tubarum abrogatum eſt Euangelii Prædicatione, cuius illud typus fuit. Feſtum Expiationis in morte Chriſti ceſſauit: ſanguine enim qui in ea effuſus eſt, mundamur à peccatis noſtris. Et quia Chriſtus eſt Tabernaculum noſtrum, ſub cuius vmbra in his terris peregrinamur, vt Paulus docet Heb. 9. cap. propterea Tabernaculorum ſolennitas inter Chriſtianos locum nullum amplius habet. Annorum autem Sabbatha, quum vmbra fuerint & figura æternæ in cælo quietis, libertatis item per Chriſtum nobis acquiſitæ finem habent meritò. Septimæ quoque diei definitio in Sabbatho hebdomadario, quià res fuit ceremonialis, & ſymbolum mundi creationis, abrogata eſt, & in eius locum ſubiit tota ea, quam Dominicam vocamus, in memoriam Reſurrectionis Chriſti, quâ vniuerſa noſtræ ſalutis negotium conſummatum fuit. Quæ quum ita ſint, multo magis reliqua Feſta non à Deo, ſed ab hominibus inſtituta, ſublata ſunt in Nouo Teſtamento: præſertim quum nil niſi memoriæ fuerint vel maximorum calamitatum quæ populo Dei iuſto eius iudicio obtigerunt, vel ingentium beneficiorum quæ ab eo acceperit.

Hæc quum non intelligerent Iudæi Apoſtolorum ætate, & propterea etiam poſt conuerſionem ad fidem Chriſti dies, menſes, annos, & ſabbatha legis tanquam ad ſalutem neceſſario obſeruarent, atque etiam Ethnicos ad Religionem Chriſtianam conuerſos eadem obſeruare docerent: ideò Paulus Galatas ſuos, quos in eundem errorem Pſeudoapoſtoli induxerant, grauiſſimè obiurgans, ait: Cùm agnoſcatis Deum, imò potius edocti ſitis à Deo, quomodo conuertimini retrorſum ad impotentia & egena elementa, quibus retrorſus ab initio ſeruire vultis? Dies obſeruatis, menſes, tempora, & annos. Metuo de vobis ne fruſtrà fatigatus ſim apud vos. Quod perinde eſt ac ſi dicere eis voluiſſet Apoſtolus: Quid prodeſt vos euaſiſſe ſeruitutem quâ tenebamini, cum ſeruiretis elementis mundi, quando rurſus ad talia redditis, ſeducti ab iis qui nondum agnoſcentes libertatis ſuæ tempus, inter cætera opera legis quæ carnaliter ſapiunt, etiam temporibus ſeruiunt: quibus & vos rurſus vt antea ſeruire vultis, & obſeruare cum eis dies, menſes, annos, & tempora, quibus ſeruiebatis antequam Chriſto crederitis: ſic enim D. Auguſtinus verba illa Apoſtoli explicat. Galat. 4.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De recentiorum Iudæorum Feſtis: déque Ceremoniis, ac Ritibus quibus Feſta hæc celebrant.

*RE*centiorum *Indaorum Feſta duplicia ſunt*, vetera & nova. Vetera *appella, qua in Veteri Teſtamenta vel ex praſcripto legis Diuina, vel ex traditione ſunt etiam celebrata, vt eſt Sabbatham, Phaſe, Pētecoſte. Feſtum Tabernaculorum, &c. Atque hac rurſus fuerunt duplicis generis. Tria enim Solennia Feſta Hieroſalymis tantùm celebrabantur: reliqua verò per omnia oppida, vicos & caſtella totius Regni.*

In celebratione autem horum Feſtorum multis ac varÿs ſuperſtitionibus à veteribus plurimùm differunt recentiares Indai, vt in ſequentibus videbimus.

Noua *dico, qua poſt excidium & repudium ſuum ſuperſtitiaſi homines ſibi ipſis finxerunt & inſtituerunt: quibus recentiores vnum vel alterum adjecerunt: eáque in omnibus locis, in qua diſperſi ſunt, celebrant.*

DE SABBATHO.

De Preparatione ad Sabbathum.

DIe proximè Sabbathum pracedente, quem nas Veneris diem vocamus, olim cornu, vel tubâ inflatâ ſignum dabatur, vt quilibet ſe tempeſtiuè ad Sabbathum dignè celebrandum prapararet: hodiè verò Synagoga cuſtas, quem nos adituum vocamus, circumiens clamat, vt omnes ab opere quolibet, Sabbatho incipiente, abſtineant. Tunc amnes cibos, quibus dit Sabbathi veſci volunt, coquunt: Mulieres imprimìs placentas multas parant.

Conuiuia tria in hanorem Sabbathi celebrant. Primum, nacte illâ, qua diem Veneris ſequitur: & quâ Sabbathum incipit. Alterum, meridie die Sabbathi. Tertium, nocte Sabbathum ſequente. Carnes elixas & aſſatas, quia calida meliares ſunt, ſic in furna ſeruant. Menſa tata Sabbathi tempore, tam nocte quàm die perpetuò pannis puris ac mundis ſtrata, mantilibus etiam, orbibus, papulis, puluinis, ſcamnis alÿſque rebus arnata manet.

Capita quaque lauant: & mulieres capillos ornatè implicant. In balnea calida etiam ſe canferunt, aut aliâs manus & pedes calidâ aquâ lauant, vnguéſque de digitis abſcindunt magna cum ſuperſtitione. Veſtes item Sabbathinas ind unt.

Occidente Sole mulieres lumina Sabbatharia accendunt. Lampades autem, quibus vtuntur, ex auricalco ſunt, & in hypocauſtis, vbi cibum capere ſolent, pendent: earum ellychnia cum primùm ardere incipiunt, mulier quaque domi ſua ambas manus lumen expandit, & precatiunculam quandam peculiarem demurmurat. Luminarium harum communiter duo, vel etiam plura accendere ſolent.

Deinde Synogogam ingrediuntur. Ex ea, poſtquam ſuperſtitianes ſuas peregerunt, domum reuertuntur: inter eundum alius alÿ Sabbathum latum precatur. Domum reuerſi ad menſam accumbunt, ſuper qua Salem eſſe oportet, poculum item vini plenum, & panes duos panna lineo menſali caopertos. Tum pater familias paculum vini plenum ſumens, precatiunculis quibuſdam benedicit. Max de vino bibit, & paculum praſentibus alÿs, vt etiam ex eo bibant porrigit. Inde mantile pani ſuperpaſitum aufert, panéſque duos accipiens ante precatianem non ſcindit, vt aliâs in ſeptimana fieri ſolat, ſed, Cum venia, *inquit*, Dominorum meorum & Rabbinorum: Benedictus eſto tu Deus, Domine noſter, mundi Rex, qui panem è terra educis. *Paſtea fruſtum à pane abſcindit, edit, & vnicuique menſa aſsidenti fruſtum itidem impertit, & quidem maius quàm alÿs diebus, in honorem Sabbathi quo parco eſſe nemini licet: deinde reliquas cibos, qui apponuntur, camedunt. Dum autem vinum, vt paulà antè dictum eſt, benedicitur, omnes in luminaria Sabbathina ocular diligenter figunt eáque intuentur.*

Cùm etiam aliquis longiore ſpatia itineris ab haſpitia, vel adibus ſuis abſit die Veneris, quàm die Sabbathino canficere licet, hunc in agro vel ſilua etiam media, vbicunque illa ſit, manere, ibidem quieſcere, & Sabbathum ſeruare, neglecto omni periculo, & penuriâ cibi potúſque debet.

De Celebratione diei Sabbathi.

MAtutino tempare Sabbathi non tam citò, quàm alÿs diebus ſalent, è lectis & ſtratis ſuis ſurgunt, ſed in lucem multam ſtertunt, non quidem Sabbathi colendi, ſed voluptatibus indulgendi causâ. Quanta enim plus valuptatis inde percipiunt, tantà ſe deuatiùs Sabbathum colere & obſeruare arbitrantur.

Tandem cùm in Synagogam veniunt, plurimis precationibus & cantillationibus vtuntur. Librum etiam Legis ex arca depramunt magna cum pompa. Septem autem capita ex Maſe & Prophetis legunt ſeptem viri ad id ſingulariter euocati: vnuſquiſque eorum per januam ſibi proximam aſcendit, & per alteram rurſus deſcendit. Precationes in Synagoga vltra horas ſex diurnas, hoc eſt, vltra tempus meridianum non durant: diutius enim ieiunare & orare vetitum eſt.

Precibus

Digitized by Google

Precibus matutinis peractis è Synagoga domum ſe conferunt, vbi conuiuium alterum Sabbathinum celebrant, magno cum gaudio ac lætitia. Poſt prandium in libris Sacris aliquid legunt.

Tempore veſpertino rurſus in Sinagoga conueniunt, factáque precatione ſerotinâ, ad tertium conuiuium Sabbathinum reuertuntur domum, durante adhuc die, Sabbathóque nondum finito. In hoc verò non multum edunt ac bibunt, propter prandium meridianum, quod ſæpè ad veſperam vſque durat.

Conuiuia hæc tria maximi faciunt, & quidem meritoria eſſe arbitrantur. Nam, vt in Talmudo ſcribitur Tract. de Sab. c. 10. opinantur, eum in infernum non venire, & contra Gog & Magog defendi, qui ea diligenter frequentet ac celebret.

Inter veſpertinum & nocturnum tempus, aquam recentem haurire, & ex flumine bibere non licet, ob animas impiorum vitâ functorum, quas arbitrantur hoc toto die, præſertim verò hoc tempore, ſeſe in fluminibus quibuſdam infernalibus refrigerare & abluere, & finito Sabbatho in infernum ipſas redire oportere.

Nocte inſtante, denuò conuenientes, tantiſper dum nocteſcat, orant, cantionéſque Sabbathinas decantant, inſtar felium Martio menſe laſciuientium. Cantiones autem has in multam noctem producunt: vt animæ impiorum Iudæorum eo tardiùs in infernum reuertantur, quò diutius cantiones illæ prolongantur. In cantionibus quoque his nocturnis multum & ſæpe vocant Heliam Prophetam. Nugantur enim, promiſſum ipſis eſſe, quòd venturus ad eos ſit Helias tempore veſpertino, vel Sabbathi, vel alterius diei Feſti, & Meſſiæ aduentum nunciaturus. Cum itáque Sabbathum jam præterierit, illéque nondum venerit, rogant eum, vt Sabbatho proximè ſequente venire velit. Finitis his precibus & cantionibus veſpertinis, Præcentor in Synagoga indicat clarâ voce, Sabbathum iam finitum eſſe.

DE PASCHATE.

De Præparatione ad Pascha.

IVdæi, locupletiores inprimis, triginta totis diebus ad Feſtum hoc ſe præparant, & triticum emunt ad panes Azymos coquendos, quibus Feſti tempore veſcantur.

Sabbathum, quod Feſtum ipſum præcedit proximè, illis eſt Sanctiſſimum. In eo prolixè docent populum de Agno Paſchali, ejúſque vſu.

Et quia Rabbini eorum docent Iudæos fermentum, omne, hoc eſt, ſordes omnes vtenſilium omnium quibus per annum totum in domibus ſuis vſi fuerint, lauando purgare, recentem item nouámque farinam triticeam ad panem infermentatum pro Paſchate conficiendum in promptu habere debere, ideò diebus vt minimum duobus aut tribus ante Paſcha, ſupellectilem domeſticam vniuerſam particulatim, quantum & forma & neceſſitas requirit, purgare incipiunt. Sumunt igitur ahenum quoddam, quo die Feſto vti ſolent, idémque ſat magnum: Id aquâ impletum ſuper ignem conſtituentes bullire faciunt. In ahenum illud bulliens vaſa tàm lignea quàm ſtannea, jam prius purgata, immergunt, eaq́; poſt bullitionem ſufficientem aquâ frigidâ abluunt. Quæcunq; ſupellex in ahenum illud præ magnitudine mergi non poteſt, vt eſt, ſedile, ſcamnum, menſa, &c. ea purgatur ſequente modo. Ferrum vel ſaxum ignitum forcipe apprehenſum ſuper ſupellectili tali extendunt: mox aquam multam ſuperfundunt, vt hâc aquâ ſupellex calefacta vndecúnq; aſpergatur & abluatur. Hîc aquæ parſimonia nulla: quocunq́; enim aqua hæc peruenire nequit, ibi ſupellex iſta immunda habetur. Mactram iam benè elutam calce totam obliniunt, eámq; in locum aliquem domûs ſeorſum collocant. Ahena grandia probè purgata aquâ bulliente replent. Poſtea titiones tres adeò ignitos, vt aqua ex eis efferueat, in ea conjiciunt. Ahena illa deinde aquâ frigidâ abluunt, vaſa ferrea in ignem conjecta, igneſcere faciunt: tunc pura habentur. His ſimilibúſque modis vaſa alia purgant. Ac neceſſe eſt, vt vaſa omnia partibus omnibus ita ſint pura, vt impuritas per fermentum ſignificata, nullibi relinquatur vlla. Quicunque enim ex vaſe non puro Paſchatis tempore cibum cepiſſet, eum non leuius peccare arbitrantur, quàm ſi mulieri menſtruatæ condormiret.

Fermentatum autem panem hoc modo expurgant. Nocte Feſtum Paſchatis præcedente, quiuis paterfamiliâs patinam & alam purgatoriam ſumit, candelam ceream accendit, aſſumptíſque, *Modus expurgandi fermentatum panem.* in domo magna, pueris vel viris, quorum quiſque lucernam ardentem manu geſtat, quærere incipiunt. Lucernas illas ad foramina murum & rimas admouent, vt, num muſculus aliquis micam panis eò aſportatam non planè comeſtam reliquerit, videre poſſint. Candelis ſebaceis ad hanc inquiſitionem non vtuntur, quia metuunt fermento, hoc eſt, liquefactione earum cubicula impura reddi. Inter inquiſitionem hanc nihil ipſis fari licet, niſi quod ad inquiſitionem pertinet, videlicet, Aperi cubiculum iſtud; Accede huc cum candela, vt videam; &c. Fermentum repertum in poſterum diem reſeruant, & ne mures id arreptum rurſus aliquo transferant, ſtudioſè id tegunt & cuſtodiunt.

Hoc etiam die dulces & infermentatas placentulas coquunt. Farinam minimùm diebus tribus molitam antè oportet eſſe, vt nimirum benè frigeſcat, ne maſſa inde facta fermenteſcat. Cùm farina ſubactionis initium fit, paterfami-

Digitized by Google

liâs inquit, Fruſtula omnia quæ de maſſa hac deciderint, deuota erunt: *ſignificare volens, quicquid in terram lapſum fermenteſcat, id muribus donatum eſſe debere, nec ſeſe in poteſtate ſua habere velle. Subigunt autem farinam in loco quodam frigida, quò Sol pertingere nequit, & qui à furno longè diſtet, ne maſſa depoſita caleſiat & fermenteſcat. Materfamiliâs ſibi portionem ſingularem de maſſa ſumit, ex eâque placentam conficit, quam ſuper carbones vel in fornacem coniiciens totam comburit priuſquam reliqua placenta conficiantur. Poſtea placentas Azymas conficit, quas toto Feſti tempore comedant. Hæ plerúmque rotundæ & foraminibus plenæ ſunt, ferro cuidam ſtrigili ſimiles, ne fermenteſcant. Salſedinis quoque & pinguedinis omnis expertes ſunt, vulgò ex ſola aqua confecta, adeóque eſui ingrata. Hinc aliquoties fit, vt matresfamiliâs quædam oua maſſa commiſceant, vt panis ille eſui gratior ſit.*

Poſt hæc circiter horam noſtram decimam prandent, edant parum. Et priuſquam tempore nocturno ſtella comparere incipiant, aliquid edere ipſis non licet. quò panes Azymos cum appetita maiore eâ nocte comedant: ob eámque cauſam etiam ſi quis ſiti vexetur, ei non multam aquæ ſed vini hauſtum bonum bibere licet.

Cùm primùm comederunt, ignem ſub dio excitant, fermentúmque illud, quod præcedente nocte inuenerunt comburunt. Primogeniti tempore Paſchatis veſpertino à manè vſque ad ſerum ieiunant, quod Deus olim primogenitos Iſraelitarum ab Angelo interfici non permiſerit. A meridie ociantur: attamen lauare, veſtes nouas à ſartore domum referre & induere flagitium nullum eſt.

De Celebratione Feſti Paſchalis.

CIrca veſperam Paſchatis in Synagogam ſe conferunt, cultúmque ſuum cantu & precibus peragunt. Nocte iam ingruente luminaria duo accendunt, vt etiam Sabbatho faciunt.

Præparatio ad cœnam Paſchalem.

Interea matresfamiliâs domi menſam adornant, vaſa argentea & aurea, aliáque pretioſa ei imponunt, pro vt conditio & facultates cuiúſque ferunt. Patrifamiliâs ſedile ad quod dorſum inclinare poſſit, è puluinis ſericeis & holoſericis apparatur huic ſellæ, vt etiam parietibus ipſis, ad quos dorſum inclinare ſolent, in menſarum circuitu tapetes ornatiſſimos circum appendunt. In ſedilio hæc, parietéſque ſic exornatos inclinant ſe tanquam Domini præpotentes, qui è ſeruitute aſſerti in captiuitate Ægyptiaca non amplius detineantur.

Quamprimùm nocteſcit, è Synagoga feſtinanter domum currunt, & patinam quandam, in qua placentæ tres inter mantilia duo tecta iacent, ſuper menſam ſibi apponi iubent. Statuitur ſuper menſa eadem patina quoque alia, in qua coxa agnina vel hædina aſſa, vnà cum ouo, ſub cineribus calidis indurato, viſitur. Apponitur & patella pulticula è pomis, pyris, nucibus, ficubus, &c. in vino ſuper affuſo coctis facta, & figurâ lateritiâ efficta plena, in memoriam ſeruitutis Ægyptiacæ, in qua Maiores eorum lateres fecerant. Apponunt præterea patinam acetariis è lactuca, hedera, raphano petroſelino, ſerpyllo, naſturcio & ſimilibus herbis impletam. Huic patellam aliam aceto plenam è regione opponunt, vt ita Maiores ſuos Agnum Paſchalem cum herbis amaris comediſſe recordentur. Cùm hæc omnia menſa impoſita ſunt, tum celerrimè menſæ aſſident & vnicuique tam ſenibus, quàm iuuenibus, imò infantibus quóque in cunis poculum vino impletur, paterfamiliâs vino benedicit & Feſtum inchoat: tum poculum ſuum quiſque euacuat, & ſeſe in ſiniſtram ſuper puluinos ſericeos, tanquam Princeps aut Baro aliquis inclinat. Plerique manus ante benedictionem lauant. Vino plerúnque rubro vtuntur. Poſt hunc primum hauſtum acetaria inuadunt. Et ſumens vnuſquiſque paululum herbarum, in acetum proximè appoſitum intingit. Poſtea paterfamiliâs placentam è tribus mediam è patina ſumptam in duo fruſta diffringit: quorum maiore prope ſe ſub puluino, vel mantile poſito, in ſignum, quòd maiores maſſam in lintea ligatam, ſecum ex Ægypto fugientes aſportârint: alterum fruſtum iterum inter placentas reliquas duas integras adhuc reponit. Hinc coxam agninam illam aſſam, & ouum è patina promit. Omnes deinde patinam, in qua placenta dimidia eſt, apprehendentes voce clarâ canunt, Talis erat panis afflictionis, quo patres noſtri veſcebantur in Ægypto: quilibet, qui famelicus eſt, venire debet, ac famem ſedare: quilibet, opus habens, venire debet, ac de oblatione agni Paſchalis edere. Hoc anno ſumus hîc, anno altero in terra Canaan: hoc anno ſerui ſumus, anno illo, quo venturus eſt, erimus liberi è ſeruitute in libertatem aſſerti domini. *Tum coxam agninam aſſam, & ouum ſub cineribus aſſum menſa rurſus imponunt, iterúmque quilibet poculum ſuum vino replent, & patinam cum placentis à menſa amouent, vt infantes habeant de quo quærant, ad id alludentes quod ſcriptum eſt Exod. 12. c. v. 26. & 27. Liberi igitur parentes rogare debent, cur placentas de menſa amouerint, cùm de illis nondum quicquam guſtârint. Quærentibus ſic, quilibet quod ſcit reſpondet, placentaque rurſus ſuper menſam ponuntur. Hoc facto, præſentes omnes cantionem quandam ſatis longam de liberatione Ægyptiaca decantant. Cúmque in hac cantione ad narrationem plagarum decem, quibus Ægyptij affecti fuerunt, perueniunt, tardè canentes digito aliquo vini guttulas aliquot è poculo excutiunt, de-*

mónſtrore

monſtrare volentes, quòd plagæ tales decem ſuper inimicas earum, Chriſtianos nimirum, cadere debeant. Paulò poſt quiuis, poculo ſua in manus ſumpto, clarâ voce cantat : Ergo dignum eſt, vt fateamur, laudemus, gloꝛificemus, extollamus, honoremus, benedicamus illum, qui & Maioribus noſtris & nobis ſigna hæc omnia fecit, è ſeruitute in libertatem, è triſtitia in lætitiam, è ſqualore in ferias iubilo plenas, è tenebris in lucem transferre dignatus eſt, hanc ob cauſam in conſpectu eius perſonabimus, *&c. Hoc peracta, ſecundâ vice poculum quiſque ſuum vini plenum euacuat, & ſeſe ad ſedile ſuum inſtar domini alicuius potentis reclinat. Tum paterfamiliâs manus iterum lauat, precationem ſolitam repetit, & placentam ſupremam è patina tollit, de ea particulam aufert, editque, & cæteris edendam placentam porrigit, qui in latus ſiniſtrum ſe cuncti inclinant. Poſt hac paterfamiliâs herbarum amararum iterum aliquantulum ſumens, in pulticulam illam, quæ lutum Ægyptiacum repræſentat, intingit, orat & de herbis illis edit, alióſque pariter ad edendum inuitat. Max placentam tertiam è patina tollit, fruſtulúmque de ea diffringit, iterúmque herbarum iſtarum amararum paululùm edit. Hactenus de præparatione ad Cœnam Agni Paſchalis.*

Cœna Paſchalis ipſa. *Sequitur iam Cœna Paſchalis ipſa. In ea edunt quicquid illis apponitur magna cum hilaritate & lætitia, & ad noctem ferè mediam poculis inter ſe certant. Cum ederunt, & nox media appropinquat, tum paterfamiliâs placentam dimidiam cooꝑertam rurſus depromit, de ea paululùm edit, reliquiſque fruſtulum de eadem impertit. Poſt, ſeſe in latus ſiniſtrum inclinant, manus lauant, vnicuiq; poculum vino implent, impletúmque mox ebibunt. Et hoc eſt poculum benedictum tertium. Gratiis deinde actis pocula quartâ vice implent. Paterfamiliâs ſuum in manus ſumens,* Effunde, *inquit,* iram tuam ſuper gentes, quæ non nouerunt te, & ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocant, *&c.*

Dum hæc fiunt, ad ianuam domûs aliquis accurrens, eam latiſſimè reſeratam expandit, ſecuritatem ipſorum ſummam ſic declarare volens. Sperant quóque hac nocte venturum Heliam, & Meſſiæ aduentum nuntiaturum ipſis. Inde fit, vt, quamprimum ianua aperta fuerint & prior oratio prænuntietur, quiſpiam lintea albo indutus, quàm celerrimè in hypacauſtum irrumpat, vt infantes, Heliam iam præſentem eſſe ceruicémque Chriſtianorum fracturum eſſe putent. His peractis, paterfamiliâs benedictiones omnes ſatis longâ oratione concludit.

Poſtea cubitum eunt, & in ſecuritate ſumma dormiunt: perſuadent enim ſibi, ſeſe nocte hac & contra homines, & contra Diabolos ſic tutos futuros, vt ab iis lædi non queant. Per noctem totam domos & portas apertas relinquunt, quòd Heliam venturum, eóſque ex omni miſeria liberaturum arbitrentur. His ceremoniis, à Deo nuſquam mandatis, noctibus duabus integris Agnũ ſuum Paſchalem comedunt indurati homines. Scribunt enim Rabbini illorum quòd ipſi ex quo Hieroſolyma & templum deuaſtata fuerunt, Agnum Paſchalem mactare, eúmque ceremoniis per Moſem præſcriptis, edere neceſſe non habeant, niſi in terra Chonaan.

Quomodo Iudæi recentiores ſeptem diebus Feſti Paſchalis ſe gerant, ídque finiant.

FEſti Paſchalis matutino tempore in Synagogam ſe conferunt, Pſalmos canunt vt die Sabbathi, preces multas dicunt, libros legis duos ex arca depromunt, & viros quinque euocant, qui lectiones aliquot ex iis legere iubentur. Quando Sacerdos in fine precum populo benedicit, manus & digitos latè extendit. Poſt hac domum reuerſi prandent: cibo autem non multo ſeſe ingurgitant, vt nocte ſequente tres illas placentas, de quibus ſuprà, tantâ alacrius edant. Hic Rabbini prolixè & ſubtiliter diſputant, quas labores & quantos, hoc die facere liceat, quantùm coquere, & quoſnam cibos edere oporteat, &c.

Tempore veſpertina in Synagogam reuerſi precantur feſtinantiſſimè: Sequentem diem eodem modo feriantur. Dies quatuor ſequentes, parte tantùm dimidiâ Feſtiui ſunt, vnde etiam Feſti dies communes *appellantur, quibus labores aliquos non tamen quoſvis facere eis licet. Dies ſeptimus ſecundùm legem illis rurſus ſacer eſt: & quia neſciunt quis dies ſeptimus & vltimus certò ſit, ideò & hunc dupliciter feriantur, & ita dies octauus ipſis æquè ſacer eſt ac ſeptimus. Tunc panem fermentatum rurſus in ædes recipiunt. Viri autem ieiunant ter, dies nimirum lunæ duos, & Iouis vnum: vt ita de eo ſi quis in Feſto ipſo nimiùm vel bibiſſet, vel aliâs Feſtum ipſum non debito more celebrauiſſet, pœnitentiam ageret. Ad diem trigeſimum tertium vſque poſt Paſcha vulgò triſtes ſunt, nuptias non celebrant, crines intonſos alunt, balnea non adeunt, &c.*

De Pentecoſte.

PEntecoſten feriantur duabus diebus loco vnius, quòd certà non ſciunt, quis verus eius ſit dies. Ceremonias non admodum multas habent, idq; ſacrificiorum maximè cauſâ. Legis librũ ex arca depromunt, viros quinq; ordinantes, qui ex eo capita quadam ad leges & ſacrificia, quæ

 die

die Feſto hoc maiores earum afferre conſueuere, pertinentia legunt: Ob recordationem autem legis hac die acceptæ pauimenta ædium platearum & Synagogarum gramine conſpergunt. Faſciculos etiam ramuſculorum viridium paſſim feneſtris appenunt, corollas etiam virides ſuper capitibus geſtant, quòd omnia loca circa montem Sinai viridia fuerint, cùm legem acceperunt. Lacteas quóque cibos multos edunt, quòd lex, ipſis hac die data, dulcis inſtar lactis ſit. Placentam altam & craſſam faciunt, ſeptiplicíter in ſe implicitam, ad ſeptem cœlorum memoriam, in quos Deus poſt legem datam è monte Sinai aſcenderit. Oportet denique hac die vino bono & carnibus bonis quemuis inſtructum eſſe.

De FESTO Tabernaculorum.

Diebus aliquot ante hoc Feſtum in loco amœno tabernacula conſtruunt ex quatuor tantùm ramorum generibus. Antiquitus autem è ramis & frondibus quibúſuis viridibus contexebantur. Arbores autem, de quibus auellebantur, erant oleaſa, oliua, myrti, reſinoſa, & ſimiles, quæ propter pinguedinem diu viriditatem retinebant, vt colligitur ex Leuit. 23. c. & Nehem. 8. c. Exſtruunt autem huiuſmodi tabernacula hodiè ſub dio, non ſub tecto vel ambulacro ſuperius tecto. In illis aëri libero expoſiti ſedent, ianuas non claudunt ſiue pluat, ſiue ventus vehemens ſpiret. Tectum è ſolis ramuſculis viridibus conficitur, vt ſtellæ per id conſpici poſſint. Diuites tapetes in illis expandunt pulcherrimos, non autem vt loco ſint parietum. Ad tectum ſuperius fructus venuſtiſſimos appendunt, videlicet, mala citrea, aurantia, &c. aut ſi comparari non poſſunt, cucumeres pro iis vſurpantur.

Feſtum ipſum apud Iudæos hodiè quóque diebus octo durat, quorum duo primi, totidémque poſtremi Feſtiui toti; intermedij verò cæteri dies ſemifeſtiui ſunt.

Die decimoquarto circa veſperam in Synagogis conuenientes cantant & orant donec noctеſcat. Deinde domum reuertentes, in tabernacula ſua ſe conferunt. Tum paterfamilias orat, & oratione iſtâ Feſtum inchoat. Gratias autem agit Deo, quòd eos præ populis aliis omnibus elegerit, extulerit & ſanctificârit, eíſque in tabernaculis talibus habitare præceperit. Cœnant deinde in tabernaculis ſuis magno cum gaudio & lætitia. In tabernaculis quóque iſtis antiquitus pernoctare ſolebant. Hoc verò Iudæis hodie tum propter frigus autumnale & humiditatem loci, tum etiam propter alia incommoda moleſtum eſt. In cubilibus igitur ædium ſuarum dormiunt.

Sequente die qui eſt decimus quintus ſummo manè in Synagogam redeunt, ibique rurſus canunt & orant. Cùm Præcentor eorum ad hæc verba, Domine da pacem, &c. peruenerit, tum quiuis eorum faſciculum ex palma, olea & ſalicis ramis colligatum, in manum dexteram, & malum citreum in ſiniſtram ſumens, Benedictus, inquit, eſto tu Domine, Deus noſter, mundi Rex, quòd tu per mandata tua nos ſanctificâſti, & vt faſciculum palmarum geſtaremus, imperâſti; quod dum dicit, faſciculum quidem manu concutit, vt ſtrepitum edat: poſt faſciculum eundem ante ſe ter Orièntem, ter Meridiem, ter Occaſum & ter Septentrionem verſus ad latus ſiniſtrum impellit: Tandem ſurſum & deorſum, inſtar pugilum illum quatit: Orationémque inceptam finiunt ſimul: & faſciculum rurſus concutiunt, exiſtimantes, ſe ſtrepitu illo peccatum & Satanam ita perterrefeciſſe, vt eos apud Deum amplius accuſare non audeant.

Mox aliquis abit, librúmque legis ex arca eximit, eúmque ſuper ſuggeſtum collocat. Poſtea omnes cum faſciculis & malis citreis ſuggeſtum illud in circuitu obeunt: & hoc ſingulis diebus illis ſeptem faciunt; ut ſibi in memoriam reuocent, muros Hierechontinos ſeptem vicibus obitos, ad extremum collapſos, & in Iſraelitarum poteſtatem redactos eſſe: ſperantes muros Imperij Rom. collapſuros quóque aliquando, & Iudæos Chriſtianorum Dominos breui euaſuros.

Poſt primam hanc faſciculorum feſtiualium concuſſionem, eoſdem aliquoties deinde concutiunt libróſque legis ex arca eximentes, legunt ex iiſdem paucula.

Diem alterum, videlicet 16. feriantur eodem prorſus modo: non quòd Deus hoc mandârit, ſed ob dubitationem, quòd hodiè, quis dies menſis Tiſchri quintus decimus præcisè ſit, certò non ſciant: eóque fit, vt dies duos pro vno ſolo ferientur.

Tempore nocturno paterfamilias quilibet precatiunculâ quâdam Feſtum ipſum, à diebus aliis labori deſtinatis diſcernit, gratiáſque Deo agit de Feſto tam benè ritéque celebrato.

Dies quatuor ſequentes intermedij, hoc eſt, partim Feſtiui, partim profani ſunt. In iis orant multùm, & faſciculos, de quibus diximus, ſubinde concutiunt. Quod ſi dies Sabbathi in aliquem horum quatuor dierum inciderit, tunc inter cætera caput aliquod de Gog & Magog ex Ezechiele legunt.

Dies ſeptimus illis rurſus Sanctus eſt. In eo ante Solis exortum plerique in aqua frigida vel calida ſe lauant: hinc in Synagogam reuertuntur, candelas multas incendunt, orant, canuntq́ue, & libros ſeptem ex arca ſumentes in ſuggeſtum collocant, quod cum faſciculis ſuis ſepties circũeunt, vicibus ſingulis librum vnum de ſeptem illis reſumptum in arcam recondunt.

Vbi non omittendum arbitror, Rabbinos Iudæorum

rum ſuper cap. 14. Num. fingere, quòd Deus hac nocte diei ſeptimi menſis huius per lunam reuelet Iudæis, quidquid eis per annum ſequentem totum euenturum ſit. De nocte igitur ſub lunæ ſplendorem prodeunt alij capite tantùm nudo, alii interulâ ſolùm circumdati, vel nudi planè, & brachia manúſque à corpore diſtendunt. Quod ſi horum alicui in vmbra lunæ deſit caput, huic defectum illum capitis portendere aiunt, quòd anno eo caput ſit amiſſurus, vel moriturus. Si quis digito deſtituatur, id indicium certiſſimum eſſe, quòd aliquis amicorum ejus eo anno vitam cum morte commutaturus ſit: Si cui manus dextera deſit ſignum certum eſt, filij mortem adeſſe, &c. Hæc nugamenta probare volunt his verbis Num. 14. c. Vmbra eorum diſceſſit ab ipſis: *Sic enim legunt, Rabbini, loca* Protectionis *vmbram ponentes. Scribunt præterea, Deum eodem die determinare certò quantum illo anno pluere debeat: concludere quoque, quòd annus ille vel fæcundus, vel infæcundus eſſe debeat.*

Poſt meridiem rurſus hypocauſta & domos adornant, & vbi cænaverint in tabernaculis, in ædes ſuas dormitum ſe conferunt.

Dies quoq; octavus ſecundùm legem ipſis Sanctus eſt, diémque Retentionis *vocant: quòd, vt amicus bonum amicum quem per dies ſeptem ſecum habuit, lautéque tractauit, die quoq; octauo ſecum retinet: ſic dies Feſtiuitatis huius octauum, quaſi diſceſſurum à ſe dimittere nolint. Tēpore meridiano in tabernaculis adhuc edunt: benedictionem tamen ſolitam ſuper cibo non proferunt. Ollas quoque impuras & non ſanctas, vaſáque alia ſimilia in eo comportant, communia, hoc eſt, non ſancta faciunt, vt maiorem occaſionem habeant è tabernaculis domum reuertendi, quod ſub noctem ingruentem faciunt.*

Mulieres, ſerui, ancillæ in tabernaculis his tam aſſidui ac viri eſſe non tenentur. Frigoris aut pluuiæ ingruentis cauſa è tabernaculis exire prohibitum eſt. Si tamen ſuprà modum pluat, tum cuiuis ſolì modeſtè & mæſtè exire licet.

De feſto hoc Tabernaculorum in Talmudo tractatus prolixus extat, in quo Rabbini docent, quomodo rectè obſeruari & celebrari poſſit, quomodo tabernacula conficere oporteat, quomodo quatuor ramorum genera vſurpari deceat, & ſimilia.

De Nouilunii Feſto.

H*Oc tempore dies cujuſque lunæ nouæ non totus ſed dimidius tantùm Iudæis Feſtus eſt, adeò vt in eo laborare vel non ſibi permiſſum eſſe putent. Docent etiam Rabbini, mulieribus imprimis mandatum eſſe, vt hoc die ab omnibus operibus abſtineant. Die verò proximè hunc præcedente, qui pij haberi volunt ieiunant. Deúmque rogant, vt ipſis lunam nouam lætam fauſtámque dare dignetur.*

Manè in Synagoga conueniunt, precéſque ſingulares quaſdam, & quidem plures quàm alijs diebus precari ſolent. Meridie prandent lautè & hilariter. Atque vt diutiùs menſæ aſſidere poſſint, chartis & aleis ludunt, facetijs quoque & fabulis, quas narrant, ſeſe oblectant. Sabbatho proximo poſt Nouilunium, cùm luna paululum lucere incipit, de nocte ſurgentes & oculos ad lunam attollentes in hortis vel plateis, ter cælum verſus exſiliunt & lunæ benedicunt.

DE NOVI ANNI FESTO.

De Præparatione ad Noui Anni Feſtum.

I*N lege nuſquam reperitur à Deo mandatum eſſe, vt Noui Anni Feſtum celebrarent, ſed Feſtum* Tubarum, *quod die prima menſis Tiſri habebatur, eius loco celebratum fuit. Scribitur autem in* Madraſch ſocher tobb *cùm* Sanhedrim, *ſeu conſilium Hieroſolymitanum magnum conſediſſet, & decreuiſſet, vt in hoc die Feſtum Anni Noui celebraretur, Deum quoque eodem tempore Senatum Angelorum congregaſſe, illíſque mandaſſe, vt in terra inquirerent, num ſententia de Anno Nouo feſtinè celebrando lata & pronuntiata eſſet. Angelos igitur deſcendiſſe in terram, ibidémq;, quid in Senatu concluſum fuiſſet, expiſcatos, reſponſum Deo retuliſſe, quòd hoc die Feſtum Noui Anni celebrare conſtituerint: Hoc intellecto, Deum quoq; eodem die ad mundum judicandum conſediſſe cum Angelorum Senatu. Ab hoc tempore ſingulis annis hoc die, Anni videlicet noui, tale iudicium celebrare Deum: In hoc iudicio, ſecũdùm Rabbi Iochanan, vt habetur in Tractatu Roſchaſchanah c. 1. pag. 16. tres libri proferuntur & aperiuntur: vnus pro ijs qui prorſus ſunt impii: alter pro ijs qui perfectè iuſti ſunt: tertius pro ijs qui mediocriter boni ſunt. Qui perfectè iuſti ſunt, ex tempore in librũ vitæ inſcribuntur: qui prorſus impij ſunt, in librum mortis referuntur. His qui partim pii, partim impii ſunt, vſque ad diem reconciliationis dilatio datur, qui dies decimus eſt à Noui Anni Celebritate. Cùm itaque norint Anno Novo tam ſeverum judicium ſuper peccatis eorum conſtitutum iri, ideò Rabbini eorũm ordinarunt, vt menſe toto præcedente, Auguſto nimirum, pænitentiam agant & piè vivant: hac ipſo quoque toto menſe, ſicut & die Novi Anni cornu arietinum inflant & ſonum edunt.*

Veſperè Novi Anni maturiùs ſurgunt, quàm aliàs ſolent, propter multas preces ad peccatorum remiſſionem impetrandam His precibus celerrimè deblateratis, è Synagoga in Cæmiterium eunt, ibique rogant Deum, vt ipſorum miſereatur propter bona opera iuſtorum qui ibidem ſepulti ſint: eodem etiam loco tunc largiſſi-

mas eleemoſinas diſtribuunt inter peuperes, vt habeant quò cibos ad Feſtum ritè celebrandum comparare poßint. Poſt meridiem capillas tondunt & in baluea calida ſe canferunt. Quod ſi ratione vllâ fieri pateſt, ſeſe làuant in equa profluente aliqua, piſcina vel vinario, vt puri coram iudice ſequente die comparêre queant. Dum autem in aqua hac frigida ſtant: quinis peccata ſua canfitetur, & quidem viginti tribus voculis, & quoties aliquis voculam vnam profert, toties manu ſuâ dexterâ pectus percutit. Mergunt deinde corpus totum ſub aquas. Hinc rurſus eodem veſpere ſub noctem in Synagogam ſe conferunt, & Anni Noui Feſtum inchoant, & exhauriendo poculo vina pleno, alius alij felicem annum precatur.

De Celebratione Anni Novi Feſti.

CVm è Synagoga domum reuerſi fuerint, reperiunt menſam dulciſsimis cibis inſtructam: ei cùm aſſederint, quinus partem de cibis illis ſumit, &, Annus, *inquit*, bonus & dulcis ſit nobis omnibus. *Poſtea edentes valdè ſe hilares lætáſque prabent, & cornu arietinum menſa imponunt, ac inimicis ſuis, Chriſtianis inprimis, omnis generis mala imprecantur,*

Manè in Synagogam redeunt citius quàm aliàs, ibique canunt & orant. Librum legis bis ex arca depromunt, & lectiones aliquas ex ea legunt: paſt lectionem quidam ſuggeſtum aſcendens carnu arietinum inflat, ſique banum ederit ſanum, annum fauſtum ſe habituras exiſtimant; ſin obſcurum vel prorſus nullum, id ſignum malum eſſe exiſtimant: hoc facto, tota Synagoga clarâ vace, Beatus, *inquit*, populus, qui ſcit jubilationem Iehovah: in lumine vultûs tui ambulabunt. *Domum cùm ex Synagaga reuertuntur, rurſus læti & hilores edunt, peccata ſibi omnia à Dea remiſſa eſſe ſomniantes. Paſt hac tota familia ad pontem ſeu flumen aliquod ſe confert, vt peccata ſua in aquas abiicere poßit. Si piſces in aquis conſpiciunt, tunc pra gaudio in altum exſilientes, veſtéſque validißimè excutientes, peccata ſue omnia ſuper piſces ſe excuſſiſſe opinantur.*

Marcus Lombardus baptiZatus Iudaus in libra de Iudaorum recentiorum Ceremanijs, &c. Germanicè edito, de hoc ipſo in eandem ferè ſententiam ſic ſcribit: Primo die Lunæ, *inquit*, Auguſti menſis, Feſtum celebrant, à quo per dies triginta bis quotidie in Synagogis tubis ſonitum edunt: eóque ſe Diabolum perterrefacere aiunt. Ad finem horum triginta dierum Nouum ſuum Annum auſpicantur, quem ſuâ linguâ *Reſchaſchonai* vocant. Hoc die Deum in throno ſuo ſedere & mundum judicare dicunt: ideóque in ſuis Synagogis nudis pedibus, & albis togis induti vſque ad meridiem orant, Deúmque rogant, vt felicem ipſis ac fauſtum largiatur & concedat annum. Præterea vnuſquiſque alteri dicit, *Tikoſeph veligoſem ieſchana doſaf*, id eſt, *Inſcribaris in cœla in feliciſsimum annum.* Contra Chriſtianos etiam eodem die hoc modo orant: *Inſcribantur & obſignentur in infelicem & infauſtum annum*: & in hanc ſententiam multa alia mala imprecantur Chriſtianis. His peractis domum redeunt, & magna cum lætitia conviuia celebrant. His quoque finitis, omnis generis & ætatis homines obvium quodque flumen tranſeunt, & excutientes veſtimenta ſua inquiunt, *Omnia noſtra peccata in flumen hoc projicimus.* In Synagogam hinc redeuntes, Archiſynagogo dicunt, *Omnia naſtra peccata in flumen abiecimus*: quibus ille ait: *Baruch tibia*, id eſt, *benedictus ſis.* Cornu deinde per integram horam ſonitum edunt, & variis vocibus orationem decantant biduum, quâ ſignificant, ſe Diabolum profligâſſe.

De Reconciliationis Feſto.

De Præparatione ad Feſtum Reconciliationis.

DIes ab anno nouo vſque ad decimum menſis Tiſri, qui. Feſtum Reconciliationis *celebratur*, dies decem pœnitentiales *vocant, quibus ieiunant & orant ſtrenuè, vt ſic à peccatis ſuis liberentur: Die nana ſumma manè in Synagoga conuenientes orant & canunt. Inde domum reuertentes, virilis ſexus omnes gallum gallinaceum, fæmina autem gallinam, pragnantes verò gallum & gallinam ſimul arripiunt. Paterfamilias ſuum gallum ter circa caput ſuum percutiens, ſingulis vicibus*, Gallus, *inquit*, gallinaceus hic commutatio erit pro me, hic erit reconciliatio mea: gallus gallinaceus hic pro me morietur: ego verò in vitam bonam cum toto populo Iſrael introibo: Amen. *Hoc ter peragit pro ſe, pra liberis & peregrinis qui apud ipſum ſunt. Deinde mactans gallum iſtum, & cutem eius circa collum cantrahens, cogitat apud ſemetipſum, ſe dignum eſſe, qui iugularetur: gulam poſtea cultella abſcindens, cogitat rurſus, ſe, vt gladio decollaretur, commeritum eſſe. Gallum deinde tatum ſummâ vi in terram proycit, ſignificans, ſeſe dignum eſſe qui ab alijs lapidibus obrueretur. Poſtremò aſſat gallum innuere volens, ſe dignum eſſe, qui in ignem projectus combureretur. Inteſtina deinde galli plerumque ſuper tectum domus projiciunt, vel, vt domus hac Sacri-*

ficij

ficij huius particeps etiam fiat, vel, vt corui viſcera hæc cum peccatis Iudæi in ſyluas aſportent, vt hircus in Veteri Teſtamento in deſertum cum peccatis populi ductus fuit. Album autem gallum ſummo ſtudio quærunt, rubrum non adhibent, quòd rubri per ſeſe peccatorum pleni ſint, quia peccatum rubrum coram Deo ſit, Iſa. 1. Album verò gallum putant peccatum nullum habere, ideóque Iudæi peccata portare poſſe, & ſic iuſtitiæ diuinæ ſatisfieri. Qui verò pauperes ſunt nec gallum habent, manè ſurgentes obuio cuique Chriſtiano ſubmiſſâ voce, quæ audiri non poſſit, dicunt, Moriaris hoc anno pro peccatis meis.

Poſt reconciliationem hanc ſtultam in cœmiterium ſe conferunt, ibique orant & eleemoſynas erogant pro gallis, quos pauperibus olim dederunt, nunc ipſimet eos cum peccatis ſuis deuorant eos.

Poſt meridiem in aqua frigida rurſus ſe lauant, vt etiam veſpere Noui Anni fecerunt. In aquas ſe ſubmergunt, in iiſque ſe peccata ſua pleniſſimè abluere putant. Nonnulli interea temporis luminaria præparant, quibus ſequenti die in Synagoga vti poſſint. In aliquibus regionibus plura, in alijs pauciora præparant. Veſperi in Synagoga conueniunt, & preces ſuas abſoluunt, quique læſit alterum veniam ab eo deprecatur. Alii quoque aliis confitentur ad hunc modum. Duo ſimul eunt in locum aliquem, ibi incuruat ſe vnus, poſteriora meridiem verſus conuertens. Eius dorſum alter cum ligula pellicea tricies nouies percutit: quique verbera illa accipit, vapulando confeſſionem ſuam faciens, pectus ſuum ad quoduis verbum percutit. Deinde ille qui alterum ſic verberauit, humi proſtratus verbera totidem à ſocio ſibi quoque infligi ſinit; & ſic pœnis grauibus pro peccatis ſuis ſatisfacere ſe ſomniant.

Finitâ Synagogâ celerrimè ſe domum conferunt & menſæ aſſident, quæ in abſentia eorum per coniuges præparata eſt: tum gallinas & gallos gallinaceos, quos ante meridiem pro peccatis ſuis obtulerunt, conſumunt & deuorant, vt diximus, cum peccatis ſuis. Cœna autem huic ante Solis occaſum finis imponitur. Tum veſtes mundiſſimas & pretioſiſſimas induunt, ſuper quibus ſubuculam magnam & latam, ad calceos vſque pertingentem, geſtant; eo ſignificantes, quòd puri à peccatis & Angelis ſimiles ſequenti die futuri ſint.

De Celebratione huius Feſti.

DEcimo die Feſtum ipſum celebrant, quod ſuâ linguâ vocant Iom hapkiporim, id eſt, diem remiſſionis peccatorum. Ac primò à nocte vna ad alteram vſque ieiunare tenentur. Ab hoc ieiunio pueri annum duodecimum, puellæ autem vndecimum egreſſæ non eximuntur. Secundò, calceos nemo geſtat, ſed diſcalceati incedunt: Senibus tamen decrepitis ſoccos laneos pedibus induere licet. Tertiò, nemo alea vel aquâ benè olente vtitur. Quartò, balneum non ingrediuntur: imò ne digitum quidem vnum in aquam mergere, vel manè os aut vultum lauare vlli permiſſum eſt. Quintò, viri mulieribus ſuis debitum non ſoluunt, quin eas ne attingunt quidem. Priuſquam autem preces inchoent in Synagoga, in qua plerique totâ nocte diéque perſeuerant, Rabbini tres, in Synagoga obambulantes, clarâ voce dicunt, omnibus, tam malis quàm bonis præſentibus precandi poteſtatem dari. Vt antè hoc melius fieri poſſit, præcẽtor mox ad arcam vadens, in qua liber legis reconditus eſt, aperit eam, & precatiunculam longam canit, cuius hic eſt ſenſus: Quòd vota ac iuramenta omnia, promiſſa item & pacta, aſſecuratio & fides quæ Iudæus anno proximè præterito non ſeruâſſet, ſoluta, remiſſa ac prorſus irrita ſint, nec pro peccato aliquo habenda, pergunt deinde, canúntque vſque in noctem multam. Quidam totâ nocte in Synagoga manent, orationi incumbentes: alij domum reuerſi dormiunt: nonnulli in aliquo Synagogæ angulo dormiunt. Quidam, qui alijs meliores haberi volunt, Feſto hoc toto erecti ſtant, canentes & orantes ſine intermiſſione.

Tempore matutino, priuſquam dieſcat, rurſus conuenientes, totâ die in Synagoga manent, & ex libro legis capita quædam audiunt. Sæpè interea, facie obtectâ, in terram concidunt, in primis cùm peccata confitentur, & pectus manu ſubinde percutiunt. Nocte ingruente, Sacerdos pannum quendam è pilis textum, & collo ſuo circumplicatum, ſuper caput attractum oculis obtendit, omnibúſque benedicit. Benedicendo manus verſus populum extendit: populus autem manu oculos vultúmque tegit: nam in manus Sacerdotis intueri nefas eſt. Canit deinde precationem aliam ſexies vel ſepties, & quidem voce nunc ſublimiore, nunc depreſſiore. Priuſquam autem ex Synagoga pedem efferant, ſonitum cornu arietino edunt longum & clarum. Domum redeuntes alius alij dicit, Deus Creator obſignet te in bonum ac fauſtum annum. Domum reuerſi eſurientes, menſæ aſſident, & ſeſe cibo potúque multo reficiunt.

De Feſto lætitiæ, ſeu gaudii Legis.

DE hoc Feſto in lege Dei nihil prorſus extat. Id autem Rabbini Iudæorum inſtituerunt, ad exhilarandum ſe, quòd Deus illis gratiam hanc conceſſiſſet, vt ſe per annum totum in legis libro exercere, & die hoc lectionem & expoſitionem eius ad finem perducere potuiſſent. Libros enim Moſis in partes quinquaginta duas diſtribuerunt, quarum Sabbathis ſingulis vnam

 abſoluunt,

abſoluunt, & ſic poſtrema lectio in diem poſt Feſtum Tabernaculorum proximum incidit, qui 23. Septembris eſt.

Depromunt quoque hoc Feſto proceſſione ſingulari libros legis ex arca, lectionem poſtremam & primam inde legunt, & cum libris circa arcam ſaltant eaſdemque magna cum pompa in arcam recondunt. Quamdiu autem libri iſti extra arcam ſunt, tamdiu lumen ardens in ea lucet. Tunc poma, nuces, pyra & ſimilia in Synagoga pueris projiciunt, ut & ipſi hac occaſione exhilarentur. Denique die hoc officia ſua Eccleſiaſtica diſtribuunt quotannis & auctione vendunt, pecuniámque in uſus neceſſarios Synagogæ & pauperum convertunt.

Marcus Lombardus de hoc Feſto ſic breviter ſcribit: Feſtum quod *Gaudium Legis* vocant, die 23. Octobr. celebrant. in eo Iudæi exultant, quòd tum lectio quinque librorum Moſis in Synagogis finitur, & inchoatur denuò primus ejus liber. Ea nocte ſinguli accendunt ſuos cereos lichnos. Sequentem diem ejuſdem menſis vocant *Vincite Feſtum*, ex Pſalmo 118. quo celebrant conuiuia, & conſumunt præcedentis diei reliquias.

De Encæniis ſeu FESTO Dedicationis TEMPLI.

FEſtum hoc Iudæi hodiè magis helluando, vorando, ludendo, rebúſque ludicris aliis ad tædium temporis fallendum, quàm gratiarum actione pro victoria Iudæ Machabæi de proſtratis hoſtibus parta, feriari conſueuerunt. Referunt autem tempore Iudæ Machabæi, ad dedicationem Templi & inſtitutionem nouam cultûs Diuini olei nihil reliquum fuiſſe, ſicque lampades ſecundùm mandatum Moſis accendi non potuiſſe. Iudam igitur Machabæum templum diligentiſſimè perquiſiuiſſe, ac tandem lecythum quendam paruum ſigillo ſummi Sacerdotis obſignatum, & ſic ab hoſtibus nondum pollutum inueniſſe. In lecytho iſto non plus olei fuiſſe, quàm nocti uni tantùm ſufficere potuerit. Cùm itáque totus populus ſummâ propterea triſtitiâ afficeretur, & in magno luctu verſaretur Deum miraculosè lecythum illum impleuiſſe, & oleum auxiſſe, ut quantum olei per octiduum integrum requireretur, inde ſuppeteret. In huius beneficij memoriam hodie Iudæi ſuperſtitioſam pompam circa luminarium templariorum accenſionem agitantes, candelabrum quoddam ad luminaria ſeptem excipienda capax, ſiue lampade ſuper qua noctibus ſingulis luminare unum, ad noctem uſque octauam accendunt, ſeptuplici inſtructum, per noctem verò totam ardere non ſinunt. Et ubicunq; lampades iſtas in domibus ſuis, hypocauſtis, & cubiculis habent, ibi opus nullum facere licet. Lampadem quóque ad dextram ianuæ partem pendere oportet, & quidem à ſolo ſpithamis decem non inferiùs, ſpithamis autem viginti ab eodem non ſuperiùs. Diſputant quóque ſubtiliter, quamdiu lampades iſtæ ardere, & per quem accendi debeant, & an unam ab alia accendere liceat, &c.

De FESTO Phurim vel Sortium.

IN Feſto hoc operari prohibitum non eſt, & ab omni tamen opere abſtinent hodie Iudæi. In primis mulieres feriari oportet, cùm per Reginam Heſteram hæc liberatio parta ſit. Tempore nocturno luminaria gaudij in Synagogis ſuis accendunt: & Synagogæ Miniſter explicans librum Heſteræ, qui ſcriptus eſt in membrana longa & lata, legit eum velut epiſtolam à capite ad calcem uſque. In hac lectione, ut refert Antonius Margarita in libro de Ceremonijs Iudæorum, quoties Hammani ſit mentio, pugnis & malleis, pueros, puellas & mulieres ſcamna pulſare, & tumultum magnum excitare oportet, non ſecus quàm in Chriſtianorum templis nocte feria ſexta ante paſcha etiam fieri ſolet. Author idem eſt, Iudæos in hoc Feſto per duos continuos dies nil aliud facere, quàm quòd edere, potare, ſaltare, ludere, fiſtulas inflare, mulieres veſtes viriles, viri veſtes muliebres induere, & alijs hujus generis laſciuiis ac voluptatibus indulgere ſoleant; haud aliter quàm Chriſtiani in ſuis Encæniis & Bacchanalibus faciunt. Diuites munuſcula dupli ia, cibum nimirum ac potum, vel cibum & pecuniam mittunt pauperibus, ut & ipſi Feſtum hoc pro dignitate celebrare poſſint.

De FESTIS Tekupharum.

SOlennes quoque & ſacros habent recentiores Iudæi dies Æquinoctiorum & Solſtitiorum, quos illi Tekuphas nominant, & diem quendam Rogationis, quem שאלה *appellant.*

De Ieiuniorum FESTIVIS diebus.

REcentiores Iudæi dies Feſtiuos Ieiuniorum veterum obſeruant quoque. Videlicet, Ieiunium menſis decimi, die decimo Decembris, quòd eo die Nabuchodonoſor Hieroſolymam obſidere cæpit.

Ieiunium menſis quarti obſeruatum fuit olim die decimo ſeptimo, ob fractas tabulas decalogi, intermiſſionem ſacrificii quotidiani, combuſtionem libri legis, idoli in templo erectionem, Hieroſolymæ alteram obſidionem, eiuſdemq; vaſtationem. Has ob cauſas, etiam hodie ieiunant ſtrenue, & pænitentiam externè magnã ſimulant.

Ieiunium tertium menſe quinto, hoc eſt, Iulio, die nono, obſeruatum eſt olim, quod templum hoc die inflammatum & in cineres redactum eſt. Ab ortu Solis ad occaſum vſque cum luctu magno & ieiuniis humi ſedent nudis pedibus, atratis & pullis palliis: hiſtorias triſtes & Threnos Ieremiæ legunt. In cœmeterium ſe conferentes, ibidem cum animabus defunctorum, ob Templi Hieroſolymitani deſtructionem mœrent. Omnis generis mala imprecantur primò Tito Veſpaſiano, ſub quo Hieroſolyma capta, direpta & inconſa eſt, deinde Romanorum Imperatori, Regibus, Principibus, omnibúſque Chriſtianorum Magiſtratibus. A primo vſque ad decimum diem carnibus non veſcuntur, vinum non bibunt, lauare ſe & balneum intrare non audent, tonſorem non admittunt, nuptias nullas celebrant, inuiti in iudicio comparent, quod hoc menſe fortunâ proſperâ nunquam vſi ſint. Die octauo lentibus tantùm, in luctûs ſignum, veſcuntur: oua, fabas & legumina ſimilia non edunt. Super lectis vilibus dormiunt.

Iejunium quartum celebrant hodie quoque menſis ſeptimi die tertio, qui nobis September eſt, ob triſtem & luctuoſum Godoliæ toparchæ interitum, de quo Ierem. 40. & 41. cap. Atque hæc ſunt Feſta quatuor communiſſima, quibus Iudæi tempore Zachariæ Prophetæ ieiunârunt, & adhuc hodiè ſingulis annis ordinariè ieiunant.

Præter hos Feſtiuos dies, habent adhuc alios, qui non quidem ab omnibus, ſed ab aliquibus tantùm ieiunantibus celebrari ſolent, prout quilibet ſanctus & pius haberi cupit. Sic ieiunant multi diebus Iouis & Lunæ per totum annum, in memoriam eius, quòd Moſes die Iouis, ſecundò montem Sinai aſcenderit, inde tabulas legis attulerit, & veniam peccati per vituli aurei conflationem patrati, apud Deum impetrauerit, dieque lunæ de monte illo reuerſus ad populum fuerit. In Synagogis quoq; conuenientes his diebus, quædam ex lege omnibus prælegantur.

Die menſis Martij decimo ieiunant aliqui propter Mariam Propheteſſam, quæ hoc die mortua ſit, quo facto fons quidam exaruerit, vt populus in deſerto aquam nullam habuerit, ob eúmque defectum murmurantes in Deum peccaverint.

Die 10. Aprilis ieiunant plerique quòd hoc die filii duo Heli interfecti ſint, arcâ fœderis per incircumciſos prius abductâ.

Die 28. eiuſdem menſis ieiunant nonnulli, quòd Samuel Propheta in eo mortuus ſit.

Hæc dicta ſufficiant de Ceremoniis, quibus Iudæi recentiores in Feſtis ac Feriis ſuis vtuntur. Ex quibus intelligimus, Religionem eorum, non amplius ſuper Moſe & Prophetis, ſed ſuper Talmudica Cloaca, & Rabbinorum ſuperſtitioſiſſimis conſtitutionibus fundatam eſſe.

De *ORIGINE*

DE
ORIGINE ET PROGRESSV
FESTORVM DIERVM
APVD ETHNICOS,
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Die & Dierum diſtinctione apud Ethnicos.

DIES *apud Ethnicos alios aliter computaſſe, & in certas partes diſtribuiſſe, ex Plinio, Macrobio & aliis cap.* 1. *prioris libri demonſtrauimus, vt opus non ſit eadem hoc loco repetere. Eorum verò apud eoſdem duplex ferè eſt diſtinctio.* *Dies alii apud Ethnicos Fauſti, alij infauſti* *Primò námque dies Ethnicis alii fuerunt* Fauſti, *alii* Infauſti: *& hos quidem ab ominis diritate, vt Cælius Rhodig.lib.*8.*cap.*9. *indicat,* Atros, *illos verò, ob felicitatem,* Albos *vocârunt. Sunt etiam qui dies* Communes *appellarunt, velut ad molliendam vocabuli diritatem, quos alii* Plebeios, *quidam etiam* Ægypriacos *dixerunt, ab Ægypti, opinor, vanitate, proclinato nomine.* Ἀποφράδας *Græci nuncupant, perinde ac ſi nefandos dicas. Ex quo & feſtiuè Lucianus* Ἀποφράδι *ſimilem poſſe dici hominem inſinuat, moribus ferum, corpore non integrum, mollem, perjurum, nullis non adobrutum flagitiis, ac tanquam occurſaculum abominandum atq; auerruncandum, vt Cælius eodem loco loquitur. Fuit autem vulgatiſſimus error Gentilium, vt hunc dierum delectum ſuperſtitioſiſſimè obſervarent, & vel in agendis rebus, vel in expectandis eventibus vita ac negotiorum ſuorum, ad notatos ab Aſtrologis & Chaldæis dies, menſes, annos & tempora attentè reſpicerent, vt Auguſtinus in cap.*4. *epiſtolæ ad Galatas annotat.*

Heſiodus *Vetuſtiſſimus omnium Heſiodus in libello* Περὶ ἡμερῶν, *pro illorum temporum ratione & ſuperſtitionis involuta, dierum alios comprobat amplexatúrque: rejicit alios, ac velut emortuos tranſilit, vt Cælius Rhodig loquitur Antiq Lect. lib* 8.*cap.*9. Quintas *enim omnes reprobat, quòd in iis vagari furias credidit, & perjuros depoſcere ad ſupplicium dixit, quòd numerus is ſit iuſtitiæ proprius, ſicut in Pythagoreorum reperitur arcanis. Sic enim canit:*

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι· ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰ-
ναί.
Ἐν πέμπτῃ γὰρ φασὶν Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν.

Hoc eſt:

Quintas verò cuitato: quia difficiles ſunt
& graues.
In quinta enim aiunt furias obambulare.

Vergilius. *Vergilio quoque Quintus dies ominoſus habetur, vt quo Orcum, Eumenidas & Gigantes ſatos putet: ita enim Georgic. lib.*1.

—— Quintam fuge, pallidus Orcus,
Eumenidéſque ſatæ: tum partu terra nefando
Cœúmque Iapetúmque creat, ſæuúmque Typhœa,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.

Et mox:

Septima poſt decimam felix, &c.

Quo loco Poëta non decimam ſeptimam intelligit diem, ſicut verba ſonare videntur, & Servius interpres intellexit: ſed, vt Cælio Rhod. libro 20. *Antiquit. capite* 3. *placet, aut ſeptimam ſignificat, quæ ſit poſt decimam prima, & melior, id eſt, quartam decimam, lunâ tum plenam faciente viſitationem: aut dies collaudavit duos, ſeptimum ac decimum, ſed hunc eò amplius. Septima vtique luna dimidio orbe caſa conviſitur: Decima amphycirtos, id eſt,*

eſt, vtrinque gibboſa. Rurſus idem Poëta.

——Nona fugę melior: contraria furtis:

Præterea tres ſunt dies, quibus Iouis adaptat nomen Heſiodus, *videlicet* primo, quarto *&* ſeptimo: *dicit enim,*

Αἵδε γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς πάρα μητιόεντος
Πρῶτον ἔνη, τετρὰς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

Id eſt,

Hæ enim dies ſunt Ioue à prudente,
Primùm Nouiluuium, quartáque & ſeptima Sacra dies.

Inter Platonis autem placita ſancitur, Omne principium eſſe, & cenſeri Divinum: quaternarium etiam numerum perfectum. Septimum *verò diem præcipuè laudat Heſiodus, quòd Apollo eo crederetur natus: ait enim,*

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Vnde & ἑβδομαγενῆ, quaſi ſeptimanigenam Flamines eum vocârunt Plutarchi teſtimonio. Laudat idem Poëta octauam, nonam, vndecimam, duodecimam *& alias nonnullas dies.*

Latinarum tempore, Saturni Feſto & Mundo patente infauſtũ fuit bellum gerere.

Macrobius libro primo. Saturnal. refert apud Romanos, nec Latinarum tempore, *quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum, Latinóſque firmatæ fuerunt, inchoari bellum licuiſſe: nec* Saturni Feſto, *qui ſine tumultu bellico creditur imperâſſe: nec* parente mundo, *quod ſacrum Diti Patri & Proſerpinæ dicatum fuit: meliúſque occluſâ Plutonis fauce eundum ad prælium eoſdem arbitratos idem teſtatur. Vnde & Varro, eodem authore, ita ſcribit:* Mundus cum patet Deorum triſtium atque inferûm quaſi janua patet: Propterea non modò prælium committit, verùm delectum rei militaris causâ habere, ac militem proficiſci: nauem ſoluere: vxorem liberûm quærendorum cauſa ducere religioſum eſt.

Vitabant etiam veteres dies ad viros vocandos, qui eſſent notati rebus adverſis. Vitabant etiam ferias, ſicut Varro in Augurum libris ſcripſit in hæc verba: Viros vocare feriis non oportet, ſi vocauit, piaculum eſto.

Sciendum eſt tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuiſſe licentiam, ſi ipſi inferrent bellum: at cùm exciperent, nullum obſtitiſſe diem quo minus vel ſalutem ſuam vel publicam defenderent dignitatem. Quis enim obſeruationi locus, cùm eligendi facultas non ſuperſit?

Poſtriduanos dies Rom. ad omnia cauerũt.

Dies autem Poſtriduanos *ad omnia Romani cavendos putârunt, tanquam nimis improſperos, atque, vt ſic dicam, inactuoſos, inominaléſque. Id autem infelicibus pugnis referri acceptum oportere, Lucianus tunuit. Quod ipſum & Gellius Annalium libro quinto, & Caſſius Hemina hiſtoriarum libro ſecundo, teſtatum reliquerunt. Anno enim ab vrbe condita 363. à tribunis militum Virgilio Manlio, Cælio Poſthumio, collegíſque eorum, in Senatu tractatum, quid eſſet propter quod quoties intra paucos annos malè eſſet afflicta Reſpub. & ex præcepto Patrum L. Aquinium (Gellius habet Atilium) aruſpicem in ſenatum venire juſſum religionum requirendarum gratiâ, dixiſſe:* Q. Sulpitium tribunum militum ad Aliam adverſum Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia feciſſe Poſtridie Idus Quintilis. *Item apud Cremeram, multíſque aliis temporibus & locis, poſt ſacrificium die poſtero celebratum, malè ceſſiſſe conflictum. Tunc Patres juſſiſſe, vt ad Senatum Pontificum de his Religionibus referretur. Pontificéſque ſtatuiſſe,* Poſtridie, omnes Calendas, Nonas, Idus, *atros dies habendos: vt hi dies neque* pręliares, *neque* puri, *neque* comitiales *eſſent. Vnde Plutarchus refert,* Poſtridianis iſtis diebus iter quoque ingredi detractaſſe Romanos. *Et Auguſtum Cæſarem legimus feriæ rei nihil inchoare voluiſſe, Nonis, vt ominoſis. Flauius Vopiſcus etiam de alio quodam Imperatore teſtatur quòd nullam intermiſerit noctem, quâ non aliquid vel ſcriberet vel legeret, præter quàm poſtridie Calendarum.*

Sed & Fabius Maximus Seruilianus Pontifex libro vndecimo, negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iovemque præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oporteat.

Ante diem *quoque* quartum Calendas *vel* Nonas *vel* Idus, *tanquam inominalem diem plerique vitârunt. Eius verò obſeruationis an religio vlla ſit tradita quæſitum fuit? Sed nihil ſuper ea re ſe ſcriptum inueniſſe Gellius & Macrobius referunt: niſi quòd Q. Claudius Annalium 5. lib. cladem illam vaſtiſſimam Cannenſis pugnæ factam referat ante diem quartum Nonas Sextilis.*

Dies *etiam* 4. Non. Octobr. *&* 7. Idus Nouemb. *&* Poſtridie Vulcanalium *adeò infelices à Romanis ſunt habiti, vt iis nec cum hoſte manu conſererent, nec exercitum conſcriberent, nec comitia haberent, nec aliud quicquam in Repub. niſi quod vltima extudiſſet neceſſitas, adminiſtraretur, quòd tum Gentiles mundum patere, ac dehiſcere ter in anno putarent, vt Sex. Pompeius teſtatur.*

Viceſimam primam diem *cujuſlibet menſis funeſtam & atram habuerunt Chalcedonii; quòd eâ Darii Præfectus liberos ipſorum caſtraſſet, & in Perſidem ablegâſſet. Quin & κάρνειον ſeu κάρνειον menſem integrum, ſolennem & feriatum egiſſe olim Spartanos, eóque à præliis abſtinuiſſe apud Thucydidem legitur. Meminit ejus & Plutarchus in Camillo: Me-*

Viceſima prima dies cuiuſque menſis atra Chalcedoniis

Te-

ταγειτνιών, inquit, quem Πάνεμον Boeoti dicunt, Græcis inauſpicatus fuit: ejus enim die 7. pugnâ ab Antipatro victi in Cranone perierunt. Sic menſe Δαισίῳ, quem Iunium exponit Suidas, ominoſum putabant Macedones, educere exercitum, ut tradit Plutarchus.

Græci in rebus agendis Lunam obſeruarunt ſuperſtitioſè.

Græci, præcipuéque ex his Lacedæmonij, quicquid eſſent rerum auſpicaturi, ſuperſtitioſiſſimè Lunam obſeruârunt. Id quod tacitè notat Euripides, quum in Iphigenia in Aulide reſpondet Agamemnon, tum nupturam filiam, vbi lunæ dexter circulus aduenerit, videlicet de plena luna ſentiens. Lucianus in libello de Aſtrologia, palàm refert, Lycurgum legem inſtituiſſe Lacedæmoniis ne prælium inirent ante plenilunium. In quam ſuperſtitionem jocatur Ariſtophanes, Τῇ πανσελήνῳ, plenilunio, ſerò aut nunquam futurum ſignificans. Quidam etiam Aceſſæus nauta, quum eſſet ignauus, ita prorogare conſueuit nauigationem, vt ſubinde diceret, lunam ſe expectare oportuniorem: unde prouerbium natum, Aceſſæi luna: dictum in Comperendinatores, qui nouam ſubinde cauſam comminiſcuntur, quo negotium proferant.

Nautis qui dies ominoſi.

Sunt & ſui Nautis ſuſpecti dies: Februarij menſis Sextus, Duodecimus, Decimus quintus, Decimus ſeptimus, Decimus nonus & Viceſimus. Martij primus, Septimus, Decimus quintus, Decimus ſeptimus, Decimus nonus, & Viceſimus quintus. Aprilis Quintus, Sextus, Duodecimus, Viceſimus. Et hos quidem invariabiliter obſeruant: aſtruuntq́; his ferè diebus maximas in mari mutationes contingere, vel ad tranquillitatem, vel ad tempeſtatem, ac proinde in re multæ incertitudinis, tutius arbitrantur nauigationi ſuperſedere: Cælio teſte lib. 8. cap. 9.

Porrò, vt nonnulli dies inauſpicati fuerunt actionibus hominum, ita quidam valetudini inimici & lethales habiti ſunt, quos cuilibet menſi binos ſuperſtitioſiſſimi homines aſſignârunt.

Chriſtiani non obſeruent dies.

Sed hæc, vt alia multa, condonanda fortaſſe fuerunt Ethnicis hominibus, verbi Diuini luce prorſus deſtitutis: illud verò deteſtandum, Chriſtianos iiſdem ſuperſtitionibus deditos fuiſſe & hodie adhuc eſſe. Scribit enim Ammianus, Valentinianum Imperat. jam electum, biſſexto Februarij in publicum prodire noluiſſe, ob ominoſum ejus auſpitium. Imò à Chriſtianis annus biſſextilis totus ominoſus & infauſtus habetur: quod Mantuanus in Faſtis his verſibus teſtatur.

Biſſextilis annus ominoſus.

Sed mirum eſt quod fama refert, hunc ſcilicet annum
Ominis eſſe mali, ſolitumque offendere fruges:
Atq; hominum varios infortunate labores.
Tum malè depangi vites, malè ſemina ſulcis
Rura putant credi, pecoris malè pignora naſci:
Semina pomorum pedibus converſa ſupinis
Et capite in terram memorant adoleſcere miſſo
Sæpius audiui, cùm quis dare rebus agendis
Principium vellet, dici, meliora require
Tempora, hyperbolico fruſtrà conaberis anno.

Carolum V. Imperat. quoque in ſuſcipiendis expeditionibus aſtrologiæ conſilio non ſegniter vſum fuiſſe aiunt.

Et vix vlla in Chriſtiano orbe hodie gens eſt, quæ huic ſuperſtitioſæ dierum obſeruationi tam ſit addita, quàm ſunt GERMANI. Teſtes ſunt hujus rei Calendaria, quæ à Mathematicis quotannis linguâ vernaculâ exhibentur, & in ruſticorum quoque gratiam notis Sanctorum plus quàm hieroglyphicis, ſi Dijs placet, exornantur. In agricultura, in contractibus, &c. conſulunt Calendaria ſua. Ex Calendarii conſilio & arbitrio ſecant venam, vomunt, ablactant, oculis medentur, vngues præſecant, comam tondunt, lauãt, nouas veſtes induunt, peregrinantur, excernunt deniq; alij melancholica, alij pituitoſa, alij biliosa: vaniſſimâ perſuaſione & credulitate, quaſi infelices dies ex Chaldæorũ obſeruatione euitari poſſint, aut immutari. Tam ĩ poteſt inueteratus error, inde fortaſſe primum exortus, quòd cùm Matheſeos reſtauratio à Germanis cœperit, ſophiſtæ ambitioſi artem pulcherrimam vulgi annuo ludibrio proſtituerint, ne ocioſam Philoſophiam habere viderentur.

Germani Calendarijs in agendis rebus addicti. Kalender/ Maͤnnen Factender.

Damnauit autem errorem hunc, & ethnicas dierum temporúmque obſeruationes Deus per Moſem Deut. 18. capite dicens: Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es. Quo loco per Meonenim non ſolùm eos intelligit, qui figuram cœli & poſitus ſyderum in natiuitate hominis obſeruant, ſed etiam qui diem alium alio feliciorem putant. Apud Ieremiam quoq; 10. cap. dicit: Iuxta vias gentium nolite diſcere: & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.

Dierum obſeruatio damnatur. Moſes.

Ieremias.

Auguſtinus etiam in Enchiridio capite 79. hanc dierum & temporum obſeruationem, vt hæc fauſta, illa infauſta putemus, ad magnum dixit pertinere peccatum. Quis æſtimaret, inquit, quam magnum peccatum ſit Dies obſervare, Menſes, Annos, & Tempora (ſicut obſervant qui certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt, & nolunt aliquid inchoare, eò quòd ſecundùm vanas

Auguſtinus.

doctrinas

Doctrinas hominum fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora:) niſi huis mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus? qui talibus ait, Timeo, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. *Et ſuper epiſtolam ad Galatas ad cap.* 4. Intelligit, *ait*, lector ad tantum periculum animæ pertinere ſuperſtitioſas temporum obſeruationes, vt huic loco ſubiecerit Apoſtolus, Timeo, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Quod cum tanta celebritate atque authoritate per orbem terrarum in Eccleſiis legatur, plena ſunt tamen conuenticula noſtra hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. Iam verò, ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut huiuſmodi quorumlibet operum diebus quos Ægyptiacos vocant, ſæpè etiam nos monere non dubitant. *Idem Pater c. 7. lib. 5. de Ciuit. Dei*, Illud quis ferat, *inquit*, quòd in eligendis diebus noua quædam ſuis actionibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille ita natus, vt haberet admirabilem filium, ſed ita potiùs, vt contemptibilem gigneret; & ideò vir doctus elegit horam quâ miſceretur vxori. Fecit ergo fatum quod non habebat, & ex ipſius fato cœpit eſſe fatale, quod in eius natiuitate non fuerat. O ſtultitiam ſingularem! eligitur dies vt ducatur vxor. Credo propterea, quia poteſt, in diem non bonum, niſi eligatur incurri, & infeliciter duci. Vbi eſt ergo quod naſcenti iam ſydera decreuerunt? An poteſt homo quod ei iam conſtitutum eſt diei electione mutare? & quod ipſe in eligendo die conſtituerit, non poterit ab alia poteſtate mutari? &c. *Et in epiſtola* 119. *ad Ianuar. cap.* 7. *inquit:* Eos inculpat Apoſtolus (*Gal.* 4.) qui dicunt, Non proficiſcar, quia poſterus dies eſt, aut quia luna ſic fertur. Vel proficiſcar, vt proſpera cedant, quia ita ſe habet poſitio ſyderum. Non agam hoc menſe commercium, quia illa ſtella mihi agit menſem; vel agam, quia ſuſcepit menſem. Non plantabo hoc anno vineam, quia biſſextus eſt.

Mantuanus etiam ſuperſtitionem illam Chriſtianorum, quâ annus Intercalaris infelix & mali ominis habetur, vt vanam & impiam his verſibus in Faſtis ſuis damnat:

Nil tamen Interpres cœli, nil Thuſcus Aruſpex.
Nil Magus inuenit, quod dici debeat huius
Cauſa mali: quod virus agat tam triſte per orbem.
Quò fit, vt errorem nugis vulgaribus ortum
Attribui debere putem. Felicior iſte
Iudice me credi debet: quia longior annus.
Scilicet in ſiluis arbor magis ardua fertur
Dignior: in caulis taurus præſtantior altâ
Cui ceruice magis caput à tellure leuatum eſt.
Grana magis laudant quæ ſunt maiora coloni.
Hæc mala Saturno quidam tribuere, putantes
Sidus id infeſtum terris, diſcrimina in annos
Talia conſuetum ſemper transfundere quartos.
Sicut & in febri, quam fert Saturnius humor,
Mittitur in quartum morbi violentia ſolem:
Sed tenebras palant: cæcoque errore feruntur.
Quiſquis enim neſcit rerum dignoſcere cauſas,
Effectus, vt ſcire aliquid videatur, olympo
Imputat: ignorans iſtis defenditur armis.

Imò inter ipſos Ethnicos hanc vanitatem & ſuperſtitionem multi damnârunt. In Phormione ridet Comicus eos, qui ante brumam diebus decreſcentibus nihil noui negotii aggredi audebāt. Heraclitus quoque Heſiodum ſuggillauit bonos & malos quoſdam dies conſtituentem, vt qui ignorâris cuiuslibet diei vnam eandemq́; naturam eſſe. Ac diſputat Plutarchus, ſtatuendine ſint aliqui dies atri, an non? Vanitatem hanc etiam ſuperſtitionemq́; creduli vulgi ridens Lucullus, non minus felici euentu, quàm recto iudicio, perculſos diei ominoſi fortuna milites, ad inſignem victoriam animauit. Etenim, in Tigranem mox depugnaturo ſubiiciebant amicorum nonnulli, ſuperſedendum pugnâ, quòd dies eſſet μία τῶν ἀποφράδων. eâ quippe cum Cimbris malè pugnatum à Ceptone: quibus ille, ἐγὼ ἔφη, καὶ ταύτην εὐτυχῆ ποιήσω Ῥωμαίοις. Ad rem quoque militarem nihil attinere Varronem dixiſſe Macrobius libro 1. Saturnal. teſtatur, vtrum faſtus vel nefaſtus dies ſit, ſed ad ſolas hoc actiones reſpicere priuatas. Dierum obſeruationem Ethnici quoque multi damnârunt.

Sed hæc inſania vel hoc quoque argumento refelli poteſt, quòd ſæpè vnus idémque dies aliis fauſtus, aliis infauſtus extitit. Idem dies Craſſum cū exercitu à Parthis deletum vouit, & Pacorum Parthiæ Regem Ventidio captiuum dedit. Attalo Regi Magnóque Pompeio idem dies necem attulit, qui natalis fuerat: & Friderico 2. Imperat. idem funebris fuit dies, qui imperium obtulerat: Idē dies fauſtus aliis, aliis infauſtus fuit.

F De-

Vtiles obſeruantes infelicißimi.

Deniqueilliipſi in rebus agendis fuerunt infelicißimi, qui derſdiculam temporum obſeruationem, ac momenta ſingula tam euigilatè miſeruut in digitos: è diuerſo autem fortuna afflatu benigniori vſi ſunt, qui vanitate artis hujus reiectâ, prudentia tantum atque rationis luminibus innitendum cenſuere. Zoroaſtris ſcientiam inter veteres Theologos quis non nouit? Fuit is & cæleſtium rerum peritiâ vſque ad Magiam, vt volunt quidam, pernobilis. At eundem à Nino victum bello & occiſum hiſtoriæ commemorant. Athenienſes à Syracuſanis in Sicilia fœde victi fugam meditabantur. Comparatis omnibus, quã poſtera die ſtatuiſſent abnauigationem, luna noctis initio deficere viſa eſt. Quamobrem Nicias Dux admodum perturbatus, vt erat naturâ religionis cultor obſeruantiſſimus, tum propter peſtilentiam exercitum depaſcentem, ingenti Deûm formidine tali portento corripitur, móxque accitos aruſpices conſuluit. A quibus reſponſum eſt, poſt tres ſequentes dies abnauigationem oportere differri. Huic reſponſo hi quóque qui ſentiebant cum Demoſthene Duce, abitum omninò vrgente, religioni Deûm timore maioris mali parêre coguntur. Syracuſani verò cognitâ per tranſfugas eius dilationis causâ, Athenienſes terrâ marique adortos ſuperauere, & cepere. Diod. lib. 13. & Plutarchus in Nicia. Pompeium hiſce diuinaculis praecipuè mancipatum fuiſſe conſtat: ſed quàm miſer exitus, quàm non populi Romani dignus Principe? Cæſar contra iſta omnia contemnebat, ridebatque: læta tamen, quod ad bellorum rationem attinet, illi affulſere omnia. Manuel Comnenus Aſtrologiæ peritiſſimus, Sicilienſi clade auditâ, in malè auſpicatum claſſis egreſſum retulit omnia: & ne in poſterũ ſimile quid accideret, Aſtrologorũ penſitatis diligentiſſimè rationibus, claſsẽ nouam Duce Angelo eduxit: quæ tamen & ipſa, ſimul ac in Sieulum fretum peruenit, capta, deletáq; eſt: Nicetâ authore libro ſecundo: vt quæ in hanc acciderunt ſententiam, alia multo omittam. Quocirca non immeritò Haly Aſtrologus & Ptolemæi Interpres, friuolam eſſe atque inefficacem hanc Aſtrologiæ partem aſſerit, vt Ludóuicus Viues ex Io. Pico in c. 7. lib. 5. Auguſt. de Ciuit. Dei refert.

Dies Ethnicis alii fuerunt Feſti, alii profeſti, nonnulli interciſi.

ACCEDAMVS *nunc ad alteram Dierum diſtinctionem. Macrobius lib. 1. Saturnal. teſtatur, Numam Dies omnes in* Feſtos, Profeſtos & interciſos *diſtribuiſſe. Et Feſti quidem, ex eiuſdem inſtitutione fuerunt Diis dicati: Profeſti hominibus ob adminiſtrandam rem priuatam, publicámque conceſſit: Interciſi autem Deorum hominúmque communes ſunt; hi in ſe, non in alia diuiduntur: illorum enim dierum quibuſdam horis fas fuit, quibuſdam fas non fuit im dicere. Nam cùm hoſtia cædebatur, fari nefas fuit: Intercaſa & porrecta fari licuit: Rurſus cum adolebatur, non licuit. Ergo de diuiſione Feſtorum & Profeſtorum dierum tantùm in ſequentibus paucis diſſeremus.*

Faſti dies.

Ac primùm de Profeſtis, & qui ex eis procedunt loquemur: id eſt, Faſtis Comitialibus, Comperendinis, Statis & Præliaribus. Faſti *erant, quibus licebat fari Prætori tria verba ſolennia,* Do, Dico, Addico. *Hu contrarii erant Nefaſti:* Comitiales *erant, quibus cum populo agi licebat. Et Faſtis quidem lege agi potuit: cum populo agi non potuit: Comitialibus vtrûmque potuit.* Comperendini *erant, quibus vadimonium licebat dicere.* Stati, *qui iudicii causâ cum peregrino inſtituebantur: ſic enim Plautus in Gurgulione,* Status condictus cum hoſte intercesſit dies: *vbi* Hoſtem *more veteri ſignificat peregrinum.* Præliares *à iuſtis non ſegregat Macrobius: iuſti autem erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato vexillum ruſi coloris in arce poſitum fuit. Præliares igitur fuerunt omnes, quibus fas erat repetere res, vel hoſtem laceſſere.*

Comitiales dies.

Comperendini dies.

Stati dies.

Præliares dies.

In feſtis quid actum.

In Feſtis autem celebrabantur Sacrificia, Epulæ, Ludi, Feriæ Macrobio teſte. Proinde Feſtum, vel Celebritas ſacra apud Ethnicos, & Romanos præcipuè fuit, vel cùm ſacrificia Diis offerebantur: vel cùm dies Diuinis epulationibus celebrabatur: cùm Ludi vel in honorem Deorum agebantur: vel cùm Feriæ obſeruabantur. In hoc autem ſecundo libro agemus imprimis de FERIIS & LVDIS, *interdum etiam de* SACRIFICIIS & EPVLIS.

DE FERIIS.

Feriarũ diuiſio. Feriæ priuatæ.

FEriarum *aliæ fuerunt* Publicæ, *aliæ* Priuatæ. *Et hæ quidem vel propriæ familiarum erant, vt Claudiæ familiæ, vel Aemiliæ ſeu Iuliæ, ſeu Corneliæ: & ſi quas ferias proprias quæque familia ex vſu domeſtica celebritatis obſeruabat. Vel erant ſingulorum, cuius generis fuerunt Natalium & fulgurum ſuſceptiones: item funerum atque expiationum. Apud veteres quóque qui nominâſſet Salutẽ, Semoniã, Satam, Segetiam, Tutilinam ferias, obſeruabat. Item Flamminica, quoties tonitrua audiſſet, feriata erat, donec placâſſet Deos.*

Feriæ publicæ.

Publicarum autem Feriarum genera fuerunt quatuor. Aut enim Statiuæ, *aut* Conceptiuæ, *aut* Imperatiuæ, *aut* Nundinæ *erãt.* Statiuæ *vniuerſi populi communes fuerunt, certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis, ſtatis obſeruationibus annotatæ: in quibus præcipuè ſeruabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia.* Conceptiuæ *fuerunt, quæ quotannis à Magiſtratibus, vel Sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos, vel etiam incertos: vt fuerunt Latinæ, Paganalia, Sementina, Compitalia. Conceptiuarum autem feriarum Varro duo facit genera: alias enim* Annales *eſſe dicit, quæ non*

Statiuæ.

Conceptiuæ.

non quidem incertos dies & menſes, ſed tamen quotannis, alias non Annales, *quæ neq; certis diebus, neque menſibus, neque quotannis conciperentur. Sic enim lib.5. de lingua Latina*: Præterea feriæ Conceptiuę, quæ non ſunt annales; vt hæ, quæ dicuntur ſine proprio vocabulo, aut cum perſpicuo, vt Nouemdialis, *Et hæ fortaſſe ſunt, quæ à Macrobio*

Imperatiuæ. *Imperatiuæ dicuntur.* Imperatiuæ *erant, quas Conſules vel Prætores pro arbitrio poteſtatis indicebant.*

Nundinæ. Nundinæ *fuerunt Paganorum ſeu ruſticorum, quibus conueniebant negotiis propriis vel mercibus prouiſuri.*

Feriæ publicæ quibus indictæ. *Ad has autem ferias publicas quod attinet, indicebantur illæ, & proclamabantur ſingulis mẽſibus à Rege ſacrorum & à Prætore. De Rege Sacrificulo teſtis eſt Varro lib. 5. de Latina linguâ*: Rex, *inquit*, cum Ferias menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diẽ Februatum appellat. *Et paulò poſt*: Harum rerum veſtigia apparent in ſacris Nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe, Rex prædicit, *Ex his verbis perſpicuũ eſt, Regem Sacrificulum ſingulorum menſium Ferias proclamâſſe. Eius autem proclamationis hanc formulam Arnobius lib. 2.*

Feriarũ indictionis forma. *contra gentes tradit*: Lauatio Deûm Matris eſt hodiè: Iouis epulum eras eſt: Æſculapii geritur celebratúrque vindemia: Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis eſt, &c. *Prætorem autem etiam Ferias, quæ Compitalia dicebantur, more Maiorum, verbis olim ſolennibus concepiſſe A. Gellius libro 10. ſuarum noctium cap. 24 & Macrob. lib.1. Saturnal cap.4. Authores ſunt. Poſtquam enim modò die quinti, modo die quinto veteres dixiſſe ſignificâſſent, ad demonſtrandam hanc veterum conſuetudinem conferre plurimùm, addiderunt hæc ſolennia verba, quibus more maiorum Compitalia Prætor concipere ſolebat*: Die noni poſt Kalendas Ianuarias: Die quinti Compitalia erunt. *Nec verò Compitalitias duntaxat, ſed etiam Ferias omnes Conceptiuas & Imperatiuas indicere Prætorem conſueuiſſe, ex eodem Macrobio, & Suetonio comprobari poteſt. Sic enim Suetonius in Claudio ſcribit*: Obſeruauit ſedulò, vt quoties terra in vrbe mouiſſet, Ferias aduocatâ concione Prætor in vrbe indiceret.

Feſtorũ apud Ethnicos innumerabilis copia. *Horum deniq; feſtorum ac feriarum publicarum apud Ethnicos infinita propè & innumerabilis fuit copia & multitudo, quemadmodum etiam apud Chriſtianos hodiè, quas recenſere omnes tam impoſſibile eſt, quàm ſtellas cæli, aut arenas maris numerare: præcipuas tamen, & quarum apud authores fit mentio, Deo adiuuante, recenſebimus.*

De LVDIS.

De ludis cur in hoc libro etiam agatur. Ludi quid ſint.

FEſtis diebus in honorem Deorum non tantum ſacrata erant religioſa, quo nomine ferias intelligimus qualeſcunque illæ fuerint, quibus opus nullum ex Præconis edicto facere licebat, ſed etiam religioſa negotia, vt ſunt Epulæ, & Sacrificia, *quæ Diis offerebantur, &* Ludi, *qui in Deorum honorem agebantur, vt Valerius Maximus atteſtatur lib.2. cap. 160. Sunt enim Ludi, vt hoc loco accipimus, publicæ celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro ſalute populi, vel gratiæ populi demerendæ causâ ſunt editæ. Priſci enim illi Ethnici opinabantur, ſe Diis rem gratam illis Ludis facere. Deinde Magiſtratus maximè ſtudebant ſubditos omni genere voluptatum demulcere, vt facilius eos in officio continerent. Tertiò, antiqui illi ſapientiſſimi prudentiſſimiq; homines cùm humanam vitam viderent plurimis miſeriis & calamitatibus circumuentam, multiſq; incommodis aſſiduè vexatam, permulta ad excitandos animos iacentes propè ac defeſſos ad hilaritatẽ excogitârunt, vt à quotidianis curis aliquantulum relaxarentur, quibus tamen & cum voluptate mores informarentur, & exercerentur vires corporis, & ad Religionis cultùm vnà excitarentur. Nam & Comœdiæ & Tragœdiæ, & alia ludorum genera inuenta ſunt, vt iis non ſolùm ad corrigendos animi mores inſtituerentur, ſed etiam allicerentur homines ad corporis vires exercendas cum voluptate quâdam. Ita enim fiebat, vt populus, qui ſpectatum conuenerat, eruditus cum voluptate diſcederet, cùm vitæ moderationem non ſine voluptate imbibiſſet. Ob has itaq; cauſas ad hos ludos, eorumq; certamina ingens conueniebat multitudo: quibus finitis, de rebus ad communem patriam pertinentibus plerunque conſultabatur.*

Ludi Græcorũ duplicis generis. *Græcorũ Ludi duplices fuerunt: publici & priuati. Publicorum quatuor ferè genera fuerunt,* Olympici, Pythii, Iſthmii, & Nemei, *quod etiã lib.1. Epigrammat. Archias teſtatur, ad quos tota ferè Græcia confluxit. Alii certorum oppidorum quaſi priuati exſtiterunt ludi. Mos tamen omnibus fuit Græcis, vt vbiq; locorum victores palmam alterâ manu geſtarent ex his ludis redeuntes, vt ait Pauſanias in Arcadicis. Ac tantus honor victoribus habebatur, tantáque erat victricium ciuitatum lætitia, vt multa millia, paſſuum victores ita manibus ſuorum ciuium portarentur, ne omninò terram contingerent: nec ingrederentur per portas ciuitatum, vt reliqui homines; ſed pontes illis tumultuarii fierent ſupra mœnia ciuitatum; eorúmque nomina, in foro publico ſumptu columnis inciderentur.*

Ludi Rom. duũm generũ. *Apud Romanos etiam duo potiſſimùm ludorum fuerunt genera. Alii enim* Circenſes, *alii* Scenici *ſeu* Theatrales *fuerunt.*

De Ludis Circenſibus.

Ludi Circenſes vnde dicti.

CIrcenſes *dicebãtur, quòd in circuitu enſibus poſitis exhiberentur: olim enim ante extructum Circum in littore Tyberis agebantur, in altero latere poſitis gladiis, vt ab vtráque parte eſſet ignauia præſens periculum, vt Seruius annotat in 3. Georgic. & 8. Æneid. Vergilii. Alii verò à circumeundo ſic dictos putant: alii à Circo in quo exhibebantur. Hunc Circum, quem vocârunt maximum, Tarquinius Priſcus, quintus Romanorum Rex, exſtruxit, vt Liuius teſtatur lib. 1. Sic etiam Dionyſius lib. 3. Tarquinium non rude tantùm ædificium ipſum extruxiſſe, ſed elegãtiſſimè etiam exornâſſe ſcribit.* Tarquinius Priſcus, *inquit*, in Circo maximo inter Palatinum & Auentinum montes ſito, primus circumquáque operta tecto fecit ſedilia. Nam antea ſtantes ſpectare ſolebant furcis tabulata ſuſtinentibus. Locos ſpectaculorum in triginta Curias diſtribuit, vt Curialium quiſque ſuo loco ſpectaturus ſederet: quod opus & ipſum procedente tempore annumerandum erat inter ſpectacula totius vrbis pulcherrima. Longitudo enim eius eſt trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum, â duobus maioribus lateribus, & vno minore, cingitur Euripo, qui aquas recipiat, decempedali profunditate ſimul, & latitudine. Poſt Euripum extructæ ſunt triporticus, imæ habent lapidea paulum ſcandentia, ſicut in theatris ſedilia, ſupèr duplici contignatione ſunt lignea: duas maiores porticus, tertia minor, coniungit tranſuerſim lunatâ ſpecie appoſitâ, vt ex tribus vna conficiatur, amphitheatra'is, & ſtadiorum amplitudine capax, centum quinquaginta millia hominum. Reliquum minoribus latus, quod ſubdiale eſt, habet fornicatos carceres, vnde equi emittuntur, omnes vno clauſo repagulo, externè ambit Circum ſimplex contecta porticus, habens officinas & supernè cellas, per quas ſpectatores intrant, & aſcendunt per officinas ſingulas, vt nulla confuſio exoriatur inter tot hominum millia, tum venientia tum diſcedentia. *Hæc Dionyſius. Dictus igitur eſt Circus quòd in circuitu ſpectaculis ædificatis ludi ibi fierent, & quòd illic circum metas ferretur pompa, & equi currerent. De ornamentis Circi Tertullianus quóq; ſcribit in libro de Spectaculis.*

Circum maximum quis extruxerit.

Circi maximi deſcriptio.

De Ludis Scenicis.

Ludi Scenici in Theatro agebantur.

V*T Circenſes Ludi in Circo, ita Scenici in Theatro peragebantur, in quo Deorum immortalium Feſtis diebus ludos ſpectabant ſedentes cum conjugibus & liberis. Dicti ſunt Scenici à Scena, & hæc à Græco nomine σκηνὴ, quòd tabernaculum ex ramis & frondibus inumbrationis causâ conſtructum ſignificat, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc eſt vmbra. Cùmq. ſub huiuſmodi tabernaculis Attica juuentus, quum adhuc vicatim ageret, carmina quædam incõdita decantaret, fabuláſque ageret, factum eſt, vt in vrbem collectis Athenienſibus, nomen hoc retinuerit confabulatio illa, quæ inter vtrúnque Theatri cornu erat protenſa, in qua à Mimis fabulæ edebantur. Hoc nomen Romani quoque Theatro ſuo, in quo fabulæ agebantur, indiderunt, quòd etiam ſic diſpoſitum eſſet, vt à fronte inter duo cornua Scena eſſet. Inde fabulæ & ludi, qui in hoc agebantur loco,* Scenici *dicti ſunt.*

Scenici vnde dicti.

Apud Romanos autem diu nullum Theatrum fuit. Olim enim vt Iulius Cæſar Scaliger indicat, in diem ac locum indictum conuenientes, qui ſpecimen firmitatis, aut dexteritatis, aut pernicitatis edituri eſſent, in medio datis nominibus, profitebantur. Circumfuſa turba cum judicibus ad ſpectandum, mox alia item affluente, commodè ſpectare non poterant. quòd alii objectu corporum conſpectum adimebant: idcirco aggeſtis ceſpitibus editiorem locum ſibi puluillis actis faciebant. Eam ob cauſam medius locus depreſſior fuit, ac propterea Cauea *dictus. Ab initio igitur ſtantes ſpectabant, poſtea ſubſellia ſibi quiſque afferebat.*

Origo & author Theatri.

Cauea quid.

Primi Theatrum faciendum locârunt M. Valerius Meſſala, & C. Caſſius Longinus Cenſores anno 599. Verum, authore P. Scipione Naſicâ, omnem apparatum operis eorum ſubiectum haſtæ venire placuit. Senatuſconſulto quóq; cautum eſt, ne quis in vrbe, propiúſue paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedénſue ludos ſpectare vellet, vt ſcilicet remiſſioni animorum iuncta ſtandi virilitas, propria Romanæ gentis nota eſſet. Vide Valerium Max. libro 2. cap. 4. & Liuium libro 48. Deletâ Corintho L. Mummius ludis, quos in triumpho fecit, Theatrum erexit, ſed temporarium. In primis autem celebratur M. Scauri Theatrum, quod in Ædilitate ſua fecit, opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humanâ manu facta: de quo vide Plinium libro 36. cap. 15. Primum autem manſurum Theatrum C. Pompeius M. Romæ extruxit lapide quadrato, authore Cornelio Tacito libro 14. ad exemplum illius quod Mitylenis viderat bello Mithridatico: de illo vide Tertullianum in libro de Spectaculis.

Erat autem Theatrum in modum hemicycli, cuius ab vtroque cornu Scenæ erant, cum ſingulis aris, quarum vna Bacchi, altera eius Dei erat in cujus honorem ludi fiebant. Eius partes erant Scena, Orcheſtra, Proſcenium & Pulpitum.

Theatri figura.

Theatri partes

Amphitheatrum erat circulari integrâ, aut ouali & oblongâ formâ, quaſi ex duobus theatris

Amphitheatri forma.

trù exſtructum, in quo gladiatorii ludi, & concluſarum ferarum venationes exhibebantur. Eius area dicebatur Cauea *&* Arena, *quòd arenâ ſpargeretur, vt certantes ſine offenſione caderent, vt ex Suetonio intelligitur.*

De origine ludorum Scenicorum.

De Origine autem Scenicorum ludorum Romæ, & quibus de cauſis ibi inſtituti fuerint, Liuius ſcribit in hiſtoria Anni Vrbis condita. 389. Decadis 1. libro 7. ad hunc modum: Et hoc, & in ſequenti anno T. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone Coſs. peſtilentia fuit: eo nihil dignum memoriâ factum niſi quòd pacis Deûm expoſcendæ cauſâ tertio tum poſt conditam Vrbem Lectiſternium fuit: & cùm vis morbi nec humanis conſiliis, nec ope Diuinâ leuaretur, victis ſuperſtitione animis, Ludi quôque Scenici, noua res bellicoſo populo (nam Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur, Cæterum parva quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu Ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant. Imitari deinde eos juventus ſimul, inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus cœpere: nec abſoni à voce motus erant: accepta itáque res, ſæpiúſque iterando excitata. Vernaculis artificibus, quia Hiſter Thuſco verbo Ludio vocabatur, nomen Hiſtrionibus inditum; qui non, ſicut antè, Feſcennino ſimilem verſum, compoſitum temerè, ac rudem alternis iaciebant, ſed impletas, modis Satyras, deſcripto iam ad tibicinem cantu, motúque congruenti peragebatur. Liuius poſt aliquot annos, qui ab Satyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem, ſcilicet id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor dicitur, quum ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, veniâ petitâ, puerum ad canendum ante tibicinem cùm ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquantò magis vigente motu; quia nihil vocis vſus impediebat, inde ad manum cantari Hiſtrionibus cœptum, diuerbiaque tantum ipſorum voci relicta. Poſtquam lége hac fabularum, à riſu, ac ſoluto ioco res auocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, juuentus, hiſtrionibus fabullarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactare cœpit: quæ inde Exodia poſtea appellata, conſertaq; fabellis potiſſimùm Attellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus, nec ab Hiſtrionibus pollui paſſa eſt, eô inſtitutum manet, vt actores Attellanarum nec tribu moueantur, & ſtipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant. Inter alia rerum parua principia rerum, ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt, vt appareret, quàm abſano initio res in hanc, vix opulentis regis tolerabilem inſaniam venerit. *Hæc omnia Liuius. Eadem refert etiam Valerius Maximus libro 2. cap. 4.*

Ex his intelligimus, quàm tenuè initium Scenicorum ludorum fuerit: quòd ſcilicet primùm Ludiones ex Hetruria acciti, ſine carmine ad tibicinis modo ſaltârint; poſt, verſus, ſed inconditi, & motus à voce non abſoni acceſſerint: tandem arte omnia fuerint perpolita. Grauiter autem D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 32. & lib. 2. cap. 8. &c. has Scenicas fabulas & actiones exagitat.

Ludorũ Scenicorum ſpecies.

Sunt autem horum Scenicorum ludorum ſpecies quatuor, Tragœdia, Comœdia, Satyra *&* Mimus.

CAPVT II.

De Menſibus & Annis Ethnicorum.

DE his autem & ſimilibus Ethnicorum Feſtis in ſequentibus agemus, atque omnia ad Iulianum annum accommodare ſtudebimus, quo hodie vniuerſus orbis Chriſtianus ferè vtitur. Nemo tamen hic eam certitudinem à nobis expectet, quâ ita omnia concinnari & cum Iuliano anno componi poſſint, vt annus anno exactè & præcisè reſpondeat: id enim nullo modo fieri poſſe, omnes facilè animaduertunt, qui vel mediocriter cognitos habent annos variorum populorum, cum ingenti diſcrimine & multiformi ratione in obſeruatione eius.

Arabes in computatione anno lunam tantum obſeruarunt.

Arabes enim in ſui anni conſtitutione Lunæ tantùm motum obſeruârunt, numerantes quidem duodecim menſes pro anno, ſed quia duæ lunationes perficiuntur diebus 59. ita ſuos menſes partiuntur, vt vnus triginta dies, alter vigintinouem alternatim habeat.

Ægyptij.

Ægyptii autem neglecto Lunæ menſtruo motu, anni ſui ſpacium computârunt Solis per totum Zodiacum circuitu, qui diebus 365. & quadrate efficitur. Hoc tempus diuiſerunt in duodecim partes ſeu menſes ſingulis quidem tres dierum attribuentes decades, quæ faciunt 360. dies. euoluto igitur anno ſini vltimi menſis, quem Meſori *vocârunt, quinque etiámnum ſuper adiiciebant dies, quadrantis diei, qui abundat ſupra dies illos, nullâ prorſus habitâ ratione, vel intercalatione aliquâ eius ſuo tempore admiſſâ.*

Hebræi.

Hebræorum autem anni forma medium iter ingreditur, ſicut ſuprà quóque indicauimus. & Theologi etiam diligenter in ea re verſati confirmant, Dionyſius, Auguſti-

nus, Theophilus, Cyrillus, Anatolius, Epiphanius, Beda & alii: néque enim ea Solis, néque Lunæ tota eſt, ſed vtrique applicata: ambo námque luminaria, ex Moſis ſententiâ, in dies & annos à Deo data ſunt: Gen. 1. cap. Nam primum quaſi regulam ſolarem annum, qui eſt dierum 365. & ſex horarum imitandum proponit, & menſes lunares duodecim, qui faciunt dies 354. horas 8. ſcrupulos 876. ſic huic applicat, vt cùm in anno Solari ad lunarem comparata, reſtent dies 10. hora 21. ſcrup. 204. hunc exceſſum tandiu reſeruat, donec inde menſis vnus conſtituatur, quod fiebat tertio quóque anno, ad cujus finem adiiciebatur: vnde & propter adiectum hunc decimum tertium menſem anno, ad cujus finem adiiciebatur: vnde & propter adiectum hunc decimum tertium menſem annus ipſe Embolimæus, menſis autem Embolimus dicebatur. Quia verò hora aliqua omittebantur in intercalatione hac, fuit opus aliâ intercalatione, quâ illa ad explendum annum ſolarem reliquis 354. diebus inſerebantur, vt nouilunia cum primis menſium diebus congruerunt, & æquinoctia cum ſolſtitiis in iiſdem quaſi veſtigiis immota manerent.

Vſi ſunt hoc anno Patriarcharum etiam poſteri, a quibus ad Græcos propagatus eſt, & ab his ad Romanos, qui eum longo tempore vſurpârunt, donec ob intempeſtiuas Pontificum intercalationes neglectus & conturbatus, à Iulio Cæſare correctus & ad hanc formã redactus ſit, quâ etiamnum hodie vtimur.

Rationes ob quas variarum gentium anni difficulter cum Iuliano anno componi poſſunt.

Hinc igitur prima ratio peti poteſt, quâ demonſtratur, quam difficulter variarum gentium anni & menſes cum Iuliano anno & menſibus componi poſſint. Nam in Arabum anno, quem Lunæ tantummodo curſu metiuntur, ſinguli menſes per omnes anni partes, ver, æſtatem, autumnum & hiemem vagantur triginta trium annorum ferè ſpatia, vt nulli certi menſes ſint æſtiui aut hyberni. Exempli gratiâ: ſi hoc anno menſis Almuharam à quo ſuum annum inchoare ſollent, incideret in initium noſtri Martii, tertia ab hinc anno conueniret cum principio Februarii & ſexto cum initio Ianuarii, & ſic deinceps. In Ægyptiarum autem anno, qui diei quadrantem negligebant, primi dies menſium retrò aſcendebant, ſic vt quinto quóque anno primus dies primi menſis, quem Θὼθ nominabant, in præcedentem diem anni Iuliani tranſmigraret, propter neglectum diem intercalarem, ex quatuor quadrantibus collectum. Vnde ex Cenſorini libello de Die natali, non obſcurè poteſt colligi, reciprocâſſe Ægyptiis primum diem menſis primi per viginti quinque dies, à vigeſimo Iulii in vigeſimum quintum Iunij. Vt igitur apud Arabes, ſic etiam apud Ægyptios, longiore tamen interuallo, primus menſis per omnes anni partes tranſcurrit. Vnde non leuis confuſio temporum naſcitur.

Verùm adhuc alia ſunt difficultates. Varia enim apud diuerſos populos anni fuerunt initia. Anni enim ſicut & mundi initium apud Iudæos & Ægyptios fuit ad æquinoctium autumnale primò: quod poſtea iuſſu Dei inter Hebræos tranſlatum eſt in æquinoctium vernale. Romulus annum ſuum à Martio inchoauit: Numa verò à Ianuario: Athenienſes à ſolſtitio æſtiuo, ſicut & Ægyptii, ſi Porphyrio credimus: eâ ratione, vt Neomenia, quæ proxima eſſet his terminis, principium primi menſis anni eſſet. Sed hæc dierũ tot intermiſſio, duobus plerunque annis facta, initia menſium procul vltra ſuos conſuetos terminos abſtrahebat, ſic vt fixi menſes eſſe non poſſent, in anno ad Lunæ & Solis motũ directa. Si enim Nouilunium aliquo in anno incidiſſet in ipſum diem æquinoctii, qui olim fuit 25. Martii: anno ſequenti propter intermiſſos dies 11. cadebat in 14. & tertio anno propter eandem cauſam in 3. eiuſdem menſis: nec ante annum octauum ad ſuum priſtinum locum redibat. 2.

His etiam illud accedit, quòd rationem Solaris anni à Cæſare conſtituti cæteræ nationes, 3.
quæ Romano parebant imperio, progreſſu temporis imitari cœperunt. Ægyptii enim biſſextilem annum conſtituerunt, & menſes Romanorum inſtar partiri cœperunt, aliud tantùm initium anni conſtituentes: vt Thoth. cum Septembri omninò idem efficeretur, Phaophi cum Octobri, Athyr cum Nouembri, &c. Idem ſequuti ſunt Græci: vt antiqua ſupputatio annorum & menſium, quæ fuit temporibus Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, abierit in deſuetudinem, Græcis iam Romano more annos, menſes & tempora ſupputantibus: vt Albertus Pighius refert de Ratione Paſchalis celebritatis & reſtitutione Calendarii Eccleſiaſtici. Quemadmodum verò certò non conſtat quo tempore hæc primã facta ſint, ſic incertum perinde eſt, à quo potiſſimùm tempore in hiſtoriis Græcorum aliarumq́ nationum, quæ hactenus à Romanis diſcrepârunt, anni Romanorum more numerandi ſint.

Adrianus Iunius his omnibus duas alias rationes addit in libro de Annis & menſibus; ob 4. & 5. ratio.
quas legitima & verà menſium Græcorum ratio difficulter iniri, & cum Romanis componi poſſit. Prima eſt, quòd Neomeniarum initia alii atque alii ſtatuerint alia: Alterra, diſcrepantes ac controuerſa Grammaticorum de menſibus variarum gentium inter ſe pugnantium ſententia. Verba eius hæc ſunt: Plutarchus, inquit, in Ariſtide, prælium ad Platæas commiſſum 14. die Boedromionis ſecundùm Athenienſes, in viceſimã ſextam Panemi apud Bœotios incidere ſcribit: additq́; neminem mirari debere eam dierum diuerſitatẽ, quum diligentiſſimi quíque Aſtrologi ſuâ tempeſtate aliud atq; aliud initium pariter & exitum menſis ſtatuerint. Docet illud quóque

Thu-

Thucydides exactiſſimus hiſtoriarũ ſcriptor, memorans diem induciarũ inter Spartanos & Athenienſes initarũ, eundem eſſe Athenienſibus decimum quartũ Elaphebolionis, cum duodecimo Geraſtij apud Lacedæmonios. Præterea ex Epiphanio in Ancephalæoſi de Valentiniani Iunioris morte ſcribente, colligere licet, quòd Maij menſis principium juxta Ægyptiorũ rationem, in viceſimũ quintum Aprilis: & ſecũdùm Macedonum computationem, in viceſimum tertium ejuſdem incidat. Quod ad alterius rationis confirmationẽ attinet, Phauorinus Ποσειδῶνα ſextum Athenienſiũ menſem ſcribit, & Decembrẽ exponit, ignarus ab Hecatombæone (qui annum illis exordiebatur) auſpicanti, ſeptimũ in rationis ſubductione fore: eundem tamen Ianuarium reddit Plutarchus, vbi de trajectu Cæſaris in Macedoniam loquitur. Harpocration Rhetorici Lexici author Μαιμακτηριῶνα quintũ facit menſem, quum ſit quartus ordine: idem rurſus Ἀνθεστηριῶνα octauũ ſtatuendo, inſigni in errore verſari deprehenditur: eundem in Sylla Martium eſſe tradit Plutarchus. Suidas Μαιμακτηριῶνα quintum eſſe menſem, dicíque Romanis Ianuarium annotat, quum alio loco Γαμηλιῶνα Ianuarium, veluti ſui oblitus, interpretetur. Pari ratione Μουνυχιῶνα ſecundum menſem facit, quum alibi Μεταγειτνιῶνα rectè ſecundum definiat, Idem Ἀπελλαῖον Decembrem facit, quem Epiphanius perperam Auguſtum, & rurſus alibi ſui oblitus Nouembrem dicit. Vlpianus Demoſthenis ſcholiaſtes Σκιῤῥοφοριῶνι vndecimũ, rectiùs autem Suidas duodecimum illi attribuit. Ioſephus quoq; ſecundum, ex Hebræorum ſententia, menſem, illis Marſonanen (vt inquit) dictum, apud Macedones Δῖον nuncupati ſcribit, quum Galenus hunc Septembrem faciat: itaque ſi ab æquinoctio autumnali, quo in Septembrem incurrit, annum illi auſpicantur, neceſſe eſt ſecundum ab eo Δῖον Octobrem, contra Galeni authoritatem reddere. Idem vſu venit in Hebræis menſibus, quorum quartum nobis Iulium vocari, ſeptimum Octobrem ſcribit Hieronymus: in quo tantùm exorbitat, quantùm eſt ſpacium ab æquinoctio verno, vſque ad ſequentis menſis initium.

Accedit ad ſupradictas difficultates, cur ita euariârint menſes olim, quòd Sacerdotes nimirum antiquitùs gratificantes publicanorum rationibus, pro libidine ſua vel ſubtraxerunt tempora, vel auxerunt, vt Solinus cap. 5. & Marcellinus lib. 26. referunt.

Sed de Anno & Menſibus, eorúmq; magno diſcrimine, & diuerſiſſima ratione in obſeruatione, multa eruditiſſimè ſcripſerunt Theodorus Bibliander Sacrarum literarum olim in Schola Tigurina Profeſſor, in libro De ratione temporum: Greg Gyraldus & Adrianus Iunius in lib. De annis & menſibus: itémque Paulus Eberus in Calendario hiſtorico & Ioan. Lalamantius, De præcipuarum gentium anni ratione, vnde Lector petere poteſt, quæ hic deſiderantur.

Propter has autem enumeratas aliáſque cauſas fieri non poteſt, vt omnia ſic componantur, vt huius gentis annus alterius anno, menſis menſi, inprimis verò dies diei præcisè reſpõdeãt. Contenti igitur eſſe debemus, ſi vtcunque menſes variarum gentium menſibus Romanis, ſeu Iuliani anni ita aptentur & congruant, vt aliquo modo intelligere poſſimus, quodnam tempus anni fuerit, quo feſta & ſimilia celebrata geſtáque ſint.

CAPVT III.

Menſium variarum gentium ad Romanorum ſeu Iuliani anni Menſes accommodatio.

IANVARIVS.

INcipiamus autem à Ianuario: ab eo enim Romani annum ſuum auſpicantur, ídque ex Numæ Pompilij inſtituto. Volunt enim quidam, ante Romam conditam, eius Italiæ partis incolas, quæ Latium dicitur, anni nullam vel paruam admodum rationem habuiſſe, veluti rudes & incultos populos, qui ne domos quidem ædificare, terrã colere, ſerere aut metere nôſſent, ſed qui ſemiferi glandibus vitam ſuſtentâſſent, & aut in ſpeluncis, aut magalibus frondibus virgultiſque contextis habitâſſent, ſub Iano, Saturno & Pico Regibus. **Latium ab initio anni nullam rationẽ habuit.** *Romulum igitur, cõditâ in Latio vrbe, inter alia multa, quibus Romanam rem fecerit auguſtiorem, temporis etiam rationem ſibi habendam exiſtimâſſe: proindéque annum dies tantùm trecentos quatuor complectentem, in menſes decem, quorũ ſex tricenûm dierum, quatuor tricenûm ſingulorum eſſent, diſtribuiſſe: primúmque menſem genitori ſuo Marti dicatum, Martium appellâſſe.* **Romulus annũ in menſes diſtribuit. iuxta aliquot.** *Habet hæc ſententia magni nominis viros patronos, Iunium Graccum, Fuluium Nobliorem, Varronem, Macrobium, Cenſorinum & alios: quibus etiam adſtipulatur Ouidius lib. 1. Faſtorum ſic canens:*

Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno
Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis quàm ſydera, Romule nôras,
Curáq; finitimos vincere maior erat.

Sed tamen non ſine ratione Romulũ ſic annũ

in menſes decem digeſſiſſe, duplici ratione aſſerit, prioribus hac ſubiungens:

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis vxor.
Suſtinet in vidua, triſtia ſigna, domo.

Sed quum hic numerus dierum Romulei anni, neque Lunæ rationibus, neque Solis curſui conveniret, nonnunquam vſu veniebat, vt frigus anni æſtiuis menſibus, & calor hyemalibus proveniret. Quod vbi contigiſſet, tantùm dierum ſine vllo menſis nomine patiebantur aſſumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus inſtanti menſi aptus inueniretur, Macrobio authore lib.1. Saturn.

Numa Pomp. annum 12. menſes distribuit. *Numa Pompilius igitur, qui Romulo proximè in Imperio ſuceſſit, & 43. annos regnauit, vt annum integrum ac certum conſtitueret, Lunæ & Solis motibus accommodatum, reſiduos illos dies in Romuli anno, de quibus modò diximus, in duos menſes diſtribuit, & prioribus decem addidit, quorum alterum* Ianuarium, *alterum verò* Februarium *nominavit, húncque ultimum, illum autem primum anni eſſe voluit. Qua de re Ouidius lib.1. Faſt. ita cecinit:*

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras:
Menſibus antiquis addidit ille duos.
Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus, vt eſt, Iani menſis & antè fuit.
Qui ſequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni,
Tu quoq; Sacrorũ Termine finis eras.

Explicatur locus Ouidij. *Vnde ſimul apparet, non rectè priori loco in nonnullis exemplaribus, pro, Addidit ille duos, legi,* Preposuitque duos: *Poëta enim manifeſtè ſibi eſſet contrarius. Fuluius Nobilior tamen, duos hos menſes non à Numa, ſed à Tarquinio Priſco additos arbitratur Romuli anno. Sed Februarium vltimũ fuiſſe menſem in Numæ anno, Varro quoque lib.2. de lingua Latina teſtatur, inquiens:* Terminaliorum dies anni extremus conſtitutus: duodecimus enim menſis fuit Februarius. *Sed & Cicero lib.2. de Legibus hac habet:* Menſem, credo, extremum anni, vt veteres Februarium, ſic hic (*D. Brutus*) Decembrem ſequebatur. *Simile quid habetur in fragmentis legum duadecim tabularum. ſi Lalamantio credimus, qui etiam aſſerit, à Decemuiris demùm, anno vrbis 303. ex vltimo ſecundùm conſtitutum Februarium, vtque eo menſe poſt Terminalia alternis annis eorum dierum, qui ad annuam Solis rationem deeſſent, intercalatio fieret. Colligit hoc fortè Lalamantius ex Ouidio, qui lib.2. Faſtorum ita canit:*

Primus enim Iani menſis, quia Ianua prima eſt:
Qui ſacer eſt imis manibus, imus erat.
Poſt modo creduntur ſpacio diſtantia longo
Tempora bis quini continuâſſe viri.

Sed ad hac verba Antonius Conſtantius Fanenſis, Rectè, *inquit*, dicit Poëta Creduntur, quum nuſquam legatur, vel Decemuiros creatos inſpiciendis libris Sybillinis, vel qui creati ſunt ſcribendis legibus, Ianuarium & Februarium conjunxiſſe. Credo igitur neutros id feciſſe, quum & Ouidius ea de re dubitet, & neminem legerim, à quo certum aliquid tradatur.

Numa unde ſui anni formam habuerit. *Ouidius libro 3. Faſtorum putat, Numam hanc anni formã, in duodecim menſes diſtributam habuiſſe ex Pythagora Samio, cuius etiam auditorem fuiſſe Numam, & quo tempore ad regnum Romanum vocatus ſit, apud Crotonem egiſſe Philoſophiæ dantem operam, multi volunt: ſic enim canit ille,*

Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis.
Pompilius menſes ſenſit abeſſe duos.
Siue hoc à Samio doctus, qui poſſe renaſci
Nos putat: Egeria ſiue monente ſua.

Eadem refert Metam. 15.

Pythagoras poſt Numam vixit. *Sed, vt Dionyſius Halicarnaſſ. lib.2. inquit, temporũ ratio hoc non patitur: quandoquidem non paucis annis, ſed totis quatuor ætatibus Pythagoras fuit Numâ poſterior. Nam hic circa medium Olympiadis 16. Romæ regno potitus eſt: Pythagoras verò poſt Olympiadem 50. demùm docuit in Italia. Imò nondum erat Crotonienſium vrbs, quando Romam ad regnum accitus eſt Numa: integro enim quadriennio poſt aſſumptum à Numa Principatum Myſcelus tam condidit, Olympiadis 17. anno 3. Vnde ſatis apparet, eum nec potuiſſe affectari Pythagoram, qui quatuor pòſt ætatibus exactis floruit: neque Crotone degere, quum ad Regnum vocaretur, quæ nondum condita fuerat. Confutatur etiam hæc opinio à Liuia lib. 1. & à Solino cap. 21. vbi dicit,* Bruto demùm Conſule primo, Pythagoram in Italiam veniſſe. *Cicero autem lib. 4. Thuſculan. quaſt. indicat, vnde ſit creditum, Numam Pythogara fuiſſe Diſcipulum.* Arbitror, *inquit*, propter Pythagoreorum admirationem, Numam quoque Regem Pythagoreum à poſterioribus exiſtimatum. Nam quum Pythagoræ diſciplinam & inſtituta cognoſcerent, Regiſque eius æquitatem & ſapientiam à maioribus ſuis accepiſſent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetuſtatem, eum qui ſapientiâ excelleret, Pythagoræ auditorem fuiſſe crediderunt.

Licinius

Romulum ſuo anno etiam 12. menſes habuit, ſed lunares.

Licinius Macer autem, Feneſtella, Plutarchus & alij putant, habuiſſe Romanos ſub Romulo quoque, perinde vt alias multas gentes, duodecim menſes. Philippus Melanthon etiam in ſuis ad librum 1. *Faſtorum Ouidy Annotationibus, falſam eſſe dicit opinionem, quòd Romulus decem tantùm habuerit menſes: ſed quia Numa anni principium mutârit, propterea dici duos menſes addidiſſe. In ea tamen fallitur, quòd aſſerit, apud omnes gentes à principio mundi vſque fuiſſe duodecim menſes: nam vt Macrobius refert lib* 1. *Saturnal. Arcades vel, vt Plutarchus in Numa indicat, barbari quidam, annum ſuum tribus, Arcades autem quatuor menſibus explicuerunt, & Acarnanes ſex. Suffragari huic ſententia videtur, quòd Macrobius eodem libro dicit, ſi contigiſſet, vt ob lunares Romuli menſes, frigus anni aſtiuis menſibus, & è contra calor hyemalibus proueniret, tunc ad finem anni tantùm dierum ſine vllo menſis nomine paſſos fuiſſe aſſumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus inſtanti menſi aptus inueniretur. Ecce concedit, ad decem Romuli annos dies aliquot, & quidem non paucos, in fine anni aſſumptos: ſolùm negat, menſis alicuius nomine eos vocatos fuiſſe. Id verò manifeſtè Plutarchus atteſtatur, qui in Numa inquit:* πρῶτον τὸν Ιανουάριον ἔταξε Νουμᾶς, ὃς ἦν ἑνδέκατος ὑπὸ Ρωμύλου, δωδέκατος δὲ καὶ τελευταῖος ὁ Φεβρουάριος, ᾧ νῦν δευτέρῳ χρῶνται: Primum Ianuarium ordinauit Numa, qui erat vndecimus ſub Romulo, vndecimus autem & vltimus Februarius, quo nunc ſecundo vtuntur. *Plutarchi igitur ſententia eſt, eodem loco, duodecim mẽſes lunares ordinâſſe Romulum, Numam autem ad Solis curſum accommodâſſe illos. Certè credibile non eſt, Romulum adeò rudem & ſtolidum fuiſſe, vt meliorem anni formã conſtituere nequiuerit, quàm priores illi tribuunt ei. Nam vt Plutarchus in vita eius refert,* ἢ γράμματα λέγονται καὶ τἄλλα μανθάνειν οἱ παῖδες *(Romulus & Remus)* εἰς Γαβίους κομισθέντες, ὅσα χρὴ τοὺς εὐγεγονότας. *Quo circa dubium non eſt, quin Philoſophia operam dederit Romulus, & Aſtrologica diſciplina, qua tum quidem vbiuis gentium frequentiſſimè in vſu fuit, non expers fuerit. Equidem ad Reipub. optima formam conſtituendam, & ad regẽdam multitudinem, ſuarúmque clientelarum honeſtiſſimo vinculo continendam, ciuilis prudentia tantùm ei fuit, quod inter omnes conſtat, quantùm in vllo veterum vrbium Conditore, vel ſapientiſſimo eruditóque homine eſſe poteſt. Fundamenta iecit eius ciuitatis, cui & alia poſteà omnes ceſſere, & tantùm tribuere, ſola vt ad imperium & leges orbi terrarum dandas condita videretur. Sparſit legum ſemina, ex quibus ea deinde Iuriſprudentia enata eſt, qualem nullus vnquam alius habuit populus, & quam ſolam eſſe omnes fatentur, qua ad regendas Reſpublicas ſit ſatis. Quis igitur crederat, hunc ipſum eam anni formam admiſſurum fuiſſe, qua frigus aſtiuis menſibus, & contra calorem hyemalibus ſæpiſſimè induceret? Adhæc, Lupercalia, quibus vrbs februabatur, hoc eſt expiabatur, ante Numam, proindéque etiam Februarius menſis, cui nomen à Februis iſtis eſt, fuiſſe videntur, ſicuti in huius Feſtò deſcriptione pluribus indicabitur.*

Plutarchi etiam ſententia fuiſſe videtur, quòd Numa menſium ordinem tantùm mutârit, & vtrumque Ianuarium & Februarium principio anni adjecerit. Sic enim in eius vita ſcribit: Μετεκίνησε δὲ καὶ τὴν τάξιν τῶν μηνῶν· τὸν γὰρ Μάρτιον πρῶτον ὄντα, τρίτον ἔταξε: *id eſt,* mutauit & menſium ordinem: Martium enim, qui primus erat, tertium fecit, *&c. Quòd ſi Februarium ad finem præcedentis anni reliquiſſet, & Ianuarium ſolùm à principio ordinâſſet, non tertius vtique Martius, ſed ſecundus fuiſſet menſis. Macrobius etiam lib.* 1. *Saturn. ita ſcribit:* Iulius, quum ſecundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis à numero vocaretur: nihilominus tamen etiam poſt Præpoſitos à Numa Ianuarium ac Februarium retinuit nomen, *&c. Etſi paulò antè aliter eum ſcripſiſſe ſcimus.*

Numa ordinem menſium mutauit tantùm.

Ianuarius cur primus menſis.

Rationes autem ob quas Ianuarium Principem menſem fecit, & ab eo annum inchoari voluit, à variis varia afferuntur. Quidam volũt hoc propterea factum, quòd Calendis Ianuariis, exactis Regibus, primi Conſules Romæ creati fuerint. Verùm hæc ratio non probatur. Numa enim qui hoc conſtituit, anno vrbis conditæ 39. *ſeu anno* 3. *Olympiadis* 16. *regnare cœpit: quum exacti ſint demùm Reges, & Reſpublica cum Coſſ. cœperit anno vrbis* 244. *& quarto, Olymp.* 67. *Tempora igitur non congruunt.*

Alij naturali ratione adductum Numam hoc ordinâſſe dicunt. Quum enim Ianuarius proximè ſolſtitium hybernum ſequatur, huiuſmodi principium ſecundùm naturam quodammodo eſt, quo & dierum lux accreſcit, & tenebræ minuuntur, omniáque reuiuiſcunt. Vnde quum Ouidius quæreret, cur Numæ annus inchoaret in Bruma, aut circà, & non potius in vere, quum id tempus anni principio magis conuenire videatur, quòd verno tempore omnia floreant, & renouentur, ipsâque tellus nouam quaſi faciem induat? *ita reſpondet lib.* 1. *Faſt.*

Bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima Solis:
Principium capiunt Phœbus & Annus idem.

Sed etiam Plutarchus in Quaſtionibus, quaſt. 18. Numam, *inquit*, Ianuario inter menſes Principatum dediſſe, ac principium annis

ſump-

ſumpſiſſe, naturæ, quantum ad nos attinet, conſentaneum. Quamuis enim eorum quæ in circulo circumferuntur, nihil ſit vel primum naturâ, vel extremum: optimâ tamen lege factum, *inquit*, vt poſt hybernum tropicum annus inchoetur: quum naturale quodammodo huiuſmodi principium fiat, quo lucis tempus nobis augetur, & tenebrarum ſeu noctis minuitur: & Princeps ipſe, ac totius ſubſtantiæ fluxæ author propius accedit. *Hac autem ratio ægrè conſiſtere poteſt, ſi Numa Februarium vltimum conſtituit menſem. Eſt enim hybernum ſolſtitium in Decembri, ideóque totus menſis inter ſolſtitium & anni principium interceßiſſet.*

3. *Rectius igitur Plutarchus eodem loco putat, Numam Pompilium Ianuario Principem locum aßignâſſe, quòd pacis ſtudioſus, & gentes à re bellica ad agriculturam tranſcendere cupiens, Iano hunc honorem detulerit, vt qui ciuilis vitæ, terraque colendæ, quàm belli fuiſſet ſtudioſior, cùm Romulus, homo bellicoſus & Martis filius, Martium cæteris præpoſuiſſet.*

Primus anni menſis Ianuarius cur dicatur. Ianus quis.

Primum autem menſem anni ſui Numa Ianuarium appellauit, à Iano, quem ferunt, vt Arnobius teſtatur, Cælo & Hecate procreatum, in Italia regnâſſe primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, & Iuturnæ maritum. De quo poſteritas inter Deos relato multa fabuloſa tradidit. Feſtus enim Ianum Chaos fingit fuiſſe, & inde nomen ſortitum eſſe. Chaos, *inquit* ex eo quòd χαίνειν Græci, id nos hiare dicimus: Vnde Ianus, detractâ aſpiratione, nominatur, id quod fuerit omniũ primum, cui primò ſupplicabant veluti parenti, à quo rerum omnium factum putabant initium. *Hanc ob cauſam ſine dubio Numa quoque annum ab ea auſpicari voluit, quin eum anni Deum & Principem conſtituit. A quo tempore etiam variis eum formis effinxerunt. Alij enim formârunt ipſum in dextra manu tenentem clauem, vt temporis principiũ, ac anni recluſorẽ, ianitorémque: alij verò in dextra 300. ſiniſtra autem 65. continentem, vt annum ſignificaret, Suida authore, Macrobio & Plinio: non quòd has numerorum notas Ianum in manibus habuiſſe intelligas, ſed quòd eum numerum per manuum articulos expreſſerit. Ex Plinij enim verbis lib. 34. & Macrobij Saturn. lib. 1. intelligimus planè, ſic Ianum figuratum fuiſſe, vt manibus & digitis, hoc eſt, ea numerandi ordine, qui per articulos manûs fit, ab vnitate vſq; ad 99. manu ſiniſtrâ numeratur: à centenario verò numero dextra computatur. Nonnulli etiam Deum hunc bicipitem formârunt, quòd is tranſacti anni finem reſpiceret, & principia futuri proſpiceret. Quamuis Ouidius lib. 1. Faſtorum huius formæ alias rationes reddat. Sed hæc per digreßionem dicta ſint, nunc ad propoſitum redeamus.*

Iani forma.

Ianuarius reſpondet menſis Tebeth.

Reſpondet huic menſi Hebræorum טבת Tebeth, *qui ordine apud eos eſt decimus, incipiendo à Niſan, qui in Aprilem vt plurimùm incidit, ſicut mox indicabitur. Mentio huius menſis & eius ordinis fit Heſt. 2. cap. vbi ſic legitur:* Ducta eſt itaque Heſter ad cubiculum Regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth.

Γαμηλιών.

Eundem Athenienſes Γαμηλιῶνα *nominârunt, vt vult Gaza: alij enim Octobri conferunt. Nomen habet à nuptialium dierum Feſtiuitatibus:* Γαμήλια *enim ſignificant Feſta, Celebritates & Conuiuia nuptialia: vnde & Iunoni nuptiarum Deæ Sacrum eum eſſe volunt. Refert Phauarinus Cecropem Gameliona menſem, & Gamelim Iunonem Athenis ſtatuiſſe: quod & Charax ſcripſit. Hunc autem Athenienſiũ menſem Ianuario noſtro reſpondere, ex Theophraſto intelligi poteſt, qui lib. 5. de Nat. anim. cap. 17. inquit:* Secundæ (*ſementis*) principium eſt menſe Gamelione poſt ſolſtitium hybernum. *Vnde apparet, Gamelionem primum eſſe poſt hybernum ſolſtitium menſem. Ex Ariſtotele idem colligitur, ex quo ſimul etiam liquet eum præcedentis menſis Decembris, Romani anni reſpectu, dies aliquot habere: ait enim lib. 1. Metheor. cap. 6.* apud Athenienſes Cometã eſſe viſum menſe Gamelione, quum Sol in Brumæ eſſet ſolſtitio.

Ianuarius Demetrius dictus Athenien.

Refert Alexand lib. 3. cap. 24. Athenienſibus, vt Ianuarius, & prima vltimáque dies cuiuſque menſis, DEMETRII *nomine appellaretur, aliquando lege cautum fuiſſe, quum Demetrio Poliorceti, à quo liberati fuerant à iugo Macedonum, plus nimio indulgerent & famularentur.*

Αὐδναῖος.

Macedones Αὐδναῖον *vocant. Sic enim Suidas:* Αὐδναῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Ιανουάριος: *dicitur iiſdem* Νυχιών.

Τυβί.

Ægyptij Τυβὶ *appellant, iuxta Theonem. Author Epigrammatis quod habetur in fine lib. 1. Epigrammat. Græcorum, vtcunque conferens menſes Ægyptiorum cum Romanis, de hoc ita ſcribit:* Pandit Tybi togas, & tinctas murice veſtes *Conſentit cum his Epiphanius, qui contra hæreſin à* ***** *& Alogorum, de Chriſti natali ſic ſcribit:* Nato Chriſto ſecundum Ianuarium menſem, hoc eſt, ante 8. Idus Ianuar. quæ eſt quinta Ianuarij menſis ſecundùm Romanos: ſecundùm Ægyptios, Τυβὶ vndecima. Iuxta Syrios ſiue Græcos Αὐδναίου ſexta. Iuxta Cyprios ſiue Salaminios, quinti menſis quinta die. Iuxta Paphios, Iulij 14. Iuxta Arabes Αλέων 21. Iuxta Cappadoces Ατάρτα 13. Iuxta Hebræos, Tebeth 13. Iuxta Athenienſes Μαιμακτηριῶνος ſexta. *In eo ſolùm errare videtur,*

tur, quòd Mamaſtiriona Ianuario confert, vt ſuo loco dicetur.

Iones Ληναιῶνα *dixere hunc menſem. Meminit eius Heſiodus lib. 2. de operibus & diebus: vbi ſimul ea de hoc menſe refert, quæ Decembri, & Ianuario in primis competere videntur: ſic enim canit:*

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα, κακ' ἤματα, βουδόρα πάντα,
Τοῦτον ἀλεύασθαι, καὶ πηγάδας αἵ τ' ἐπὶ γαῖαν
Πνεύσαντος βορέαο δυσηλεγέες τελέθουσι,
Ὅς τε διὰ θρήκης ἱπποτρόφου εὐρέϊ πόντῳ
Ἐμπνεύσας ὤρινε, μέμυκε δὲ γαῖα καὶ ὕλη.
Πολλὰς δὲ δρῦς ὑψικόμους, ἐλάτας τε παχείας,
Οὔρεος ἐν βήσσῃς πιλνᾷ, χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἐμπίπτων, καὶ πᾶσα βοᾷ τότε νήριτος ὕλη.
Θῆρες δὲ φρίσσουσ' οὐρὰς δ' ὑπὸ μέζε' ἔθεντο.
Τῶν καὶ λάχνη δέρμα κατάσκιον, ἀλλά νυ καὶ τῶν
Ψυχρὸς ἐὼν διάησι δασυστέρνων περ ἐόντων.
Καί τε διὰ ῥινοῦ βοὸς ἔρχεται. οὐδέ μιν ἴσχει
Καί τε δι' αἶγα ἄησι τανύτριχα, πώεα δ' οὔ τι
Οὕνεκ' ἐπηεταναὶ τρίχες αὐτῶν, οὐ διάησιν
Ἲς ἀνέμου βορέου: τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι.

Id eſt:

Menſem verò Lenæona, malos dies, bobus nocentes omnes,
Hunc vitate: & glacies, quæ quidem ſuper terram
Flante Borea moleſtæ exiſtunt,
Qui per Thraciam equorum altricem lato mari
Inſpirans concutit, remugit autem terra & ſylua.
Multas verò quercus alticomas, abieteſque denſas,
Montis in vallibus deiicit, terræ multos paſcenti
Incumbens, & omnis reboat tunc ingens ſylua.
Feræ autem horrent, caudaſque ſub pudenda ponunt:
Eæ etiam, quarum vellere cutis denſa eſt, & quas
Frigidus exiſtens perflat, hirſuta licet pectora habentes.
Quin etiam per bouis pellem penetrat, neque ipſum cohibet, &c.

Item: ——Μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος
Χειμέριος, χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις.

——Menſis enim difficillimus hic
Hybernus, difficilis ouibus, difficiliſque hominibus.

Ληναιῶν *Hinc Moſcopulus & Ioannes Grammaticus* Ληναιῶνα *Ianuarium exponunt. Proclus in hunc ipſum Heſiodi locum annotat, à Bœotiis* Ληναιῶνα *vocari, cum Sol in Capricornum ingreditur, & teſtem adducit Plutarchum. Putat etiam Poëtam eo loco* βουδόρα *intelligere, quòd* βουδόρα *ipſe vocat, propterea quòd plures boues eo menſe interearent: vel* τὸ ἑρμαῖον, *ait, innuit,* ὅς ἐστι μετὰ τὸν βουδόρα, καὶ εἰς ταυτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι. *Rationem autem, ob quam menſis hic ſic dicatur, talem iidem reddunt; quod Baccho ſeu Dionyſio Lenæo, à torcularibus ſic dicto Feſtiuitas hoc menſe ageretur, quæ* Λήναιοι *nominabatur: vel* Λαμβρόσια, *iuxta Moſcopulum, qui ita ſcribit:* Ληναιὼν ἐστὶν ὁ Ιανουάριος. ἐκλήθη δὲ οὕτως, ἐπειδὴ τῷ Διονύσῳ τῷ τῶν Ληνῶν ἐπιστάτῃ ἐτέλουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ, ἣν Λαμβρόσιαν ἐκάλουν. *Ioannes autem Grammaticus inquit,* Ιανουάριος Ληναιὼν παρὰ Ἴωσι καλεῖται, ὅτι τὰ Πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο. Ἢ ὅτι τῷ Διονύσῳ ἑορτὴν τὴν λεγομένην Λαμβροσίαν ἐτέλουν: ἣ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται Βρουμάλια; Βρόμιος γὰρ ὁ αὐτὸς ὁ Διόνυσος.

Ex conſtitutione Numæ 29. dies habuit apud Romanos Ianuarius, ex ordinatione verò C. Iulij Cæſaris 31. habet.

FEBRVARIVS.

F*Ebruarius, de quo in Ianuario quædam diximus, dictus eſt, quòd in eo populus per duodecim continuos dies februaretur, id eſt, purgaretur.* Februarius unde dictus. *Quæcúnque enim purgamenti cauſa in Sacrificiis adhibebantur, Romani* Februa *appellârunt. & quod purgatum fuerat,* februatum: *deducto à Sabinis vocabulo, qui Varrone teſte, purgamentum februum dicunt. Sed & de Februis, & de etymologia Februarii menſis Ouidius lib. 2. Faſt. ita canit.* Februa.

Februa Romani dixere piamina Patres:
Nunc quóque dant verbo plurima ſigna fidem.
Pontifices à Rege petunt & flamine lanas,
Queis veteri in lingua Februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina certis.
Torrida cum mica farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo, qui cæſus ab arbore puta,
Caſta Sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego flaminicam poſcentem februa vidi,
Februa poſcenti pinea virga data eſt.
Deníque quodcúnque eſt, quo corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat auos.
Menſis ab his dictus Sancta, quia pelle Luperci.

Omne

Omne ſolum luſtrant, idque piamen habent.
Aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulchris.
Tunc cum ferales præteriere dies.

Hinc & Iuba Mauruſius hunc menſem Februarium vocari aſſeruit, ob timorum abſolutionem à ſubterraneis timoribus. Sic enim Athenæus lib. 3. ſcribit; τὸν μῆνα φεβρουάριον κληθῆναί φησιν, ὁ Μαυρούσιος Ἰόβας, ἀπὸ τῶν καταχθονίων φόβων κατ' ἀναίρεσιν τῶν δειμάτων.

Iuno Februata

Potuit & Iuno Febtuata *namen Februario dare, quam &* Februalem, *&* Februllam *vocabant, teſte Feſto. Ei enim hoc menſe rem diuinam faciebant: eiusq́ feriæ erant Lupercalia, quibus mulieres febrnabantur à Lupercis, amiculo Iunonis, hoc eſt pelle caprinâ.*

Februario menſi cur 28. dies aſſignati.

In vltima Numa menſium ordinatione Februario 28. dies aſſignati ſunt. Macrobius hoc propterea ab eo factum putat, quòd cùm in honorem imparis numeri, tam in anno, quàm in menſibus ſingulis imparem numerum eſſe voluerit, huic tamen menſi parem dierum numerum tribuerit, vt vniuerſa putatio totius anni impar fieret, quod alioquin factum non fuiſſet, ſi etiam huic menſi imparem dierum numerum aſsignâſſet. Vel etiam propterea, quòd Deo infero, cui hic menſis Sacer erat, diminutio & par numerus conueniret. Hinc Iulius Cæſar etiam cùm annum aliter conſtitueret, & aliquod diebus adiectis augeret, nullum huic menſi diem addidit, ne Deo infero Religio mutaretur.

Sebat

Hebrais hic menſis dicitur שבט Sebat: *cujus 1. Machab. cap. 16. & vltimo, itemq́ Zachar. 1. ſit mentio.*

Ἐλαφηβολιών.

Quòd autem Ἐλαφηβολιὼν *apud Athenienſes ſequatur* Γαμηλιῶνα, *ſitq́ adeò vltimus menſium hybernorum, ex Thucydide colligitur, qui lib. 5. hiſt. indicat, Pacem inter Athenienſes & Lacedamonios in annos 50. initam,* Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος, τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος, ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ, *hoc eſt,* ſexto die Elaphebolionis deſinentis: ſub hyemis finem & vere ineunte. *Dicitur ſic,* ἀπὸ τῶν ἐλάφων, *hoc eſt,* à ceruis, *non, vt volunt quidam, quòd eis hoc menſe cornua decidant, ſed, vt Plutarchus docet in libello de Mulierum virtutibus,* ἀπὸ τῆς ἐλαφηβολίας *id eſt, à figendis ceruis, qui in Feſto, quod hoc menſe celebrabatur Dianæ* ἐλαφηβόλῳ, *immolabantur.*

Περίτιος.

Macedones eundem Περίτιον *appellàrunt, juxta Suidam & Ioſephum.*

Γεραίστιος.

Lacedamonii Γεραίστιον, *vel* Γεράστιον *teſtimonio Thucydidis lib. 4. vbi ſcribit,* diem Induciarum inter Lacedæmonios & Athenienſes initatum eundem eſſe Athenienſibus decimum quartum Ἐλαφηβολιῶνος, cum duodecimo Γεραστίου apud Lacedæmonios.

Ægyptii Μεχείρ. *De quo ſic in Epigrammate;* Signa Mecheir præbet naues committere ponto. *Cyprii* ζωμαῖον. *Troezenii* Γεραιστιῶνα.

Μεχείρ.

Germani Hornung: *à mutatione cornuum.*

Hornung.

MARTIVS.

Romulus cur annum ab æquinoctio verno inchoarit.

R*Omulus diebus circiter 20. ante Æquinoctium vernum annum ſuum inchoauit, non quidem, ſicut mihi videtur, vt Hebræos, qui inde quoque annum ſuum auſpicantur, imitandos arbitraretur, vt quibuſdam placet, ſed quia ab eo tempore omnia nouam quaſi faciem induunt & quodammodo reuiuiſcunt, inde ſe quóque commodè anni principium facere poſſe exiſtimauit. Vnde Ouidius ſic cecinit.*

Omuia cùm vircnt, tunc eſt noua temporis ætas.
Sic annus per ver incipiendus erat.

Martius olim primus menſis

Primum autem anni menſem Marti dicauit, quem pro Genitore ſeu Parente habuit. Hinc Ouidius lib. 3. Faſt.

A te principiũ Romano ducimus anno,
Primus de Patrio nomine menſis erit.
Vox rata ſit, Patrioq́; vocat de nomine menſem
Dicitur hæc pietas grata fuiſſe Deo.

Adhac nomina menſium Quintilis, Sextilis, Septembris, & ſic vſque ad Decembrem, qui eſt decimus & vltimus à Martio, ſignificant Martium fuiſſe primum.

Martio M. olim diuerſimodè vſi ſũt.

Vſi quidem ſunt ante Romulum quóque in Latio hoc menſis nomine, verùm non pro primo, ſed vel pro tertio, vt Albani, Aricini & Tuſculani: vel quarto, vt Forenſes: vel quinto, vt Phaliſci & Laurentes: vel pro ſexto, vt Hernici: vel decimo, vt Equiculi. Sic enim Ouidius lib. 3. Faſt.

Quod ſi fortè vacas, peregrinos inſpice faſtos:
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliſcis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanaq́; tempora conſtat,
Factaq́; Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Equiculus acer.
A tribus hunc primum turba Forenſis habet.

Proinde non vſquequáque verum eſt, quod Feſtus Pompeius ſcribit, Martium menſem initium anni fuiſſe & in Latio, & poſt Romam conditam.

Adar.

Reſpondet autem, non quidem præcisè, ſed magna ex parte tamen, Martio, Hebræorum vltimus menſis אדר Adar: *cuius eſt frequentiſſima in Sacris literis mentio.*

Athe-

Μουνιχιών. Athenienſibus dicitur Μουνιχιών, à Sacris quæ in eo fiebant Dianæ quæ dicebatur Munichia, à portu Athenienſium munitiſſimo, in quo fanum Dea habebat. Fuiſſe autem hunc menſem decimum Atticorum, Harpocration, & ex eo Suidas referunt. Martio verò congruere ex Theophraſt. libro ſeptimo, capite primo, haud obſcurè intelligitur: quia dicit, principium tertij ſatûs ab Æquinoctio verno, Munichione contingere. Ariſtoteles etiam libro quinto, capite vndecimo, hiſtor. animal. ſcribit, piſces circa æquinoctium parere, ac plurima parte tribus his menſibus, Munichione, Thargelione & Scirophorione, hoc eſt, Martio, Aprili & Maio, vt Interpres reddidit. Ex Æſchinis quòque Oratione de Falſa legatione, liquet, Elaphibolioni ſuccedere in menſium ordine Munichionem.

Ανθεστηριών. vernus menſis. Eundem menſem Attici Ανθεστηριῶνα dixiſſe videntur. Philoſtratus enim vernum eſſe menſem, & denominatum ita ſcribit περὶ τῶν ἀνθῶν, hoc eſt, à floribus, quibus Athenienſes pueros trimos coronârint menſe Antheſterione. Cui aſtipulatur etiam Iſter apud Harpocrat. qui hunc menſem ſic vocatum tradit, διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ γῆς ἀνθεῖν τότε. Demoſthenes quoque in Oratione περὶ στεφάνου, iubens recitare legem, editam ſub Sacerdote Clinagora ἐαρινῆς πυλαίας, hoc eſt, vernali concilio, mox iubet legere tempora, vt quo hæc ſit lex edita menſe intelligatur: & verba hæc ſunt recitata, Ἄρχων Μνησιθείδης, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτη ἐπὶ δέκα, &c. Omnium autem manifeſtiſſimè ſuffragatur noſtræ ſententiæ Plutarchus, qui de Sylla in vita eius ſic ſcribit: ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτὸς φησιν ἐν ὑπομνήμασι, Μαρτίαις καλάνδαις, ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός: id eſt, Captas à ſe Athenas ipſemet (Sylla) in Commentariis ait Calendis Martiis, qui dies ferè in nouilunium Antheſterionis menſis incidit. Idem author Sympoſ. 8. hæc habet: Vinum (inquit) qui bibunt citiſſimè, Antheſterione hoc faciunt menſe, QVI HYEMEM SVBSEQVITVR. Reſpicit autem ad id, quod in χόων Feſto mox dicturi ſumus. Rurſus tamen in fine Arati quaſi ſui oblitus, ait: ἡμέρᾳ πέμπτῃ Δαισίου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἀνθεστηριῶνα: quibus vtique Antheſterionem non Martio, ſed Iunio confert, Sicut etiam Suidas fortè à Plutarcho ſeductus: niſi pro Δαισίου legendum ſit Δύστρου. Apianus etiam libro ſecundo, de Bello Ciuili indicat τελευτῆσαι τὸν Καίσαρα ἐν ἡμέρᾳ: ἃς καλοῦσιν εἰδοὺς Μαρτίας, Ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. Cúmque Thucydides quòque libro ſecundo, teſtetur, Dionyſia antiquiora, quæ Plutarchus in Demetrio Myſteria minora vocat, celebrata Athenis die decimo Antheſterionis: idémque rurſus libro quinto, referat, Dionyſia eadem ſub finem hyemis, & initium veris habita, fit, vt ob hæc teſtimonia euidentiſſima eorum ſententiæ ſubſcribendum arbitrer, qui Ανθεστηριῶνα pertinere ad vernales menſes, & quidem Martio reſpondere exiſtimant. Nam Plutarchus in libro de Oſiride, Veris initium eſſe dicit in nouilunio menſis Phamenoth, quem omnes cum Martio conferunt. Quibus hæc ratio quòque addenda videtur. Quòd Pithœgia menſe Antheſterione poſt flatum Fauonij celebrata ſunt, vt ex Plutarcho ſuo loco referemus, eſt autem Fauonius non hybernus, ſed vernalis ventus, à fouendo Latinis dictus, quòd cuncta foueat: Græcis autem Ζέφυρος, quaſi ζωὴν φέρων, hoc eſt vitam afferens, vtpote quo plantæ, hyberno frigore enectæ, reuiuiſcant. Non multùm à nobis diſſentit Macrobius, qui lib. 1. Saturnal. cap. 12. quum dixiſſet, Aprilem dici quaſi Aperilem, ſubiungit: Sicut apud Athenienſes idem menſis Ανθεστηριών vocatur, ab eo quòd hoc temporè cuncta floreſcant. Hunc ſequutus Ioannes Baptiſta Pius cap. 65. Annotationem poſteriorem aſſerit, Θαργηλιῶνα à quibuſdam Græcorum Ανθεστηριῶνα etiam, à copia florum, qui eo menſe proueniunt, dictum eſſe: vendicat enim Antheſterion ſibi ex Aprili noſtro dies aliquot.

Ptolemæus lib. 7. pag. 159. Antheſterionem Ianuario opponit: quod & Harpocration ac Suidas faciunt, dicentes eum eſſe octauum menſium Atticorum.

Hunc ipſum Antheſterionem Plutarchus Προστατήριον, id eſt, vntiatorem & auſpicem nominatum dicit, quòd relinere vini dolia, muſtúmque delibare hoc menſe conſueuerint.

Suidas inquit: Δύστρος ὁ Μάρτιος μὴν παρὰ Μακεδόσι. Ioſephus quoque libro quarto, Antiquit. capite ſexto, itémque libro vndecimo, capite quarto Dyſtrum dicit Macedonibus eundem eſſe menſem, qui Iudæis Adar. Δύστρος.

Ægyptij Φαμενώθ vocant. Sic enim Euſebius lib. 7. cap. vltimo, ex ſententia Anatholy Laodiceni ait, vigeſimam ſecundam diem Diſtri menſis, ſecundum Macedones, eſſe 26. diem menſis Phamenoth ſecundum Ægyptios, & 11. Calend. April. ſecundum Romanos. De Φαμενώθ in Epigram. ſic habetur: Armigeri iactat Phamenoth inſignia Martis. Φαμενώθ.

Porphyrius Cyprios hunc menſem Ἀφροδίσιον appellâſſe refert, quaſi Venereum: quòd omne genus animalium, vt ego quidem ſuſpicor, hoc Αφροδίσιος.

menſe magis quàm aliis ad Venerem ſit proclinae. Vnde & Iſidorus Hiſpalenſis lib.5.Originum, cap.33. & Honorius Auguſtodunenſis, apud Romanos Martia nomen datum volunt, quod eo tempore cuncta animantia ad marem agantur, & concumbendi voluptatem.

Confirmantur hæc omnia Anatolii verbis in lib. de Paſchate, vbi ſic ſcribit: Eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quod eſt 19. annorum circuli principium, ſecundùm Ægyptios quidem menſis Φαμενώθ 26. die: ſecundùm Macedones Δύςρυ menſis 22. ſecundum Romanos verò 11. Calen. April. *Ex quibus ſimul liquet, Martij & Dyſtri menſium idem principium eſſe: & ab eis Phamenoth 4. diebus tantùm diſcrepare.*

APRILIS.

Aprilis unde dictus.

R*Omulus ſecundum in anno ſuo menſem, qui nobis eſt quartus, nominauit* Aprilem, *vt quidam putant, cum aſpiratione, quaſi* Aphrilem, *à ſpuma, quam Græci vocant ἀφρὸν, vnde orta Venus creditur. Hinc, vt Varro refert, Fulnius & Iunius Gracchus à Venere hunc menſem nominatum volunt. Et hanc Romuli aſſerunt fuiſſe rationem, Macrobio teſte lib.1. Saturn. vt primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Ænea matre Venere nominaret, quod hi potiſſimùm anni principia ſeruarent, à quibus eſſet Romani nominis origo. Sic enim de Romulo Ouid lib. 4. Faſt.*

Vtque fero Matri primam dedit ordine ſortem,
Quòd ſibi naſcenti proxima cauſa fuit.
Sic Venerem gradibus multis in gente receptam,
Alterius voluit menſis habere locum.

Alii putant Romulum vel altiore prudentiâ, vel certi Numinis prouidentiâ, ita primos ordinâſſe menſes, vt cum præcedens Marti eſſet dicatus, Deo plerúmque hominum necatori, ſecundus Veneri dicaretur, quæ vim eius, quaſi benefica leniret. Cingius autem, authore Macrobio in Saturn. in eo libro quem de Faſtis reliquit, ait, imperitè quoſdam opinari Aprilem menſem antiquos à Venere dixiſſe: cùm nullus dies Feſtus, nullúmque ſacrificium inſigne Veneri per hunc menſem à majoribus inſtitutum ſit. *Poſterioribus enim temporibus demùm conſtitutum, vt hoc menſe matronæ Sacrum facerent, Verrio Flacco apud Macrobium teſte. Sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt cæterorum cæleſtium, laus celebratur. Cingio etiam Varro conſentit, affirmans libro ſecundo, de Latina lingua, nomen Veneris in antiquis literis ſe nuſquam inueniſſe: imò ne ſub Regibus quidem apud Romanos, vel Latinum vel Græcum fuiſſe: & propterea non potuiſſe menſem à Venere nominari. Cùm igitur ferè ante æquinoctium vernum triſte ſit cælum & nubibus obductum, ſed & mare nauigantibus clauſum, terra etiam ipſa aut niuibus, aut pruinâ contegantur, eáque omnia circa hunc menſem aperiantur: arbores quoque, nec minus cætera quæ continet terra aperire ſe in germen incipiant: propterea ipſe putat menſem Aprilem dici, quaſi Aperilem, Hanc autem ſententiam vellicat Ouidius lib.4. Faſt. dicens:*

Quò non liuor adit? ſunt qui tibi menſis honorem
Eripuiſſe velint, invideántque Venus.
Nam, quia Ver aperit tunc omnia, denſáque cedit
Frigoris aſperitas, fœtáque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vendicat almâ manu.

Neroneus mensis

Hic poſtea à Romanis aliquandiu Neroneus *dictus eſt à Nerone Imperatore.*

Nisan.

Hebræi hunc menſem, aut ſaltem magnam eius partem ante Babylonicam captiuitatem Abib, poſt eam verò, ad Chaldæorum imitationem, Niſan *appellârunt, qui ipſis in anno fuit primus, quemque à nouilunio æquinoctii Vernalis inchoârunt.*

Xanthic.

Eundem etiam & primum eſſe anni Hebraici menſem, & à Macedonibus Ξανθικὸν *appellari, Ioſephus Antiquit. lib.1. cap.2. his verbis teſtatur:* Moſes Niſan menſem, qui eſt Xanthicus, primum in Feſtiuitatibus definiuit, in quo ex Ægypto Hebræos eduxit. *Lib.2. cap.13. inquit:* Deus iuſſit Moſem præcipere populo, vt eſſent inſtructi decimâ die Xanthici menſis ad quartam decimam, qui menſis apud Ægyptios quidem Pharmuti apud Hebræos autem Niſan vocatur. Macedones verò Xanthicum eum appellant, *&c. Et rurſus lib.3. cap.12. ſic ſcribit:* Inchoante anno ſecundo, menſe Xanticho ſecundùm Macedones, Niſan verò ſecundùm Hebræos, *&c. Eiuſdem libri cap.13. ait:* Menſe Xanthico, qui apud nos Niſan appellatur, id eſt, anni principium, quartâ decimâ lunâ, Sole oppoſito in ariete, quo menſe liberati ſumus à ſeruitute Ægyptiorum, ſacrificium quod tunc egredientes ex Ægypto fecerunt, immolare nos annis ſingulis (quod Paſcha dicitur) celebraréque ſanciuit. *Vide etiam lib.11. cap.4. Suidas quoque & Euagrius hiſtoria Eccleſiaſt. lib.4. cap.2.* Ξανθικὸν *Aprilem interpretantur.*

Θαργηλιών.

Huic menſi reſpondere Athenienſium Θαργηλιῶνα, *ex iis patet, quæ ante in Munychione ex*

Θαργηλιών. *Huic menſi reſpondere Athenienſium* Θαργηλιῶνα, *ex iis patet quæ ante in Munychione ex Ariſtotelis libro 5. hiſtor. capite* 11. *retulimus. Confirmant ea, quòd lib.6.cap.21. bobus initium coitûs eſſe ſcribit Thargelione & Scirrophorione vt plurimùm. Libro etiam 9. ait, Ceruis cornua decidere menſe Thargelione: quod ſecundo Veris accidere videmus. In hac etiam ſententia fuiſſe Theophraſtum volunt, qui in Hiſt. Plant. libro quarto, capite* 18. *ita ſcribit:* περὶ γὰρ τὴν βλάστησιν ἐλάτης καὶ πεύκης, ὅτε καὶ λεπῶσι, τοῦ Θαργηλιῶνος, ἢ Σκιρροφοριῶνος, αὐτὸ περιέλῃ, παραχρῆμα ἀπόλλυται: *quæ verba Plinius libro decimo ſeptimo, capite vigeſimo quarto, ſic reddidit:* Abieti & pino ſi quis detraxerit, Sole Taurum vel Geminos tranſeunte, quum germinant (Thargelione vel Scirophorione menſibus) ſtatim moriuntur. *Ejus igitur authoritate* Θαργηλιῶνα *Aprili,* Σκιρροφοριῶνα *autem Maio opponere poſſumus: Aprili enim menſe Sol Taurum tranſit, Maio verò Geminos. Sed & Dionyſii Halicarnaſſæi authoritate hæc ſententia comprobari poteſt: is enim ſic* Locus Dionyſ. Halicarnaſſæi, & eius explicatio. *ſcripſit Rom. Antiquit. libro primo,* Ἴλιον μὲν γὰρ ἥλω τελευτῶντος ἤδη τοῦ θέρους, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι. Περιττεύουσαι δ' ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληρώσουσαι μετὰ τὴν τροπὴν εἴκοσι ἡμέραι: *hoc eſt,* Ilium enim captum eſt vergente jam meſſe, ſeptendecim diebus ante Solſtitium, octavá deficientis Thargelionis, juxta ſupputationem temporum Atticam. Supererant ex eo anno poſt Solſtitium dies viginti. *Lalamantius, vir doctus, putat hoc loco pro* Θαργηλιῶνος *legendum* Σκιρροφοριῶνος. *Nam quum Sirophorion inter Thargelionem & Hecatombæonem medius intercedat, Hecatombæone autem ferè ſemper Solſtitium contingat, Troiam Thargelione capi non potuiſſe ſeptendecim diebus ante Solſtitium: putat igitur Scirophorioni hoc adſcribendum. Sed ſi verba Dionyſii penitùs inſpiciantur, haud obſcurè innuit, Solſtitium eo anno, quo capta eſt Troia, non [vt ſolebat aliâs] in Calendas Hecatombæonis, verùm in decimum diem præcedentis menſis Scirophorionis incidiſſe. Nam ait, die* 23. *menſis Thargelionis captam fuiſſe Troiam, diebus* 17. *ante Solſtitium. Adde diebus* 23. *dies ſeptem de* 17. *habebis integrum Thargeliona menſem. Dies verò* 10. *qui reſtant tribue ſequenti menſi Scirophorioni, cujus decimâ die Solſtitium accidit: his adde dies* 20. *quos ſuperfuiſſe ex eo anno poſt Solſtitium dicit, habebis integrum Scirophoriona: poſt quem Hecatombæon & initium anni commodè ſequitur. Alioquin Solſtitium in diem* 10. *Hecatombæonis incideret. Nec mirum videri debet, ſi dicamus, Athenienſes à Solſtitio æſtiuo annum ſuum inchoâſſe, cum interim Solſtitium* 20. *dies præcedentis anni menſi vltimo tribuamus. Nam idem etiam fit in Romano anno hodie, & nihilominus dicimus, Romanorum annum auſpicari à Solſtitio hyberno. Etymologicus vocat* Θαργηλιῶνα *vndecimum menſem: quo etiam confirmatur conjectura eorum, qui cum Latinorum Aprili reſpondere dicunt. Nam primus apud Athenienſes menſis erat* Ἑκατομβαιών*, Latinorum Iunio reſpondens, inter quem & Aprilem interjectus eſt Maius,* τῷ Σκιρροφοριῶνι *reſpondens. Ratio autem, quâ Cælius Rhodig. lib.17. cap.30. adducitur, vt vix credat* Θαργηλιῶνα *Aprili noſtro reſpondere, hæc eſt, quòd* Θαργηλιῶνα *Apolloni & Dianæ Sacrum eſſe,* Θαργήλια *Feſtum, in eo celebrari ſolitum, comprobet: quum fortaſſe Aprilis Latinorum in tutela Veneris cenſeatur. Sed Aprilem Veneri non Sacrum eſſe, ex iis quæ ab initio de etymologia ejus diximus, intelligi poſſe arbitror. Volunt autem* τὸν Θαργηλιῶνα *denominatum* παρὰ τὸ θέρειν τὴν γῆν, *quod tunc incaleſcat geniali calore tellus: quin &* τὸ θερμὸν *nominatum eſſe* θάργηλον. *Alii ſic dictum volunt* παρὰ τὰ Θαργήλια, *hoc eſt, à feſto & ſacro in honorem Apollinis & Dianæ Athenis hoc menſe celebrato, quòd in eo primitiæ earum frugum, quas calor ſolis* θέρων καὶ θάλπων *τὴν γῆν produxerat, Diis offerrentur.*

Macrobius lib. 1. cap. 12. hunc Aprilem vocat etiam Ἀνθεστηριῶνα: *de quo plura in Martio diximus.*

Κάρνειος menſis. *Thucydides lib.5. meminit menſis* Καρνείου*, & Plutarchus in Nicia, vbi eum dicit ab Athenienſibus vocari* Μεταγειτνιῶνα, *ſed videtur eſſe* Θαργηλιών, *in quo* Κάρνεια *celebrata ſunt.*

Ἀπογονικός. Βύσιος. *Non diſſimili à priori ratione Cyprii eum* Ἀπογονικὸν*, à gignendo nominârunt, ſicuti* Βύσιον *quaſi* φύσιον *Delphi:* παρὰ τὸ φύειν, *quòd tunc ſemina producat ſibi credita terra: Plutarchus tamen ſic nominatum putat à* πύσιον*, à conſulenda oraculi voce, quòd hoc menſe reſponſa daret olim Appollo. Reſpondere autem* Βύσιον *Aprili inde liquet, quòd Plutarchus in enumeratione capitum Græcorum indicat, ſeptimo eius menſis Apollinem natum. Laertius autem in Platonis vita ait:* Naſcitur Plato, vt teſtis eſt in Chronicis Apollodorus, 88. Olympiade, 7. Thargelionis, quâ etiam die natum Apollinem Delii putant. *Idem ex Plutarchi alio quoque loco intelligitur.*

Φαρμουθί. *Ægyptii vocârunt* Φαρμουθί, *vt ex Ioſephi Antiq. lib. 2. cap. 13. antè indicauimus. De eo in Epigrammate ſic legitur:* Aſt vernæ Pharmuti toſæ præenuncius extat. *Aſtipulatur etiam Plutarchus, qui in Romulo ſcribit,* Tarutium, quem alii Carrutium nominant, Mathematicum, pronunciaviſſe, Romam Romulo conditam die nona menſis Pharmuti inter 2. & 3. horam. *Sempronius etiam de Diuiſione Italiæ,*

dicit, Romam conditam 11. *Calend. Maias, hoc eſt: die* 21. *Aprilis, inter* 2. *&* 3. *horam.*

Hinc liquet Plutarchi interpretem Θαργηλιῶνα *malè per Februarium reddidiſſe in Camillo: & Eraſmus per Maium in Prouerbio,* In Apaturia ingreſſus, rediit Thargiliona.

Eoſter. *Angli Aprilem vocant* Eoſter monath, *fortaſſe à Paſchate, quod nos Germani* Oſteren *vocamus, corruptâ dictione ex* Vrſtende: *hoc eſt, Reſurrectione Domini, cuius memoria Aprili menſe plerúnque celebratur. Geſſnerus tamen in Mithridate ex Seb. Munſtero refert, hanc gentem Aprilem ſic denominâſſe à Dea quadam, cui Teutonici populi in paganiſmo ſacrificârint menſe Aprili, qua* Eoſtre *ſit appellata.*

MAIVS.

Maius M. vnde dictus. *Maium menſem Romulus tertium, Numa quintum (vt quibuſdam placet) poſuit: de cuius nomine inter authores non conuenit. Hinc & Ouidius ſic cecinit:*

Quæritis vnde putem Maio data nomina menſi:
Non ſatis eſt liquidò cognita cauſa mihi.

1. *Nam vt refert Vrania apud eundem Poëtam lib.* 5. *Faſt. & Fuluius Nobilior apud Macrobium lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12. Romulus, poſtquam populum in maiores iunioréſque diuiſit, vt altera pars conſilio, altera armis Rempub. tueretur, in honorem vtriúſque partis, hunc Maium, ſequentem Iunium vocauit: *Sic enim illa:*

Hinc ſua maiores tribuere vocabula Maio,
Iunius à iuuenum nomine dictus adeſt.

2. *Sunt qui hunc menſem à Thuſculanis in Romuli annum tranſiſſe exiſtiment, apud quos vocabatur Deus Maius, qui eſt Iupiter, à magnitudine ſcilicet & maieſtate ſic dictus: ſicuti indicat Po-*
3. *lyhymnia apud Ouidium. Cingius apud Macrobium menſem hunc nominatum putat à Maia, quam Vulcani dixit vxorem, argumentóque vtitur, quòd flamen Vulcanalis Calendis Maiis huic Dea rem Diuinam facit. Sed Piſo vxorem Vulcani dixit Maieſtam non Maiam vocari. Vo-*
4.
5. *lunt alij Maiam Mercurij matrem huic menſi nomen dediſſe: & propterea hoc menſe Mercatores omnes Maia pariter Mercurióque ſacrificare. Quam opinionem etiam attingit Ouidius lib.* 5. *Faſt.*

Aut tu Materno donaſti nomine menſem
Inuentor curuæ furibus aptè fidis.

6. *Affirmant quidam, quibus etiam Cornelius Labeo conſentit hanc Maiam, cui menſe Maio res Diuina celebrata ſit, terram eſſe, hócque nomen adeptam à magnitudine, vnde & mater magna in Sacris vocata fuerit.*

Pro hoc verò nomine hic menſis Claudij Imp. nomen poſtea occupauit aliquandiu.

Hebrais hic menſis dicitur Ziph, *vel* Iiar, *& eſt ſecundus in anno Hebræorum, vt eſt videre* 3. *Reg. cap.* 6. *& Ioſeph. lib.* 8. *Antiquit. cap.* 2. Ziph & Iiar.

Ex Æſchinis etiam Orat. aduerſus Cteſiphon. apparet, apud Athenienſes hunc menſem dictum fuiſſe Σκιῤῥοφοριῶνα, *ſeu* Σκιῤῥοφοριῶνα, *vt qui proximè ſequutus ſit apud eos Thargelionem, quem Aprili noſtro reſpondere modò probauimus. Dicit enim,* decretum eſſe die penultimo Thargelionis, vt comitia haberentur ineuntis Scirophorionis ſecundo vel tertio die. *Ex Theophraſto quóque intelligi poteſt, Scirophorionem ſolſtitio æſtiuo proximum fuiſſe: ait enim lib.* 4. *cap.* 12. Cædunt nunc calamum tibialem Scirophorione & Hæcatombæone, quaſi paulò ante ſolſtitium vel ſub ipſo. *Maio autem reſpondere, ex Plinij interpretatione loci ex Theophraſto in Thargelione citati, indicauimus. Idem tamen, quaſi ſui oblitus, hac Ariſtotelis,* Τίκτουσι δ' οἱ πλεῖστοι τῶν ἰχθύων ἐν τρισὶ μησὶ Μουνυχιῶνι, Θαργηλιῶνι, Σκιῤῥοφοριῶνι, *ſic reddit,* Pariunt plurimi piſcium tribus his menſibus, Aprili, Maio & Iunio: *quum iuxta priorem interpretationem, debuiſſet dicere, Martio, Aprili, & Maio. Malè quóque Cælius Rhod. lib.* 14. *Lect. Antiq. cap.* 13. *Scirophoriona Martium reddidit, niſi ſit erratum typographicum. Fuit autem duodecimus & vltimus anni Attici menſis: ſic enim Suidas ait,* Σκιῤῥοφοριὼν μὴν Ἀθηναίων δωδέκατος. *Sic dictus ſeu* ἀπὸ τοῦ σκίρου *ſeu* σκίῤῥου, *vtróque enim modo ſcriptum reperitur, hoc eſt, ab vmbella, ſeu vmbraculo, quod ex Arce Athenis Solenni pompa deferebatur, eóque ſignum ædificandi dabatur, in Feſto Athenis in honorem Mineruæ celebrato, quod ſicut etiam menſis in quo agitur, nomen inde acceperunt. Sunt tamen, qui ſic appellatum hunc menſem volunt,* παρὰ τὸ φέρειν σκῖρον ἐν αὐτῷ τὴν Θεσέα, *id eſt,* γύψον: *nam Theſeum proficiſcentem aduerſus Minotaurum, Mineruam è gypſo fictam ſecum detuliſſe: & quia id eo menſe fecerit, menſem inde nomen id obtinuiſſe dicunt.*

Ioſephus lib. 8. *cap.* 2. *hunc à Macedonibus* Ἀρτεμίσιον *appellatum teſtatur, ſicut & Suidas, & Epiphanius. Galenus autem initio Comment. in* 1. *Epide. Artemiſium eiúſque principium ad Æquinoctium vernum reiicit. Euagrius verò cum prioribus conſentit lib.* 4. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 5. *inquiens:* Anno imperij Iuſtini ſeptimo, menſe decimo, qui tum Artemiſius, Maius videlicet, erat, die 29. menſis in ipſo puncto meridiei, die ſextâ hebdomadæ, concuſſio & terræmotus occupatam ciuitatem propè vniuerſam ſubuerterunt, &c. Ἀρτεμίσιος.

Λωιός.

Cyprij, Λωιὸν *nominabant.Ægyptii* Παχὼν*: de quo ſic Epigrammate:* Flaua Pachon curuæ ſeruat cerealia falci.

Germani Latinum nomen retinentes Maium vocant Mey.

Angli verò appellant Thrimelci,*id eſt,tres mulctras,quòd eo menſe ter die mulgerent.*

IVNIVS.

Iunius M unde dictus.

HIc *quóque menſis habet* dubias in nomine cauſas,*vt Ouidij verbis vtar ex lib.6. Faſt.Non probanda tamen eorum ſententia videtur,qui, vt Macrob. lib 1. Saturnal. refert à Iunio Bruto , qui primus Conſul Romæ exactis Regibus creatus eſt,huic menſi nomen inditum volunt : quòd is pulſo Tarquinio voti reus Calendis Iunijs in monte Cælio Carneæ Deæ rem Diuinam fecerit , quam ferunt humanis præeſſe vitalibus.Vel à Iunone,quòd ædes Iunonis Monetæ iiſdem Calendis fuerit dedicata,quam vouit Camillus. Nam , vt inquit Antonius Conſtantius Fanenſis*, multorum traditionibus conſtare videtur,hunc menſem longè ante dedicationem eius ædis , & Reges exactos , à Romanis Iunium appellatum *Placet autem quod Feſtus ſcribit* , Iunium à *priſcis Romanis* Iunonialem *ac* Iunonium *nominatum: & quod Macrobius tradit, apud Aricinos Præneſtinóſque diu non* Iunij,*ſed* Iunonij *appellatione in Faſtos relatum:poſteà que detritis quibuſdam literis , ex Iunonio Iunium dictum. Neque enim negauerim , hunc menſem Iunoni ſacrum fuiſſe , quo reges Macedoniæ Religionis gratiâ exercitum deducere non audebant. Iunonis enim fauor hac anni parte non negligendus videbatur , quòd per æſtiuum Solſtitium vis eius Numinis,hoc eſt,aëris calor accenditur. Alij,vt in Maio diximus , à* iunioribus *ſic nominatum volunt,& ea parte populi Romani , qua ſub Romulo viribus atque armis Remp.tuebatur. Nonnulli affirmârunt,teſte Agretio,à* Iuuenta *Herculis vxore,Iunio datum eſſe vocabulum , ídque duplici ratione:vel propter maritum Herculem, qui optimè de ea regione meritus ſit , vbi poſtea Roma condita fuit , quòd eam Caci latrociniis expurgârit.: vel propter iuuenes , alteram populi partem , quibus ea præſit. Sic enim Hebes apud Ouidium loquitur:*

Quid graue , ſi titulum menſis Romane dediſti.
  Herculis vxori,poſteritáſque memor?
Hæc quóque terra aliquid debet mihi nomine magni
  Coniugis,huc captas appulit ille boues.
Hic malè defenſus flammis & dote paternâ
  Cacus Auentinam ſanguine tinxit humū.
Ad propriora vocor, populum digeſſit ab annis
  Romulus,in partes diſtribuítque duas.
Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa eſt,
  Hæc ætas bellum ſuadeat,illa gerat
Sic ſtatuit , menſéſque notâ ſecreuit eâdem,
  Iunius eſt iuuenum, qui fuit ante ſenum.

Idem Poëta ibidem aliam rationem addit, quâ dictum Iunium putat , quaſi Vnium, ſiue Iungium,à iunctis Sabinis & Romanis, quorum pax myrteâ verbenâ firmata fuit. Sic enim canit :

Hæc vbi narrauit Tatium , fortémque Quirinum,
  Bináque cum populis regna coiſſe ſuis,
Et lare communi ſoceros, generóſque receptos
  His nomen iunctis Iunius,inquit, habet.

Hic menſis poſtea Germanici *nomine aliquandiu appellatus fuit , vt Tacitus refert libro 16.* *Germanicus menſis.*

Hebræi סיון Siuan *appellârunt : fuit enim tertius à Niſan , quem in Hebræorum anno primum fuiſſe ſuprà demonſtrauimus. Vide Heſt.8. cap.* *Siuan.*

Apud Athenienſes ἑκατομβαιὼν *dictus fuit, ab Hecatombis,hoc eſt, quibuſdam Sacris , quæ à centum , vel alia quadam incerta boum , qui tum ſacrificabantur , multitudine nominabantur , & fiebant in honorem Iouis,ſiue quod malim affirmare,Apollinis. Nam hoc menſe præcipuus cultus Apollini fuit exhibitus propter Solſtitium haud dubiè.Cælius tamen libro 20. cap. 6. inde dictum putat hunc menſem Hecatombæum quòd tunc magnus ſit curſus Solis : indeque tempori factum nomen autumat,nam hic numerus ſignare multitudinem plerunque aduertitur. Proximum autem eſſe hunc menſem præcedenti Scirophorioni,& proinde magna ex parte Iunio reſpondere, disertè in Ageſilao Plutarchus docet, vbi refert,dies viginti interueniſſe inter fœdus Spartæ , excluſis Bœotis, ictum die 14. Scirophorionis , & inter cladem, quam apud Leuctra quinto Hecatombæonis die acceperunt Spartani. Eius rei etiam indicium eſt , quòd in* ἑκατομβαιῶνα *Solſtitium æſtiuum , quod in noſtro ſemper eſt Iunio, plerunque incidebat : nam & in præcedentem Scirophoriona nonnunquam incurriſſe, ex Dionyſij Halicarnaſſæi loco , paulò ſuprà allato , conſtat. Primus fuit Atticorum menſium , & anni initium. Nam annum ſuum à Solſtitio æſtiuo exorſi ſunt Athenienſes , vt Plato lib. 6. de Legibus & Simplicius libro 5. Phyſica Ariſtotelis manifeſtè teſtantur. Cælius Rhodiginus lib.10.cap.6.Hecatombæonem Aprili reſpondere ſcripſit.* *ἑκατομβαιών.*

Hecatombæ M varia interpretatio,& eius cauſa.

Interpretum Plutarchi alij Aprilem & Maium , alij Iunium, nonnulli etiam Auguſtum

 reddide-

reddiderunt. Inde fortaſſe, quòd crediderunt Solſtitium ſemper in hunc menſem incidere: quod falſum eſt. Nam, vt docet Lalamantius, aliis atque aliis octennij annis Solſtitium in alium atque alium menſem incidit, nec ſtatum ſemper aut diem aut menſem in anno Attico habuit: Nam vltimis tantùm octennij annis in Aprili, in quarto & ſexto verò Metagitnione contingit: illo quidem anno die 14. hoc verò 25. Anno verò poſt intercalationem, quæ octauo quoque anno fiebat, ad ſua principia regreſſo, Hecatombæon in Iunium rediit. Hoc igitur decepti, vt arbitror, menſem illum Hecatombæono appellauit quiſque, in quem Solſtitium forte apud authorem aliquem legiſſet incidiſſe aliquando.

κρόνιος *Etymologicus indicat, hunc menſem antea ab Athenienſibus appellatum* Κρόνιον, *ſeu* κρόνιον, *hoc eſt,* Saturnium. *Habet hoc ex Plutarcho, qui in Theſeo inquit:* Venit Theſeus Athenas octauo die eius menſis, qui Græcis Hecatombæon, antea Κρόνιος dictus fuit. *Cælius libro 20. cap. 6. ſic dictum eum ait, propter ſacrificia quæ in eo Crono, id eſt, Saturno fierent.*

Δᾶιος *Macedones* Δάισιον *vocant, vel, iuxta Suidam,* Δῖσιον, *vel, iuxta Plutarchum,* Δαίσιον: *qui tamen in vita Alexandri M. Hecatombæonem à Macedonibus* Λῶον *vocari tradit: cui aſtipulatur etiam Ioſephus, & Galenus, qui initio Comment. in 1. Epidem. Solſtitium æſtiuum initio Lœi attribuit.*

ἱπποδρόμιος. *Bœotij* ἱπποδρόμιον *nuncupârunt. Sic etiam Plutarchus in Camillo:* Bœotij, *inquit,* quinto die eius menſis, qui ipſis ἱπποδρόμιος eſt, ἑκατομβαιὼν Athenienſibus, duas præclariſſimas victorias parauerunt: vnam in Leuctris, alteram ad Geraſtum. *Dictus ſic fuit, à ludis Circenſibus ſeu curulibus, qui in illo apud Bœotios equorum curſu agebantur.*

Παϋνί. *Ægyptijs dicebatur* Παϋνί, *de quo ſic in Epigrammate,* Mitia ferre ſolet fœcundus poma Payni.

Ἰούνιος. *Cyprij ad Romanorum prorſus imitationem* Ἰούνιον *appellârunt.*

Brachmonat. *Germani vocant* Brachmonat, *quaſi tu dicas,* Repaſtinationis menſem, *quòd eo agrorum vinearum repaſtinationes potiſſimùm fieri ſoleant.*

IVLIVS.

IVlius menſis quum, ſecundùm Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis à numero vocaretur: nihilominus tamen etiam poſt præpoſitos à Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen, quum non videretur iam quintus eſſe, ſed ſeptimus. Poſtea in honorem Iulij Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio Conſule, Iulius *appellatus eſt quòd hoc menſe ad 4. Id. Quintilis Iulius in lucem procreatus eſſet, vt Macrob. lib. 1. Saturn. c. 12. Dio. lib. 44. hiſt. Suetonius in eius vita c. 76. Plutarchus in Numa & Cenſorinus de Die natali referunt. Natum autem hoc menſis huius die C. Iul. Cæſarem anno ab Vrbe condita 709. C. Cæſare v. Conſ. cum M. Antonio, Sigonius refert.*

Thamuz. *Hebræis hic menſis dicitur* תמוז Thamuz: *de quo vide lib. 1. cap. 1.*

Μεταγειτνιών. *Athenienſes* Μεταγειτνιῶνα *vocârunt. Nam Ariſtoteles de locuſtis ſcribens, poſt Scirophorianem & Hecatombæonem proximè Metagitnionem ponit. Demoſthenes etiam Olynthiacâ 3. Metagitnionem ſecundum ab Hecatombæone nominat. Nomen hoc ei fuit inditum à Sacris quæ Apollini* Μεταγειτνίῳ *ea menſe fiebant ſicut referunt Hyperides in Orat. pro Xenippo, & Lyſimachides in lib. de Athenienſium menſib. Plutarchus verò in Publicola comparat* Μεταγειτνιῶνα *non cum Iulio, cum quo conferendum ante dicta declarant ſed cum Septembri: id quod valdè mirum eſt, dicit enim:* Εἰδοῖς οὖν Σεπτεμβρίαις (ὃ συντυγχάνει περὶ τὴν πανσέληνον μάλιστα τοῦ Μεταγειτνιῶνος) καθιερωμένον ἀπάντων εἰς τὸ Καπετώλιον: *quibus indicat Idus Septembres cum plenilunio Metagitnionis maximè concurrere. Lalamantius putat pro* Μεταγειτνιῶνος *legendum eſſe* Μαιμακτηριῶνος. *Verùm ego non facilè locum hunc deprauatum, vel authorem erràſſe deceptúmque fuiſſe dixerim.*

Πάνεμος. *Macedones & Bœotij communi nomine* Πάνεμον *appellârunt. Sic enim Plutarchus in Camillo:* Metagitnion, quem Panemum Bœotij dicunt, Græcis inauſpicatus fuit. *Vnde Suidas,* Πάνεμος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Ἰούλιος. *Et Euagrius hiſtoria Eccleſ. lib. 4. cap. 1. ait:* Iuſtinus natione Thrax purpuream togam vſurpauit nonâ menſis Panemi, *qui Iulius apud Romanos nominatur. Rurſus tamen Plutarchus in Ariſtide, de prælio Platæenſi loquens, Panemum Bœotiorum menſem non cum Metagitnione, ſed cum Boedromione comparat, dicens:* Hoc prælium commiſſum eſt quarto die Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου, ſecundùm Athenienſes: κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος. *Apud Demoſthenem etiam* πάνεμος *à Corinthiis vocari dicitur qui ab Athenienſibus* Βοηδρομιὼν *nominatur.*

κάρνειος καισαρίος. ἐπιφί. Howmonat. *A Syracuſanis* Κάρνειον *fuiſſe dictum Metagitnionem Plutarchus in Nicia indicat, quem Guarinus Interpres eius ineptè per Maium reddidit. Cyprij à Cæſare* Καισάρειον: *Ægyptij* Ἐπιφὶ *vocârunt, de quo in Epigrammate,* Vitiger atque vuis pulchrè eſt redimitus Epiphi. *Germani* Howmonat, *quaſi* Fœni menſem *nominant, quòd tum ſucciſum apud nos conuehatur fœnum ad ſtabulo.*

Avgvstvs.

Digitized by Google

AVGVSTVS.

Augu-ſtus olim Sextilis.

A*Vguſtus, inquit Macrobius lib.1. Satur. c. 12. Sextilis antea vocabatur, donec honori Auguſti daretur ex Senatuſconſulto, cuius verba hac ſunt.* Cùm Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum Conſulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ ſecutæque ſint ejus auſpicia atque fidem, & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit, finiſque hoc menſe bellis ciuilibus impoſitus ſit: atque ob has cauſas hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit ac fuerit, placet Senatui vt hic menſis Auguſtus appelletur. *Idem plebiſcitum factum ob eandem rem, Sexto Pacubio tribuno plebem rogante. Refert etiam Dio lib. 55. & Suetonius in Auguſto c. 32. Poſtea verò Commodo Antonino Paraſiti Auguſti menſis nomen in* Commodum *permutârunt, teſte Lampridio.*

Ab *Huic reſpondet Hebræorum menſis* Ab.

Βοη-δρο-μιών. Μεταγειτνιῶνι *autem contiguum eſſe* Βοηδρομιῶνα, *& proinde cum Auguſto aliqua ex parte comparandum, ex Ariſtotelis lib. 5. cap. 17. de Nat. Anim. colligitur, vbi dicit,* Locuſtas veterum ferre Scirophorione, Hecatombæone & Metagitnione, ſub Arcturũ autem oua excludere, *Arcturum autem circa Boedromionem oriri ex eo intelligitur, quòd Ariſtot. lib. 6. de Anim. cap. 29. dicit,* Ceruas ſalire ab Arcturo menſe Boedromione. *Vnde ſimul intelligimus,* Βοηδρομιῶνα *partem aliquam Septembris ſibi vendicare. Nam Columella libro 11. cap. 2. ait,* Nonis Septembris Arcturus exoritur. *Et mox:* Arcturus 15. Calend. Octobr. exoritur. *Plinius autem teſtatur, vndecim diebus ante æquinoctium autumnale oriri. Plutarchus in Theſeo rationem nominis reddit: loquens enim ibi de Theſei cum Amazonibus pugna,* Pugnatum eſt, *ait,* menſe Boedromione: cujus pugnæ cauſa in hunc vſque diem Athenienſes Sacra Boedromia peragunt, menſique inde nomen eſt Boedromion. *Vocabuli origo eſt à ſublato clamore cùm ad auxilia accurreretur.*

Λῷος. *Macedones eundem vocant* Λῷον: *Sic enim Demoſthenes in Orat. de Corona, in epiſtola Philippi Macedonis ad Peloponeſiorum fœderatos,* Quare, *inquit,* armati nobis occurrite in Phocide allato commeatu dierum 40. τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λῴου, ὡς ἡμεῖς (*Macedones*) ἄγομεν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι Πανέμου, *hoc eſt:* præſenti menſe Loo, vt nos habemus, Athenienſes, Boedromione, &c. *Reſpondere autem Auguſto Suidas atteſtatur, dicens:* Λῷος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Αὔγουστος: *itemque Euagrius, qui hiſt. eccleſ. cap. 9. lib. 4. ait, Iuſtinum mortuum eſſe primo die menſis Loi, id eſt, Auguſti. Plutarchus autem in Alexandro, Loum Hecatombæoni confert: cui ſuffragari videtur Galenus in Comment. 1. in Epidem. vbi Solſtitium æſtiuum initio Loi fieri dicit. Verba eius hæc ſunt:* ἡ ἐαρινὴ ἰσημερία ἐπὶ Ἀρτεμισίου μηνός, κατὰ Μακεδόνας, καθάπερ γε καὶ ἡ θερινὴ τοῦ Λῴου. κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν εἰρημένων μηνῶν αἵ τε ἰσημερίαι καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται κατὰ Μακεδόνας.

Cyprii Σεβαστὸν, *id eſt, Auguſtum dixere: Ægyptii* Μισορὶ: *de quo ſic in Epigrammate.* Viuificas Meſori patuli Nili excitat vndas.

SEPTEMBER.

Septem-ber vnde dictus.

S*Eptember à ſeptima, quam occupat, claſſe poſt Martium, nomen habet, poſtea verò* Antoninum *ab Antonini Pii memoria menſem hunc nominandum Senatus decreuit: & hoc quoque nomine abiecto* Herculeum *vocauit Suetonius verò Octobrem* Herculeũ: *& Eutropius Septembrem* Commodum *nuncupatos ſcribunt. Hebræis dictus* אלול Elul.

Μαι-μακτη-ριών. *Athenienſibus* Μαιμακτηριών. *Hunc enim ſequi* Βοηδρομιῶνα *ex 29. cap. lib. 6. de Nat. Anim. Ariſtotelis liquet, quo loco dicit, coitum ceruorum fieri poſt Arcturum circa Boedromionem & Mamacterionem: ſunt igitur contigui menſes. Idem libro 8. cap. 12. dicit, Cothurnices diſcedere Boedromione, Grues Mamacterione. Grues autem vno menſe poſt Cothurnices diſcedere quotannis videmus. Quintum autem hunc fuiſſe menſem Athenienſium tradit Harpocrat. & ex eo Suidas qui etiam addit, eſſe Latinorum Iãuarium, cui aſtipulatur Epiphanius lib. 1. contra Hæreſes, hæreſi 51. Quorum neutrum cum Gazæ ſententia conuenit: imò ſi quintus ſit, nullo modo Ianuarius eſſe poteſt. Nomen habet* ἀπὸ τοῦ Διὸς Μαιμάκτου, *ut qui ſit* ἐνθουσιώδης καὶ ταρακτικός, *ſicut Harpocrat tradit: ex Lyſimachide de menſibus Athenienſium: à quo menſe ſi hyems incipiat, aër turbatur & mutatur. Vnde & Ioui* μαιμάκτῃ *eo menſe* μαιμακτήρια *ſacra fiebant, ad Iouialium impetum placandum.*

Ἀλαλκο-μένιος. *Bœotis* Ἀλαλκομένιος *dictus eſt: ſic enim Plutarchus in Ariſtide, vbi de tempore loquitur parentationis eorum, qui pro ſalute Græciæ aduerſus Perſas fortiter pugnando occubuerant,* τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνός, *ait,* ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος.

Ὑπερ-βερε-ταῖος. Κατὰ Μακεδόνας γορπιαῖος μὴν ὁ Σεπτέμβριός ἐστι, *inquit Suidas: quod etiam indicat Euagrius hiſtoria Eccleſ. lib. 4. cap. 4. Galenus libro 4. de tuenda ſanitate, Pergamenos hunc* Ὑπερβερεταῖον *nominare dicit,* Eſt, *inquit,* maturrimum abietis ſemen circiter Arcturi i-

nitium, quod tempus Romæ Septembrem vocant: Pergami verò apud nos menſis Hyperbereræus. *Rurſus idem initio Comment. in I. Epidem. hunc Δῖον intelligere videtur, vt cuius initio autumnale æquinoctium ſtatuat.*

Αυτο-κρατό-ρικός. Θώθ.

Cyprij Αὐτοκρατορικὸν *appellant, Ægyptij* Θώθ: *Eſtque primus apud eos in anno menſis: vnde ſic in Epigrammate,* Primus Thoth novit falcem committere in vuas: *eundem &* Χοὶ *dixere. Theon Arati* φαινομένων *interpres in carmine de Hydra,* Extrema, *inquit*, ipſius occupat circa Virginem circiter menſem Thoth, qui ſecundum Romanos September eſt. *Incheârunt autem ſuum annum Ægyptii Sole virginem ingrediente, vt apparet ex iis quæ de menſe Athyr in Novembri dicemus: & proinde Thoth, bonam etiam partem Auguſti ſibi vendicat.*

Herbſt-monat.

Germani Herbſtmonat *vocant, quaſi dicas, autumnalem menſem, quòd autumni ſit primus.*

OCTOBER.

Octóber vnde dictus.

OCtober à claſſe octaua, quam obtinet à Martio, nomen habet. Eum ſuo nomine Domitianus inuaſerat, vt Macrobius teſtatur lib. 1. Saturn. Sed vbi infauſtum vocabulum ex omni ære vel ſaxo placuit eradi, menſis quoque vſurpatione tyrannicæ appellationis exutus eſt: cúmque in honorem Fauſtinæ Fauſtinum *nominandum cenſuit Senatus, Capitolino teſte. Cautio poſtea Principum cæterorum, diri ominis infauſta vitantium, menſibus à Septembri vſque ad Decembrem priſca nomina reſervauit. Mox tamen priſtinus mos repetitus eſt, quando Octobrem* Invictum, *alios menſes aliter nominârunt, ſicuti in vnoquoque indicatur.*

Thiſchri.

Hebræi vocant תשרי Thiſri. *Septimum autem hunc fuiſſe menſem in Hebræorum anno ex 3. Reg. cap. 8. apparet.*

Υπερ-βερε-ταῖος.

Macedones Ὑπερβερεταῖον *appellârunt, Ioſepho teſte, lib. 8. Antiq. cap. 4. In Canonibus Apoſtolorum Can. 38. ſic decernitur:* Bis in anno Concilia celebrentur, ſemel quidem quartâ ſeptimanâ Pentecoſtes, ſecundo verò duodecimâ die menſis Hyperberetæi. *Hanc legem repetens Concilium Antiochenum can. 20. ſic decreuit:* Secundum Concilium Idibus Octob. habeatur, qui dies apud Græcos Hyperberetæi menſis, decimus inuenitur: *vt habetur etiam diſt. 18. cap. propter Eccleſiaſticas.*

Πυανε-ψιών.

Athenienſium menſis, qui ad Octobrem noſtrum quadret, eſt Πυανεψιών: *quem autumnalem fuiſſe menſem ipſum declarat nomen: dictus enim à feſto* πυανεψιῶν, *quòd agitabatur frugibus terræ iam collectis atque conditis. Declarat id etiam Plutarchus in Theſeo, vbi poſt alia ſic ſcribit.* Dum vindemia comportatur die Pyanepſionis incipientis. *Idem Plutarchus de Oſiride & Iſide hunc Athenienſium* Πυανεψιῶνα *dicit eſſe Bœotorum* Damatrium, *Ægyptiorum autem* Athyr. *Verba eius hæc ſunt:* Mulieres humi decumbentes Athenis in Theſmophoriis jejunant. Eſt autem menſis hic circa Pleiadas ſementi dicatus, quem Ægyptii Athyr, Athenienſes Pyanepſionem, Bœoti Damatrium vocant. *Sed hoc pacto Octobrem & Novembrem confundis: Athyr enim eſt Novembrer, &* φαωφὶ *October: de quo ſic in Epigrammate,* Omnigenos adigit piſces in rete Phaori: *pro quo tamen Theon & Nicolaus Myrothecius legunt* φαωφί. *Sic enim Theon in carmine Arati de Hydra:* Nam φαωφὶ menſe, qui Romanis October eſt, ſubſidit Nilus & creſcere deſinit.

Cyprij Δημαρχεξούσιον, *quaſi* Tribunitium: *Germani* Weynmonat/ *hoc eſt, Vindemialem menſem nominant.*

NOVEMBER.

NOvembrem Hebræi Bul *&* Marcheſuan *appellant, qui eſt octauus ab Aprili.*

Macedones Δῖον *vocant, teſte Ioſepho lib. 1. Antiq. cap. 5. vbi ſic ſcribit.* Contigit hæc vaſtitas (*de Diluvio loquitur*) anno 600. ætatis Noe, menſe ſecundo qui à Macedonibus Dius vocatur, ab Hebræis autem Maeachat ſeu Anmarſuane: *pro quo tamen legendum* Marcheſuan, *Et Suidas inquit:* Δῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Νοέμβριος. *Idem probatur ex Collectaneis rei ruſticæ apud Græcos, in quibus hæc adnotata legimus:* Democritus & Apuleius talem exſpectari hyemē aiunt oportere, cujuſmodi fuerit dies Feſtus, quem Brumam vocant Romani: eſt autem quarta & viceſima Dij menſis, qui eſt Nouember. *Cælius lib. 15. cap. 24. Antiq. Lect.* Δῖος.

Nouembri Latinorum Gaza opponit Ἀνθεστηριῶνα *Atticorum, hybernum eſſe menſem ex etymo colligens, quòd nimirum* ἀνθέων στερεῖ τὴν γῆν. *Gaza tamen, Ptolemæus, Harpocration, Philoſtratus, Iſter, Plutarchus, Appianus, Macrobius aliique refragantur, vt ſuprà in Martio indicauimus: & propterea alium quærendum exiſtimo, quem cum Nouembri Romanorum componamus. Quis autem ille ſit, non ſatis conſtat: nam quo minus ei Poſidioni Gameleon, Gamelioni Elaphebolion, Elaphebolioni Munichion ſubſtituendus videatur, vt nonnullis placet, quibus cum ea de re contuli, illud obſtare puto, quòd Gaza & alii firmis probârunt rationibus, Poſideona Decembri Romanorum non Novembri: Gameliona Ianuario,*

Anteſterion Nouēbri non reſpondet.

non

Ἀθύρ. *Ægyptii* Ἀθὺρ *votârunt: nan tamen pracisè Nanembri noſtra reſpondiſſe Ægyptiarum Athyr,ſed partem Octabris,partêmque Nanembris ſibi vendicâſſe,ex Plutarchi lib. de Oſiride intelligitur: vbi dicit.* Menſe Athyr Solem Scorpium peragrare. *Conſentit & Epigramma, quod ſic habet:* Pleiadum exortus Athyr apto tempore ſignat. *Conſtat autem ex Ptalemao, Plinio & Calumella, Pleiadas, quas Latini Vergilias vocant,non menſe Nouembri, ſed Octobri oriri veſperi.*

Ciprii πανθύματον *ſeu* πανθύ‘ςατον *nominârunt. Germani* Wintermonat / *quaſi tu dicas hyemalem menſem, quòd hyems incipiat.*

DECEMBER.

Decembri, vltimo in Ramano anno menſi, reſpondet Hebraorum Chisleu, *quem alii ineptò Chasleu nominant:& eſt nonus inter Hebraorum menſes,vt eſt videre Zach.9.1.Machab.1.*

Macedones,teſte Suido, Apellæum *vocant.*
Ἀπελλαῖος. *Vnde & Iaſephus lib.12. Antiquit.cap.7. de prafanatione Hieroſolymitani templi loquens:* Ea clades, *ait,* accidit anno ſecundo poſt vrbem captam regni ejus familiæ 145. ejus menſis quis Chisleu noſtris, Macedonibus Apellæus dicitur viceſimâ quintâ. *Teſtatur idem lib.12.cap.11.Euogrius quoque hiſt. Eccleſ. lib.4.cap.19.*

Athenienſibus Ποσειδεὼν *dicitur, quaſi Neptunium diceres à Pelladis & Neptuni certamine*
Ποσειδεών. *ac Feſto quod in honorem* Ποσειδῶνος, *id eſt. Neptuni eo celebrabatur. Nam hoc menſe Brumam ſeu hyemale Solſtitium accidere, ex Ariſtotelis lib.5.de nat.anim.cap.9. apparet, vbi dicit,* Thynnum priorem ſuum partum edere ante Brumam circa Poſideonem. *Plutarchus quoque in Caſaris vita in eum incidiſſe ſolſtitium hybernum inducat:ſic enim ſcribit,* Χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, ἱσταμένου Ἰανουαρίου: (οὗτος δ' ἂν ποσειδεὼν Ἀθηναίοις) ἀφῆκεν εἰς τὸ πέλαγος, *hoc eſt,* circa Brumam, initio Ianuarii (quem menſem Athenienſes Poſideonem appellant) pelago ſe commiſit: *quibus vtique* Ποσειδεῶνα *Ianuario ineunti (ideóque & exeunti Decembri) camparat: Inde &* ποσειδεωνὶς ὄρνις *dicitur* ἡ ἀλκυὼν, *quod in iſtum menſem fœtura ejus incidat: vt Plinius quaque teſtatur circa brumam,(id eſt,* τὰς χειμερινὰς τροπὰς*) alcyonum fœtura ſterni mare ſeptem diebus ante,& totidem poſt. Qua in re tamen nihil abſurdi ineſſe videtur,quum olim Solſtitium id in finem Decembris inciderit. Adhac menſes Gracarum nan ita exactè Latinorum menſibus reſpondent, quin ſemper dies aliquot ſequentis menſis ſibi vendicent.*

Cypriis dicitur Ἀρχιερεὺς: *Ægyptii* Χοιὰκ: *Germanis* Wolffmonat / *quaſi dicas, Luparius menſis, quòd lupi ea maximè circumcurſitent: vel etiam à Chriſti Natali, qui eo celebratur* Chriſtmonat: *quam ab cauſam & Angli cum* Halegmonath, *quaſi ſacrum menſem vocant.*

Sed hac, qua hoc capite hucúſque commemorauimus, breuiter Lectori ob oculos in Tabella ponam,vt primo ſtatim intuitu,menſium diuerſarum gentium connexionem cum Romanorum ſeu Latinarum menſibus videat.

Romani.

Romani.	Hebræi.	Athenienſes.	Macedonici.	Ægyptii.	Cyprii.	Bœotii.	Arabici.	Perſici.	Germanici.
Ianuarius.	Tebeth.	Γαμηλιών.	Αὐδυναῖος.	Τυβί.	Ἐθιος.		Gemedy primus.	Mardainus.	Jenner.
Februarius.	Sebat.	Ελαφηβολιών.	Περίτιος.	Μεχείρ.	Ρωμαῖος.		Gemydi ſecundus.	Sarembemechus	Hornung.
Martius.	Adar.	Μυνιχιών & Ανθεστηριών.	Δύστρος.	Φαμενώθ.	Αφροδίσιος.		Rage.	Maheramechus.	Mertz.
Aprilis.	Niſan. à quo annum auſpicantur.	Θαργηλιών.	Ξανθικός. ab hoc annus eorum incipit.	Φαρμουθί.	Απογονικός.		Sahaben.	Ebenmechus	Aprell.
Maius.	Iiar.	Σκιρροφοριών.	Αρτεμίσιος.	Παχών.	Αινικός.		Ramaden.	Idramechus.	Mey.
Iunius.	Siuan.	Ἑκατομβαιών à quo annum inchoant Etymologicus indicat Κρόνιον ante appellatum fuiſſe.	Δαίσιος.	Παϋνί.	Ἰούνιος.	Ιπποδρόμιος.	Sauil.	Dimechus.	Brachmonat.
Iulius.	Thamus.	Μεταγειτνιών.	Πάνεμος.	Επιφί.	Καισάρειος.		Dulchida.	Behmemechus.	Höwmonat.
Auguſtus.	Ab	Βοηδρομιών.	Λῶος.	Μεσορί.	Σεβαστός.		Dulcheia.	Azſirdamechus.	Augſtmonat.
September.	Elul.	Μαιμακτηριών.	Γορπιαῖος.	Θώθ. à quo annum inchoant.	Αὐτοκρατεμές.	Αλαλκομένιος.	Almaharam: à quo incipiunt annum.	Phordimechus. à quo annum incipiunt.	Herbſtmonat.
October.	Thiſri.	Πυανεψιών.	Υπερβερεταῖος.	Φαωφί.	Δημαρχεξούσιος.	Δαμάτριος.	Saphar.	Ardaimecus.	Weynmonat.
Nouember.	Marheſuan		Δῖος.	Αθύρ.	Πληθύπατος.		Rabe primus.	Cardaimechus	Wintermonat.
December.	Chiſleu.	Ποσειδεών.	Απελλαῖος.	Χοιάκ.	Ἀρχιερεύς.		Rabe ſecundus.	Zirmechus.	Wolffmonat. vel Chriſtmonat

Quoniam

Quoto Rom. menſiũ die Græcus quiſque menſis initium ſumpſerit.

Quoniam verò, vt ſuprà quoque dictum eſt, non eadem eſt menſium apud omnes gentes ratio & imprimis Attici menſes non conueniunt cum noſtris: quòd illi, ſicut etiam Hebræorum menſes, ad Lunæ tantùm curſum computarentur, Luna auſpicante & finiente menſem: noſtri verò ita deſcripti ſint, vt ad conficiendum annum magis ad Solis curſum quadrarent: adeóque Atticorum aliorúmque menſes, præciſè noſtris opponi non poſsint, vt dies reſpondeat, quum, exempli gratia, Atticorum menſis primus, qui à Solſtitio æſtiuo inchoat annum, partem ſibi ex Iunio, in cujus medium Solſtitium incidit, vendicet, partem verò ex Iulio, & ſic deinceps cum cæteris: idcirco operæpretium me facturum exiſtimo, ſi ad demonſtrandam hanc diuerſitatem, ex veteri quodam manuſcripto Calendario, vt vocant, adſcribam quoto Romanorum menſium die Græcus quiſque menſis ſuum ſumpſerit initium. In eo itaque Ianuarij menſis die 15. inchoat κατὰ τινας Αὐδυναῖος, ἡμερῶν λ'. *Febr. menſis die 14. incipit* Περίτιος ἡμερῶν λ'. *Martij die 18.* Δύστρος, ἡμερῶν λ. *Aprilis 16.* Ξανθικὸς, ἡμερῶν λά. *Maij 18.* Ἀρτεμίσιος, ἡμερῶν λά. *Iunij 22.* Δέσιος ἡμερῶν λά. *vbi etiam ſtatuuntur* θερινaὶ τροπαί. *Iulij 21.* Πάνεμος ἡμερῶν λα. *Auguſti menſis die 18.* Λῶος, ἡμερῶν λά. *Septembris die 19.* Γορπιαῖος, ἡμερῶν λ'. *Octobris 19.* Ὑπερβερεταῖος, ἡμερῶν λ'. *Nouembris 18.* Δῖος, ἡμερῶν λ'. *Decembris 18.* Ἀπελλαῖος, ἡμερῶν λ'. *Quod verò ab initio eſt* κατὰ τινας, *apud alios eſt* καθ' ἕλληνας.

Quoto Rom. menſiũ die Ægyptiorũ quiſque menſis ſumpſerit initium.

Quoto autem Romanorum menſium die Ægyptiorum quiſque menſis initium ſumat ſic Bibliander ex Beda refert. Primus, *inquit*, menſis Θώθ, 4. Calend. Septembrium incipit. Secundus Φαωφὶ, 4. Calend. Octob. Tertius Ἀθὺρ, 5. Calend. Nouembris Quartus Χοιὰκ, 7. Calend. Decembr. Quintus Τυβὶ, 6. Calend. Ianuariarum. Sextus Μεχεὶρ, 6. Calend. Februarij Septimus Φαμενὼθ, 5. Calend. Mart. Octauus Φαρμουθὶ, 6. Calend. Aprilium. Nonus Παχὼν, 6. Calend. Maij. Decimus Παϋνὶ, 7. Calend. Iunij. Vndecimus Ἐπιφὶ, 7. Calend. Iulij. Duodecimus Μεσορὴ, 8. Calend. Auguſtarum die ſumit exordium. Quem 10. Calend. Septembres terminantes, reſiduos quinque dies ἐπαγομένας, vel intercalares ſiue additos vocant. Quibus etiam quarto anno diem ſextum, qui ex quadrantibus confici ſolet, adnectunt. Vnde fit, vt eorum anni primi à biſſexto tertio Calend. Septembris cæteri verò 4. Calend. earundem dierum initium ſumant: ipſe autem biſſextilis anni 4. cæteri 5. Calend. memoratarum die terminentur.

CAPVT IV.

De Calendis & Neomeniis.

ANtequam ad ſingulorum menſium Feſta & Solennitates ſingulas deſcribendas accedam, prius de iis agam quæ ſunt omnibus menſibus communia: cujus generis ſunt Calendæ *ſeu* Neomeniæ, Nundinæ & Idus.

Neomeniæ quid.

Νεομηνία *vel contractè* Νουμηνία *propriè ſignificat Nouam lunam,* νέος *enim eſt noua &* μήνη *luna. Impropriè autem ſignificat Nouum menſem, ſeu Primum diem menſis, quòd olim menſes lunæ curſum ſequerentur, adeóque initium cujúſque menſis ex eo ſumerent die, qua nouam lunam contigiſſet videri. Quod autem Græcis* Νουμηνία, *id Latinis* Calendæ *ſunt, ſic dictæ, à Græco verbo* καλέω, *id eſt voca, pro quo nos* calare *dicimus. Varro,* Primi, *inquit*, dies menſium nominati Calendæ, ab eo, quòd iis diebus calentur ejus menſis Nonæ à Pontificibus. *Priſcis enim temporibus, Macrobio teſte, antequam faſti à Cn. Flauio ſcriba inuitis Patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obſeruaret aſpectum, viſámque Regi Sacrificulo nuntiaret, eíque ſacrificandum eſſe hoc ipſo indicaret. Itáque ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calatâ, id eſt, vocatâ in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quæ Caſæ Romuli proxima fuit, quot numero dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat: & Quintanas quidem quinquies dicto verbo* Calo iuno nouella, *vt Varro indicat, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat. Et hunc diem qui ex his diebus, qui calarentur, primus eſſet, placuit* Calendas *vocari. Hinc & ipſi curiæ, ad quam vocabantur,* Calabræ *nomen datum eſt: &* Claſſi, *quòd omnis in eam populus vocaretur. Ideò autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas ſupereſſent calando prodebat, quòd poſt nouam lunam oporteret Nonarum die populares, qui in agris eſſent confluere in vrbem, accepturos cauſas feriarum à Rege Sacrorum, ſciturósque quid eſſet eo menſe faciendum.*

Calendæ & Neomeniæ differunt.

Plutarchus quoque in Galba Νουμηνίαν & Καλάνδας *pro iiſdem poſuit: ſic enim ait,* ἐπῆλθεν ἡ Νουμηνία τοῦ πρώτου μηνὸς, ἣν καλάνδας Ιανουαρίας καλοῦσι: *id eſt*, advenit nova Luna primi menſis, quam Calendas Ianuarias vocant. *Ex eodem tamen authore colligi poſſe videtur,* Νουμηνίαν *Græcorum incidere potius in Nonas quàm Calendas, quòd tunc demum Luna ſoleat apparere, quum circa Calendas adhuc ἐν συνόδῳ cum Sole lateat: & proinde non ſolùm menſium, ſed etiam Neomeniorum apud Græcos, & Calendarum apud Latinos diuerſam fuiſſe rationem.*

cationem. Sic enim ait Probl. Τὴν δὲ πρώτην φασὶ Νόνας, τὸ δικαιότερον τῶν ὀνομάτων, Νουμηνίαν οὖσαν καὶ γὰρ αὐτὴ τὸ νέον καὶ καινὸν ὥσπερ ἡμεῖς, προσαγορεύουσι. *Et in Romulo, ait,* Νουμηνίας Ῥωμαῖοι περὶ τὰς ἑλληνικὰς οὐδ' ἐν ἔχουσιν ὁμολογούμενον. *Vnde ipſe quoq; ibidẽ Calẽdas à Clam aut Celare denominatas exiſtimat quòd in ijs Luna adhuc occulta lateat. Vbi fortè ridiculus alicui videri poßit, quòd* Calendas, *à Verbo Latino* Celo, *aut Aduerbio* Clàm *deducit: nam à* καλῶ, *vti diximus deriuatur: deinde Luna non ſemper Calendis clam fit aut occultatur, ſed aliquando iiſipſis plena, aut alio alio aliquomodo affecta eſt. Sciendum autem Plutarchum ad id reſpexiſſe, quòd veteres Romani menſes ſuos ad Lunæ curſum accommodârunt: & tum quoque primæ Lunæ viſitatio, primúmque ejus lumen diem Calendarum effecit, hoc eſt, Calendæ cum Nouiluniis concurrerunt.*

Calendas Græci non habuerunt. *Patrò ex hoc Plutarchi loco, quem modò adduximus ſimul perſpicuum fit, Calendas Græcos nullas habuiſſe, ſed* Νουμηνίας. *Hinc prouerbium, Augusto authore, natum apud Latinos,* Ad Calendas Græcas, *pro* Nunquam. *Nam ad Lunæ recurſus Græci ſoluebant vſuras: ſicut intelligitur ex Plutarchi libro* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, *vbi inquit:* οὐδὲ ἀναμένει τὰς Καλάνδας καὶ τὴν Νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στυγνήν. *Strepſiades quoque in Nubibus Ariſtophanis optat ſibi incantatricem quampiam obuenire, quæ carminibus ſuis efficiat, ne quando noua luna exoriatur, ne reddere pecunias aut vſuras cogatur. Et fænerator Alphius apud Horatium,* Omnem relegit Idibus pecuniam: Quærit Calendis ponere. *Calendis enim & exigebatur, & collocabatur, vt ex ejuſdem Satyra 6. lib. 1. cognoſcimus, vbi inquit.*

Qui, niſi quum triſtes miſero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos vnde extricat, amaras
Porrecto jugulo, hiſtorias, captivus vt audit.

De hoc autem more & conſuetudine pecuniam Calendis exigendi, vide P. Pithœum Aduerſar. lib. 22. capite 4. Huc itáque reſpexit Auguſtus Imperator, quum diceret. Ad Græcas Calendas *ſoluturos, quos nunquam reddituros mutuum ſignificabat, vt Suetonius de eo refert. Et quia Latinorum propria erant Calendæ idcirco Ouidius eas* Auſonias *vocauit lib. 1. Faſt ſic canens:*

Vendicat Auſonius Iunonis cura Calendas.

Neomenia apud Græcos feſta. *Neomenias autem apud Græcos fuiſſe Sacras & Feſtivas, ſicut etiam Calendas apud Latinos, ex Plutarchi loco modo citato intelligimus, vbi* Νουμηνίαν *vocat* ἱερωτάτην ἡμερῶν, *id eſt,* Sacratiſſimam dierum, *& conqueritur eam è fænerationibus* ἀποφράδα καὶ στυγνὴν *reddi. Idem auctor in Problem. inquit,* Ἕλληνες ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι, τῇ δ' ἑξῆς ἥρωσι καὶ δαίμοσιν ἀποδεδώκασι, *hoc eſt,* Græci in Neomenia ſeu Calendis venerantur, poſtridie verò Semideos, Indigeres & Heroas. *In Neomenijs verò his certo quadam ſacrificio atque conuiuio fieri fuerunt ſolita quæ* ἐπιμήνια *appellârunt. Eorum meminit Athenæus lib. 6. vbi inquit:* Τὰ δὲ ἐπιμήνια θύουσιν ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων. *De quibus Sacris ita Herodotus ſcribit lib. 8.* Λέγουσιν οἱ Ἀθηναῖοι ὄφιν μέγαν φύλακα τῆς ἀκροπόλιος ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν τῷ ἱερῷ· λέγουσί τε ταῦτα καὶ δὴ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια ἐπιτελέουσι προτιθέντες. τὰ δ' ἐπιμήνια, μελιτόεσσά ἐστι. αὕτη δὲ μελιτόεσσα ἐν τῷ πρόσθεν αἰεὶ χρόνῳ ἀναισιμουμένη, τότε ἦν ἄψαυστος. Ἐπιμήνια. *Suidas hæc* ἐπιμηνία *eſſe dicit,* Τὰ καθ' ὅλου τοῦ μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γινόμενα θύματα, *vt &* ἱερομηνία ἱερά. *Eidem Suidæ* ἐπιμηνία *ſunt* τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα θυόμενα. *Item* ἐπιμηνία *apud Heſychium,* ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη, *vbi ſubaudiendum* θυσία *vel* ἑορτή. *Turnebus Aduerſar. lib. 3. cap. 4. in illud Vergilii,* Biſſenos cui noſtra dies altaria fumant: In magna, *inquit:* religione velut Numinis potentiſſimi, & præſentiſſimi dictum eſt. Nam menſtrua Sacra Diis maximis celebrari ſolebant, atque eæ erant feriæ Religioſiſſimæ, cùm Solennibus, & anniverſariis non ſatis eſſe putarent defungi Sacris, ſed memoriam cultus quoque Calendis aut Idibus renovandam putarent. Eas ferias Horatius triceſima Sabbatha appellavit. *Apud Lacedæmonios Neomeniis omnibus, vini ſextarius, ac farina modius, nec non ſingula pecora Regibus ad ſacrificium, quod Apollini fiebat, dabantur: authore Alex. lib. 3. cap. 18. Vnde ſimul intelligi poſſe videtur, Neomenias apud Græcos Apollini conſecratas fuiſſe, id quod Pindari ſcholiaſtes in Nemeis clarè atteſtatur, quòd is Deus idem eſſet cum Sole. Hecate quoque Dea ſacrificabatur in triviis apud Athenienſes ſingulis menſibus in novilunia, quo tempore illi, qui erant opulenti, Cœnam in trivio exponebant, ac pauperes eò per noctem cõvenientes vacabant, Hecatenq; ediſſe dicebant: quam cõſuetudinem ita ſignificavit Ariſtophanes in Pluto:* Neomenia apud Græcos Apollini ſacra.

Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον, φησὶ γὰρ αὕτη
Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προσπέμπειν.
τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

Ex Hecate licet id cognoſcere:
An diteſcere quam fameſcere melius: iubet enim ipſa
Habentes & divites cœnam ſingulis menſibus exponere.

Ac

Ac pauperes homines rapere vel antequam expoſcatur.

Meminit huius & Macrobius ita:

Noctiuiſque Hecate triuiis vlulata per vrbes.

Vide etiam Brodeum lib. 1. Miſcelan. cap. 24. & 29. Argiui etiam Namenia cuiuſq́; menſis celebrabant, in memoriam Teleſillæ.

Calendæ apud Latinos Iunoni ſacræ.

Apud Latinos verò vt annus Ioni, ſic Calendæ Iunoni Sacræ fuerunt, quemadmodum Varronis confirmat, & Pontificalis authoritas: Quod etiam Laurentes patriis religionibus ſeruârunt, qui & cognomen Deæ ex ceremoniis addiderunt, Calendarem Iunonem vacantes. Sed & omnibus Calendis à menſe Martio ad Decembrem huic Deæ Calendarum die ſupplicârunt. Romæ quoque Calendis omnibus Pontifex minor, in Curia Calabra rem diuinam Iunoni fecit. Regina etiam ſacrorum, id eſt, Regis vxor, porcam vel agnam in regia Iunoni immolauit: à qua etiam Ianus Iunonius cognominatus fuit, quòd illi Deæ omnis ingreſſus huic Deæ cuncti Calendarum dies eſſent attributi & adſcripti. Cùm enim, vt ſuprò quóque diximus, Ethnici pleriqoe initium menſiũ ab exortu lunæ ſeruauerint, iure Iunoni Calendas addixerunt, Lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia Luna per aërem meat, vnde & Græci Lunam ἄρτεμιν nuncupauerunt, quaſi ἀεϱότομιν, quòd aëra ſecet: Iuno autem aëris arbitra eſt, ideò meritò initia menſium, id eſt, Calendas huic Deæ conſecrauerant, Macrobio teſte lib. 1. Saturnal. Meminit ſacrorum quæ Calendis fiebant etiam Tibullus Elegia 3. lib. 1. ſic canens.

At mihi contingat Patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menſtrua thura Lari.

Vbi per menſtrua thura, intelligit Sacrificia ſingulis menſibus recurrentia, vel quæ veriente menſe fiebant.

Refert etiam Suetonius in Auguſti Cæſaris hiſtoria, Auguſtum ſanxiſſe, ne plus quàm bis in menſe Senatus legitimus ageretur, Calendis ſcilicet & Idibus.

CAPVT V.

De Nundinis, vbi etiam quædam de Nonis, déque Hebdomadis vel Septimanis, earúmque dierum nominibus.

Nundinæ vnde dictæ.

N*Vndinas à Nono die dictas eſſe, quaſi* Nouendinas, *nemini dubium videri poteſt. Sic enim Plautus ait in Aulul.* Coquus ille nundinalis eſt, in nonum diem ſolet ire coctum.

Nundinæ non ſunt Nonæ.

Nundinas *tamen non fuiſſe idem cum Nonis, ſed ab iis ſegregatas; Macrobius lib. 1. Saturnal. docet, ſimul referens cauſam, ob quam nec Calendis, nec Nonis celebratæ ſint Nundinæ etſi non raro in hos dies inciderent.* Cùm ſæpè, *inquit,* eueniret, vt Nundinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent (vtrumq́; autem pernicioſum Reip. putaretur) remedium, quo hoc auerteretur, excogitatum eſt. Quod aperiemus, ſi prius oſtenderimus, cur Nundinæ vel primis Calendis, vel Nonis omnibus cauebantur. Nam quoties incipiente anno, dies cœpit, qui adiectus eſt Nundinis, omnis ille annus infauſtis caſibus luctuoſus fuit, maximéque Lepidiano tumultu opinio iſta firmata eſt. Nonis autem conuentus vniverſæ multitudinis vitandus æſtimabatur, quoniam populus Romanus exactis Regibus, diem hunc Nonarum maximè celebrabat, quem natalem Seruii Tullii exiſtimabant. Qui, quum incertum eſſet, quo menſe Seruius Tullius natus eſſet. Nonis tamen natum eſſe conſtaret, omnes Nonas celebri notitiâ frequentabant. Veriti ergo, qui diebus præerant, ne quid Nundinis collecta vniuerſitas ob Regis deſideriũ nouaret, cauiſſe vt Nonæ à Nundinis ſegregarentur. Vnde dies ille, quo abundavit annus ex Numæ ordinatione, eorum eſt permiſſus arbitrio, qui faſtis præerant, vt cum vellent intercalarent: dummodò eum in medio Terminaliorum, vel menſis intercalaris ita locarent, vt à ſuſpecto die celebritatem auerterent Nundinarum.

Nundinæ cur Calendis & Nonis non ſint celebratæ.

Adhuc Nundinarum dies feriati fuerunt, vt mox indicabitur: Nonarum verò dies non item, Nonis enim nulli Deo ſacrificatur, idcóque ſub nullius Numinis tutela fuerunt, ſed Ioni & Iunoni communes relinquebantur: Vnde Ouid. etiam lib. 1. Faſt. Nonarum tutela Deo caret. *Etne quærat aliquis, Cur ergo Nonis, ſi feriatus dies non ſit, prohibita nuptiarum celebritas fuerit, ſciendum eſt, Macrobio referente, quòd primus nuptiarum dies verecundiæ datus fuit apud Romanos, poſtridie autem nuptam in domo viri incipere oportuit dominium adipiſci, & rem facere Diuinam: omnes autem poſtridnani dies, ſeu poſt Calendas, ſeu poſt Nonas Idusúe, ex æquo atri fuerunt illis: ideò & Nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt, ne nupta, aut poſterâ die libertatem auſpicaretur vxoriam: aut atro immolaret, quo nefas fuit Sacra celebrari.*

Nonæ vnde dictæ.

Præterea Nundinæ nono quóque die ſingulis menſibus celebrabantur: Nonæ verò ſemel tantum, vel quinto, vel ſeptimo die, ideóque à Pontificibus quintanæ & ſeptimanæ *dictæ, Varrone teſte. Proindéque non dicuntur Nonæ, quòd in nonum diem inciderent, ſed quòd ante diem*

nonum eſſent: aut à nona luna, quòd Pontifex eo die nonam lunam obſeruaret, & viſam Regi ſacrificulorum indicaret: vnde Nona quaſi nouæ lunæ initium. Aut quòd ab eo die ad Idus, nouem ſunt dies.

Nundinarum ratio & forma.

Nundinarum autem ratio & forma hæc fuit apud Romanos. Septem diebus in agris ruſtici opus faciebant: nono die, intermiſſo rure, ad mercatum legeſq́; accipiendas & Sacra peragẽda Romam veniebant. Aſtipulatur Collumella lib. 1. *De re ruſtica in præfatione, vbi dicit:* Nundinarum conuentus propterea vſurpatos, vt Nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur, reliquis adminiſtrarentur ruſticæ. *Sic Dionyſius Halicarnaſſ. lib.* 2. *dicit*, Romulum plebeios omnes ruri degentes aſſueſeciſſe pacis tempore operi incumbere, niſi quando mercatu opus haberent: tum enim licuiſſe eis in vrbem conuenire, & in foro verſari, nonâ quáque die aſſignatâ Nundinis, *Et lib.* 7. *inquit*: Nundinæ nono quóq; die celebrabantur, quo plebs agreſtis in vrbem ad mercatum conueniebat, finiendiſque litibus, & ad ſuffragia ferenda de negotiis publicis quorum jus erat penes populum, aut de quibus Senatus retuliſſet ad eum: reliquis ſeptem diebus ruri degebant, quòd magna pars ob pauperitatem oparatentur ſuis manibus.

Nundinæ feriæ ruſticæ fuerunt Ruſtici tres ferias mẽſtruas habuerunt.

Itaq; Macrobius appellat Nundinas, ferias ruſticas. *Et Feſtus:* Nundinas, *inquit*, feriarum diem eſſe voluerunt, quo mercandi gratia ruſtici in vrbem conuenirent. *Fiebat hoc ter ſingulis menſibus, adeoq; ruſtici tres menſtruas ferias habebant apud Romanos: & tertia quidem, dicebatur* Trinundinus dies (*τρίτη ἐκκλησία apud Athenæum*) *vel* Trinundinum *ſiue* Trinum Nundinum, *hoc eſt, tertiarum Nundinarum dies, qui prædici antè ſolebat, vt notior eſſet omnibus ac ſingulis, eratq; reliquis duobus celebrior & frequentior: ob quam etiam cauſam in eo tantùm plebiſcita & Senatuſconſulta referebantur & promulgabantur, ne in tanta hominum frequentia promulgata latere quempiam poſſent. Ideoq; lex, Cicerone teſte jure lata non putabatur, niſi quæ Trinundino eſſet ante promulgata. Magiſtratuum quóq; candidati, Trinundino plebem circuibant, vnumquémque manu prehenſantes, ſuámque illi dignitatem commendantes. Cicero epiſt.* 11. *lib.* 16. *de Cæſare ſic ſcribit:* Néque iam velle abſente ſe rationem haberi ſui: ſe præſente Trinundinum petiturum.

Dionyſius & Macrobius conciliantur.

Duo autem hîc in quæſtionem veniunt. Primum eſt, cur Dionyſius affirmet, ruſticos & in agris commorantes ſeptem tantùm diebus ruri laboraſſe, & nono in vrbem ad mercatum conueniſſe? Quid octauo die egerint? Aut quî conueniat cum Dionyſii ſententia, quòd Macrobius ex Rutilio Galla lib. 1. *Saturn. refert*, Romanos inſtituiſſe Nundinas, vt octo diebus ruſtici in agris opus facerẽt: nono autem die, intermiſſo rure, ad mercatum legéſque accipiendas Romam venirent? *Reſpondeo, veram eſſe Dionyſii ſententiam, diuerſo reſpectu. Si enim incluſiuè numeres Nundinas, hoc eſt, dies ſeptem labori deſtinatos proximè antecedentes & ſequentes, erunt nouem dies: rectéque dicitur, nono quóque die ex agris ruſticos in vrbem conueniſſe. Néque nouum hoc videri debet, quum & nos Chriſtiani octiduum non rarò pro hebdomada vel ſeptimana vſurpemus, numerando, videlicet vtránque Dominicam, & ſex diebus, operi deſtinatis, addendo. Excluſiuè autem, hoc eſt, vnum tantùm diem Nundinarum numerando, Octauo die ad urbem venerunt, & ſeptem diebus laborârunt ruri. Proindéque error videtur eſſe Rutilii, qui dicit,* octo diebus reſtitos ruri opus feciſſe. *Confirmant noſtram ſententiam antiqua quædam diuerſis in locis reperta fragmenta Romanorum Faſtorum, ex quibus coniectura non leuis ſumitur octo tantum dierum, excluſiuè numerando. Nam menſes ita prænotatos habent literis, vt vſque ad H. perueniant, quæ eſt octaua litera: quemadmodum h. die quóque ex ritu Chriſtiano vſque ad ſeptimam hoc eſt, G. notantur. Sint igitur, exempli gratia, in menſe aliquo prima Nundinæ celebrata die prænotato litera A. ſi inde progrediaris per diem* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *notatos literis B. C. D. E. F. G. H. tantùm octo habebis dies, quorum primo ſunt Nundinæ, vt diximus, frequentata, reliquis ſeptem laboratum fuit. Si poſt H. rurſus incipias ab A. quo die altera Nundinæ ſunt habita, & vtrúnque A. id eſt, priores illas & has poſteriores Nundinas incluſiuè numeres habebis nouem dies.*

Nundinæ cur feriæ dicantur.

Secundo loco quæritur, cur Nundinæ feriæ dicantur? Nam Titus Quintus de Feriis ſcribens, Nundinarum dies non inter ferias retulit, ſed tantùm Sollennes vocauit. Et Iulius Modeſtus affirmauit, Meſſalâ Augure conſulente Pontifices, an Nundinarum Romanarum Nonarúmque dies feriis tenerentur? reſpondiſſe eos, Nundinas ſibi ferias non videri. *Trebatius etiam lib.*1. *Relig. ait*, Nundinis Magiſtratum poſſe manumittere, judiciáque addicere *Sextus Pōpeius quóq; lib.*6. *ſcripſit*, Nundinas fuiſſe ſine Feſto die. *Sed contra Iulius Cæſar lib. Auſpiciorum, negat Nundinis concionem aduocari poſſe, id eſt, cum populo agi: ideóque Nundinis Romanorum Comitia haberi non poſſe. Cornelius etiam Labeo lib*1. *Faſtorum, Nundinis ferias eſſe pronunciat. Et Sextus Pompeius lib.*12. Nundinas, *inquit*, feriarum diem eſſe voluerunt ANTIQVI, quo ruſtici mercandi vendendique cauſa in vrbem conuenirent, cúmque nefaſtum, ne ſi liceret

cum

cum populo agi interpellarentur nundinatores, *Cauſa verò huius varietatis apud Granium Licinianum inuenitur lib. 2. Ait enim*, Nundinas Iouis Ferias fuiſſe, ſiquidē Flaminica omnibus Nundinis Ioui in regia arietem ſolita fuerit immolare. Sed lege Hortenſiâ effectum, vt faſtæ eſſent, vti ruſtici, qui nundinandi cauſâ in vrbem veniebant lites componerent. Nefaſto enim die Prætori fari non licebant. Ergo, *inquit Macrobius*, qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio vetuſtatis. Qui contra ſentiunt, æſtimatu ætatis, quæ legem ſecuta eſt, vera depromunt.

Nundinarum origo. *Originem autem Nundinarum Dionyſius Halicarnaſſaus Romulo aſſignauit lib. 2. Antiquit. Rom. ſic inquiens.* Plebeiis tam ruſtica quàm bellica iniunxit (*Romulus*) munia: In pace omnes aſſueſaciens ruri degentes incumbere operi, niſi ſi quando mercatu opus haberent: tum verò in vrbem conuenientes verſari in foro, nonâ quáque die aſſignatâ Nundinis. *Macrobius lib. 1. Saturn. ex Tuditano refert*, Romulum communicato regno cum T. Tatio, ſacrificiis & ſodalitaribus inſtitutis, Nundinas quoque adiecisse. *Sed Caſſius Seruium Tullium feciſſe Nundinas dicit, vt in vrbem ex agro conuenirent, vrbanas ruſticáſque res ordinaturi. Geminus ait*, diem Nundinarum exactis iam Regibus cœpiſſe demum celebrari: quia plerique de plebe repetitâ Seruii Tullii morte, parentarent ei Nundinis: *cui etiam conſentit Varro. Sunt etiam qui à Thuſcis hanc Nundinarum obſeruationem acceptam velint: nam hi nono quóque die Regem ſuum ſalutabant, & de propriis negotiis conſulebant.*

In his porrò Nundinis epula celebrata ſunt, quarum fit mentio in l. cùm ſocietas. LXIX. *ff. pro ſocio, vbi ſic legitur:* Cùm ſocietas ad emendum coiret & conueniret, vt vnus reliquas Nundinas, id eſt, epulas pręſtaret, *Cuiatius in aliis editionibus ſic legi dicit*; vt vnus reliquas Nundinarias epulas præſtaret, *&c.*

In Nundinis epula celebrata.

Non diſſimilis huic apud Athenienſes fuit conſuetudo, qui, vt ex Vlpiano in Demoſthenem Adrianus Iunius refert, ter in menſe quóque Athenis Conciones & Conuentus habere conſueuerunt, de Reipub. negotiis conſiliis ineundis, ni belli neceſſitas aliud ſuaſiſſet. Primus autem conuentus fiebat vndecimo die menſis: ſecundus viceſimo, triceſimo tertius.

De Hebdomadis vel Septimanis, earúmque Origine, & dierum nominibus apud Ethnicos.

NVndinarum igitur Romanorum, ſi dies intermedios ſimul numeres, eadem penè fuit ratio quæ Hebdomadarum vel ſeptimanarum apud Iudæos & Chriſtianos. Vt enim hi ſex diebus, ſic illi ſeptem opus ruri fecerunt: vtque hi ſeptimo die ab omni opere ceſſant, ita illi octauo excluſiuè ſeu incluſiuè nono feriati ſunt. Non enim exiſtimandum, Romanos cum ſuis Nundinis, vel Athenienſes cum ſuis illis tribus ſolennibus Conuentibus, Hebdomadas vel Septimanas cum Iudæis communes habuiſſe. Nam ante Ptolemæum Septimanas à gentibus obſeruatas ex probatis authoribus non poſſe demonſtrari arbitror. Cenſorinus in libello De die Natali, Iudæos ſeptenarium in dierum omnium numeris ſequi *ait: quibus vtique non obſcurè innuit, Septimanas apud Ethnicos in vſu non fuiſſe. Neque obſtat, quòd antiquiſſimi Poëtarum Heſiodus & Homerus apud Romanos verò Cicero aliique Septimæ diei, quæ ſacra habebatur, nec non Septimanæ & Hebdomadæ mentionem faciunt. Ita enim Homerus.*

Nundinarum eadem fere ratio quæ hebdomadarum.

Hebdomadæ ante Ptolemæum apud Ethnicos non fuerunt in vſu.

Ε᾽βδομάτῃ δ᾽ ἔπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ:

Id eſt,

Septima lux rurſum ſacra & praſulgida venit. Item:

Ἑβδόμον ἦμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα:

Hoc eſt,

Septima lux aderat cuncta & perfecta fuerunt. Rurſus:

Ε᾽βδομάτῃ δή οἱ λίπομεν ῥόον ἐξ Ἀχέροντος:

Id eſt:

Septima vbi orta dies Acherontis liquimus vndas. Similiter & Heſiod.

Καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ:

Id eſt, Septima dies ſacra eſt.

Nam authores hi non loquuntur de diebus ſeptimanæ: ſed de diebus menſis Lunaris, vocantes aliquos ex eis fauſtos vel felices ad opus aliquod aggrediendum: alios vocant infauſtos & euitandos: alios appellant Sacros. Sic Heſiodus ſeptimam appellauit ſacram, quòd in ea Apollo ex Latona natus eſſet, ſic enim ſcribit:

Καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ·

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Idem trigeſimum diem menſis vocat & fauſtum & felicem. Non ergo Heſiodus de ſeptima die loquitur, quatenus recurrit quater in menſe, ſed quatenus ſemel eſt ſeptima dies menſis, eáque Sacram vocat, quòd Apollini eſſet natalis, eique dicata. Eodem modo ſecundus menſis dies Fauſto genio ſacer fuit. Pauſanias tertium quemque menſis diem Mineruæ conſecrauit. Quartus Mercurio dicatus erat,

non modò quòd quaternarius numerus illi Deo, tanquam τῷ ξαχείρῳ Præſidi, ſit ſacer habitus. Cappellâ teſte, verùm etiam quòd quartò menſis die in lucem fuerit editus, vt Plutarchus in Sympoſiacis lib. 9. indicat. Ad hac octauum quemque menſis diem apud Athenienſes Neptuno ſacrum fuiſſe Plutarchus in Theſeo refert. Nonum diem quem fugæ meliorem & furtis contrarium exiſtimauit Vergilius, Soli dedicat Dionyſius Halicarnaſſæus: quemadmodum decimum quintum Mineruæ, quòd in eo abſolutus ſit circulus. Pythagorici decimum ſeptimum ἀ'ποφράξιν, id eſt diremptorium diem vocârunt, prorſus conſecrato eo numero, Plutarcho teſte, quem & Vergilius pangẽdis vitibus felicem eſſe cecinit. Epicurei viceſimum quémque diem Sacrum ducebant, quòd is Epicuri natalis fuiſſet. Plethon penultimum cuiuſque menſis diem Platoni Sacrum perhibuit, vt Adrianus Iunius cap. 5. de Annis & Menſibus indicat.

Aliquando authores, hebdomadarum mentionem facientes, loquuntur de diebus conſequentibus motum Lunæ in Zodiaco, quos Medici κρισίμους, hoc eſt, iudiciarios vocãt, quia in eis fit pugna inter naturam & morbum: & medici ſumunt ex his indicium de ſalute vel morte agri: & ſunt ſeptima poſt quartam, decima quarta, 21. & 28. Hinc Cicero epiſtola 9 lib. 16. Tironi ſcripſit, Symphoniam Lyſonis velim vitâſſes, ne in quartam hebdomadam incideres. *Vbi per quartam hebdomadam intelligit diem 28. qui numerus ex quatuor ſeptenariis conſtat. Septimi autem quique dies in febribus criſimi ſunt & periculoſi. Néque verò ſolùm de diebus dicitur Hebdomada vocabulum, ſed etiam de annis, & quibuſcúnque rebus quæ ſeptenario numero comprehenduntur. Sic Gellius lib. 3. cap. 10. refert, M. Varronem lib. 1. de Hebdomadibus ſcripſiſſe, ſe iam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe, & ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum conſcripſiſſe.*

Poſt Ptolemæum Ethnici hebdomadas habuerunt. *Poſt Ptolemæi autem tempora Ethnicos ſeptimanas habuiſſe negari non poteſt, ſiue eas à Chriſtianis mutuati ſint, ſiue quòd dies cum Planetarum ſuorum numero conuenirent. Diem certè Solis, perinde vt noſtra Dominica, Sacram fuiſſe apud Ethnicos, ex Meltiadis Papæ Decretali epiſtolâ intelligitur in qua Chriſtianis ieiunium eius diei prohibet, ne cum Ethnicis ieiunare viderentur.*

Dies hebdomadæ ante Ptolemæum non planetarũ nominibus diſtincti. *Similiter nec dies hebdomadæ ante tempora Ptolemæi nominibus Planetarũ eo ordine, vt hodie, diſtincti fuerunt, ſed nominati ſolùm à numero quo ſe inuicem in menſe ſequebantur. Id hac ratione probo. Veteres Aſtrologi ante Ptolemæum ſtatuerunt Solem immediatè ſupra Lunam, ſic vt illis Saturnus eſſet primus, ſecundus Iupiter, tertius Mars, deinde Venus, poſt eam Mercurius, inde Sol, vltimo Luna. Iuxta hunc ordinem dies ſeptimanæ ſic debuiſſent diſponi à ſupremo Planeta incipiendo, vt primus eſſet Saturni, ſecundus Veneris, tertius Lunæ quartus Martis: deinde dies Solis, poſt quem dies Iouis, vltimo loco dies Mercurii. Sed hic ordo nèq; hodie néque olim obſeruatus fuit. Ptolemæus autem poſuit Solem in medio Planetarum, quorum ordo ob eo conſcriptus hic eſt: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.*

Iuxta hunc demùm ordinem dies ſeptimanæ, à Saturno incipiendo, ſic poſſunt diſponi & computari, vt primus ſit dies Saturni quem ſequi debet dies Solis, & hunc dies Lunæ, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris. Et hic eſt ordo qui olim obſeruatus fuit, vt adhuc hodie. Occaſionem ſine dubio Chaldæi dederunt, qui cuilibet diei Planetam gubernatorem attribuerunt: inde enim poſteriores diem totum à prima diei hora gubernatore & præſide denominârunt: quo obſeruato, proueniet ordo à Ptolemæo conſtitutus. Si enim diei noctisq; horas à prima ſtatim cœperis numerare, ſic vt primam Saturno, ſequentem Ioui, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, ſextam Mercurio, ſeptimam Lunæ tribuas, per eam ſcilicet orbium ſeriem, quæ à Ptolemæo tradita fuit, atq; idem denuò facias, donec horas 24. pertranſeas, inuenies primam ſequentis diei horam Soli aſſignatam: tum hoc idem in 24. horis illis eadem qua prius ratione ſi facias, Lunam primam tertii diei horam conciliabis: quòd ſi ſubinde hoc ipſum in cæteris obſeruabis, congruentem planè Deum ſibi dies quilibet aſciuerit.

Sed exemplo res clarior fiet. Prima diei ſabbathi hora Saturnus dominatur, ſecunda Iupiter, tertia Mars, quarta Sol, quinta Venus, ſexta Mercurius, ſeptima Luna; iterúmque Saturnus octauæ eiuſdem diei, ac denuò decima quinta, & vigeſima ſecunda: ſed vigeſima tertia Iupiter, vigeſima quarta Mars. Vigeſima quinta, quæ eſt prima hora ſequentis diei, quem nos Dominicum vocamus, obuenit Soli, quamobrem eum diem dicârunt Soli. Eadem de cauſa, & eodem computationis ordine ſeruato, prima hora ſequentis diei obuenit Lunæ, ideò diem illum Lunæ aſſignârunt. Simili ratione diem proximè ſequentem Marti attribuerunt, poſteram Mercurio, ſicq; in cæteris. Hic ergo eſt ordo dierum ſeptimanæ aſſumptus, & deductus ex ordine Planetarum à Ptolemæo, qui claruit circa annos Domini 140. ſub Antonino Pio, vt ex libro 2. cap. 1. & lib. 7. cap. 5. de Magna Conſtructione colligitur. Intelligit ergo Lector ante Ptolemæum dies hebdomadæ per nomina Planetarum non fuiſſe diſtinctos.

Dionis locus & *Confirmari poſſe noſtram ſententiam quóque Dionis teſtimonio arbitror, qui vixit ſub Alexan-*

aius interpretatio

xandro Seuero, circa annos Chriſti 225. is enim libro 7. & 30. hac de re ita ſcribit : Nam quòd his, *inquit*, ſeptem ſtellis, quæ Planetæ vocantur, dies aſſignari receptum eſt, inuentum quidem putatur Ægyptiorum : ſed in omnes tamen homines haud ita pridem vulgari cœptum. Cæterum Græci veteres ; quantum equidem ſciam, nullo prorſus eam rem pacto cognitam habuerunt. *Singula verba diligenter perpende. Diſtinctio dierum per nomina Planetarum, non ipſe affirmat, multò minus probat inuentum eſſe Ægyptiacum antiquum, ſed haberi ſaltem dicit : ſi quid certi ea de re ei in promptu fuiſſet, procul dubio aſsignâſſet. Deinde negat veteras Græcos eam rem aliquo pacto cognitam habuiſſe. Tertiò dicit, hoc inuentum non ita pridem ante tempora ſua in vulgus ſparſum fuiſſe: floruit autem Dion annos 90. poſt Ptolemæum ſub Alexandro Seuero vt diximus. Auguſtinus quóque in Pſal. 93. teſtatur, ſuâ adhuc ætate, non omnes gentes dies ſeptimanæ his Planetarum nominibus, ſed alias atque alias aliter vocâſſe. Vnde turpiſsimus eorum error deprehenditur, qui affirmare auſi ſunt, hæc dierum nomina Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris & Saturni à Deo ſic ordinata fuiſſe & eis impoſita ab origine mundi, non hominum vanâ præſumptione ita nuncupata : vt Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, qui Hieronymi & Auguſtini temporibus vixit, indicat in eo quem de Hæreſibus libro ſcripſit, vbi etiam hanc ſententiam inter hæreſes habendam eſſe Chriſtianis hominibus docet. Quam opinionem Auguſtinus quóque confutat eodem loco, cuius modò meminimus, vbi dicit,* Sydera quidem hæc à prima mundi origine fuiſſe ; eos autem, à quibus denominata ſint, mille aliquot ſeculis poſt viuere demùm cœpiſſe. *Verba eius hæc ſunt :* Illi omnes, de quorum nominibus appellata ſunt Sydera, homines fuerunt: nec ex eo eſſe cœperunt iſta Sydera in cœlo, ex quo illi eſſe cœperunt. Erant è ibi fuerunt : ſed per beneficia quædam mortalium mortalia illi homines pro tempore ſuo, quia plurimùm potuerunt & eminuerunt in hoc ſeculo quum chari eſſent hominibus, non propter vitam æternam, ſed propter commodum temporale deferebantur eis diuini honores. Veteres enim vates decepti, & decipere volentes, in eorum adulationem qui ſibi aliquid ſecundùm amorem ſeculi præſtitiſſent, Sydera oſtendebant in cœlo, dicentes, quòd illius eſſet illud ſydus, & illud illius. Homines autem qui antè non aſpexerant vt viderunt, quia ibi erant & illa ſydera antequam naſcerentur decepti crediderunt, & concepta eſt opinio vanitatis. *Philaſtrius huius erroris authorem Hermem fallaciſsimum Vatem conſtituere videtur, quem ſuprà citato loco dicit hæc nomina vaniſſima & friuola mentiendo auſum fuiſſe nuncupare. Vbi etiam diſcimus, Martis cum Saturno aliorúmque Planetarum coniunctiones non eſſe timendas, quum hæc eis nomina non à Deo, ſed hominibus ſuperſtitioſiſsimis ſint impoſita.*

Nomina dierũ hebdomadæ apud Germanos. Sonntag.

Germani partim retinuerunt gentilitia hæc nomina, partim mutârunt. Eum enim quem aliâs vocamus Dominicum, *à Domino Ieſu, qui eo reſurrexit à mortuis* Sonntag *ipſi appallant, quaſi Solis diem, à Sole : quem Tuiſconis fuiſſe vxorem dixere : eſt enim Solis nomen apud Germanos fœminini generis, dicimus namq́* Die / *non* Der Sonn. *Eam in numerum Dearum retulerunt, & herbis, morbis, ac puerperiis præfecerunt. Nec quiſquam auſus fuiſſet apud veteres Germanos dicere,* Solem occidere *ſed valedicere, quum nimirum infra horizontem deſcendens, è conſpectu noſtro ſeſe ſubducit. Qua de re Auentinus lib. 1. Annal. fol. 26. in Germanicâ æditione ſic ſcribit :* Sie haben deß Tuiſconis weyb / fraw Sonnen / vnder die Götter gezele / ſie eine Königin des Himmels / auch nach ihr den erſten tag der wochen genennt / vber kreüter / franckheiten / vnd kindbettinen geſetzt. Kainer dorfft ſagen / ſie gienge vnder / ſonder ſie gienge zu röſt / vnd gnaden / wie dann noch das närriſch volck etwan thut.

Mōtag.

Solis diem proximè ſequentem à Luna vocârunt Montag / *Luna enim nobis* Mon *vel* Man *dicitur. Cur autem & vnde Luna à Germanis ſic appelletur Auentinus eodem loco indicat, videlicet à Tuiſconis filio* Man *vel Manno, qui ſucceſſit parenti in imperio, regnauitq́ annis 72. Ab eo viri dicuntur* Mann / *& patria noſtra Germania : cum Majores noſtri cœlo locârunt, eiuſq́ auxilium in maximis periculis implorârunt : ab eo quoq́ Lunam nominârunt, & menſes qui lunæ curſu conficiuntur : nihil magni & præclari aggrediendum putârunt, niſi in nouilunio aut plenilunio. Verba Auentini hæc ſunt :* Dem König Tuiſco hat im Regiment nachgefolget ſein Sohn: der Man genannt / iſt ein gewaltiger Herr vber alle ding geweſen 72. Jahr. Nach ihm werden wir die Mān genennt / vnd Teutſchland Mannrech. Vnſere Altforderen habē ihn von ſeiner mannheit wegen in Himmel geſetzt / zu einem Gott gemachet / vnd auffgeworffen zu einem beſonderen groſſen nohthelffer. Wo ſie in nöthen oder groſſer andacht ſind geweſen / haben ſie ihn angerufft / nach ihm das Nachtliecht / die Monat / vnd den anderen tag in der wochen Montag genannt / Nichts groſſes angehebt / weder in fried noch krieg / dann wann er New oder Voll iſt worden.

Martis diem Germani appellant Zinſ-

Zinſtag. ſtag.

Mittwoch. *Mercurii* Mittwoch/ *quod ſit in media hebdomoda.*

Donſtag *Iouis diem nominant* Donſtag/ *vel* Donnerſtag/ *à Ioue altitonante, quaſi tu dicas* tonitrui diem, *vel* altitonantis diem.

Freytag. *Veneris diem vocant* Freytag *à* Freia *Iſteuonis coniuge & Germanorum Venere, quam coniugio præfecerunt etiam. Sic enim Auentinus:* Iſteuon König in Teutſchland/ vnnd der Teutſchen Mercurius/ hat ein Haußfraw gehabt mit namẽ Freia/ die Teutſche Venus/ die haben ſie vber die Ehe geſetzt/ vnd vermeint ſie ſeye ein verwalterin vnnd beſchützerin der Eheleuten/ vnnd Ehelichen ſtands gewaltige Göttin: haben auch nach ihren den ſechſten tag in der wochen Freytag genẽnet/ *quaſi* Freytag. *Inde Germanis quoq;* freyen, *matrimonium contrahere ſignificat: & reperiuntur adhuc hodie ſuperſtitioſi homines, qui arbitrantur, nullum diem hoc ipſo feliciorem & magis fauſtum ſponſalibus eſſe.*

Sammſtag. *Vltimum hebdomodæ diem Germani nominant* Sammſtag: *quæ corrupta vox eſſe videtur à Sabbatho vel Saturno, quaſi* Sabbattag.

CAPVT VI.

De IDIBVS.

Idus vnde dictæ. IDVVM *nomen, vt Macrobius refert, à Thuſcis deſumptum eſſe nonnulli arbitrantur, apud quos is dies* Itis *vocabatur, vel vt Varroni places,* Itus. Item *autem ſeu* Iium *interpretabantur Thuſci* Iouis fiduciam, *hoc eſt, diem qui nocturnis caret tenebris. Cùm igitur Iouem lucis authorem veteres exiſtimârint, vnde & Lucetium Salii in carminibus canebant, & Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocabant, Romani etiam* Dieſpitrem, *quaſi diei patrem appellabant: ideò iure hunc diem,* Iouis fiduciam *vocari putârunt, cuius lux cum Solis occaſu non finitur, ſed ſplendorem diei ac noctis continuat, illuſtrante lunâ, quod ſemper in plenilunio ſeu medio menſe fieri ſolet. Huic ſententiæ Plutarchus quoq; ſuffragari videtur, qui in Problematis Rom. Idus deriuari putat* ἀπὸ τῦ εἴδους, id eſt, *à ſpecie & pulchritudine propter Lunæ tunc collucentis ſpeciem & pulchritudinem: vnde & quidam Eidus per diphtongum potius, quàm Idus per ſimplex I. ſcribendum cenſent. Alii putant Idus dictas, quaſi* Vidus, *detractâ literâ V. ſicut contrà, quòd Græci* ἰδεῖν *dicunt, Latini V. literâ additâ videre dicunt. Sunt qui exiſtiment Idus ad* Oue Iduli *vocatas, quæ omnibus Idibus apud Hetruſcos à flamine immolabatur. Macrobio tamen magis arridet ea etymologia, quâ Idus ab* Iduando *verbo deriuantur:* Iduare *autem Hetruſcâ linguâ diuidere eſt. Iduum enim dies menſem diuidere videtur: vnde & vidua quaſi Idua, hoc eſt à viro diuiſa dicitur.* Iduare quid.

Idus Ioui ſacræ. *Idus autem omnes Ioui erant Sacræ. Nam quia Iupiter pro luce accipitur, Idibus autem plenilunium accidit & nox tenebris caret, proptereà omnes Idus Iouis ferias obſeruandas ſanxit antiquitas, Macrobio teſte. Idibus autem ouis alba ſicuti diximus, Ioui mactabatur, dicebatúrque* Idulis; *authore Feſto. Vnde Ouidius lib. I. Faſt.*

Idibus alba Ioui grandior agno cadit.

Idibus præcipua feria dicata. *Ex hac hoſtia ferunt albogalerum fieri ſolitum, quo Diales flamines, hoc eſt, Iouis Sacerdotes vtebantur, cui affigebatur apex virgulâ oleaginâ.*

Præterquam autem quòd Idus omnes Ioui feriatæ erant, præcipuæ etiam feriæ quædam Idibus dicata fuerunt, quas veteres coli obſeruariq; iuſſerunt, vt illas prætermittere, & inſolennes relinquere, ducerent nefas: de quibus prolixè Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 17. & 18. Vnde etiam Auſonius vocat Idus Almam diem, & geniis Deorum cultam.

CAPVT VII.

Feſta quæ menſe Ianuario à Græcis ſunt Celebrata.

ΓΑΜΗΛΙΑ.

ATHENIS γαμήλια Gamelia *feſtum erat, quod in honorem Iunonis Gameliæ, hoc eſt, nuptialis, menſe Gamelione, qui noſtro Ianuario vt plurimùm reſpondet, celebrabatur, quam ſtatuit Cecrops, Phauarino teſte, & cui in hac ſolennitate ſactum fiebat, non tamen fel victima ſacrificabãt, ſed eximentes poſt aram proiiciebant: id nimirum ſignificante Legiſlatore, neque bilem neq; iracundiam in nuptiis & coniugio eſſe oportere; cuius rei etiam meminit Euſebius lib. 3. de Præparatione Euangelica.*

ΛΗΝΑΙΑ ΚΑΙ ΑΜΒΡΟΣΙΑ

Donati error. IOnes in honorem Dionyſii ſeu Bacchi Feſtum quotannis celebrârunt, quod ab ipſo Ληναιον, *ſiue pluraliter* Λήναια *nominârunt. Dictus enim fuit Dionyſius* Ληναῖος *Lenæus, non, vt Donatus ineptè putauit, quòd leniat à curis mentem: quî enim Græcum nomen poteſt Latinam etymologiam recipere? ſed* ἀπὸ τῦ ληνῦ, *hoc eſt, à torculari: vnde & Moſcopulus eum* τῶν ληνῶν ἐπιστάτην *Præſidem torcularium nominat. Ab hac etiam feſta Gamelionem, menſem Atticum,* Ληναιῶνα *Lenæum ſeu Lenæonem Iones appel-*

pellârunt, quia per id tempus vina in ciuitatem importari eſſent ſolita. Nominârunt etiam Feſtum hoc Ἀμβρόσιον, vel plurali numero Ἀμβρόσια. De quibus omnibus plura diximus ſuprà in Ianuario.

ΑΦΙΞΙΣ ΙΣΙΔΟΣ ΕΚ ΦΟΙΝΙΚΗΣ.

Ægyptij apud Hermupolim ſeptimam diem menſis Tybi, qui Ianuario noſtro reſpondet, partem tamen Decembris ſibi quoque vendicat, Feſtam agentes, eámque Ἄφιξιν Ἴσιδος ἐκ Φοινίκης *nominantes,* ἐπίπλαττον ἐπὶ τοῖς ποπάνοις ἵππον ποτάμιον δεδεμένον, *id eſt, ex placentis effingebant equum fluuialem vinctum. Itaque etiam in eâdem vrbe ſimulachrum oſtēdebatur Typhonis, equus fluuialis, cui accipiter inſiſtebat contra ſerpentem pugnans: equo Typhonem indicantes accipitre vim & principatum,* ὡς βίᾳ κτώμενος ὁ τύφων πολλάκις ἐκ ἀνιᾶται περισπώμενος ὑπὸ τῆς κακίας καὶ ταράττων: *quibus vi potitus Typhon ſæpenumero non defatigabatur præ malitia turbatus atque turbans, vt Plutarchus ſcribit in lib. de Oſiride. Fiebant itaque hæc ab ipſis in contumeliam Typhonis, qui Oſiridem interfecerat, menſe Tybi: Plutarchus tamen paulò ante hunc locum hæc facta ab ipſis menſibus Payni & Phaophi teſtatur. In hoc & aliis Feſtis & Sacrificiis ſimilia multa faciebant in Typhonis ignominiam: contumelioſè tractabant rufos, aſinúmq; de præcipitio deÿciebant Coptitæ, quòd rufus & aſinino colore fuiſſet Typhon. Buſiritæ ac Lycopolitæ tubarum vſu omninò abſtinebant, quòd harum ſonus aſinina voci eſſet ſimilis, eodem authore.*

Feſtum hoc celebratum in contumelia Typhonis.

CAPVT VIII.

De Ferijs quæ IANVARIO menſe à Romanis ſunt Celebratæ.

CALENDÆ IANVARIÆ.

Ceremonia calendis Ian. à Rom. obſeruata.

E*Rant quidem* Calendæ *omnes Iunoni Sacra, vt ſuprà indicauimus, peculiariter tamen Romani Calendis Ianuariis ſuo Iano ſacrificabant & Ioui, vnde Herodianus lib. 1. ſic ſcribit:* Νέῳ μὲν γὰρ ἔτει σέβουσι τὴν ἑορτὴν Ῥωμαῖοι εἰς θεὸν ἀρχαιότατον, τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριον ἀναφέροντες: *id eſt,* anni ineuntis diem Romani Feſtum agunt, ad vetuſtiſſimum Italiæ Deum eum referentes. *Ac hortatur Ouidius lib. 1. Faſt. ciues Romanos, vt prima huius diei orta luce, adſint ſacrificiis. Fiebant autem Sacra hoc die Iano ex libo, quod ab eo antiqui* Ianual *vocârunt, authore Feſto: item ex mola, quæ farinâ hornâ & ſale miſcebatur: adhæc mero & thure. Sic enim Ouidius,*

Iane tibi primùm thura merumq; fero.

Hortatur adhæc Ouidius Rom. ciues, vt linguam coerceant, mentémque adhibeant, ſic inquiens:

Proſpera lux oritur, linguíſque animíſque fauete:
Nunc dicenda bona ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanáque protinus abſint
Iurgia: differ opus liuida turba tuum.

Hoc tamen referendum ad contentiones forenſes, amicorum iurgia & maledicentiam inuidorum: alioquin enim hoc die non vacabant contentione & certamine, ſed artis demonſtratione quam quiſq; callebat, certabant: vt bono omine ab anni initio captato, idem toto anno profeſſuri eſſent. Sic enim Ouidius:

Poſt ea mirabar cur non ſine litibus eſſet
Prima dies: cauſam percipe, Ianus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis,
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.
Quíſque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quàm ſolitum teſtificatur opus.

Vnde Columella quoq;, Ita tamen, *inquit,* vt agricolæ ipſis Calendis Ianuariis auſpicādi causâ omne genus operis inſtaurent.

Aſcendebat etiam populus nouis indutus veſtibus, cum Conſulibus nouum Magiſtratum inituris in Capitolium hoc die: vbi immolabant iuuencos albos rudes operum: nec tantum intra templa, ſed etiam præ foribus eorum ſuaueolentia incendebant: quod his verbis innuit Ouidius:

Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
Et ſonet accenſis ſpica Cilissa focis.
Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum.
Et tremulum ſumma ſpargit in æde iubar.
Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus Feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Iamq; noui præeunt faſces, noua purpura fulget,
Et noua conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.

Obſeruatum hoc fuit ab anno Vrbis 601. quo Q. Fuluius Nobilior & T. Annius Lucus Conſules fuerunt: ab hoc tempore hic dies Solennis Conſulatu ineundo fuit: Simúlque Votorum fiebat nuncupatio, quibus noui Conſules & Flamines pro ſalute & incolumitate Reipub. Solēne obibant juſiurandum, Tacito authore. His adde, quòd Calendis Ianuar. Conſulibus & Magiſtratum ineuntibus, lauri folia à populo dabantur, cum iſchadibus boni ominis ergò. Nam laurus

H 4 *efficax*

efficax eſſe aduerſus venena, & ſanitatem conciliare credebatur, referente Cælio lib. 5. cap. 7.

3. *Adhuc primum anni incipientis diem lætis precationibus inuicem fauſtum felicémque precabantur. Cauſam huius ritus Ouidius reddit:* Omnia principiis, inquit, ineſſe ſolent. *Et Plinius*, Cautum erat apud Romanos, *ait*, ne quod mali ominis verbum Calendis Ianuarijs efferretur: *ſi quid enim ſiniſtra omine auditum eſſet, infelicem annum portendere precabatur: quod idem & priuatim diebus Natalibus obſeruabant. Hinc eſt quòd Meuius quidam (vt ſcribit Porphyrio) poſt abſorptum patrimonium, Calendis Ianuariis altâ voce optauit, vt quinquagintâ millia nummorum æris alieni haberet. Cúmq; admiratus quidam aſtantium quæſiuiſſet quid hoc ſibi vellet, quòd tam ſolenni die optaret ſibi incommodum? Meuius reſpondit:* Non eſt quòd mireris, octingenta enim millia debeo. *Vnde etiámnum hodie, Paulo Marſo teſte, in tota Græcia & omnibus ferè Italiæ vrbibus diluculo Calendarũ Ianuar. pueri ad Nobilium ædes accedentes, quibuſdam rhythmis eos ſalutant, & felicem annum eis imprecantur: qui mos inde ad Heluetiôs & Germanos vſque fluxit etiam.*

4. Strena quid. *Mos quoque apud Romanos fuit Calendis Ianuariis vltro citróque mittere munera, quæ* Strenas *appellárunt.* Strenam, *inquit Feſtus lib. 17.* vocamus munus, quod datur die Feſto, ominis boni gratiâ, à numero quo ſignificatur alterum, tertiúmque venturum ſimilis cõmodi, veluti Trenam, præpoſita S. litera, vt & in loco & lite ſolebant antiqui, dicentes Slocum, Slitem. *Contra autem Nonius*, Strena, *inquit*, dicta eſt à ſtrenuitate: quòd viris ſtrenuis ea conueniat, ob virtutem, *vt Symmachus ad Theodoſium & Arcadium Impp. ſcripſit. Vel à luco ſtreniæ, ex quo Tatius Rex verbenas felicis arboris noui anni auſpices primus accepit, vt idem Symmachus ad eoſdem retulit. Erant autem hæc munera apud priſcos illos Romanos palmarum poma, quæ cariota ſeu cariotides appellantur, caricæ & mella, vnde tunc* Dulciaria *dicebantur, progreſſu verò temporis pauperum tantùm erant huiuſmodi dona. Vnde Martialis in diſtichis:*

Dulciaria. Aurea porrigitur Iani Cariota Calendis:
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet. *Et alio loco:*
Hoc linitur luto Iani Cariota Calendis,
Quam fert cum paruo ſordibus aſſe cliens.

Mittebant autem inuicem Dulciaria hac die hoc, in omen futuræ ſuauitatis ineuntis anni: & vt dulces dies anni à dulcibus rebus auſpicarentur, quod Ouidius docet lib. 1. Faſt. ſic canens.

Quid vult palma ſibi, rugoſáque carica, dixi,
Et data ſub niueo condita mella cado?
Omen, ait, cauſa eſt: vt te ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

Quum autem Imperium Rom. auctum eſſet, & dira cupido habendi animos ciuium inceſſiſſet, relictis his Dulciariis pauperibus vti diximus, ditiores aurea & argentea vltro citróque mittebant munera. Vnde Symmachus ad Theodoſiũ & Arcadium Auguſtos ſic ſcripſit de Strenis loquens: Sumite, *ait*, defenſores publicæ ſalutis ſolenniter auro ducta munuſcula, non quia diuitiis metalli honore gaudetis, ſed vt noſtra deuotio felicis ſeculi teſtetur opulentiam. Bonis Principibus benè parta libemus, ſuſcipite à judicibus aperta obſequia, qui precia occulta damnatis. Merito vobis ſolennes pateras cum quinis ſolidis, vt Numinibus integratis offerimus, quibus nec veſter pudor, nec noſter cenſus oneratur. *Sic Tranquillus de Auguſto Cæſare ſcribit:* Calendis Ianuarijs, *inquit*, Strenam in Capitolio, etiam abſenti, ex qua ſumma pretioſiſſima Deorum ſimulachra mercatus, vicatim dedicabat, vt Apollinem ſandaliarium, & Iouem tragœdum, aliáque in reſtitutionem Palatinæ domus incendio abſumptę, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam ſingulatim è cætero genere hominum libentes, ac pro facultate quiſque pecunias conſulerunt, delibante tantummodò eo ſummarum aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. *Hæc verò aurea & argentea munera, Ouidius* Stipem *vocat lib. 1. Faſt. ſic inquiens:* Dulcia cur dentur, video: Stipis adijce cauſam. *Eſt autem Stipis, Feſto teſte, nummus ſignatus: cuius rei etiam indicio eſt, quòd pecunia, quæ militibus datur, Stipendium dicitur, & Sponſio pecuniarum ſtipulatio. Laudat verò Ouidius priſcam illam ſimplicitatem, & damnat ſui temporis opulentiam & luxuriem: quæ tandem eò vſq; progreſſa fuit, vt non ſolùm hoc die, ſed aliis etiam huius menſis darent & acciperent Strenam. Sed cum Strenarum dies legitimus eſſet Calendæ Ianuar. id eſt, anni initium, ideò Tiberius Imp. edicto prohibuit, ne Strenarum commercium vltra Calendas Ian. exerceretur, Suetonio teſte, qui Strenarum commercium vocat viciſſitudinem dandi & accipiendi Strenas. Addit idem author de Tiberio:* Conſueuerat quadruplam Strenam, (*hoc eſt, quadruple maiorem quàm ipſe accepiſſet*) de manu reddere, ſed offenſus ſe interpellari toto menſe (*Ianuario*) ab ijs qui poteſtatem ſui die Feſto (*Calendis Ian.*) non habuiſſent, vltra non reddidit.

Mos mittēdi aurea & argētea munera Calend. Ian. Romæ quādo cœperit.

Stipis quid.

Hac

Strenarũ origo

Hac autem Strenarum origo, quâ felicem ominabantur annum ipſius auſpicio & initio, à Tatio Rege manôſſe dicitur, qui primùm Romuli hoſtis, deinde collega in regno Romano fuit, ſicuti Turnebus in ſuis Aduerſariis annotat, & Symmachi authoritate probat. Sic enim ille in epiſtola ad Theodoſium & Arcadium Auguſtos: Ab exortu, *inquit*, penè vrbis Martiæ Strenarum vſus adoleuit authoritate Tatij Regis, qui verbenas filicis arboris ex luco Streniæ anni noui auſpices primus accepit. *Idem Symmachus ad eoſdem in alia epiſtola ſic ſcripſit:* Calendas anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, impertiendis Strenis dicauit antiquitas: hujus inſtituti vſum munificentiæ feſtinatione peruertitis, feram putantes liberalitatem, quæ ſtatis temporibus amouetur.

Herodianus lib. 1. quæ pluribus diximus paucis verbis complectitur: ταύτῃ τῇ ἑορτῇ Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους, καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀντιδόσεσι, καὶ κοινωνίᾳ τῶν γῆς καὶ θαλάττης καλῶν διαφαίνουσιν αὐτούς, ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τό τε πρῶτον τὴν ἔνδοξον καὶ ἐναύσιον πορφύραν περιτίθενται.

Calẽdæ Ian. celebriores factæ.

Huic Iani Feſto Cal. Ian. celebrato, acceſſit progreſſu temporis inde plurimùm celebritatis, quòd eo ipſo die duo templa, alterum Iouis, alterum Æſculapij, dedicata & conſecrata in inſula Tiberina eſſent, vt Ouidius lib. 1. Faſt. teſtatur:

Quod tamen ex ipſis licuit mihi diſcere Faſtis
Sacrauere Patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo, nymphâque Coronide natum
Inſula diuidua quam premit annis aqua.
Iuppiter in parte eſt, cepit locus vnus vtrumque
Iunctáque ſunt magno templa nepotis auo.

Seruius autem Grammaticus refert, nihil apud Romanos tam ſolenne fuiſſe, quàm diem conſecrationis.

Hæc Religio diei huius cauſa videtur fuiſſe, quòd quum in primordio naſcentis Eccleſiæ omnibus diebus ſine diſcrimine perſequerentur Chriſtianos, hoc vno tamen die à cæde eorum obſtinerent. Vnde D. Hieronymus author eſt, nullum eſſe toto anno, præter Calendas Ian. diem, quo non afflicti ſupplicio è Chriſtianis quingenti Martyres numerentur.

5. *Ambroſius Serm. 17. indicat, gentes hanc Solennitatem epulis tranſegiſſe, nec non acclamationibus & ſaltationibus impiis. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 15. refert, Ethnicos hoc die formas monſtroſas induiſſe, alios pelles pecudũ, alios capita beſtiarum, viros mulierum, mulieres contrà virorum veſtes: nonnullos menſam refertam varij generis epulis adornatam, & poculum mulſo miſtum tota illa nocte domi ſuæ habuiſſe, fertilitatem futuri anni ſic auſpicantes. Meminit poſtrema huius idololatriæ & Hieronymus lib. 18 in Iſaiam, & dicit eam in cunctis vrbibus, maximè autem in Ægypto & Alexandria in vſu fuiſſe.*

Illud denique non omiſerim Calendis Iannoriis Solenne ſacramentum quotannis à Romanorum militibus in caſtris exigi & præſtari ſolitum. Prius quidem ſua ſponte decuriati equites, centuriati pedites ſacramenta mutuò præſtabant: Deinde verò Paulo Æmilio & Terentio Varrone Coſſ. tunc primùm, quod nunquam antea factum, per Tribunos militum à voluntario ſacramento, ad legitimum iuſiurandum milites adacti fuere. Quod quidem Imperator præſtare tenebatur primus, ſuo mox ordine ſubſequebãtur Legati, deinde Tribuni, hinc Centuriones, poſtea Decuriones, mox Præfecti caſtrorum, demùm milites eo quo diximus die. Iurabant autem per Deos, poſtea in acta Principum, ſe iuſſu Conſulum conuenturos, nec è caſtris, eorum iniuſſu, quæſitis occaſionibus abituros, non fugæ formidiniſue cauſa extra ordinem receſſuros, niſi teli ſumendi, vel hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſa. Neq; in exercitu, propiúsue 10. paſſuum millia, pluris argentei nummi furtum facturos: extraq; haſtam, ligna, pabulum, vtrem, follem ſi quid, quod pluris eſſet, nacti fuiſſent, id omne ad Conſules delaturos, aut dominis reddituros. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 20. 6. Iuramẽtum ſolenne in caſtris calendis Ian. exigebatur.

COMPITALIA.

Compitaliorũ author.

COmpitalia *Seruius Tullius Romanorum Rex, à Plinio lib. 36. cap. vltimo, ob miraculoſos Natales ſuos inſtituiſſe ſcribitur. Fuerunt autem eiuſmodi, vt Dionyſius lib. 4. ex Latinis authoribus refert: Ex foco regiæ, vbi cùm alia Sacra domeſtica ſolebant fieri, tùm cœnarum libari primitiæ, extitiſſe virilis membri ſpeciem. Id primã conſpicatam Ocriſiam, bello à Tarquinio Priſco captam, & Tanaquili vxori dono datam, ſed ab eo manumiſſam: quæ ex more liba eò tulerat, indicâſſe Regibus. Viſo prodigio, miranti marito Tanaquilem vxorem prudentem alioquin & Thuſcarum cum primis peritam artium, dixiſſe ſolam ſoli, fatale eſſe in Regia majorem homine prolem naſci ex ea fœmina quæ cum ſpectro illo concumberet. Id quũ confirmâſſent alij quoq; prodigiorum interpretes, placuiſſe regi ipsã cum eo coire, cui prima apparuerit: ac mox mulierem nuptiali ornatu exultam incluſam eſſe in cubiculum, congreſſámq; cum quopiam Deo, vel Genio, ſiue is Vulcanus fuerit, vt tum vulgò creditum ſit, ſiue familiaris Lar: poſtquam is diſparuit grauidam factam legitimis menſibus exactis peperiſſe Seruium Tullium. Ac ne fabuloſum hoc videretur, fidem rei prodigio nouo confirmatam idem tradit. Puero*

Seruij Tullij natales quales.

enim

Digitized by Google

enim in Regio cubiculo meridianti flamma emicuit è capite, matre ipſâque Regina inſpectante cum mulieribus & aliis qui tum fortè aderant: nec prius ardere caput deſiit, quàm excitato à matre flamma ſimul cum ſomno euanuit. Quæ omnia ego conficta arbitror, vt hoc pacto Tullio è ſerua, ſed parente Tarquinio, nato, maior apud ſubditos eſſet authoritas. Quicquid ſit, Seruium Tullium creditum Laris familiaris eſſe filium, ob id Compitalia & Ludos Laribus inſtituiſſe Plinius author eſt. Sunt qui hos Ludos eoſdem eſſe velint cum Romanis & Plebeijs ſeu popularibus, quos ego tamen diuerſos arbitror. Nam Compitalitij circa Ianuarium tantùm hyemis tempore, Romani verò per totum annum celebrati ſunt. Error autem inde natus videtur, quòd in Romanis ludis ſimulachra portata, paſſim in compitis vrbis poſita fuerunt, vnde & Compitalitij aliquando dicti ſunt.

Ludi Compitalitij ac Romani ac Plebeij diuerſi.

Mandauit autem, vt Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4. refert, vt per omnia compita, vnde & nomen habent, viciniæ Sacella lignea dedicarent Laribus, & quotannis eis Sacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus. Sacrificiis Compitalia ſacra facientibus non ingenuos, ſed ſeruos miniſtrare voluit, quaſi hoc gratius eſſet Laribus: quod Feſtum noſtra quóque ætate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia cum primis celebre & ſumptuoſum, Compitalium appellatione. Duratque mos ille priſcus in Sacris placandi genios per ſeruorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate manſuetiores redditi dominos ſuos chariores habeant, & leniùs ferant ſuæ fortunæ inclementiam. *Hæc Dionyſius.*

Compitaliorum ritus.

Macrobius autem aliter ſentire videtur, qui lib. 1. Saturnal. cap. 7. ita ſcribit: Qualem nunc permutationem memoraſti ſacrificii, inuenio poſtea Compitalibus celebratã, cuius Ludi in compitis agitantur. *Nam* Reſtituti ludi à Tarquinio ſuperbo Laribus ac Maniæ, ex reſponſo Apollinis: quo præceptũ eſt, vt capitibus pro capitibus ſupplicaretur. Idq; aliquandiu obſeruatũ pro familiarũ ſoſpitate, vt pueri mactarentur Maniæ Deæ, matri Larũ: quod ſacrificij genus Iunius Brutus Conſul pulſo Tarquinio aliter conſtituit celebrandum: Nam capitibus alij & papaueris ſupplicari juſſit, vt reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitũ, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis: factumq; eſt, vt effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum ſi quando immineret familijs, expiarent: ludóſque ex vijs compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellauerunt. *Hæc Macrobius. Feſtus ait,* Pilæ effigies viriles &, muliebres ex lana, Compitalibus ſuſpendebantur in Compitis: & hunc diem Feſtum eſſe Deorum inferorum, quos vocant Lares putarunt: quibus tot pilæ, quot capita ſeruorum: tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, vt viuis parcerent, & eſſent ijs pilis & ſimulachris contenti. *Lani enim (authore Plinio) veteres Romani authoritatem religioſam habuere, poſtes à nubentibus attingi jubentes, apud quos flamines pileum ferebant, in quo erat breuis virga, deſuper habens lanæ aliquid. Cùmque capellis per Lupercos mactatis gemini adoleſcentes præclari ſanguinolenta gladio fœdatam ſibi faciem attingerent, alij illico cum lana lacte madida accurrebant, atque abſtergebant ſanguinem.*

De Ludis Compitalitiis Iulius Cæſar Scaliger lib. 1. Poët. cap. 8. ſic ſcribit: Ante vrbem deſignatam à vicorum compitis, in quibus agitabant agreſtes, ludi & facti & dicti Compitalitij: intermiſſi deinde ad Seruium vſque Regem, ac per vicorum Magiſtros inſtaurati, quemadmodum à L. Piſone iterum curatum eſt, vt per eoſdem Magiſtros, qui tunc Præfecti nominati ſunt, reſtituerentur. Tandem ſublatis Collegiis ipſi pariter aboliti ſunt.

Erant autem Compitalium feriæ non ſtatæ, ſed conceptiuæ: ideóque etſi hyeme tantùm celebrarentur, nihilominus certus eis dies non erat definitus, ſed modò hoc, modò alio agitabantur. Hinc, vt Antonius Conſtantius ex Varrone indicat, nonnunquam 11. *Calen. Ianuariis ſolebant celebrari: & Dionyſius Halicarnaſſ. paucis diebus poſt Saturnalia celebratas ſcribit. Cicero in Piſonem mox ab initio refert, ſuâ ætate Compitalitiorum dies in Calendas Ianuarias incidiſſe. Idem rurſus ad Atticum lib. 7. teſtatur 4. Non. Ianuar. etiam celebratos: ſic enim ſcribit:* Ego quoniam 4. Non. Ian. Compitalitius dies eſt, nolo eo die in Albanum venire moleſtus familiæ. *Quæ etiam cauſa eſt, quod hoc loco de ijs agere volui. Ex Macrobij quoque lib. 1 Saturn. apparet, die nono Ianuarij menſis aliquando agitata fuiſſe Compitalia. Eius verba adſcribam, quòd ex iis intelligatur, quibus verbis hæ feriæ conceptæ fuerint à Prætore: Is, inquit,* more Majorum Compitalia his verbis concipere ſolebat: Die noni poſt Calendas Ianuarij Quiritibus Compitalia erunt. *Ad quæ verba, vt obiter hoc addam, Gellius lib. 10. cap. 24. hæc annotat:* Die noni Prætor dicit, non die nono, neque Prætor ſolùm, ſed pleráque omnis vetuſtas ſic locuta eſt.

Compitalia fuerunt conceptiuæ.

Ago-

AGONALIA.

Agonalia Iano celebrata.

AGonalia *ſtatiuæ Feriæ ſunt, ſemper 5. Iduum Ianuar. celebrata in honorem Iani, ex inſtituto Numæ Pompilij, vt Macrobius ex Antia refert lib. 1. Saturn. Et Ouid. lib. 1. Faſt. inquit :* Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis, *hoc eſt, Quarto die poſt Nonas, qui eſt nonus menſis, & quintus ab Idibus. Rurſus idem:* Ianus Agonali luce piandus erit. *Feſtus verò in honorem Agonij Dei, qui rebus agendis præeſſe putabatur, inſtitutas eſſe has ferias dicit. Immolabat autem hoc die Rex Sacrorum arietem, vt Varro tradit lib. 5. de lingua Latina.*

1\. *Agonaliorum etymologia & ritus.*

Nominis verò rationes multæ afferuntur. Nam Varro loco iam citato, ex ritu Sacrorum ductum exiſtimat, in quibus Miniſter ſtrictum ad arietem jugulandum tenens cultrum mactare non audebat niſi iuſſus eſſet : idea ſuccinctus mandatum imperiúmve expectans, rogare ſolebat, Agon? Quam opinionem Ouidius quoque his verſibus attigit:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo ferience cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agátne, rogat, nec niſi juſſus agit.

2\. *Alij putarunt Agonalia dici ab actu, quòd pecudes ad ſacrificium ſponte non veniant, ſed agantur. Sic Pompeius Agonias hoſtias ab agendo dici putat. Vnde Ouidius :*

Pars, quia non veniant pecudes, ſed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.

Nonnulli putant antiquos vocaſſe hoc Feſtũ Agonalia, per detractionem vnius literæ ab Agnalia : ab Agnis, quamuis Rex ſacrorum arietem immolaret. Sic enim Ouidius :

Pars putat hoc Feſtum priſcis Agonalia dictum,
Vna ſit vt proprio litera dempta loco.

4\. *Sed quia Feſta omnia hoc nomine appellanda forent, ſic vera eſſent duæ hæ rationes, ideò fuerunt, qui Agonalibus nomen inditum exiſtimârunt à metu hoſtiarum, quæ viſo cultro, quo erãt feriendæ, in aqua, ſiue mola, vbi tingebatur, trepidabant: nam ἀγωνία eſt conturbationis ſpecies, quam Latini trepidationem vocant. Quam ſententiam Poëta his verſibus attigit:*

Aut quia præuiſos in aqua timet hoſtia cultros,
A pecoris lux eſt ipſa notata metu.

5\. *Feſtus, vt diximus, ad Agonium, rerum agendarum Deum, dictionis huius etymon refert.*

6\. *Alij ad Agonem montem in quo die illo ſacra fieri ſolebant, qui poſtea Quirinalis dictus eſt, ex quo in eo comederunt Sabini, in vrbis portionem recepti.*

Alii denique à certamine curuli dictum putant, quod his diebus antiquitus ſolebat celebrari. Græci enim certamina & ludos Ἀγῶνας appellant. Hanc opinionem Ouid. approbat. ſic canens: 7

Fas etiam fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tuliſſe diem,
Et prius antiquus dicebat Agonia ſermo,
Veráque judicio eſt vltima cauſa meo,

Agonalia repetita.

Repetuntur Agonalia 13. Calend. Maias: quod Ouidius docet lib. 5. Faſt. Nam quum ibi dixiſſet de tranſitu Solis in Geminos qui tunc temporis hoc die fiebat, hac ſubiungit :

Ad Ianum redeat: qui quærit, Agonia quid ſint :
Quæ tamen in Faſtis hoc quoque tempus habent.

CARMENTALIA.

3\. *Carmentalia quo die celebrata.*

CArmentalia *Romæ celebrata 3. Idus Ianuar. Ouidius indicat lib. 1. Faſt. Nam quum Agonalia celebrata oſtendiſſet 5. Idus Ianuar. & mediæ hyemi 4. Idus Iannar. aſſignaſſet his verbis :*

Poſtera lux hyemem medio diſcrimine ſignat :
Æquaq; præteritæ quæ ſuperabit, erit.

Mox ſubjungit :

Proxima proſpiciet Tithono aurora relicto,
Arcadiæ Sacrum Pontificale decus.

Intelligit igitur 3. Idus Ian.

Carmentalia vnde dicta.

Nomen habent à Carmenta Euandri matre è Mercurio, quæ fatidico ſpiritu afflata filio ſuaſit, vt relictâ patriâ Italiam petat, vbi Euander monitis eius obtemperans, pulſis Aborigínibus, ea loca occupauit, vbi poſtea Roma condita fuit, Dionyſio Halicarnaſſæo authore. Hanc ab initio Themin vocatam aſſerit Plutarchus Problem. 56. vel juxta alios, Nicoſtratam. Qui verò Romanas conſcripſerunt Origines, linguâ patriâ Carmentam eam poſtea appellatam tradunt. Cuius nominis etymologia varia afferuntur. Plutarchus eodem loco, itémque in vita Romuli, ſicut & ante eum Dyoniſius Halicar. teſtes ſunt, eſſe qui à carminibus ſic dictam velint: & quamuis Dionyſius in hanc ſententiam deſcendere videatur, Plutarchus tamen non carmina Carmenti nomen indidiſſe, ſed ab ea potius accepiſſe vult, quòd diuino ſpiritu afflata, venturæ populo carmine ſolita eſſet prædicere. Quidam igitur, eodem authore, Carmentã quòd quaſi careat mente, dictam voluerunt : vt ſolebat his euenire, quæ Apollinis numine debacchabantur.

Huic, in Dearum numerum relatæ aram dicârunt Romani apud eam portam, quæ inde Carmentalis

*mentolis appellata fuit & ibi quotannis ſacrificârunt, quod de Imperio Romano vaticinatus eſſet, Dionyſio teſte lib.*1.

Dedicatio templi Iuturnæ hoc etiã die celebrata. *Eodem die celebrabatur etiam Dedicatio templi Iuturnæ, quod fuit in campo Martio propè ductum aquæ virginis. Teſtatur id Ouid. lib. 1. Faſt. ſic canens:*

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit,

Hic vbi virginea campus obitur aqua.

Iuturna quæ. *Dicit autem hoc loco Ouidius, Iuturnam fuiſſe Turni ſororem, quam quidam dicunt lacui, in quo ſubmerſa eſt, nomen dediſſe. Seruius verò indicat, fontem fuiſſe in Italia celeberrimum, iuxta Numicum fluuium, cui à iuuando nomen inditum fuerit: quòd quum naturaliter omnis aqua noxia ſit peregrinorum corporibus, hic tamen fons omnibus ſaluberrimus extiterit. Statius quoque in Syluis, Iuturnam fontem fuiſſe teſtatur. Ex hoc fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua afferri conſueuerat. Inde quoque ægroti, authore Varrone, aquam petere ſoliti erãt. Quæ etiam, abſque dubio cauſa fuit, quòd ad has aquas templum ædificatum, & eius dedicatio quotannis celebrata fuit.*

Iduum Ianuariarum Celebritas.

Idus Ianuar. cur celebriores reliquis. *Idus quidem omnes Iouis nomine ſanxit Feſtas antiquitas: hæ tamen celebriores factæ, quòd Cæſar Octauianus iis* Augusti *nomine appellatus ſit: quem in infantia* Thurinũ *dictum Suetonius ſcribit, vel in memoriam originis Maiorum, vel quòd eo recens nato, eius pater Octauius in regione Thurina aduerſus fugitiuos rem feliciter geſſiſſet. Sed & Octauianus à patre Octauio: & C. Cæſar, Iulij Cæſaris teſtamento dictus fuit. Sed poſt extinctam Cleopatram, & omnibus prouinciis in certam formam redactis, Augusti cognomen ampliſſimum aſſumpſit, ex Munacij Planci ſententia, Tranquillo teſte. Refert id etiam Ouidius his verbis:*

Idibus in magni caſtus Iouis æde Sacerdos

Semimaris flammis viſcera libat ouis:

Redditáque eſt omnis populo prouincia noſtro,

Et tuus Auguſto nomine dictus auus,

In hoc autem Sacro Iduum Ioui ouis mactabatur, quæ inde Idulis dicebatur. Hinc Ouidius: Idibus alba Ioui, grandior agna cadit. *Feſtus: Idulis ouis dicebatur, quæ omnibus Idibus Ioui mactabatur. Sic etiam Macrobius lib.* 1. *Saturnal. c.*15. Sunt qui exiſtiment, Idus ab oue Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Thuſci: & omnibus Idibus ouis immolabatur à Flamine. *Idibus autem Ianuarij vervecem Ioui mactatum & immolatum Ouidius teſtatur:*

Idibus in magni caſtus Iouis æde Sacerdos

Semimaris flammis viſcera libat ouis.

Carmentalia repetita: Porrimæ item & Poſtuertæ Sacrum.

Porrima & Poſtuerta quæ. Decimo octauo Calend. Februar. Carmentalia *iterum celebrabantur, in honorem matris Euandri, item Porrima ac Poſtuertæ, quarum illam etiam Porſam, vt Alex. ab Alex. vult lib.*2. *cap.*25. *vt verò Anton. Conſtantius Porſam & Anteuortam dixerunt. Fuerunt autem Carmentæ vel ſorores vel comites, habueruntque vim noſcendi, vt inquit Macrobius, illa præterita, hæc futura. Repetita autem ſunt hæc Solennia, & ſimul Porrimæ ac Poſtuertæ ſacrificatum iis fuit propter reſtituta vehiculi iura matribus Romanis.* Carmentalia cur repetita. *Nam vt Liuius docet lib* 5. *ab vrbe condita, cùm, vrbe voti damnatu, decima mittenda eſſet ex præda Veientana Apollini Delphico, pecunia ex ærario prompta fuit, & tribunis militum Conſularibus, vt aurum ex ea coemerent, negotium datum. Eius verò cùm non eſſet copia, matronæ, cœtibus ad eã rem conſultandam habitis, communi decreto pollicita tribunis militum, aurum & omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt. Grata ea res, vt quæ maximè Senatui vnquam fuit. Iſq́; honos, ob eam munificentiam, matronis habitus à Senatu fuit, vt plauſtro carpentisq́; ad Sacra ludosq́; Feſto profeſtóq́; vterentur. Verùm Plutarchus in vita Camilli huius non meminit, ſed inquit, Senatum his mulieribus honorem referentem decreuiſſe, poſt mortem, quemadmodum pro viris, ita pro fœminis laudatiuam orationem haberi non enim mos erat antea apud Romanos, mulierem mortuam laudare. Verùm progreſſu temporis hoc Carpentarum ius illis ablatum fuit à Senatu: de quo Plutarchus* 56. *Problem.* Ferunt, *inquit*, mulieres Senatuſconſultò vehiculis vti prohibitas, inter ſe conſpiraſſe, ne qua earum conciperet, néue pareret, atque ita viros vlciſcerentur, donec coacti mutauerunt ſententiam, atque vti permiſerunt. Natis deinde pueris, quum & multitudine liberorum, & bonitate felices fuiſſe viderentur, Carmentæ ædem ædificârunt, in qua Sacra huius Deæ obibant, & ſimul vterum ferentes, antequam ederetur partus, Poſtuertæ & Porſæ, quibus duæ aræ dicatæ erant, ne partus peruerſi fierent, aut præpoſterè exirent, immolabant. *Ob quam cauſam etiam violari hoc templum & Sacra putabatur ſi quis ad ea ſcortenm aliquod ſine morticinium intuliſſet: vnde & apud Cretenſes ſ[illegible] arbitror, ne in*

adem

ædem Dianæ, quam religioſiſſimè venerabantur, quiſquam præterquam nudus ingrederetur. De his omnibus Ouid. lib. 1. Faſt. ita cecinit:

Reſpiciet Titan actas vbi tertius idus,
Fient Parrhaſiæ Sacra relata Deæ;
Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant:
Hæc quóque ab Euandri dicta parente reor.
Mox honor eripitur: matronáque deſtinat omnis,
Ingratos nulla prole nouare viros.
Néue daret partus, ictu temeraria cæco
Viſceribus creſcens excutiebat onus.
Corripuiſſe partes auſas immitia nuptas,
Ius tamen exemptum reſtituiſſe ferunt.
Bináque nunc pariter Tegeææ ſacra parenti
Pro pueris fieri virginibúſque iubent.
Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Porrima placatur, Poſtuertáque, ſiue ſorores,
Siue fugæ comites Mænali diua tuæ.
Altera, quòd porrò fuerat, cecíniſſe putatur.
Altera, venturum poſtmodo quicquid erat.

CONCORDIÆ Templi Dedicatio, eiúſque Feſtum.

Concordiæ templum Romæ qua occaſione extructum.

D*Ecimo ſeptimo Calendis Februarij celebrabatur Dedicatio Templi* Concordię, *non eius quod Manlius Prætor vouit, & C. Atilius duumuir cum M. eius collega dedicauit, authore Liuio 3. Decad. lib. 3. nec eius quod Flauium ſcribam legimus in area Vulcani ſummâ inuidiâ Nobilium dedicâſſe: ſed eius templi ampliſſimi, ingentis & magnifici, quod vouit & dedicauit Camillus. Is enim, Plutarcho teſte, poſt multas illuſtres victorias, fuſis Gallis, cùm in vrbe eſſet & Dictaturam non depoſuiſſet, diſſidente populo à Senatu, annitentéque, vt alter è Conſulibus popularis eligeretur, dubius præſentibus rebus ſenatum petit: & priuſquam dicere aggreſſus eſſet, ad Capitolium conuerſus, Deos teſtatur, vt ea dicturus ſit, quæ tãdem benè vertant Reipub. & ſi ſeditio ciuilis tollatur, templum Concordiæ ædificaturum ſe pollicetur. Cùm multæ ac graues in Senatu contentiones eſſent, in hanc tandem ſententiam itum eſt, vt alter Conſulum è populo crearetur. Dictator cùm hoc ad populum deferret, ſtatim populus cum Senatu reconciliatus eſt, & Camillum plauſu ac clamore domum vſque remittunt. Poſtridiè autem congregati decreuerunt, vt Concordiæ, quemadmodum Camillus vouerit, in foro & in concione, ingens pro rebus geſtis templum molíretur. Extructum autem fuit ante cliuum Capitolinum, non longè ab æde Iunonis Monetæ: à quo (vt ſcribit Varro) Curtius conuerſus equo concitato in profundiſſimum hiatum ſe præcipitem dedit. Id longo tempore poſt à Liuia Druſilla arâ & ſimulachro exornatum, Tiberius iterum dedicauit, quum triumphum Illyricum egiſſet, Suetonio teſte, Ouidius de his ita cecinit:*

Candida te niueo poſuit lux proxima templo,

(vbi per lucem proximam intelligit diem Carmenta Sacra ſequentem)

Quà fert ſublimes alta moneta gradus.
Nunc benè proſpicies Latiam Concordia turbam,
Nunc te ſacratæ conſtituere manus.
Furius antiquum populi ſuperator Hetruſci
Vouerat, & voti ſoluerat ille fidem.
Cauſa, quòd à Patribus ſumptis ſeceſſerat armis.
Vulgus, & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſa recens melior, ſparſos Germania crines
Corrigit auſpiciis Dux venerande tuis:
Inde triumphatæ libâſti munera gentis:
Templáque feciſti, quam colis ipſe, Deę.
Hæc tua conſtituit genetrix, & rebus, & arâ,
Sola toro magni digna reperta Iouis.

PALATINI Ludi.

Palatinorum ludorũ author.

V*Etus Calendarium, Gyraldus ac Iunius in ſuis Faſtis* Palatinorum Ludorum *initium ad 16. Calendas Februarias referunt, & per dies octo, vel iuxta alios ſeptem, vel etiam iuxta Ioſephum tres tantùm, durâſſe volunt. Eorum authorem faciunt Auguſtum Cæſarem. Is enim, conſtituto Imperio, & occiſo Cæſare Dictatore, in eius honorem & memoriã in paruo rotundo templo, quod fuit in Palatio hos ludos inſtituit. Vltimo, hoc eſt, octauo eorum die interfectus eſt Caligula Cæſar à coniuratis. Sic enim Suetonius in eius vita:* Cùm placuiſſet, *inquit,* Palatinis Ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depoſcit. *Et mox:* Nono Calend. Februarij, horâ quaſi ſeptimâ cunctatus, an ad prandium ſurgeret, marceſcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem ſuadentibus amicis egreſſus atque occiſus eſt. *Videtur itaque mendum eſſe in Lazij libro 10. cap. 15. vbi ſcribit, hos Ludos ſexto Calend. Ianuarias per 8. dies celebratos: adeoq; pro ſexto*

Digitized by Google

Calend. Ianuar. legendum, decimo ſexto Calend. Februarias.

Sementinæ Feriæ.

[*Sementinæ fuerunt conceptiuæ.*]

FEriæ Sementinæ *Conceptiuæ fuerunt, quæ à Sacerdote quotannis concipiebantur, hoc eſt, indicebantur: Vnde Ouid. lib. 1. Faſt. ſic canit:*

Ter quater euolui ſignantes tempora Faſtos,
Nec ſementina eſt vlla reperta dies.
Cùm mihi (ſenſit enim) lux hæc inciditur, inquit
Muſa; quid à Faſtis non ſtata Sacra petis?

Celebrabantur tamen quotannis vt plurimùm die 24. Ianuar. ſicut ex Ouid intelligitur.

[*Sementinæ feriæ vnde dictæ.*]

Appellatæ ſic ſunt, Varrone teſte, à ſemente, quòd ſationis cauſa ſuſciperentur: quas Feſtus ait inſtitutas eſſe, quaſi ex iis fruges grandeſcere poſſent. Indicebantur autem, quum iacta & condita eſſent ſolo ſemina: quod quidem fit celerius vel ſerius pro qualitate temporis & regionum: quod Ouidius his verſibus indicauit:

Vtque dies incerta Sacris, ſic tempore certo
Seminibus jactis eſt vbi fœtus ager.

[*Sementina ſpecies paganaliū.*]

Erat autem hæc Solennitas ſpecies quadam Paganalium: nam ruſtici circuibant ſolenni pompâ, & ſacrificabant Terra Cererique, frugum parentibus, farre & porcâ prægnanti. Sic enim Poëta noſter:

Pagus agat Feſtum, pagum luſtrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellúſque, Ceréſque,
Farre ſuo, grauidæ viſceribúſque ſuis.
Officium commune Ceres & Terra tuentur:
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum.

Ambarvalia.

[*Ambaruali quando & cur celebrata Ambarual. ritus.*]

HVc *pertinent etiam* Ambaruualia, *quæ fiebant, non ſolùm circa ſementem, ſed etiam paulò ante meſſem: quæ luſtrationes & purgationes aruorum eſſe putabantur, & plurimùm ad fertilitatem conferre: Feſtus inquit,* Ambaruale ſacrificium dicitur, quòd ambiat arua victima. *Sextus Pompeius dicit:* Ambaruales hoſtię appellabantur, quæ pro aruis à X!I. fratribus ſacrificabantur. *Item,* Ambarualis hoſtia eſt, quæ rei diuinæ cauſâ circum arua ducitur ab ijs, qui pro frugibus faciunt. *Hæc verba etiam Macrobio lib. 3. Saturn. citantur cap. 5. vbi hæc quoque addit:* Huius ſacrificij mentionem Virgilius in Bucolicis habet, vbi de apotheoſi Daphnidis ſic canit:

Hæc tibi ſemper erunt, & cùm Solennia vota
Reddemus Nymphis, & cùm luſtrabimus agros.

Vbi luſtrare ſignificat circuire. Hinc enim videlicet & nomen hoſtiæ acquiſitum eſt ab ambiendis aruis. *Hactenus Macrobius.*

Sacrum autem ipſum hoc ritu celebrabatur: Suem, Ouem & Taurum, vnde Suouetaurilia *ſacrificium dicebatur, maturis frugibus ter circum arua ducebant, omnéſque poſt clamantes ſequebantur, ex quibus vnus querneâ coronâ ornatus, cum ſolenni ſaltatione compoſito carmine Cereri decantabat laudes: & poſtquam vino & lacte libâſſent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant.*

Hic ritus ab aliis ſic deſcribitur: Vnuſquiſque paterfamiliâs hoſtiam deligebat in Cereris ſacrificia, quam querneâ coronâ circa collum poſitâ ornabat, eámque ter circa ſata ducebat, quam vniuerſa familia querneis ramis coronati, Cereriſque laudes canentes cum tripudiis comitabantur. Deinde poſt has luſtrationes mulſum & lac offerebatur, quum alioquin vina ſolùm intereſſe Cereris ſacrificiis iure ſacrificiorum minimè poſſent. Hunc ritum vniuerſum propriè monſtrauit Vergil. lib. 1. Georgic. in his:

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho:
Térque nouas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnes quam chorus, & ſocij comitentur ouantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Tibullus etiam hunc ritum prolixè videtur deſcribere lib. 2. Elegiâ 1.

Neque verò Sacrificium hoc à ruſticis ſolùm fiebat, ſed etiam à Romanis fines agri Romani luſtrantibus, qui inter quintum & ſextum lapidem, teſte Strabone lib. 5. erant, quod Sacrum, *inquit,* Ambaruale vocabant quod, opinor, ciscum agri Romani terminos, Sacrum fieret. *Vide etiam Turnebum lib. 18. Aduerſar. cap. 17. Atque huic Sacro fratres Aruales præerant, qui ad hoc delecti erant, vt terminos agri Romani Suouetaurilibus circumferrent. Vide plura apud Ioſephum Scaligerum in ſuis ad Feſtum caſtigationibus, in voce, Amtermini.*

Præterea

*Præterea vnuſquiſque paterfamiliâs in agro ſuo fines fundi Suouetaurilibus luſtrabat: cuius luſtrationis ritum & verba vide apud Catonem de re Ruſtica cap.*141.

PAGANALIA.

Paganaliorum origo.

PAganalia *erant quidem ruſticorum Feriæ, ſed non ob eam cauſam vt Sementinæ, & Ambarualia, inſtituta. Ianuario autem menſe celebrata fuiſſe Paganalia, & quidem poſt Sementinas Ouidius haud obſcurè ſignificare videtur. Cùm enim de Sementiuis egiſſet, hos verſus ſubijcit:*

Villice da requiem terræ ſemente peractâ
Da requiem terram qui coluere viris.

Earum originem Dionyſius in quarto Antiquitatum Rom. ad Seruium Tullium Regem refert, inquiens: Vt etiam ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras juſſit (*Seruius Tullius*) dedicari Dijs Tutelaribus, quotanníſque ibi conuentum fieri & ſacrificium, Feſtum hoc cumprimis religioſum conſtituens vocatum Paganalia, ſimúlque eorum ſacrorum ritus, qui nunc quoque ſeruantur, conſcripſit. Ad id ſacrificium eúmque conventum omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus, ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud puberes: quibus connumeratis per ſacrorum Præſides apparebat hominum numerus per ætates ac ſexus diſtinctus. *Ex quibus intelligitur, ob ruſticanæ multitudinis numerum faciliùs ineundum, hanc ſolennitatem ab initio inſtitutam fuiſſe.*

Ioſephus Scaliger in ſuis ad Varronem in Conjectaneis indicat in Paganalibus potionem, quæ Cereri, vel quæ eadem eſſe putatur, Pali in Camella propoſita ſit, Burranicam *dictã fuiſſe, idq́ conijcit ex his Ouidij lib.4. Faſt. verſibus:*

Dum licèt, oppoſita velut in cratere Camella
Lac niueum potes, purpureámque ſapam.

Hæc potio, *inquit*, Burranica dicebatur, à colore burro, quem mulſum lacte dilutum facit, Feſtus: Burranica potio appellatur lacte commiſtum ſapâ, à rufo colore, quem Burrum vocant Camelia autem ea eſt, quam Pollux σκάφιον vocat. *Et mox rurſus Scaliger indicat, Cererem in Paganalibus ſacris vocatam fuiſſe Empandam, de qua intelligendus ſit Varro libro* 1. *de vita populi Romani, cuius hæc apud Nonium verba extant.* Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem. Sed quòd in aſylum qui confugerent, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando pandere, hoc eſt aperire. Ergo, *inquit Scaliger,* intelligis Empandam Deam Paganorum.

Caſtoris & Pollucis Feſtum.

S*Exto Calend Februarias Feſtum eſt* Caſtoris & Pollucis: *quòd eo die illis ædes conſecrata eſſet apud fontem Iuturnæ à Tiberio, ſuo fratríſque nomine, vt Suetonius indicat, & Ouidius libro* 1. *Faſt.*

At quæ venturas præcedit ſexta Calendas.
Hac ſunt Ledæis templa dicata Deis.
Fratribus illa dies, fratres de gente Deorum
Circa Iuturnæ compoſuere lacus.

Fuerat quidem longè ante Tiberium illis ædes, quam bello Latino vouerat A. Poſthumius, & poſtea eius filius Duumvir ad id ipſum creatus dedicauerat, ſed ea fuit alia ab hac celebritas, de qua Idibus Quintilibus agemus.

PACIS Feſtum.

T*Rigeſimo die Ianuarij* Pacis *Feſtum celebatur: eius templum nullum, aut perquàm exiguum fuit Romæ Auguſti tempore: ob quam cauſam Ouidius de die eius Feſto canens libro* 2. *Faſt. in fine, aræ tantùm eius, non templi meminit, dicens:*

Ipſum nos carmen deduxit Pacis ad aram:
Hæc erit à menſis fine ſecunda dies.

Et mox:

Thura Sacerdotes Pacalibus addite flammis.
Albáque perfuſa victima fronte cadat.
Vtque domus, quæ perſtat, eam cum pace perennet,
Ad pia propenſos vota rogate Deos.

Agrippina autem cœpit id è fundamentis erigere: poſtea verò Veſpaſianus huic Deæ templum illud magnificentiſſimum dedit, quò (vt inquit Ioſephus lib.7. de Bello Iudaico cap. 24.) omnia collata & repoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio antea per totum orbem vagabantur homines.

Hoc etiam menſe Sacrum Diis Penatibus factum ex Calendario veteri ruſtico apparet, quod Hubertus Golizius edidit.

CAPVT IX.

Feſta quę menſe FEBRVARIO à Gręcis celebrabantur.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΑ.

Ἐλαφηβόλια *Elaphebolia Feſtum fuit in honorem Dianæ venatricis celebratum,* *Elaphebolia à Phocenſibus celebrata.*

qua ἐλαφηβόλος cognominata eſt ab ictu & nece ceruorum. Fuit autem Phocenſium hæc celebritas propria de qua Plutarchus in libello De virtutibus mulierum ſic ſcribit : ἑορτὴ δὲ ἐν πασῶν μεγίστην τὰ ἐλαφηβόλια μέχρι νῦν τῇ Ἀρτέμιδι τῆς νίκης ἐκείνης, ἐν Ὑαμπόλιδι τελοῦσι. *Hoc eſt,* Omnium feſtiuitatum ſuarum maximam Elaphebolia Dianæ Phocenſes Hyampoli in hunc vſque diem ob victoriam quotannis celebrant & peragunt. *Hiſtoria autem talis eſt.*

Elaphebolior͠u origo.

Phocenſes Principes & tyrannos Theſſalorum in eorum vrbibus vnâ die vniuerſos necauer͠at: Theſſali autem 250. Phocenſium obſides trucidârant, omnibúſq; cum copiis per Locros in Phocidem irrumpeb͠at, decretóque facto jubeb͠at nulli adulto parcere pueros verò & mulieres abducere. Tum Daiphantus Bathylly filius, qui cum duobus Collegis Phocenſium Reipub. præerat ſuis perſuaſit, ut ad pugnam conſerendam Theſſalis obuiam irent, mulieres autem cum liberis vnam in locum ex vniuerſa Phocide cōgregarent, tumq́; congeſtis lignis cingerent, ac cuſtodes adderent eâ conditione, vt ſi ſuos victos intelligerent, confeſtim ſtruem lignorum accenderent ac corpora comburerent. Hac quum eſſet omnium in ſenatu ſententia, vnus ſurgens, Æquum eſt, *inquit,* vt mulieres quoque iſtud probent alioquin omittendum eſt, neque vi eo ſunt adigendæ *Quæ ſententia vt peruenit ad mulieres, ipſa ſeorſum conuenerunt, itaq; fieri decere decreuerunt, Daiphantúmque coronauerunt, vt qui optimè Phocicis rebus conſuluiſſet. Idem quoque pueros aiunt concione priuatim conuocatâ ſciuiſſe His ita actis, Phocenſes ad Cleonas Hyampolidis cum hoſte conflixer͠ut, victoriáq; potiti ſunt: & in rei memoriam Phocenſes hanc anniuerſariam ſolennitat͠e inſtituerunt, omnium quas habent maximam. Referant Pauſanias, & Plutarchus eo quo diximus loco.*

Elaphebol. ritus

Ἔλαφος πλακοῦς ἐν τοῖς ἐλαφηβολίοις ἀναπλάσσετο διὰ στέατος καὶ σησάμου: *id eſt, Ceruus placenta in Elaphebolis ſeu Dianæ Feſta & ſacris ex farina, melle ac ſeſamo fiebat, Athenæo teſte lib.14 cap.19.*

ΑΣΚΛΗΠΙΑ.

Æſchines in Oratione κατὰ Κτησιφῶντος dicit, Demoſthenem tempora ciuitatis ſuffurantem decretum ſcripſiſſe, vt Prytaneis concionem conuocarent octauâ incipientis Elaphebolionis menſis, quam Feſta & Sacra fierent. Æſculapio. De hoc Feſto loqui arbitror Alexand. de Alexand. lib.3. cap.18. & Adrianum Iunium in ſuis Faſtis, vbi dicunt decimâ & octauâ Decembris Æſculapij Sacra & Feſta Athenis celebrata. Nam Alexander, quem Iunius fortaſſe ſequutus eſt, per Elaphebolionem falsò Decembrem intellexit à Laurentio Valla ſeductus.

Troezeniorum Feſtum.

Athenæus lib.14. cap. 17. ex Cariſtio indicat, in Troezene, menſe Geraſtione, qui Februario noſtro reſpondet, per multos dies conuentus fieri conſueuiſſe, quorum in vno ſerui cum ciuibus aſtragalis vnà luſerint, & ſeruis Domini conuiuium præbuerint.

ΚΡΟΝΙΑ.

Pauſanias in Eliacis refert, Baſilas in Cronio monte Feſtum Saturno celebrare in æquinoctio verno, menſe qui apud Eleos Elaphius appelletur.

Capvt X.

De Feſtis quæ Febrvario Menſe à Romanis ſunt Celebrata

Calendæ Febrvariæ.

Calendis Februariis Feſtum fuit Deæ **Soſpitæ**, *cui ad ædem Matris Deûm in Palatio, vt volunt aliqui, templum conſtitutum eſt, & primo huius menſis die dedicatum. Docet hoc Ouidius lib.2. Faſt. ſic canens :*

Soſpitæ feſtum.

Principio menſis Phrygiæ contermina matri
 Soſpita delubris dicitur aucta nouis.

Fuit autem hoc templum, vt quibaſdam placet, quod vouit Iunoni Soſpitæ Cornelius Conſul, in principio pugnæ cùm certaret aduerſus Inſubres, ſi hoſtes fuſi fugatique eſſent: quorum eâ pugnâ triginta quinque millia interfecti ſunt. Romæ hæc Dea primum coli cœpta fuit, ſed abſque templo ante hunc Conſulem, quum peſtis illa, quæ ex fœtore cadauerum bello Cannenſi orta, euanuiſſet. Hanc igitur Deam poteſtatem habuiſſe ſeruandi & Romani crediderant, & Ariſtoteles docuit: qui (vt in vita eius legimus) Nicanore genero ægrotante, duas ſtatuas vouit, alteram Ioui Seruatori: alteram Iunoni Soſpitæ, ſi Nicanor incolumitatem reciperet.

Lvcaria.

Hoc ipſo quoque die Romæ cum pompa & proceſſione ad Aſylum, quod Romulus cōſtituit, vt eò omnes qui tuti vellent eſſe, confugerent, & ab omni eſſent noxa liberati. Hoc propterea fecit, vt ex collecta multitudine vrbem & facilius auctis viribus condere & tueri poſſent. De Aſylo ita Liuius ſcribit : Locus qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, Aſylum aperit. Eò ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, liber an ſeruus eſſet, auida nouarum rerum perfugit: idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. *De loco autem hoc ſic Dionyſius*

Lucaria Feſta.

nyſius lib. 2. Antiquit. Rom. ſcribit: Locum vmbroſum, medium Capitoliíque & arcis, quod nunc vocatur linguâ Romanâ Intermontium duorum quercetorum: erátque tunc caſus, reique ipſius cognomen, cùm ſyluæ eſſent per vtraq; latera opacæ, quibus conjungebantur colles, Sacrum ſinens, iouiolabilem ſertis, templumq; in eo erigens, cui Deorum aut geniorum, certũ non habeo. Confugientibus ad illud ſervis, ſponſor factus eſt per ſpeciem religionis erga Deos, nihil eos detrimenti ab inimicis accepturos: ac ſi permanere apud ſe vellent, ciuitatis etiam participes faciebat, tradebátque agri portionẽ, quem bello quæſierat. Hique confluebant, vndíque domeſtica fugientes mala, nec ſe vlterius aliò conferebant. *Feſtus refert lib.* 10. *Romanos celebrâſſe hac Feſta, &* LVCARIA *appellâſſe, in luce inter viam Salariam & Tiberim ſita, quòd victi à Gallis Romani fugientes è prælio, in eo ſe occultauerint. Vetus tamen Calendarium hoc Feſtum refert ad* 14. *Cal. Sextiles.*

Denique Calend. Februariis quoque in æde Veſtæ, ad quam Numa habitauit, ac templo Capitolini Tonantis, quod Auguſtus ſtruxerat in Capitolio, rem Diuinam fecerunt: & in Capitolio Ioui bidentem mactârunt: quod Ouid. lib. 2. Faſt. his verbis teſtatur:

Ad penetrale Numę, Capitolinúmque Tonantem,
Inque Iouis ſumma cæditur arce bidens,

GOTHICI Ludi.

IN *faſtis Romanorum legimus*, Ludos Gothicos *prid. Non. Februarij datos fuiſſe per ſex dies continuos: vt etiam refert Lazius lib.* 11. *cap.* 16. *rerum Romanarum.*

AVGVSTI Feſtum.

Feſti huius origo.

N*Onis Februariis Auguſtus* PATER PATRIÆ *eſt appellatus: vnde eo die Feſtũ in tantæ rei memoriam celebrabatur. De quo Tranquillus ita ſcribit:* Patris patriæ cognomen vniuerſi repentino maximóque conſenſu detulerunt ei, primò plebs legatione miſſâ: deinde quia non recipiebat, ineunti Romæ ſpectacula, frequens & laureata. Mox in curia ſenatus, neque decreto neque acclamatione, ſed per Valeriũ Meſſalam id mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, fauſtúmque ſit tibi, domuíque tuæ, Cæſar Auguſte: ſic enim nos perpetuam felicitatem Reipub. & læta huic precari exiſtimamus. Senatus te conſentiens cum populo Romano conſalutat patriæ Patrem. Cui lachrymans reſpondit Auguſtus his verbis: Compos factus votorum meorum, P.C. quid habeo aliud Deos Immortales precari, quàm vt hunc conſenſum veſtrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat. *De hac ſalutatione loquens Ouidius 2. Faſt. ſic canit:*

Dum canimus Sacras alterno pectine nonas,
Maximus his Feſtis accumulatur honos, &c.

FAVNALIA.

Fauni cur Rom. coluerint

I*Dibus Februariis Romani rem diuinam & Sacrum annuum fecerunt* Fauno, *in Tiberis inſula, vbi Fauni ædes erat, & poſt Idus ſtatim Lupercalia celebrârunt quæ Fauni eſſe Ouidius his verbis teſtatur:*

——Nudos aurora Lupercos,
Aſpicere, & Fauni Sacra bicornis erunt.

De Faunalibus autem idem Poëta ſic canit lib. 2. Faſtorum:

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic vbi diſcretas inſula rumpit aquas,

Exiſtimabant enim expedire, vt eum Deum ſibi conciliarent, cuius non parua vis ad nocendum eſſe crederetur. Conſtat enim, Faunum Deum eſſe infernalem ac peſtilentem, vt ait Porphyrius. Vnde Horatius eum orat, vt lenis per agros ſuos tranſeat: Lenis incedas abeáſque paruis Æquus alumnis. *De Fauno autem & Faunalibus plura ſumus dicturi Nonis Decembris, quibus Fauni feriæ repetebantur, & agreſtes feriatim ſaltabant.*

Hoc ipſo etiam die, Menenio Agrippâ & M. Horatio Puluillo Coſſ. anno ferè quarto poſt ſuperatum ab Athenienſibus Xerxem, duce Themiſtocle ad Salamina, ſex & trecenti Patricij Fabij cum familiis ſuis & clientibus vniuerſi à Veientibus apud fluuium Cremeram circumuenti, perierunt. Qua de re vide Liuium, Silium & Ouidium lib. 2. Faſtorum, vbi hanc cladem prolixè deſcribit, tandem autem ſic concludit:

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit vna dies.

Ob hanc cauſam hic dies ater ſeu religioſus erat.

LVPERCALIA.

Lupercalia quando celebrata.

D*Ecimo quinto Calendas Martias celebrabantur Romæ* Lupercalia: *quod Ouidius his verbis refert.*

Tertia poſt Idus nudos aurora Lupercos
Auſpicit, *&c. Teſtatur idem Feneſtella cap. 1.*

De Lupercalio

De horum Sacrorum Origine alii aliter tradunt. Quidam enim ad Romulum & Remum

rum origine variæ ſententiæ. 1. *referunt, ſed tamen diſcrepantibus ſententiis. Aiunt nonnulli, Romulum & Remum in Fauni Sacro dum pararentur epulæ ipſique ſeſe nudos exercerent in ludis, vocatos ex alto à paſtore, moniti óſque prædones abigere armenta: confeſtim igitur in diuerſas partes nudi diſcurrentes, à Remo abacta armenta recuperata eſſe: & in huius rei memoriam inſtitutum fuiſſe hoc ſolenne. Hanc ſententiam Ouidius lib. 2. Faſt. his verbis recitat:*

Cornipedi Fauno cæſa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dúmque Sacerdotes verubus tranſuta ſalignis
Exta parant, medias Sole tenente vias,
Romulus, & frater, paſtoraliſque iuuentus
Solibus & campo corpora nuda dabant.
Cæſtibus & jaculis, & miſſi pondere ſaxi
Brachia per luſus experienda dabant.
Paſtor ab excelſo: Per deuia rura iuuencos
Romule prædones & Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari: diuerſis exit vtérque
Partibus, occurſu præda retenta Remi eſt.
Vt rediit, verubus ſtridentia detrahit exta:
Atque ait, Hæc certè non niſi victor edet.
Dicta facit, Fabijque ſimul: venit irritus illuc
Romulus & menſas oſſáque nuda videt.
Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe Remúmque
Vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos.
Fama manet facti, poſito velamine currunt:
Et memorem famam, qui benè geſſit, habet.

2. *C. Acylius autem (vt Plutarchus in vita Romuli refert) ſcriptum reliquit, Romulum, quum ante conditam vrbem ſua pecora perdidiſſet, Fauno ſupplicatum conceſſiſſe. Deinde nudum, ne ſudore impediretur, eos ſaltu currendo luſtrâſſe: & ideò ludicra hæc celebrari.*

3. *Refert ibidem alteram ab hac ſententiam Plutarchus, Butæ cuiuſdam in elegiis de Romanarum rerum inſcriptionibus, Romulum, Amulio, ſuperato, cum Remo fratre præ lætitia ad locum vſque expoſitionis eorum, in quo lupa lac dediſſet, cucurriſſe. Quod vt poſteritati commendaretur, hos ludos inſtituiſſe. Sed huic opinioni Plutarchus non multùm tribuere videtur, quum dicat hunc Butam αἰτίας μυθώδεις ſcripſiſſe.*

De hoc autem aliter Valerius Maximus ſentiens, ita ſcribit: Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus eſt tunc, cùm lætitiâ exultantes, quòd his auus Numitor Rex Albanorum, eo loco, vbi educati fuerant, vrbem condere permiſerat, ſub monte Palatino, hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Euander Argiuus conſecrauerat. Facto ſacrificio, cæſiſque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore prouecti, diuiſâ paſtorali turbâ, cincti ouinis pellibus immolatarum hoſtiarum, jocantes obuios petiuerunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur: *cap. 154. Meminit huius ſententiæ etiam Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 12.* 4.

Veriſſima autem Dionyſii videtur ſententia, qui in Latio ab Euandro originem habuiſſe hæc ſacra exiſtimat. Sic enim libro 1. Antiquit. Roman. ſcribit: Arcades acceptis ſub colle, non procul à Tiberi diſtante, ſedibus, exædificatis more patrio domicilijs, templa quoque conſtruunt, primum Lycæo Pani, jubente Themide (Arcadibus enim Deorum antiquiſſimus & honoratiſſimus eſt Pan) in loco quem Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere poſſumus: Et nunc quidem ædificiis fanum circùm occupantibus omnia, difficilis conjectura eſt, qualis olim loci natura fuerit: ſed vt fertur, erat tum ſpelunca ſub tumulo magna, denſo querceto contecta, & ſub petris profundi fonticuli, ſolúmque rupibus contiguum nemoroſum, & frequentibus atque proceris opacum arboribus: ibi ara dicata more patrio Sacra fecerunt, quæ noſtro quoque tempore faciunt Romani menſe Februario poſt brumam, nihil mutantes ex ritu priſtino. *Hæc Dionyſius. Cui aſtipulatur etiam Feneſtella, qui librum ſuum de Romanorum Magiſtratibus ſic incipit:* Omnium Deorum, quos vetus Romanorum religio excoluit, primo Pani Lycæo, ſeu Faunum illum, ſeu potius Sylvanum vocari placet, per Lupercos rem Diuinam Lupercaléſque ludos feciſſe apud vetuſtatis aſſertores, conſtat. Ea quidem Sacrorum genera ab Euandro Rege, qui ex Arcadia profugus in eum locum venerat, qui tandem Romanæ arci præfuit, ad noſtros primùm delata, ac celebrata fuiſſe feruntur, *Et certè eò facilius crediderim Sacra Pani ſeu Fauno ab Euandro in Latio inſtituta, quòd Faunus Rex Aboriginum Arcadibus, teſte eodem Dionyſio, Liuio & Iuſtino, & agros, & montem, quem illi poſtea Palatinum appellârunt, benignè aſſignâſſe dicitur.* 5.

Dionyſius ex Ælio. Tuberone graui authore & ſcrip-

& ſcriptore diligenti eodem libro refert, Numitoris paſtores intercipiendi Remum inſidiis delegiſſe tempus, quo iuuenes Arcadicum olim ab Euandro in honorem Lycæi Panis inſtitutum, erant celebraturi, &c. Vnde colligitur, Sacrum hoc & ante Romulum in Latio fuiſſe, & eo ipſo tempore à Romulo ac Remo celebratum, quo Remus à Numitoris paſtoribus captus ſit. Meminit huius ſententia etiam Ouidius lib. 2. Faſt. ſic canens:

Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
  Arcades, Arcadiis plurimus ille jugis.
Et mox:
Tranſtulit Euander ſyluestria Numina ſecum:
  Hic vbi nunc vrbs eſt, tunc locus vrbis erat.
Inde Deum colimus, deuectáque Sacra Pelaſgis:
  Flamen ad hæc priſco more Dialis erat.

Et hanc vt veriorem ſententiam, Poëta etiam amplecti videtur, ſic deſcriptionem huius feſti concludens:

Quis vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
  Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

Lupercaliorũ ritus. *Ritibus autem vel ceremoniis huiuſmodi peragitur hoc Sacrum. In Palatino monte, vbi Panis templum fuit, & ſimulachrum caprinâ facie, barbâ oblongâ, rubro colore, hirtis cornibus, pectore ſideribus radiante, infimâ ſui parte hiſpidâ & caprino pede, alterâ manu fiſtulam, alterâ pedum incuruum tenens, vt Alex. ab Alex. refert lib. 4. cap. 12. Capræ candidæ jugulabantur, ſiſtebanturq́ ibi duo Nobiles adoleſcentes, quorum frontes alii cultro ſanguine perfuſo tingebant, alii ſtatim lanam lacte madentem admouentes abſtergebant, eâ lege, vt abſterſos adoleſcentes ridere oporteret: qui deinde inciſis in corrigias caprarum pellibus nudi vnctiq́ ſuccincti, tantùm pudenda recens mactatarum caprarum exuuiis ſeu pellibus, diſcurrentes obuios quoſq́ verberabant per luſum atq́ laſciuiam: quibus mulieres etiam vltrò palmas, caprinarum pellium ſcuticis cadendas præbebant, & à crepitu pelliculorum, quem faciebant verberantes,* Crepos, *appellârunt: Obſeruatúmque fuit etiam, vt à ficu Ruminali, vbi Romulus & Remus expoſiti fuerant, curſum ſuum inceptarent. Proprium præterea huius celebritatis fuit, vt Luperci canem immolarent: ſicuti Dionyſius, Liuius, Plutarchus in Romulo, aliique multi referunt.*

Lupercaliorũ ritus cauſa. *Ritus autem huius rationes varias Plutarchus citato loco & alii commemorant. Capræ mactabantur in hoc Sacro, quòd id animal crederetur eſſe Fauno dicatum, vnde & ſimulachrum eius caprinâ formâ effingitur, vt ſuprà diximus.*

In Lupercalibus cur capra mactata.

Luperci cur nudi cucurrerint. *Luperci autem currebant nudi, ſeu vt Panem imitarentur, ſeu vt vetuſtiſſimorum Arcadum morem referrent. Quas cauſas Ouidius libro 2. Faſt. his verbis attigit.*

Cur igitur currant, & cur ſic currere mos eſt.
  Nuda ferant poſitâ corpora veſte rogas?
Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis
  Montibus, & ſubitas concipit ille fugas.
Ipſe Deus nudus nudos jubet eſſe Miniſtros,
  Nec ſatis ad curſus commoda veſtis erat.
Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
  Arcades, & Lunâ gens prior illa fuit.
Vita feris ſimilis, nullos agitata per vſus:
  Artis ad huc expers, & rude vulgus erat,
  &c. *Et mox*:
Sub Ioue durabant, & corpora nuda gerebant,
  Docta graues imbres, & tolerare notos.
Nunc quoq; detecti referunt monumenta vetuſti
  Moris, & antiquas teſtificantur opes.

Harum cauſarum meminit etiam Feneſtella ab initio ſui libri quibus & aliam adiicit, quam Ouidius latè proſequitur: Nonnulli, *inquit*, Iolem) *Omphalem alii legunt*) vxorem Herculis à Fauno viſam, ac per ardorem libidinis concupitam aſſerunt. Fortè enim per ſyluas & amœna nemorum æſtûs leuandi cauſâ vnà cum dilectiſſima coniuge Hercules vagabatur. Videt ergò elegantiſſimâ formâ mulierem ab altæ rupis ſpecula ſenex Deus. Ergo illorum veſtigia eminus liber obſeruare inſtituit. Illi autem per ſyluas ducendæ nocti aptiſſimum locum petunt. Interea mulier dum quieſcendi tempus aduenit, pellem leonis Herculis de more aptat humeris, clauâ etiam illius manu aſſumptâ tali habitu præditam ſomnus aggreditur. Erant autem duo parati coniugibus lecti, eò quòd poſtridiè Libero patri rem diuinam facturi erant ſeorſim cubituris. Noctu ergo Syluanus fallendi cuſtodis occaſionem nactus, clàm thalamum ingreditur, primóque congreſſu fortunatus futurus, puellæ thorum tenet, manúque tentans (vt noctu fit) horridum leonis tegmen inuenit. Ratus ergo cubare ibi Herculem ad aliud cubile ire pergit: quod quum ſenſiſſet mollius ſtratum puerilibúſque delitiis aptiùs, ſtragula veſte

ſenſim amotâ, dum libidine ardens manu palpat Herculem : ac vix dum hirti cornu poris horrorem hauſerat, experrectus Hercules manu reiectum toto antro fuſum jaculat ? quo pro ſtrepitu ſomno puella diſcuſſa lumina acceſſit. Lumine ergo Syluano prodito eluſus ac ſemiruptus vix attollens humo humeros, in ſyluas detruſus eſt. Ea ergo ratione perpetuò execratis veſtibus, quibus tam turpiter deluſus eſſet, eaſdem ſuis à Sacris procul abfore conſtituit.

Qui verò ad Romulum hoc Sacrum ludicrum eiuſq; originem referunt, hoc curſu hacq; nuditate in memoriam reuocatam volunt, rem quondã à nudis proſperè geſtam. Nam, vt antè diximus, cùm in honorem Fauni Lupercaliorum Solennitas celebraretur, Romanorum pecora ſubitò à latronibus rapta ſunt. Romulus ergo cum fratre proiectis veſtibus proſequuti ſunt prædatores, quibus oppreſſis, & receptis pecoribus, conſuetudinem permanſiſſe dicunt, vt nudi Lupercalia celebrarent, Feneſtellâ & aliis referentibus.

Luperci quare cucurrerint, obuios verberarint, & lacte ſanguinem abſterſerint.

Butas verò ad ſententia ſua confirmationem aſſeruit, Nobiles adoleſcentes in hac celebritate currere ac obuios ferire ſolitos, vt eo geſtu referrent, Romulum & Remum poſt cædem Amulii ex Alba cucurriſſe ſtrictis enſibus: ſanguinolentoq; gladio faciem attingere & fædare, vt illius cædis poſteris monimentum eſſet : lacte queq; in ſanguinis abſterſione vti, vt Romuli & Remi miraculoſam educationem indicarent, quemadmodum Plutarchus refert in vita Romuli.

Luperci cur ſcuticis & caprarũ pellibus vſi ſint.

Quòd autem ſcuticis ex caprarum pellibus factis circumcurrunt, & obuios quoſcunq; vultu hilari vſque ad ineptias verberant, expiationis gratiâ inuentum exiſtimant, quum februa celebrentur hoc menſe, quæ expiatiuum *interpretantur, & huius Solennitatis diem conſtet februatam veteres appellâſſe. Docet hoc Ouidius lib. 2. Faſtorum ſic canens :*

Menſis ab his dictus, ſanctâ quia pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant, idq; piamen habet.

Ab hâc conſuetudine Chriſtianas ſuas Flagellationes *mutuatos eſſe, & in eundem finem inſtituiſſe, Polydorus Vergilius teſtatur de Inuent. lib. 6. cap. 6.*

Luperci cur canẽ immolarint

Canem certè ab iis expiationis etiam cauſâ immolatum Plutarchus aſſeruit, idq; ad Græcorum imitationem eos feciſſe dixit qui in piacularibus Sacris canem mactare conſueuerint : quamquam huius ſacrificii duas alias etiam cauſas mox reddit. Nam hoc factum videri poſſe dicit, vel vt Romulus nutrici Lupa gratias referret, quæ atrociſſimos hoſtes canes habet: vel vt canis ad iracundiam ſuccenditur, ita ad curſum Luperci ſuccenderentur. Sic enim inquit

Problem. 68. Luperci ſunt, qui Lupercalibus per laſciuiam diſcurrentes, obuios cædunt. Vel quòd genus quoddam luſtrandæ ciuitatis eſt. Cane autem omninò (vt ita dicam) Græci vtebantur. Et multi etiam nunc in purgationibus canem jugulant. Proſerpinæ quóque catulos cum cæteris purgamentis efferunt, & eos qui expiandi ſunt catuliſi, hoc piaculi genus Circumcatulationem appellantes. Vel quòd Λύκος, lupus Latinè dicitur: Λύκαια verò Lupercalia : & lupo canis eſt hoſtis, & idcirco Lupercalibus cæditur. Vel quòd Lupercis canes oblatrantes moleſti ſunt. Vel quia Pani ſacrificium fit. Pani autem propter greges amicus eſt canis.

Lupercis cur palmas cædendas præbuerint mulieres.

Palmas autem caprinarum pellium ſcuticis cædendas præbebant in hoc Sacro mulieres, juniores præſertim, quòd perſuaſum eis eſſet, ea verbera prægnantibus partus facilitatem, ſterilibus verò fœcunditatem & concipiendi facultatem afferre, Plutarcho & Feneſtellâ teſtibus. Vnde Ouidius Romanas mulieres ſic alloquitur.

Nupta quid exſpectas ? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ.
Iam ſocer optatum nomen habebit avi.

Hic autem mos & conſuetudo à Romulo initium habuit : is enim quum animaduerteret raptarum mulierum ſterilitatem, Iunoni ob id in Exquiliis ſuplicatum & ſacrificatum eſt, reſponſumq; datum fuit mulieres hircus iniret. Sed eâ voce ab augure interpretatâ, mactatus eſt caper, & eius exſecto corio verberata puellæ continuò conceperunt. Qua de re Ouidius lib. 2. Faſt. ita cecinit.

Nam fuit illa dies dura cum ſorte maritæ
Reddebant vteri pignora rara ſui.
Quid mihi, clamabat, prodeſt rapuiſſe Sabinas.
Romulus ? hoc illo ſceptra tenente fuit.
Si mea non vires, ſed bellum iniuria fecit,
Vtiliùs fuerat non habuiſſe nurus.
Monte ſub Exquilio multis inciduus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.
Huc vbi venerunt pariter nuptæque viriſque,
Suppliciter poſito procubuere genu.
Cùm ſubitò motæ tremuere cacumina ſylvæ,
Et Dea per lucos mira locuta ſuos.

Ita-

Italides matres, inquit, Sacer hircus inito.
Obſtupuit dubio territa turba ſono.
Augur erat, nomen longis intercidit annis.
Nuper ab Hetruſca venerat exul humo.
Ille Caprum mactat, juſſæ ſua terga puellæ
Pellibus exectis percutienda dabant.
Luna reſumebat decimo noua cornua motu,
Virque pater ſubitò, nuptáque mater erat.

Luperc. calior. etymologia. *His ita explicatis, dicendum quóque eſt aliquid de nomine huius Feſti. Id Græcis pluralis tantùm eſt numeri, ſicut etiam Latinis. Dicitur enim* Λυκαία *Lycæa, à Pane, quem Lycæum cognominârunt à lupis, quòd inuocatione Panis à ſtabulis arcerentur lupi. Quamuis Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 17. ex Varrone referat, Panem inde Lycæum dictum, quòd ii in lupos transmutati ſint, qui de ſacrificio, quod Deo illi faciebant, deguſtâſſent aliquid. Eidem Varroni placet quóque lib. 5. de lingua Latin. apud Romanos Lupercalia dicta eſſe, quòd in Lupercali hæc Sacra facerent Luperci. Eſt enim Lupercal, Dioniſio teſte, ſpelunca ſub monte Palatino in qua Pani ſacrificabatur: vnde & Lupercal dictum nonnulli putant. Alii, quòd lupa illic Romulum & Remum nutrierit, Vnde Ouidius lib. 2. Faſt.*

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Lupercalia reſtituta. *Hinc etiam Lupercos curſum ſuum incepiſſe inde arbitrantur aliqui in ſolenni Sacro iſto. Nec deſunt qui à Lycæo Arcadiæ monte, vbi præcipuè ea religio peruiguit, Feſtum hoc ſic cognominatũ eſſe arbitrentur, vt Feneſtella teſtatur.*

Id paulatim abolitum reſtituit Auguſtus, Pontificatu maximo ſuſcepto, vt ait Suetonius: in eo enim quum antea adoleſcentes paſſim currerent, dum ille pudori conſultum voluit, ne imberbes curſitarent, decreto ſanciuit: Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 12.

Turpe fuit Lupercum agere. *Turpe etiam fuiſſe honeſtis viris & Magiſtratu fungentibus Lupercos agere, ex Ciceronis Philipp. 2. apparet. Vbi ob hanc cauſam grauiſſimè inuehitur in M. Antonium, & inter alia inquit:* Ita eras Lupercus, vt te eſſe Conſulem meminiſſe deberes, *&c.*

QVIRINALIA.

Quirinalia quo die celebrata. D*Vodecimo Calendas Martias* Quirinalia *celebrantur: quod Ouidius his verbis refert lib. 2. Faſt.*

Proxima lux vacua eſt: at tertia dicta Quirino
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Paulò antè dixerat 14. Cal. Mart. Solem in piſces tranſire: iam ſubiungit, proximam lucem, id eſt, ſequentem diem quæ eſt 13. Cal. Mart. eſſe vacuam, hoc eſt ſine feſto: ſed tertiam, 12. videlicet Cal. Mart: dicatam eſſe Quirino. Intelligitur autem hoc nomine Romulus, Poëtâ teſte, Cauſas verò, cur ità cognominatus ſit, Plutarchus in eius vita his verbis retulit. Quirinũ, *inquit*, Romuli cognomen Martium ac Bellicoſum quidam referre exiſtimant: quidam ex eo ductum, quòd ciues Quirites appellarentur. Alii tradunt, veteres lanceam Quirim vocare ſolitos. Adhæc, lanceam in Regia poſitam Martem vocitare. Lancea quóque donare conſueſſe illos, qui in bellis acriter ſtrenuéque pugnantes fortitudinis laudem meruiſſent: proinde effectum eſſe, vt Romulus, veluti Martius quidam Deus ac pugnax Quirinus diceretur. *Hæc ille. Quanquam non deſint etiam, qui à Curibus, hoc eſt, à Sabinis, quos in vrbis partem recepit, Quirinum potius cognominatum putent. Ouid. lib. 2. Faſt. controuerſiam hanc in medio relinquit, contentus omnes, quas iam adduximus opiniones recenſuiſſe, cùm inquit:* *Romulus cur Quirinus dictus.*

Siue quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.
Siue ſuo Regi nomen poſuere Quirites,
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

Appellatus autem ſic fuit poſt mortem demùm & templum ei dedicatum, Feſtumq́ in honorem eius, tanquam Deo, inſtitutum eſt à Senatu Populóque Romano, hac occaſione. Cum populus Rom. de Senatu ſuſpicionem concepiſſet, Romulum ab eo in Curia in fruſta diſcerptum, Iulius Proculus ſubornatus à Patribus nunciauit plebi, vidiſſe ſe Regem humano habitu auguſtiorem: eumq́ mandâſſe ad populum, vt ſibi delubrum fieret, ſe Deum eſſe & Quirinum vocari. Tum plebs, depoſitâ omni ſuſpicione & contumeliâ Romulum Quirinum appellantes, ut Deum colere cœperunt, &c. Referunt Plutarchus & Lactantius lib. 1. Diuin. Inſt. Ouidius quóque his verbis: *Quirinaliorũ origo.*

Pulcher, & humano maior, trabeáq; decorus
Romulus in media viſus adeſſe via.
Et dixiſſe ſimul: Prohibe lugere Quirites,
Ne violent lachrymis Numina noſtra ſuis.
Thura ferant, placentq; nouum pia turba Quirinum,
Et patrias artes, militiámque colant.
Iuſſit, & in tenues oculis euanuit auras.

Con-

Conuocat hic populum, iuſſáque verba refert.
Templa Deo faciunt, collis quóque dictus ab illo eſt :
Et referunt certi Sacra paterna dies.

Quirinalia *quóque* Stultorum feriæ *appellabantur Feſto teſte : cuius nominis rationem in ſequenti feſto reddemus.*

FORNACALIA.

Fornacalia cur inſtituta. E*Adem die ſæpè, aut alia huius menſis* Fornacalia *celebrabantur: non enim fuerunt Sacra ſtata ſeu fixa, ſed indicta. Erant autem* Fornacalia *farris torrendi feriæ; quod etiam Feſtus ſcribit, dicens,* Fornacalia Sacra eſſe, quum far in fornaculis torrerent, quæ ferunt ad fornacē, quæ in piſtinis erant, fieri conſueta. *Seruius indicat, Romanos veteres, quum molarum vſus nondum fuiſſet, frumenta torrere ſolitos, & ea deinde in pilas miſſa pinſere. Vnde & Donatus inquit :* Triticum torrebant prius, vt tundi poſſet. *Far quóque vt author eſt Hemina, ſtatuerunt veteres non eſſe purum, niſi toſtum. Sed torrendi ignorantia priſcis illis & ſimplicibus hominibus plurima damna tulit. Nam quæ in fornace torrenda erant, igne exempto, ſtulti homines flammis torrenda commiſerunt, quæ interdum omnem farris ſubſtantiam abſumebant, vel ipſas quoq; caſulas vbi torrerentur, adurebant. Doct. igitur* *Fornax dea. Fornacaliorū author.* *in fornacibus torrere, Fornax Dea facta eſt, quam Orabant, vt eam torrendo farri temperiem adhiberet, vt ſiccaretur, non corrumperetur: & Numa Pompilius in eius gratiam,* Fornacalia *Sacra inſtituit, teſte Plinio lib.* 18. *cap.* 2. *Et Ouidius hac de re ſic canit :*

Vſibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multáque peccato damna tulere ſuo.
Nam modò verrebant nigras pro Farre fauillas,
Nunc ipſas ignes corripuere caſas.
Facta Dea eſt fornax; læti fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa ſuas.

Fornacalia quis indixerit. *Curiones autem maximi, quorum, ex Romuli inſtituto, officium erat; ſacris præſidere, Feſta & ludos curiæ ſuæ indicere, & ordinibus in militia præeſſe. Fornacalia hæc indicebant; & die quæ præcedebat feſtum, appendebant in foro tabellas, cum ſignis vniuſcuiuſq; curiæ, vt quiſq; in ſuam Curiam Fornaci ſacrificatum iret. Qui igitur tunc non fuerant feriati, quiq; in ſua tribu, vt erat conſtitutum, ſacrum non feciſſet, in Quirinalibus & extrema eius diei parte, poſteaquam cæteri ſacrificium abſoluiſſet, ſacrificio ex-* *Stultorum feſta.* *piare cogebatur, quæ iccirco* Stultorum ferias *dixere. Refert hoc Ouidius lib.* 2. *Faſt ſic canens.*

Lux quóque cur eadem Stultorum Feſta vocetur,
Accipe; parua quidem cauſa, ſed apta ſubeſt.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec Sacra ſtata facit.
Inque foro multa circumpendente tabellâ,
Signatur certâ curia quæque notâ.
Stultáq; pars populi, quæ ſit ſua curia, neſcit;
Sed facit extrema Sacra relicta die.

Plutarchus etiam Problem. 89. *cùm ageret, quâ ratione Quirinalia Stultorum feriæ nominarentur, inquit id fieri,* vel quòd hunc diem, vt Iuba referat, his aſſignauerint, qui cuius eſſent tribus, ignorârint, vel his, qui non vt alii tribules Fornacalibus rem Diuinam fecerint, quòd aut impediti fuiſſent, aut aliquò peregrè profecti, aut deniq; diem ignorâſſent, hoc tempore recuperandi illius poteſtas data ſit.

FERALIA.

Feralia quando celebrata. E*Odem etiam quo celebrantur Quirinalia & Fornacalia, incipiunt.quóque* Feralia, *& ad finem vſque menſis per vndecim dies durant. Teſtatur hoc Poëta noſter libro* 2. *Faſtorum inquiens.*

Nec tamen hæc vltra, quàm quot de menſe ſuperſunt
Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.
Hanc, quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucem:
Vltima placandis manibus illa dies :

Quibus vtique ſignificat hæc Sacra non vltrà cuſtodienda quàm quot dies à 12. *Calen Mar. ſuperſint ad finem menſis & quot pedes ſuis carminibus inſint. Intelligit autem Hexametrum cum Pentametro, quæ vndecim continet pedes.*

Feralia cur inſtituta, & eorū ritus. *Inſtituta autem fuerunt hæc ſacra ad placandos Manes mortuarum, & ad iuſta ſoluenda defunctorum vmbris, quibus ad ſepulchra epulæ ferebantur his vndecim diebus, quibus errare credebantur & ſilicernia paſci. Hinc & nomen* *Feralia vnde dicta.* *eis eſt inditum Nam, vt Varroni & Feſto placet, à ferendis epulis Feralia dicta ſunt; quod etiam Ouidius teſtatur, inquiens :*

Hanc, quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucem.

Quapropter non tantùm pro viuis, ſed etiam pro mortuis menſe Febr. Expiationes fiebant.

Allatæ hæ epulæ ad ſepulchrum, ponebantur ſuper nudam ſilicem in Sacris iſtis, quæ inde etiam (Seruio authore) Silicernium *dicebantur.* Eſt enim, *vt Donatus inquit,* Silicernium cœna, quæ infertur Diis Manibus : quòd eam ſilentes cernant, id eſt, vmbræ poſſideant;

deant: vel quòd qui eam inferunt, cernant quidem, ſed non deguſtent: nam de his quę libantur inferis, quiſquis ederit, aut biberit, funeſtabatur.

Epula in Feralibus frugales.

Erant porrò iſta Epula plerunq; frugales & tenues admodum: conſtabant enim melle, lacte, vino: quocúnque enim vel leui munere placari Manes credebant, Docet hac omnino Ouidius lib. 2. Faſt. ſic inquiens:

Eſt honor & tumulis animas placare Paternas,
Paruáque in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata eſt
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velatâ coronis,
Et ſparſæ fruges, paruáque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violæq; ſolutæ:
Hæc habeat media texta relicta via.
Nec maiora veto. Sed & his placabilis vmbra eſt:
Adde preces poſitis & ſua verba focis.

In Feralibus mactata victima manibus.

Mactabantur tamen interdum quóque manibus victima: vnde illud Poëta noſtri: nec maiora veto. *Et Vergilii:*

——— cædit quinas de more bidentes,
Totque ſues, totidem nigrantes terga iuvencos.

Earum ſanguinis libatione & lactũ, veteres Romani non ſine ratione in parentationibus vtabantur. Quapropter & à feriendũ pecudibus Sacro huic nomen quóque inditum videri poteſt.

In Feralibus quæ vetita.

Dum autem Feralia hæc pro mortuis fiebant, non licebat matrimonium contrahere, templa Deorum aperta habere & iis ſacrificare, quòd errantibus vmbris cuncta prophanari & pollui crederent. Vnde Ouidius.

Dũ tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate Puellæ.
Exoptat puros pinea tæda dies.
Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſtâ recuruâ comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœſta ſepulchra faces.
Di quóque templorum foribus celentur opertis,
Thure vacent aræ, ſtentq́; ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulchris
Errant, nunc poſito paſcitur vmbra cibo.

Feralia orgo.

Mos autem hic placandorum & expiandorum Manium à Numa Pompilio inſtitutus videtur, ſi Macrobio credimus, lib. 1. Saturnal c. 13. qui hoc menſe ſtatuis, vt juſſa Diis M[...]ius ſoluerentur; ſin Plutarcho, à Romulo. Ouidius autem ad Æneam refert; ſic enim inquit lib. 2. Faſtor.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus author
Attulit in terras juſte Latine tuas.
Ille patris genio ſolennia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios,

Verùm longè ante illum Pluto docuit morem honorum mortuis exhibendorum. Diodorus enim ſic ſcribit: Plutonem volunt ſepulchrorum, funerúmque atq; honorum, qui mortuis impenduntur, vſum introduxiſſe, quum antea nulla rerum harum apud homines eſſet conſuetudo. Quæ cauſa extitit, vt vita functis dominari exiſtimaretur, antiquitate illi huius curæ principium tribuente.

Intermiſſus ritus perſoluendi iuſta mortuis reſtitutus Romæ.

Intermiſſum autem Romæ hunc ritum iuſta perſoluendi mortuorum vmbris, miraculis reſtitutum fuiſſe, Ouidius hiſce teſtatur:

At quoniam dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deſeruere dies,
Non impunè fuit: nam dicitur omine ab iſto,
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.
Vix equidem credo, buſtis exiſſe feruntur,
Et tacitæ queſti tempore noctis aui.
Pérq; vias vrbis, latóſq; vlulâſſe per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.
Poſtea prætéritis tumulis redduntur honores,
Prodigiíſque venit, funeribúſque modus.

MVTÆ DEÆ Feſtum.

Dea Muta quæ.

INter hæc Feralia Sacra fiebant ſacrificia quóque Deæ Mutæ: *Nympha fuit illa, Almonis fluuii filia, quæ à loquacitate Lalaria, deinde verò demptâ literâ Lar vocabatur. Ea, quum Iupiter Iuturnam Nympham deperiret, & ipſam Iuturnam, vt ſibi ab eo caueret, monuit, & Iunoni Iouis mariti ſui amores detexit. Indignatus igitur Iupiter linguam ei abſtulit, juſſitque Mercurio illam pro inferna Nympha ad inferos ducere. Is inter eundem amore eius captus, grauidam eam reddidit, peperitque ex eo Lares Duos. Huic Deæ ſacrificabant, ad compeſcendum maleuolorum ac detrahentium linguas. Hæc verò Sacra Feralibus jungebantur, quòd Dea huius cum mortuis ſit commune ſilentium: vel quòd Larium mater crederetur, qui animæ ſeu genii hominum eſſe putantur, authore Feſto: & in lucis piorum Manes habitare exiſtimarentur, qui Lares viales dicebantur, vt Seruius ſcribit.*

Muta feſtum & ſacrum cur celebratum.

Muta feſti & ſacri ritus.

Ritus autem pleni Magicus, qui in hoc Sacro obſeruabatur, ab Ouidio lib. 2. Faſt. ſic deſcribitur.

Ecce

Ecce anus in mediis reſidens annoſa puellis,
Sacra facit Tacitæ, nec tamen ipſa tacet.
Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit,
Qua breuis oculrum mus ſibi fecit iter.
Tum cantata tenet cum plumbo licia fuſco,
Et ſeptem nigras verſat in ora fabas.
Quódque pice aſtringit, quod acu traiecit ahena,
Obſutum mentâ torret in igne caput.
Vina quoque inſtillat: vini quodcúnque relictum eſt,
Aut ipſa, aut comites, plus tamen ipſa bibit.
Hoſtiles linguas, inimicáque vinximus ora,
Dicit diſcedens, ebriáque exit anus.

Similem artem Magicam exercuiſſe Monachum quendam contra ſuos maleuolas & obtrectatores in Chalcide, Paulus Marſus teſtatur in ſuis Comment. ad lib. 2. Ouidii Faſtorum & quod dictu mirum ſit, compeſcuiſſe illorum maledicentiam, habuiſſeq́ librum, cuius inſcriptio fuerit, De arcanis veneficiis cuiuſdam Teſſali. *Idem etiam accidiſſe ſe præſente Hiſpali, & poſtea Rhodi, pluréſque eſſe per omnem Græciam, qui huiuſmodi veneficia exerceant, idem author eodem loco refert. Ita habere quoddam genus incantationis Turcos, quo fugitiua mancipia ex Chriſtianis progenita etiam inuita retrahant, Bartholomæus Georgieuiz peregrinus in Epitome de Turcorum moribus indicat. Nomen ſerui, fugitiui in ſchedula ſcriptum, ſuſpenditur in tabernaculo ſeu domicilio ſerui, dein diris verbis & deuotionibus illius caput impetunt: tum fit vi dæmoniacâ, vt fugiens putet ſibi in itinere vel leones vel dracones occurrere, vel mare ſeu flumina contra ſe exundare, vel omnia tenebris nigreſcere: iiſq; terriculamentis perculſus redit ad herum ſuum priſtinum.*

CHARISTIA.

Chariſtiorum etymologia & ritus.

VN *decimo Calend. Martias* Chariſtia *celebrabantur Romæ, ſic dicta,* ἀπὸ τῆς χάριτος *hoc eſt, gratia: quòd eo die fratres, cognati & affines ad conſeruandum mutuum amorem & gratiam conuenirent. De his Valerius Maximus libro 2. cap. 1. vbi de antiquis inſtitutis agit, ſic ſcribit:* Conuiuium etiam ſolenne maiores inſtituerunt, idque Chariſtiam appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt ſi quæ in inter neceſſarias perſonas, querela eſſet orta inter Sacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. *Ouidius aliã etiam cauſam affert huius ſolennitatis, vt nimirum ſuperuiuentium numerus ex eadem familia & cognatione quotannis recenſeretur: vbi etiam addit, nullum ſcelere aliquo pollutum admiſſum fuiſſe: Sic enim canit lib. 2. Faſt.*

Proxima cognati dixere Chariſtia cari,
Et venit ad ſocios turba propinqua Deos.
Scilicet à tumulis, & qui periere propinquis,
Protinus ad viuos ora referre iuuat.
Poſtque tot amiſſos quicquid de ſanguine reſtat,
Aſpicere & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc procul impius eſto
Frater, & in partus mater acerba ſuos, &c. *Et rurſus:*
Dis generis datæ thura boni, Concordia fertur
Illa præcipuè mitis adeſſe die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris:
Nutriat intinctos miſſa patella cibos.
Iámque vbi ſuadebit placidos nox humida ſomnos,
Larga precatuti ſumite vina manu.

TERMINALIA.

Terminalia quando & in cuius honorem celebrata.

DEcimo *Calend. Mart. hoc eſt, die* 20. *Februarii,* Terminalia *celebrantur. Fiebant autem Feſto teſte, hæc Sacra in honorem* Termino *Deo, in cuius tutela agrorum fines & termini eſſe putabantur, qui (vt Varroni placet) à terendo dicti ſunt, quòd hæ partes propter limitare iter maximè tererentur. Teſtatur vtrúnque Ouidius lib. 2. Faſt. nam vbi Chariſtiorum Feſtum abſoluiſſet, ita canit:*

Nox vbi tranſierit, ſolito celebretur honore,
Seperat indicio qui Deus arua ſuo.

Quidam verò ad 8. *Calend. Mart. referunt Nam inter Terminalia & Regifugium, teſte Cenſorino, dies intercalaris interſerebatur. Liuius 5. Dec. lib. 3. inquit:* Tertio die poſt Verminalia Calendæ intercalares fuere. *Varro* 23. *diei huius menſis tribuere videtur. Nam ideò Terminalia appellata fuiſſe exiſtimat, quòd is dies anni extremus fuiſſet conſtitutus. Apud veteres autem Romanos non ſolùm Februarius duodecimus & vltimus menſium fuit conſtitutus: ſed &* 23. *eiuſdem dies vltimus totius anni habitus. Varroni aſtipulatur etiam Bedas, qui ad* 7. *Cal. Martias Terminalia ponit.*

Terminaliorũ origo & cauſa.

Habuere autem hæc Sacra à Numa originem ſuam authore Dionyſio Halicarnaſſ. qui lib. 2. Antiquit. Rom. ſic ſcribit: Numa, vt contenti propriis aliena non concupiſcerent, cauit lege de terminandis prædiis. Cùm

enim

enim vnumquenque juſſiſſet agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides, hos Sacros eſſe Iovi Terminali voluit: juſsítque vt quotannis ſtato die res divina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem Deorum qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocant Terminalia, ſicut lapides ipſos Terminos, quos noſtri, variante vna litera, τερμῶνας: quos ſi quis transferre auſus fuiſſet aut tollere, lege terminali caput ejus his Diis devouit, interfectori ipſius tanquam ſacrilegi impunitate promiſſa & puritate à ſcelere.

Termi-naliorũ ritus.

Statuit idem Numa, vt Termino Deo Sacra fierent incruenta. Sic enim Dionyſius eodem loco: Deos putant terminos, eiſque Sacra faciunt, non hoſtias cædentes, quòd nefas ſit cruentari hos lapides, ſed liba cerealia, frugúmque offerentes primitias. *Quem ritum pluribus deſcribit Ouidius ita canens:*

Termine ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.
Te duo diverſa domini de parte coronant:
Bináq; ſerta tibi, bináq; dona ferunt.
Ara fit hic, ignem curua fert ruſtica teſta,
Sumptum de tepidis ipſi colona focis.
Ligna ſenex minuit, conciſáque conſtruit altè
Et ſolidâ ramos figere pugnat humo.
Tum ſicco primas irritat cortice flammas:
Stat puer, & manibus lana caniſtra tenet.
Inde vbi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva fauos.
Vina tenent alii, libantur ſingula flammis:
Spectant, & linguis candida turba favet.

Quærit autem Plutarchus in Problem. cur Termino nihil animatum ſacrificaretur? & reſpondet, Numam publicorum privatorúmque terminorum conſtitutorem exiſtimâſſe Terminum, amicitiæ ac pacis cuſtodem, ab omni cæde & ſanguine incontaminatum conſervari oportere. Refert ſanè Alexander ab Alex. libro 2. capite 22. etiam ante Numam, apud priſcum ſeculum, homines herbas ſolùm aut fructus manu excerptos pro holocauſto Diis conſecrâſſe: illorúmque exhalatione & fumo ſuperis litâſſe. Quorum æmulatione Pythogoras quoque poſtea nihil animatum Diis immolandum cenſuit: ſed vſque ad farinam & mel, terræque fructus & flores offerendum. Quod etiam Lycurgum feciſſe legimus, qui tenuiſſima & nullo paratu Lacedæmoniis ſacrificia inſtituit, ex herbis, & his quæ parabilia in promptu ſunt, ne quando difficultate parandi omitterentur Sacra. Ægyptiorum quoque erat iſte mos, non pecudibus & ſanguine victimarum, ſed precibus & thure placare Deos. Ideò Serapin non cæde animalium, ſed verbenis, coroniſque & panificiis placabant, &c.

Hoc tamen Numæ inſtitutum, non ſemper néque ab omnibus poſtea cuſtoditum fuit: nam agnam aut ſuem, intermiſſo more priſco, in Terminalibus cædebant quóque. Vnde illud Horatii: vel Agna Feſtis cæſa Terminalibus. *Et Ovidius ſuperioribus mox ſubiicit:*

Spargitur & cæſo communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cùm ſibi porca datur.

Hæc verò Sacra in privatorum agris ſuper terminos à privatis peragebantur, in confinibus autem vrbium publicè ſacrificium fiebat. Etſi autem Romani imperii orbis extremitates erant, nihilominus ad veterem conſuetudinem obſervandam, Romani viâ Laurentinâ, quæ eſt inter viam Hoſtienſem & Appiam, ad ſextum lapidem quotannis ſacrificabant, & Termino arietem immolabant, contra priſcum morem. Teſtatur hoc Poëta, inquiens:

Eſt via, quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita Duci.
Illic lanigeri pecoris tibi Termine fibris.
Sacra videt fieri ſextus ab vrbe lapis.

REGIFVGIVM.

Regifugii tempus & cauſa.

V*igeſimâ tertiâ die Menſis Februarii Sacrum* Regifugium *celebratur, ſic dictum, Feſto authore, quòd ea die Tarquinius Rex Româ fugerit: quo & ſerpentem latrâſſe Plinius retulit, & Athenienſes Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè ſtatuas poſuiſſe. Diem Sacri huius non obſcurè Ovidius expreſſit lib. 2. Faſt. inquiens:*

Nunc mihi dicenda eſt Regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina menſe dies.

Si enim ab extremo menſis Februarii die retro numeres vſque ad ſextum, erit vigeſimus tertius dies: nam Februarius tantùm habet viginti octo. Habebatur autem in maximo à Romanis hic dies honore, ob eiectos tyrannos & libertatem partam.

De hoc Feſto in Fragmento Sex. Pompeii ex vetuſtiſſimo exemplari Farneſianæ Bibliotheca deſcriptio ita legitur: Regifugium dies notatur in Faſtis 6. Calend. Martias, vt

Google

ait Verrius, ita dictus, quia eo die Rex Tarquinius Româ fugerit: quod falſum eſſe arguit Cincius in libro Faſtorum, & Tullius (*al. Iulius*) de Feriis, qui Saliares virgines, & Salios adeſſe dicunt Regi Sacrorum, quum facit ſacrificium in Comitio, quo facto ſtatim fugit. Quod verum cognouerit eſſe, qui legerit in Faſtis dies tales, quales notantur ſic: *Q.* R a x *C.F.* id eſt, quando Rex comitiauit, Fas: id eſt, ad Comitium iret: his enim tantùm feriis Regi Sacrorum in Comitium, nec aliis ire licet. *Conſentit huic ſententiæ Plutarchus quoque, qui in Problem. ſic habet:* ἔστι γάρ τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς: *quaſt.* 63.

EQVIRIA.

Equiriorum dies & ritus.

EQuiria *Romæ celebrabantur tertio Cal. Mart. in campo Martio, vel ſi quando alluuione Tiberis inundâſſet campum, in Cœlio monte. Erant autem ludi Curules, à Romulo in honorem Martis inſtituti per equorum curſum, authore Feſto. De iis Varro ita ſcripſit:* Equiria ab equorum curſu, eo enim die currunt in campo Martio. *Id nomen ex vero poſitum dicitur ab Ouidio, ne à fictis equis ac ſcenicis deductum exiſtimetur: ſic enim canit lib. 2. Faſt. in fine:*

Iámque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo,
Márſque citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo perſpicit ipſe ſuo.

Equiria repetita.

Tertiò Idus Martias Equiria iterum celebrabantur: de quibus Ouidius lib. 3. Faſtor. ſic canit:

Sex vbi ſuſtulerit, totidémque remiſerit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem:
Altera gramineo ſpectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen eiectâ ſi fortè tenebitur vndâ,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

TAVRILIA, Siue TAVRII LVDI.

Tauriliorum origo.

LVdorum Tauriliorum *originem Feſtus his verbis indicat.* Regnante Tarquinio Superbo, quum magna incidiſſet peſtilentia in mulieres grauidas, quæ fuerat facta ex carne taurorum diu vendita populo, ludi ob hoc in honorem Deorum inferorum inſtituti & Taurij vocati ſunt: quos & Boalia & Bupetios nominatos aliquando inuenio. *Ab initio, ſicut Varro tradit, in Circo Flaminio, demùm apud portam Tergeminam celebrati fuerunt. In fine Februarij menſis celebrabantur, vt Blondus teſtatur lib. 3. de Inſtaurata Roma cap. 76. Etſi verò Taurij appellarentur hi ludi à tauris, non tamen Tauri, ſed equi curribus iuncti à Campo Martio per Equiriam currentes, quum ad ſeptem metas circumacti eſſent, in Circum Flaminium ferebantur.*

CAPVT XI.

Feſta quæ MARTIO Menſe à Græcis ſunt Celebrata.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΜΙΚΡΑ.

Panathenæa duplicia.

PANATHENÆA *duplicia fuiſſe* μεγάλα καὶ μικρὰ *omnes norunt: de Magnis menſe Hecatombæone dicemus. Parua ſolita fuiſſe* τελεῖσθαι κατὰ τριετηρίδα, *hoc eſt, triennio quóque author argumenti ad orationem Demoſthenis contra Midiam refert: ſed potior eorum ſententia videtur, qui anniuerſaria fuiſſe volunt.*

Panathen. parua quando celebrata.

Incidiſſe autem in menſis Martij initium ex Dionyſio Halicarnaſſ. intelligitur. Is enim lib. 2. non procul à fine, de Martialibus, ſeu de Ancyliorum vel Saliorum Feſto & ludis agens, ita ſcribit: ἑορτὴ δ᾽ αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια, τοῦ καλουμένου Μαρτίου μηνός: *hoc eſt,* Feſtum eorum incidit in Panathenæa, & menſem qui dicitur Martius. *Agebatur autem hæc Saliorum vel Ancyliorum Solennitas initio menſis Martij, vt ex Ouidij lib. 3. Faſt. non obſcurè intelligitur.*

De Panathenæis vide plura menſe Iunio, vbi de Magnis agemus.

PYTHII Ludi.

De origine Pythiorum varia ſententia.

1\. PYthios ludos *ab Apolline inſtitutos, in memoriam Pythonis draconis ſagittis à ſe confixi & interfecti, quum à Iunone immiſſus Latonam matrem perſequutus fuiſſet, Ouidius lib. 1. Metamorph. his verbis teſtatur.*

Neue operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit Sacros celebri certamine Ludos,
Pythia per domitæ ſerpentis nomine dictos.

Eandem originem horum ludorum monſtrat Scaliger lib. 1. Poëtices cap. 23. ex Clearchi Solenſis Ariſtotelis Diſcipuli lib. 1. Prouerb.

Strabo

2. *Strabo autem lib.8.& alij dixerunt, hos Ludos non ob ſerpentem ab Apolline caſum inſtitutas fuiſſe, ſed ob hominem nocentiſſimum, latronem, & ob id cognomento Draconem, incolam Pythûs (ſic enim nominabant Delphos antiqui) ab Apolline ſagittis interemptum, qui ibi inſepultus contabuit. Scriptum reliquit Ephorus, Apollinem ad Panopeam vrbem profectum, quo tempore in terras deuenerit, crudeliſſimum ac truculentiſſimum Tyrannum Tityum interemiſſe: audiſſéque à Parnaſiis hominibus alium eſſe tyrannum non minus hominibus infeſtum, Pythonem nomine, cognomento Draconem, quem & ipſum Apollo ſagittis confecerit. Pro hac victoria non ſolùm omnes Cycladum inſulæ, ſed etiam quæ fuerunt circa Delum hos Ludos inſtituerunt. Et quia inter pugnandum clamitatum fuiſſet ἰὲ παῖ, ἰὲ παῖ, inde nomen ei factum aiunt, certis ſyllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιήων. Manſit quoq; hinc conſuetudo, vt in omni lætitia alicujus victoria Ia Pæan conclamaretur, vt illud eſt Ouidij lib.2. de Arte:*

Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan.
Incidit in caſſes præda petita meos.

3. *Scripſit tamen Pauſanias in Corinthiacis, Diomedem Troiâ redeuntem, quum effugiſſet tempeſtatem, quæ Græcis ab Ilio redeuntibus immiſſa fuit, apud Trœzenias templum Apollinis ἐπιβατηρίου: id eſt, aſcenſum iuuantis dicaſſe, & Pythicos Ludos in ejus honorem inſtituiſſe. In Phocicis autem hunc conuentum & Ludos Pythicos Deucalionis filio Amphyctioni tribuit.*

4. *Alij inſtitutos voluerunt, qui cùm artem vaticinandi Apollo ſit à Pane doctus, qui ſcitè Arcadibus leges dedit mox ad vaticiniū venit, vbi Nax, deinde Themis reſponſa dabat, Pythone Præſide tunc tripodis prophetici caſo ipſe vaticinarum locum occupauerit.*

Pythiorum antiquitas. *Inſtitutos autem multis annis ante Iſthmia, poſt Olympia tamen, Natalis Comes lib. Mythologiæ 5. capite 2. refert. Cælius etiam indicat libro 11. capite 24. A Græcis obſeruatum, Triptolemi temporibus Pythia primùm cœpiſſe, annis poſt Oreſtem propemodum ſexcentis: Fingit tamen in Electra Sophocles, Clytemneſtræ nuntiari Oreſtem in Pythicis periiſſe certaminibus.*

Pythiorum ritus. *Quum verò cœpti eſſent celebrari Ludi Pythici, antiquiſſimum omnium fuit certamen, vt pulchrior ex omnibus hymnis in honorem Apollinis caneretur. Deinde alterâ Pythiade inſtituerunt Amphyctiones cantum ad citharam & tibiam, & auladorum atque tibicinum certamina: Hoc modo Dei pugnam cum Pythone referebant Muſici rhythmo Pythio, cujus quinque partes erant & à Græcis, Timoſthene præſertim, dicuntur ἀνάκρουσις, quod præludiū erat: ἄμπειρα eum pugnam tentant: κατακελευσμὸς ipſa dimicatio δάκτυλος, aut ἴαμβος Pæan, qui hujuſcemodi pedibus aſtringitur: σύριγγες extrema pars eſt, & bellua pereūtis ſibila imitatur. Sed tamen has partes aliter recenſet Pollux: vocat enim ipſe πεῖραν, in qua pugnæ locum, ſeduſmque Deus proſpicit: κατακελευσμὸν, cùm iam prouocat ſerpentem: ἰαμβικὸν, quo certant, & in Iambico adhibentur tubæ, & ad tibiam ὀδοντισμὸν canebant, modum horrenda Draconis ſibila ſagittis ab Apolline confecti referentem. Serpentum námque vocem tibias reddere certum eſt. Quarta pars vocatur à Polluce σπονδεῖον, in qua victoria Dei ſignificatur, quàm ipſe celebrat extremo loco, & καταχόρευσει. Poſtea verò indicta fuerunt eadem certamina, quæ etiam athletis in Olympicis, quadrigis exceptis (nam curruli etiam certamine in Olympicis certabatur) atque lege ſancitum fuit, vt ſoli pueri longiore repetitoq; curſu certarent. Paulò poſt repudiata fuit auladorum ars, & ex his ludis excluſa quia injucundum quiddam & triſte præ ſe ferrent, quum elegi, funebréſque lamentationes his tibiis conuenirent. Septimâ deinde Pythiade additus eſt equorum curſus: at vigeſimâ tertiâ ad cætera ludicra acceſſit curſus Armatorum: mox bigis decertari cœptum, & Pancration inter pueros, & pulli injuges tum ſinguli, tum bini variis temporibus inſtituti ſunt, quorum nonnullorum mentionem fecit Ouid. lib.1. Metamorph.*

Hic juvenum quicunque manu, pedibuſúe, rotaúe
Vicerat, &c.

Qui viciſſent eis Amphyctiones, qui Delphici templi curam habebant, & certaminis Iudices erant, primò pecuniam dabant. Hoc verò præmio ab Amphyctionibus ſublato, coronarium duntaxat fuit propoſitum octauâ poſt quadrageſimam Olympiade. Antequam autē laurus reperiretur, vel ex palma, vel ex æſculo corona dabantur victoribus in his ludis, vt Ouidius lib.1. Metamorphoſ. teſtatur: Victorū in Pythiis præmiū.

Hic juvenum quicunque manu, pedibuſúe, rotaúe
Vicerat, æſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat, longóque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Poſtea verò in omnibus certaminibus corona laurea victoribus donabatur, vt teſtatur Pindarus multis in locis. Id enim gratum eſſe Apollini putabatur, quia traditum eſt in fabulis, quòd Apollo Daphnen in eam arborem mutatam amârit: Pauſanias in Phocicis. Valuerunt tamen alii neque palmam, neque æſculum, neque laurum præmium fuiſſe Pythiorum, ſed poma quædam Deo conſecrata Victoribus donari ſolita, vt ſcripſit in libro de Coronis Iſter. Et Lucia-

nus in libello de Gymnaſiis apertè teſtatur, μῆλα τῶν ἱερῶν τῶ Ἀπόλλωνος Pythionicæ præmium fuiſſe. Id verò inde accidit, quia & ludicra, & præmia victorum, & tempora, quibus agebantur Pythia, ſæpius immutata ſunt. Nam quum primùm nono quoque anno agerentur, perducta ſunt poſtea ad quinquennium: quia tot Nymphæ dictæ ſunt Parnaſides dona Apollini, quum feram trucidâſſet, obtuliſſe.

Pythia quando celebrata. *Celebratos autem eſſe hos Ludos ab omnibus Cycladum incolis, & qui ſunt circa Delum, Vere ineunte Dionyſius in libro de ſitu orbis his carminibus tradidit.*

Ῥῦσιαὸ' Ἀπόλλωνι χορὲς ἀνάγουσιν ἅπαντες
Ἀρχομένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖτ' ἐν ὄρεσσιν
Ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύειλιγύφωνος ἀηδών.
Inſtituere choros omnes, victoria quando
Grata fuit, cùm jucundum ver incipit: & cùm
Arboribus dulces nidos ſubtexit Aëdon.

Pythia Athenas tranſlata. *Illud ad finem Pythiorum non prætereundum videtur, quòd Plutarchus in Demetrio ſcribit, eo tempore quo Thebæ à Demetrio ſunt occupatæ, Demetrium Pythia Delphis Athenas tranſtuliſſe, atque ibi etiam celebraſſe, quòd Ætoli anguſtias obſediſſent, per quas vnum fuit Delphos iter. Verba Plutarchi hæc ſunt:* τῶν δὲ Πυθίων καθηκόντων, πρᾶγμα καινότατον ἐπέτρεψεν αὐτῷ ποιεῖν ὁ Δημήτριος. Ἐπεὶ γὰρ Αἰτωλοὶ τὰ περὶ Δελφοὺς στενὰ κατεῖχον, ἐν Ἀθήναις αὐτὸς ἦγε τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν πανήγυριν, ὡς δὴ προσῆκον αὐτόθι μάλιστα τιμᾶσθαι τὸν θεὸν, ὃς δὴ καὶ πατρῷός ἐστι καὶ λέγεται τοῦ γένους ἀρχηγός. Pythiis adventantibus, rem inuſitatam patravit Demetrius. Quum enim Ætoli circa Delphos anguſtias obtinerent; Athènis ipſe certamen & Panegyrim celebravit, vbi maximè patrium Deum & authorem generis eorum honorari decebat. *Ex quo ſimul intelligi etiam poteſt, Delphis hos Ludos ſemper celebratos fuiſſe.*

PYTHIA alia.

M*Egora vrbe Achaia agebantur alia Pythia, quæ &* Alcathoia *dicebantur, ab Alcathòo Pelopis filio, vbi victori dabatur ex myrto corona. Alia item Sicyone in Peloponneſo à Cliſthene inſtituta, quum in Phocide Criſſæos debellâſſet: præmium erant argentea Phyala, vt Surdus lib. 3. annotat.*

ISTHMII Ludi.

Iſthmiorum locus & origo. ISthmii *Ludi in Iſthmo Achaia, iuxta Corinthum in Megarenſium ſinu delubro Neptuni inclyto, inter Ionium & Ægæum à conuentu totius Achaia profuſis ſumptibus fiebant, Vere ineunte, vt ex capite vndecimo, libro 4. Mythol. Natalis Comitis intelligitur: celebrabantur, inquit Natalis Comes, ludi quinquennales in luco Æſculapij, die nono poſt Iſthmios incipiente vere, &c. in honorem Melicertæ, quem, quum ſeſe in mare præcipitâſſet, Nereides exceptum, Palæmona, Latinè Portumnum appellârunt, & Syſiphum monuerunt, vt in honorem Melicertæ ludi ſtatuerentur: Pauſanias in Atticis. Sed veroſimiliora tradunt, qui Milicertæ cadauer fluctibus appulſum ſcribunt ad Iſthmi locum quendam. Peſte verò ex eo correptam Corinthum, oraculo monitam haud prius ceſſaturum malum, quàm Milicertæ juſta perſoluerentur, ac præterea Ludi fierent. Igitur Amphimachi & Donacini operâ cadauere tranſlato cum celebritatis initium peſtilentiæ fuiſſet finis, paucis annis Feſtiuitate celebratâ ac deſitâ, rurſus ab Numine ceſſationis poſtulatis ac peſtilentiâ oppreſſi, ex oraculi præceptis morem intermiſſum redintegrârunt. Plutarchus tamen in Theſei vita alios Melicertæ ab Iſthmiis ludis fuiſſe putat, ſic inquiens:* Quod ibidem in Melicertę honorem conſtitutum eſt, noctu agebatur, initiandi magis, quàm ſpectaculi aut celebritatis ſpeciem præ ſe ferens. *Ille igitur à Theſeo primùm inuentos & inſtitutos hos ludos dicit, eundémque gloriari quandóque ſolitum, vt ob Herculem Ioui Olympia, ſic propter ſe Neptuno patri Iſthmia celebrari à Græcis. Muſæum etiam in libro, quem ſcripſit de Iſthmiis, duo certaminum genera celebrari ſolita in Iſthmo tradidit, alterum in Neptuni, alterum verò in Milicertæ honorem: quod etiam in his teſtatur Apollon. lib. 3.*

Οἷος δ' Ἴσθμιον εἶσι Ποσειδάων ἐς ἀγῶνα
Ἅρμασιν ἐμβεβαώς.
Qualis adit ludos Iſthmi Neptunus vt altum
Conſcendit currum.

Iſthmiorum religio. *Sunt tamen qui exiſtimant, eoſdem fuiſſe ludos, ſed ex nocturnis diurnos feciſſe Theſeum: & in Scyronis honorem inuentos à Theſeo, quo ſe à cæde ob propinquitatem expiaret: alii etiam Sinis Procuſtis Neptuni filii à Theſeo cæſi gratia certamen hoc conſtitutum eſſe voluerunt. Statuit autem Theſeus, conuenítque cum Corinthiis, vt Athenienſes ad Iſthmia accedentes, tantùm in ſpectando ſedentes præferrentur cæteris, quantùm nauis velum, quæ eò ſpectandi gratia appulſa erat, extenſum locum occuparet: quemadmodum in ejus vita ex Hellanico & Androne Halicarnaſſeo Plutarchus refert.*

Quinquennales autem erant hi ludi, ſi Solino lib. 13. credimus, ſin Pindari Commentatori, trienneles, inquit enim τὰ Ἴσθμια διὰ τριετηρίδος ἄγεται, *quòd verius videtur. Tantâ religione fuerunt*

runt Sacri, vt quum eos Cypſelus tyrannus Corinthius intermiſſa more reliquiſſet, illorúmque propè intermortua memoria eſſet, ne tanto celebritas intermitteretur, Corinthij Olympiade 49. enixius ex omni ſeculorum memoria ſolennes celebrârunt, Herodoto in primo authore: quos tanto deinceps ſtudio coluere, vt ne deletâ quidem Achaiâ à L. Mummio, & totâ Corintho maximo bello conuulſa, ab eorum ſpectaculis deſtiterint. Cúmque deſerto Corintho celebrandis ludis ciues nulli ſupereſſent, Sicyoniis proximis incolis, ne celebritas intermitteretur, curam demandarunt. Inſtaurata verò ciuitate, honor hic ad incolas rediit. Pauſanias in Corinthiacis, & Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 8.

Iſthmiorum ritus. *Porrò in hoc Iſthmiorum ludicro tria præcipuè edebantur, Iaculorum certamen, Curſus pugna, ac Muſicorum Poëtarúmque congreſſus. Duorum priorum meminit Simonides his verbis:*

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα:
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Quos verſus ſic Alciatus interpretatus eſt:

Iſtmia Philonis Diophon, & Pythia vicit:
Et curſu, & jaculo, ſaltibus, orbe, pale.

Huc pertinet illud Pindari interpretis:

Ἅλμα ποδὸς, δίσκοιο βολὴ, καὶ ἄκοντος ἐρωὴ,
Καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελετή.

Hoc eſt, eodem Alciato interprete:

Cum diſci jactu, ſaltus pedis, impetus haſtæ,
Atque pale, & curſus, ſtudium fuit omnibus vnum.

Suidas meminit alterius generis curſus in his Ludis, quod Diaulon, id eſt, per duo ſtadia vocat.

Victorum in Iſthmiis præmia. *Pinu autem Iſthmionicas coronatos narrant, quòd Melicerta corpus pineis obuolutum ſurculis inuentum eſſet. Alij dicunt Neptuno ſacram pinum: vnde Phytalmij cognomen attributum autumant: quòd pinus, picea, abies maritimæ rei maximè inſeruiant. Strabo libro octauo. Neptuni Iſthmij templum luco piceorum circumdatum ſcribit. Timæus ſcripſit, Apio antea coronari ſolitos in hoc certamine victores, idq; Corinthiorum judicio. Pindari etiam Scholiaſtes non è pinu, ſed ex apio arido victoribus coronam adſcribit, quibus Apollonij Argonauticon aſſentitur, ſic tamen, vt aliquando coronam pineam adeptos quoque concedat. In Iſthmo primum victores coronam è pinu meruiſſe, deinde ex apio, poſtremò verò in priſtinum honoris locum coronam pineam eſſe reſtitutam, Plutarchus in Sympoſiacis teſtatur.*

Maxima hominum multitudo ad hos Ludos venit. *Venit denique vt hoc etiam obiter moneam, ad hos Ludos ex tota Græcia ingens hominum multitudo. Vnde prouerbium natum, ἰσθμιάζειν, quod de ijs dicebatur, qui parum commodè, parúmque ſalubriter viuerent, propterea, quòd Iſthmiorum Ludorum tempus, morbis eſſet obnoxium, ob ingentem hominum conuentum. Sunt tamen, qui non abſurdè de his dici poſſe exiſtimant, qui fruſtra magna & impoſſibilia tentant & conantur, propter Iſthmi perfoſſionem à multis infeliciter tentatam.*

ΑΣΚΛΗΠΙΑ.

IN Arcadia non procul à Luſio flumine ſepulchrum & lucus oſtenditur Æſculapij Arſippi & Arſinoe filij, qui primus alui purgationem, & dentis euulſionem inueniſſe dicitur. Hunc lucum ſcribit Pauſanias in Corinthiacis fuiſſe montibus vndique præcinctum, in quo ambitu quenquam vel mori vel naſci religio fuerit, ſicut etiam in Delo inſula. In hoc luco celebrabantur Ludi quinquennales, die nono poſt Iſthmios ante Megarenſes tamen, incipiente Vere, iique apud Epidaurios, apud quos natus fuiſſe dicebatur, in honorem Æſculapii: vt teſtatur Natalis Comes lib. 4. Mythol. cap. 11. Sardus lib. 3. de Moribus gentium ſcribit, hos ludos in Epiro pugillatu & Pancratia factos.

Ἔμβασις Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην.

PLutarchus in Oſiride teſtatur, Ægyptios initio veris in nouilunio menſis Phamenoth, qui Martio noſtro reſpondet, Feſtum celebrâſſe, quod ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην, hoc eſt, Ingreſſum Oſiripis in Lunam *appellârunt.*

ΣΩΤΗΡΙΑ.

Soteriorum tempus & origo. *ΣΩτήρια Soteria in honorem τοῦ διὸς τοῦ σωτῆρος, Iouis liberatoris, celebrârunt Sicyonii, quinto die Ἀνθεστηριῶνος, quòd hoc die Aratus Sicyoniam ſuam patriam à triſti ſeruitute Regum Macedonicorum in libertatem vindicaſſet. Sic enim Plutarchus in fine vitæ eius ſcribit:* Θύουσι Ἀράτῳ θυσίας, ἣν τὴν πόλιν ἀπήλλαξε τῆς τυραννίδος, ἡμέρᾳ πέμπτῃ Δαισίου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἀνθεστηριῶνα. Καὶ τὴν θυσίαν ἐκείνην Σωτήρια προσαγορεύουσι. *Mirum tamen, vt obiter hoc moneam, quòd Ἀνθεστηριῶνι confert Δαίσιον, hoc eſt, Iunium, quum alibi longè aliter ſentiat, vt ſuprà indicauimus, ideóque ego hoc loco pro Δαισίου legendum arbitror Δύστρου.*

Vocârunt autem Græci in genere Σωτήρια, Feſta vel ſacra quæ agitantur in honorem σωτήρων θεῶν, ob datam nimirum ſalutem & liberationem. Sic Herodianus libro primo. παρέπεμπέ τε τὴν θεὸν χαίρων· καὶ σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζε: *hoc eſt,*

vt Politianus reddidit, populus omnis pro ſalute Imperaroris diem lætabundus celebrabat. *Idem libro quarto.* ῥίψας ἑαυτὸν ἐς γλῶ ὡμολόγειτε χαρεῖστήρια, ἔθυσε σωτήρια. *Vbi rurſus Politianus*, Gratias agebat, votis quaſi pro ſalute ſuſceptis. *Sic etiam Plutarchus in Galba.* ἔθυσε σωτήρια, καὶ παρεσκεύασε λαμπρὰν ἑστίασιν. *Et Lucianus*, ἅπε καὶ σωτήρια τήμερον ἄξων.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ, quæ & ΔΙΟΝΥΣΙΑ dicta ſunt.

Anthesteria omnia illa feſta dicuntur quæ Baccho celebrãtur Antheſterione M.

Antheſteria dicũtur etiam Dionyſia.

Dionyſius cur Bacchus dicatur.

QVandoquidem ſuprà abundè firmitèrque probatum arbitror, Ἀνθεστηριῶνα *non hybernum, ſed vernalem eſſe menſem, & quidem noſtro Martio vt plurimùm reſpondere, ideò quum Martij menſis Feſta hoc capite referamus, etiam ea quæ Antheſterione, à Græcis apud authores celebrata reperiuntur: recenſere ſtatuimus. Vbi primò loco de* Ἀνθεστηρίοις Antheſteriis *agemus, quæ & menſi huic nomen dederunt, qui totus Baccho ſacer fuit, ob Feſta plurima quæ in eo Baccho fiebant. Apollodorus, Suida teſte & Varino, omnes illas celebritates, quæ in honorem Bacchi hoc menſe peragebantur, Antheſteria appellari vult, ita vt* Ἀνθεστήρια *ſint genus,* πιθοίγια *autem,* χοῖς *&* χύτρα *ſpecies. Theophylus* Ἀνθεστήρια *etiam ab Athenienſibus* Διονύσια *nuncupari ſcribit, à Baccho nimirum, qui* Διόνυσος *&* Διονύσιος *appellatus fuit: vel à* Διὸς *&* Νύσσα, *id eſt, Ioue patre, & Nyſa vrbe Arabiæ, in qua à nymphis educatus fuit: vel, vt Plato vult & interpres Heſiodi, quaſi* διδοίνυσος, *à* διδόναι τὸν οἶνον, *quòd dator, hoc eſt, repertor ſit vt vini: vel, quod Phurnuto placet,* ὡς διόνυξος ὤν, *quaſi nos adaperiens: ſiue* παρὰ τὸ διαίνειν ἡμᾶς ἡδέως, *quod ſuauiter nos irriget: vel quaſi* διάλυσος, *inuerſione a. in o. & λ. in v. quod curis ſoluat modicis & nimiis animum, vnde & Alyſius dictus & Lyæus. Illi qui Bacchum voluerunt eſſe Solem, vt Phyſici, Dionyſium exiſtimàrunt eſſe dictum, vel, quaſi* Διὸς νοῦν *mentem Iouis, vt Macrobius ſenſit: vel, quæ Orphei fuit ſententia,* ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, *quòd circumferatur in ambitum: vel denique vt Cleantes, Arthemidorus lib. 2. Onirocriticôn, & Suidas opinati ſunt,* ἀπὸ τοῦ διανύειν *à perficiendo.*

Lenæa.

Videntur & Lenæa Λήναια *generaliter hæc Bacchi Feſta dicta fuiſſe. Sic enim Natalis Comes lib 5. Mythol. cap. 13. ſcribit.* Celebrabantur, *inquit*, Lenæa in ciuitate Athenarum ineunte vere, quo tempore vina de fece eximebantur, triburáque ferebantur ab externis: *quod certamen erat bibentium plerunq; Bacchumq; lætitiæ authorem canentium. Cuiuſmodi carmina ſunt illa Euripidis in Bacchis.*

Τὴν πανσίλυπον ἄμπελον δοῦναι βροτοῖς.
Οἴνου δ' μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν κύπρις,
Οὐκ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.
Obliuionem palmitem mali dedit
Si vina tollas, & Venus ſtatim perit,
Nec dulce quicquam reſtat hinc mortalibus.

Nos igitur, ob maiorem perſpicuitatem, Antheſteriorum & Lenæorum *nominibus pro genere Feſtorum Bacchi poſitis, de* Myſteriis Dionyſii paruis, Pithœgiis, Chois, Chytris *&c. ſeorſim agemus.*

ΔΙΟΝΥΣΙΑ, *ſeu* ΜΥΣΤΗΡΙΑ
Μικρὰ Διονύσου.

Myſteria Bacchi duplicia.

Myſteria Bacchi parua.

DIonyſia, *quæ &* Myſteria Baechi *appellàrunt, fuere duplicia: Parua & Magna.* Parva *Thucydides lib. 2.* Ἀρχαιότερα, *id eſt,* antiquiora *vocat, quod nimirum ante Magna inſtituta eſſent: & lib. 5.* Vrbana *eadem nominat, quòd in vrbe tantùm, non etiam in agro agerentur, vt majora: Celebrabantur autem menſe Antheſterione. Sic enim Plutarchus in Demetrio ſcribit:* ἀλλὰ τὰ μικρὰ Μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελεῖτο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος. *Thucydides lib. 5. ſub finem hyemis & initium veris celebrata fuiſſe teſtatur: Antheſterionem intelligens, vt jam indicatur.*

Myſteria parua Bacchi vbi & quo die celebrata.

In Limnis verò Athenis intra vrbem in templo Bacchi die duodecimâ Antheſterionis agebantur. Thucydides enim lib. 2. enumerans templa Athenarum arci vicina, inquit: καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι: *id eſt*, aliud quoque eſt (*templum*) in Limnis Dionyſii, in quo antiquiora Dionyſia duodecimâ die menſis Antheſterionis celebrantur. *Sunt tamen qui ex eodem authore decimâ huius menſis die facta referant, fortè quòd in nonnullis exemplaribus pro* δωδεκάτῃ *legatur* δεκάτῃ. *Et horum quidem ſententiam ac lectionem veroſimiliorem puto, quum duodecimâ hujus menſis die* χόες *&* χύτροι *feſta celebrata ſint: non igitur probabile, etiam Myſteria hæc ſimul peracta fuiſſe.*

Athenienſes Myſteriorum Bacchi authores.

Antonius Fanenſis in ſuis ad Ouidii Faſtorum librum 3. Comment. refert ex aliorum ſententia, Athenienſes Dionyſia primos inſtituiſſe. Et Alex. ab Alexan. lib. 6. c. 19. de eodem ſic ſcribit: Theatrales ludos in Liberi patris honorem inventos, ab Athenienſibus originem duxiſſe ferunt, qui primi Novembri menſe (*per* Ἀνθεστηριῶνα *malè Nouembrem intelligens*) Bacchanalia & Ludos gymnicos ac Liberales celebrârunt.

Sacrorũ Bacchi qui miniſtri.

Erant autem horum Sacrorum Miniſtræ fœminæ, quòd Bacchus illas habuiſſet ſocias in Indica expeditione, quibus tamen viriquoq; iungebantur. Et coronabantur hederâ quicunq. Liberæ patri erant initiaturi, vt ſignificauit Euripides

in

in Bacchis: quia parvuſ Dionyſium in cunis illa arbore fuit occultatus: vel, quia racemos vuarum imitatur: vel quia ſemper ſit viridis & iuuenis, qualis Deus ipſe fingebatur: vel quia quum frigida ſit arbor naturâ, ob inſitum frigus adiumento ſit aduerſus ebrietatem. Alii ad imitationem Bacchi id factum crediderunt, quòd ille cùm eſſet puer hederâ & lauro coronatus incederet, ſicut Homerus teſtatur in hymnis:

Δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἐπαύλους,
Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.

Tum quoque patvus erat, ſyluiſque errabat in altis
Ornatus lauro atque hederâ.

Et quidem legibus ſacrificiorum ſancitum erat, vt coranarentur hederâ quicunque Baccho initiarentur, vt ait Dionyſius in Coſmographia:

Ὀρνύμεναι πλήθουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ
Στεψάμεναι κισσοῖο μελαμφύλλοιο κορύμβοις
Ἐννύχιαι, πάταγος δὲ λιγύθροος ἔρνυται ἠχή.

Concitæ agunt, vt lex, Baccho Sacra tempora ramis
Devinctæ nigris hederæ, ac pallente corymbo
Nocturnæ: clamórque ingens conſurgit ad auras.

Sacrorũ Bacchi ritus.

Ipſorum autem Sacrorum qui ritus initiò fuerint, & in quem non diſſimulandum abuſum progreſſu temporis abierint: Plutarchus aliquo modo indicat in libello περὶ φιλοπλουτίας, *ſeu De cupidate diuitiarum, his verbis ſub finem:* Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς καὶ ἱλαρῶς. Ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματίς: εἶτα τράγον τις εἷλκε, ἄλλος ἰσχάδων ἄῤῥιχον ἠκολούθει κομίζων. ἐπὶ πᾶσι δ' ὁ φαλλός. Ἀλλὰ νῦν ταῦτα παρεωρᾶται καὶ ἠφάνισται, χρυσωμάτων περιφερομένων καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων καὶ προσωπείων: *hoc eſt*, Accepta à Majoribus Bacchanalium Feſtivitas antiquitùs plebeio more & hilari agebatur. Amphora vini, & palmiris ſarmentum, tum aliquis caprum trahebat, ſequebatur alius calathum ficis plenum geſtans: vltimo loco Phallus. Nunc ea negliguntur & obſoleta ſunt, dum interim geſtantur aurea pocula, veſtes pretioſæ, bigæ agitantur, perſonatíque incedunt. *De eodem Alex. ab Alexandro lib. 6. capite 19. ſic ſcribit:* Athenienſes Bacchanalia, & ludos gymnicos ac Liberales tantâ licentiâ celebrârunt, vt Nympharum & heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad ſonum tibiæ cum laſciva geſticulatione compoſitis modis pſallerent. Vinúmque cum bellariis, libáque ex melle magnâ bibendi licentiâ circumferrent, quos plerunque populus coronatus ſpectavit. Quæ Sacra præter quam quòd per annum deliram & temulentam indicerentur, eò inſolentiæ proceſſere, vt mulieres viriq; ornati hederâ, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, cum thyrſis velut inſanientes, & furore afflatæ obvios ferirent. Miniſtri quoque fanatici non minore veſaniâ ferulas geſtarent, tantâ temulentiâ & verborum licentiâ, vt M. Varro, niſi ab amentibus fieri potuiſſe negaret: quare Miniſtræ Mænades dictæ, inter quas Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæchlæ, Mimallones, Naiades, Nymphæ & Tityri Sacris operabantur. In his quoque comeſſationes, thyrſi, tibiæ, & cantus frequentes erant. Et quoniam ad animæ purgationem pertinere dicerent, etiam Vannum, quo triticum purgatur, adhibebant: & ovum conſecrabant, vt exemplum omnia gignentis, & in ſe continentis, *ſicut Plutarchus ſcribit lib. 2. Sympoſ. quæſt. 3. Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 13. refert, miniſtras ſacrorum Bacchi diſcurriſſe cum tædis & funalibus accenſis per noctem, quibus vſa ſint in illis ſacrificiis, atque crinibus paſſis ita clamâſſe currentes, Eu, hæ: quæ voces ſunt benè ac feliciter precantium.*

Bacchanaliorũ ritus apud varias gentes.

Idem author eadem loco aliarum quoque gentium Bacchanalia deſcribens, ita refert: Apud Thraces Orgia Bacchi ab Orpheo inſtituta, niſi à menſtruoſis fiebant. Evianes Bacchi feſta celebrant, in quibus ludiones primò, mox ſpectatores multo vino epoto, ad arma concurrunt. A Babyloniis quoq; Feſtus dies Baccho plurimo mero exhauſto colebatur, in quo noctem perennem laſcivis geſticulationibus & largiori potu indulgebant. Apud Heleos Bacchæ Dionyſio pſallentes modulatâ voce, precantur vt bovino pede ad ſe accedat. *Refert Athenæus lib. 1. in fine, locum eſſe ob Helea diſtantem octo ſtadiis: in quo incolæ in Bacchanalibus tres lebetes vacuos præſentibus externis recludant, ac iterum aperientes vino plenos inueniant. Lauini integer menſis Libero dicabatur. quib. diebus obſcænis verbis & ſpurciſſimis abuti permiſſum: quod Heliogabalus inſtituiſſe fertur. Ab Ægyptiis tanta obuſu Bacchanalia fiebãt, vt remeto ingurgitati ſtatuas cubitales per pagos circũferant, prælata mẽtulâ magnitudine viſendâ præeunte tibiâ & choro cũ Mercurii ſtatua. pharetra porrecto, quas fœmina & majores natu matres, velut pompam triumphalem. præ ſe agebant, tam fœdo ſpectaculo, vt nihil improbius aut nequius foret. Eâdem quoq; licẽtiâ Athenis vſurpabatur Antheſterione menſe, quo Bacchanalia celebrabant, vt fanatica multitudo Baccharum habitu per vrbem procederet, quemadmodũ diximus. Facta quoque ſunt Bacchanalia alternis annis in Parnaſſo mõte cymbalorum crepitu. Conſueuerunt etiam Ca-*

Digitized by Google

merita, quæ natio eſt Indiæ finitima, quum Bacchum ab Indica expeditione redeuntem humaniter accepiſſent, illum egregiè colere, cingulaque & hinnulorum pelles in Sacris eius circa pectus habere, vt docet Dionyſius in Coſmographia:

Καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, οἵποτε βάκχον
Ἰνδῶν ἐκ πολέμοιο διδυγμένοι ἐξείνισσαν.
Καὶ μετὰ λιναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο,
Ζώματα καὶ νεβρίδας ἐπιστήθεσσι βαλόντες.
Εὐοῖ βάκχε λέγοντες.

Et Camaritarum genus ingens, Bacchus ab Indis
Hoſpitio rediens quibus eſt acceptus, & illi
Lenarum ſtatuere chorum, quæ cingula, & vnà
Damatum pelles poſuerunt pectora circum
Euoe Bacche frementes.

Huc pertinet etiam quòd Athen. lib. 4. ſcribit: Πᾶσαν τὴν πόλιν ἐθεασάμην περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν, totam vrbem vidi circa Bacchanalia ebriam. *Excuſat autem Plato lib. 6. de Legibus hunc morem turpiſſimum, inquiens,* Ad temulentiam vſque bibere nuſquam conuenire, præterquam in illius Dei Feſtiuitatibus, qui vinum hominibus dedit.

ΠΕΡΙ ΦΑΛΛΙΑ ſeu ΦΑΛΛΑΓΩΓΙΑ.

Phallus quid. *QVod autem ſuprà ex Plutarcho retuli, in Bacchanalium pompa Phallum vltimo loco portatum, ſciendum eſt, Phallum eſſe priapum ſeu penem ex ligno fabricatum. Sic enim Arnobius lib. 5. contra gentes,* Ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis. *Sunt tamen qui ex corio factum arbitrentur: quamuis enim dicatur eſſe,* σύκινον αἰδοῖον, *ſuſpectum tamen eſſe poteſt* σύκινον, *ne pro* σκύτινον *irrepſerit.* *Origo circumgeſtationis Phalli.* *Hos Phallos ſeu priapos & membrorum virilium effigies de collo pendentes in Bacchanalium turba circumgeſtârunt homines vaniſſimi leuiſſimique. Eum verò ritum Melampum Græcis ex Ægypto attuliſſe, & monſtrâſſe, Herodotus libro 2. indicat his verbis:* Quin & alium diem Feſtum Baccho Ægyptij agunt ſine porcis, ferè per omnia Græco Feſto ſimilem. Sed loco Phallorum, id eſt, ficulneorum veretrorum à collo pendentium, ſunt ab eis excogitatæ ſtatuæ cubitales è neruis compactæ, quas fœminæ circumferunt per pagos, mentula, quæ propemodum inſtar eſt reliqui corporis in ventre, & tibi à præeunte, quam fœminæ Bacchum canentes ſequuntur. Cur autem mentulam habeat iuſto maiorem ſtatura, & vnum corporis membrum agitet, redditur ab eis ratio: vt iam Melampus Amytheonis filius non imperitus huius Sacri, ſed peritus fuiſſe videatur. Siquidem Melampus fuit, qui Græcis Dionyſij, id eſt, Liberi patris vel Bacchi nomen, & ſacrificium, & pompam Phalli enarrauit, non tamen omnem planè rationem complexus. Verùm hi qui poſt hunc extiterunt Sophiſtæ, rem in maius explicauerunt. Itáque Phallum Dionyſio miſſum, narrandi Melampus author extitit: à quo edocti Græci faciunt ea quæ faciunt. Equidem Melampum ego virum fuiſſe ſapientem iudico, diuinationémque ſibiipſi comparâſſe: eundémque cùm alia multa ab Ægypto accepta Græcis enarraſſe, tùm verò nonnulla de Dionyſio, tamen commutata, &c. *Hæc Herodotus.* *Herodotus explicatur* *Vbi obiter monendus Lector, Cælio lib. 7. cap. 16. videri, Græcam dictionem quæ apud Herodotum extat:* νευρόσπαστα, *perperam ab interpretibus redditam, è neruis compactas: nam* νευρόσπαστον *neruis tractum ſignificat. Vult igitur Herodotus non dicere, Phallos ſeu priapos, & ſtatuas illas cubitales à collo pendentes, & membri virilis ſpeciem referentes, è neruis compactas fuiſſe, ſed certis neruis aut fidiculis in hanc vel illam partem cum quadam conuenientia tractas. Artis autem hoc fuit, ad quam alludit Apuleius, dicens.* Etiam illi qui in ligneolis hominum figuris geſtus mouent, quando filum membri quod agitare ſolent, traxerint, mouebitur ceruix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus adminiſterium præſtò erunt, nec inuenuſtè totus videbitur viuere. *Proindéque Græca Herodoti verba,* ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφίσι ἐστὶ ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας γυναῖκες, *ſic reddenda ſunt:* Pro Phallis autem alia ſunt eis inuenta cubitalia ſimulachra neruis tractis ſuâ ſponte mobili, qui circumferunt per vicos mulieres.

Qui verò in pompa Dionyſiaca hos Phallos ferebant Φαλλοφόροι *dicebantur:* οἳ ἴθυ ἐβάδιζον καταπλησθέντες αἰθάλω, *id eſt,* rectà incedebant ex aduerſo fuligine repleti. *Φαλλοφόροι qui. Ithyphalloi qui pompa & habitus eorum.* Ἰθύφαλλοι *autem dicuntur Heſychio* οἱ ἐπίκρυφοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φαλλῷ γυναικείαν ἔχοντες στολήν. *De eorum pompa, habitu & carmine quo in Dionyſiis vſi ſunt, Athenæus lib. 14. ex Semo Delio ſic ſcribit:* Ἰθύφαλλοι καλούμενοι, προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσιν, καὶ ἐστεφάνωνται χειρῖδας ἀνθινὰς ἔχοντες. Χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις, καὶ περιέζωνται ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν. σιγῇ δὲ

διὰ

διὰ τοῦ πυλῶνος εἰσελθόντες ὅταν κατὰ μέσην τὴν ὀρχήστραν γένωνται, ἐπιστρέφουσιν εἰς τὸ θέατρον λέγοντες, ἀνάγετε εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ θεῷ: ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου βαδίζειν. Οἱ δὲ φαλλόφοροι προσωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, προπόλιον δὲ ἐξ ἑρπύλλου περιτιθέμενοι, καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται στέφανον τε δασὺν ἴων καὶ κιττοῦ, καυνάκας τε περιβεβλημένοι, παρέρχονται οἱ μὲν ἐκ παρόδου, οἱ δὲ κατὰ μέσας τὰς χεῖρας βαίνοντες ἐν ῥυθμῷ καὶ λέγοντες,

Σοὶ Βάκχε τάνδε μοῦσαν, ἀγλαΐζομεν
Ἁπλοῦν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει
Καὶ μὰν ἀπαρθένευτον οὔ τι ταῖς πάρος
Κεχρήμεθα κανῳδαῖσιν ἀλλ' ἀκήρατον
Κατάρχομεν τὸν ὕμνον.

εἶτα προστρέχοντες ἐτώθαζον οὓς ἂν προέλοιντο. στάδην δὲ ἔπραττον. *Id eſt* : Ityphalli vocati, perſonam habent ebriorum, floreáſque manicas habentes coronantur. Sagulis ſemialibus vtuntur, atque Tarentino tegmine ſeipſos ad talos vſque cooperiunt: ac cum ſilentio veſtibulum ingredientes, vbi in media ſcena conſtiterint, ſe in theatrum conuertunt dicentes: Agite, aſſurgite, latum locum Deo concedite. Vult enim Deus rectus per medium conſperſus incedere. Phalliferi verò perſonam non aſſumunt: at canos ex ſerpillo circumponentes, pæderotéſque ſupra hos imponunt, ac coronam denſam ex violis, & hedera, tum pellibus caprinis circumiectis accedunt: alij quidem ex ingreſſu, alij ex obliquo venientes, ac dicentes in rhythmo:

Hanc Bacche Muſam ſplendidam damus tibi.
Effundimúſque ſimplicem rhythmum tibi
Non ſimplici cantu: haud decorus virgini
Qui ſit profectò: nec prius hoc vſi ſumus.
Hymnum, ſed integrum tibi ſacrificamus.

Ægypti & Græci cur Priapū coluerint. *Poſtea accurrentes eos irridebant, quos conſtituerant, erectíque faciebant.*

1. *Ratio autem quæ monit Ægyptios, vt Phallum ſeu membrum virile colerent, fuit, quòd cùm Oſiris Ægypti Rex à Sityphone Ægyptio, vel (vt Seruius tradit) à Typhone fratre clàm occiſus, membráque eius diſiecta ab Iſide vxore eius tandem reperta eſſent, præter virile membrum, in Nilum abiectum, Iſis Phallum ad eius ſimilitudinem fecit, & conſecrauit, quo poſtea ſemper in Sacris vſi ſunt Ægyptij, Plutarcho authore in Oſiride. Obſcœnam fabulam recitat Ar-*
2. *nobius contra gentes lib. 5. quâ aliam originem & cauſam Phalli eiúſque circumgeſtatione in Sacris Bacchi apud Græcos indicat, quam me puderet referre, niſi eam vir ſanctus & Chriſtianæ Religionis vindex acerrimus recitaret.* Cùm, *inquit*, inter homines eſſet adhuc Nyſius & Semeleius Liber noſſe inferos experiuit, & ſub Tartari ſedibus quidnam rerum ageretur inquirere. Sed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatibus impediebatur, quòd quà iter ac pergeret, inſcitiâ itineris neſciebar. Proſumnus quidam exoritur, ignominioſus amator Dei, atque in nefarias libidines ſatis pronus, qui ſe ianuam Ditis atque Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi gereret morem Deus, atque vxorias voluptates pateretur ex ſe capi Deus facilis, iurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe eius, ſed cùm primùm ab inferis compos voti atque expeditionis rediiſſet. Viam comiter Proſumnus ediſſerit, atque in limine ipſo proſtituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias atque alias res omni curioſâ inquiſitione colluſtrat, ex viuentium numero index inde decidit, atque ex more ſepelitur humano. Emergit ab inferis Euhyius, & recognoſcit extinctum Ducem: qui vt fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis. Figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus accedit: ſubdit, inſidit: laſciuia deinde luxuriantis aſſumpta, huc atque illuc clunes torquet, & meditatur à ligno pati, quod jamdudum in veritate promiſerat: *hæc Arnobius: qui & ideò Ityphallos erigi inſtitutum aſſerit, & in hoc non Heraclitum ſolùm, ſed totam conteſtatur Græciam. Fabula hæc eadem reperitur in Græco libello, qui inſcribitur* ἱστορίαι τῶν φαύλων: *& apud Hyginum, dum coronam Ariadnæ deſcribit, ex his qui Argolica ſcripſerunt: ſed hominis viam oſtendentis, nomen non Proſumnus vocatur, ſed Hypolinnus, vel, vt aliæ exemplaria habent, Hypolipnus.*

Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 3. & ipſe originem aliam obſcœni & turpis huius ritus recitat. Fuerunt, *ait*, Phallica in honorem Dionyſij inſtituta, quæ apud Athenienſes agebantur, apud quos primus Pegaſus illo Eleutherienſis Bacchi cultum inſtituit: in quibus cantabant, quemadmodum Deus hic morbo Athenienſes liberârit, & quemadmodum multorum bonorum author mortalibus extiterit. Fama eſt enim quòd Pegaſo imagines Dionyſij ex Eleutheris ciuitate Bœotiæ in Atticam regionem portante Athenienſes Deum neglexerunt: néque vt mos erat, eum pompa acceperunt: 3.

ceperunt: quare Deus indignatus pudenda hominum morbo infeſtauit, qui erat illis grauiſſimus. Tunc eis ab oraculo, quo pacto liberari poſſent, petentibus, reſponſum datum eſt, ſolum eſſe remedium malorum omnium, ſi cum honore & pompa Deum recepiſſent: quod factum fuit. Ex ea re tum priuatim, tum publicè lignea vitilia thyrſis alligantes per eam Solennitatem geſtabant.

Periphallia celebritas.

Ab hoc denique Phallo περὶ φαλλία, *Celebritas & Pompa, quæ Dionyſie agebatur ex Phallis, dicta eſt, Heſychio teſte: quæ &* Φαλλαγωγία, *vt Theodoretus & Phurnutus aiunt, dicebatur, id eſt, dies & feria Priapo dicata.*

Auguſtinus de turpitudine horum ſacrorū.

De turpitudine horum Sacrorum D. Auguſtinus lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 21. ſic ſcribit: Iam verò Liberi Sacra, quem liquidis ſeminibus, ac per hoc non ſolùm liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum vinum tenet: Verum etiam ſeminibus animalium præfecerunt, ad quantam turpitudinem peruenerint, piget quidem dicere, propter ſermonis longitudinem: ſed propter ſuperbam iſtorum hebetudinem non piget. Inter cætera, quæ prætermittere, quoniam multa ſunt, cogor: in Italiæ compitis quædam ſunt Sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: non ſaltem aliquantum verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exultante nequitiâ. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies Feſtos cum honore magno ploſtellis impoſitum, prius per rura in compitis, & vſque in vrbem poſtea vectabatur. In oppido autem Laninio vnus Libero totus menſis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitioſiſſimis vtebantur, donec illud membrum per forum tranſuectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret. Cui membro inhoneſto matremfamiliâs honeſtiſſimam, palàm coronam neceſſe erat imponere. Sed videlicet Liber Deus placandus fuerat pro euentibus ſeminum: ſic ab agris faſcinatio repellenda, vt matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrix ſi Matronæ ſpectarent permitti debuit in theatro.

Ad hoc caput Auguſtini annotat hæc L. Viues: A Thebanis, *inquit*, tertio quóque anno Sacra Baccho celebrabantur in Chyterone monte nocturna, quæ de tempore Nyctilena ſunt nominata, vt inquit Seruius, & ab annis trieterica, ceu triennalia. In eis erant Phalli, ſicut Herodotus, & Plutarchus, libello De cupiditate opum perhibent, hoc eſt, metulæ prægrandes Ægyptij ſtatuas puſillas confingebant immani virilis membri mole: aliæ multæ gentes ſolam mentulam ducebant circum agros ad fertilitatem frugum. Theodoretus lib. 3. refert Phallogogia dictas ferias, quibus Phalli circumferebantur. Porrò Priapum Bacchi Sacris addi multa ſunt in cauſa. Primum quòd Priapus comes fuit expeditionum Bacchi: deinde quod ſine beneficio Bacchi frigeat, ideò filius putatur Liberi & Veneris. Iam & Bacchus feminibus præeſſe creditur, quorum membrum inſtrumentúmque inter omnia primum eſt Priapus, & hac de cauſa hortis præficiebatur, eiúſque Sacra per pagos villáſque à ruſticis magnâ lætitiâ riſúque celebrata ſunt. Poſtremò Diodorus Oſiridem, quem eundem Bacchum fuiſſe dicunt, diſcerptum à Typhone narrat, datúmque vnicuíque eorum, qui cum Typhone coniurârant, partem aliquam, quo & fideliores inter ſe forent, & Oſiridis mors melius celaretur: virile membrum, quum nemo vellet recipere in Nilum eſt abiectum; poſtea Iſis mariti necem vlta, membra omnia ex coniuratis recuperauit, ac vbi deeſſe mentulam intellexit, imaginem eius ſacrauit, & ad ſuam conſolationem maiore habuit honore, quàm reliquas partes, ceremoniáſque & Sacra illi inſtituit, Phallúmque dixit, cui primum initiabantur futuri Sacerdotes

Priapus cur additus Bacchi ſacris.

Greg. Nazian. Phallos & Ityphallos ponit dicens. ὧ ἢ φαλλοί τινες καὶ ἰθύφαλλοι αἰσχρὸν καὶ τοῖς σχήμασι καὶ τοῖς πράγμασι. Sed inter Phallum & Ityphallum diſcrimen nullum eſſe arbitror aliud, quàm quod Ityphallus à rectitudine & arrectione videtur dictus ex Græca voce.

Bacchanalium Ethnicorum turpitudo damnatur.

Hæc & ſimilia in his Græcorum Myſteriis ſanctis, ſi Diis placet, ſunt perpetrata. Vt mirum non ſit Scythas, authore Herodoto in Melpomene, Græcis vitio vertiſſe Bacchanalia celebrandi conſuetudinem. A ratione ſiquidem omninò alienum eſſe exiſtimârunt, illum Deum cogitare, ac diuinis honoribus afficere. qui homines ad tantam inſaniam adigat. Pentheus quoque Agaues & Echionis filius, Rex Thebanorum, ob hæc impura Orgiorum Bacchi facinora conatus eſt pro viribus tantùm turpitudinis euertere, quamuis malè rem illi ceſſiſſe fabulis ſit proditum. Diagondas etiam Thebanus, omnia nocturna ſacrificia, propter eorum turpitudines, perpetuâ lege ſuſtulit, vt Cicero in ſecundo de Legibus teſtatur. Author etiam hiſtoria Machabæorum teſtatur lib. 2. cap. 6. Iudæos, cùm alias ſuperſtitiones, tum Bacchanalia quóque Sacra celebrare, & hederâ coronatos Baccho pompam ducere coactos, mortem potius, quamuis acerbiſſimam, oppetere maluiſſe, quàm immanibus atque ſacrilegis huiuſmodi Sacris ſeſe polluere. Vt miranda

Chriſtianorum impietas.

Digitized by Google

randa ſit & vehementer deploranda inſana ac furioſa Chriſtianorum impietas, qui tam immania, tam tetra, omniſque ſceleris & flagitij plena Feſta, ab ipſis quoque Scythis damnata, non dubitarunt quaſi paſtliminiò in Eccleſiam Chriſti introducere! O ſcelus! ô crimen horrendum & ingens! quo procul dubio gravem iram Dei nobis conciliamus.

ΠΙΘΟΙΓΙΑ.

Pithœgia quo die & ritu celebrata.

Πιθοίγια vel Πιθοιγία, nam vtrunque legitur, Pithœgia, ἡ τοῦ πίθου ἀνοιγὴ, inquit Suidas, feſtum erat Bacchi, in quo dolia primùm relinebant, & vina noua guſtabãt: celebrabatúrque vndecimo die Antheſterionis. Sic enim Plutarchus lib. 3. Sympoſ. quæſt. 7. ſcribit: τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἐν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται πιθοιγίαν (malè enim in aliquibus exemplaribus ποθοιγίαν legitur) τὴν ἡμέραν καλοῦντες: id eſt, Athenis vndecimâ die menſis Antheſterionis primitias novi vini delibant, diémque illum à doliis reſerandis Pithœgiam vocant. Rurſus eodem loco: vtque apparet, antiquitùs de vino antequam guſtarent libantes, vota faciebant, vt ſibi vſus ejus medicamenti ſalutaris innoxiúſq; foret. Apud nos menſis Proſtaterius dicitur, quaſi Patronalis: ſextáque ejus die ſtatutum eſt Sacris Bono Genio factis guſtare vinum poſt flatum Favonii: Is enim ventus omnium maximè vinum movet ac mutat: & quod vinum hunc ſubterfugit, jam videtur perduraturum. Idem Sympoſ. 8 quæſt. vltima. καὶ μὴν, ait, ὁπότε τοῦ νέου οἱ πρωϊαίτατα πίνοντες, Ἀνθεστηριῶνι πίνουσι μηνὶ μετὰ χειμῶνα, καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡμεῖς μὲν ἀγαθοῦ δαίμονος, Ἀθηναῖοι δὲ Πιθοιγίαν προσαγορεύουσι. Hoc eſt, Vinum qui bibunt citiſſimè, Antheſterione hoc faciunt menſe, qui hyemem ſubſequitur: diémque illum, quo guſtatur novum vinum, nos Boni Dæmonis, Athenienſes Pithœgiam appellant. *Reſpondent igitur his Græcorum Pithœgiis, Romanorum Vinalia, & noſtra Martinalia, quibus ſimiliter vinum novum primò deguſtamus.*

In his porrò Pithœgiis, ad convivia & vini potum, non ſervos modò, ſed mercenarios, clientes & ruſticam turbam advocabant. Huc reſpexiſſe Heſiodum in fine lib. 1. ἔργων, *Cælius lib. 15. cap. 25. ex Grammaticorum aſſertione teſtatur, vbi ſic canit:*

Ἀρχομένου δὲ πίθου, καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι, δειλὴ δ᾽ ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Siquidem hoc planè Poëtam dicere, vbi dolium relinis, novúmque vinum guſtas primùm, ad ſatietatem vnà cum mancipiis potui inſerviendum: dolio námque non penitus pleno, vinum ferè vappa fit, in fine quoque inutile eſt in meditullio autem optimum cenſetur: proinde parcendum. Proclus autem in hos verſus Heſiodi hæc annotat: ἐν τοῖς πατρίοις, *inquit,* ἐστὶν ἑορτὴ Πιθοιγία· καθ᾽ ἣν, οὔτε οἰκέτην, οὔτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου θεμιτὸν ἦν, ἀλλὰ θύσαντας, πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου. *Tzetzes etiam in eundem locum ſic ſcribit:* ἡ Πιθοιγία, *inquit,* κοινὸν ἦν συμπόσιον, ἀνοίξαντές τε τοὺς πίθους, πᾶσι μεταδιδοῦν τοῦ Διονύσου δωρήματος. *Meminit etiam Alexan. de Alexandro lib. 6. in fine cap. 8. Ex quibus intelligitur,* ἀνθεστήρια & πιθοίγια *eandem Solennitatem fuiſſe. Quod etiam Proverbium indicat,* θύραζε Κᾶρες, οὐκέτ᾽ Ἀνθεστήρια. *Foras Cares, non amplius ſunt Antheſteria. Cùm enim domini ſervos & ruſticos vnà ſecum accumbere permiſiſſent in Pithœgiis, in finitis, ſi eadem jure deinceps etiam vti voluiſſent, aut quos è Caribus ſeu ruſticis & mercenariis in vrbe otioſos offendiſſent, per jocum dicebant eis, Foras Cares, non amplius ſunt Antheſteria: pro quo nos dicimus:* Es iſt nicht alle tag feyrtag/oder Sonntag. *ſi nimirum aliquis idem ſemper licitum ſibi credit, quod aliquando pro temporis ratione ei fuerit permiſſum. Quo pertinet quoque illud Proverbium,* ἡ κιττὸς μετ᾽ Ἀνθεστήρια, Hedera poſt Antheſteria, *quod tunc vſurpabatur, ſi ſerius & poſt tempus aliquid fieret. Nam hedera Baccho fuit ſacra, in cujus feſtis* κιττοφόροι, *id eſt, hederigeri erant.*

ΧΟΩΝ FESTVM.

Χόες quid.

Χοῦς & χοὺς *ſeu incontractè* χόος, *Menſura erat liquidorum apud Atticos, capiens* ξέστας, *id eſt, ſextarios ſex. Eſſe autem hunc Græcorum* χόα, *Latinorum Congium, Plinius teſtatur, & Fannius ſic canens:*

At Cotylas recipit geminas ſextarius vnus,
Qui quater aſſumptus fit Græco nomine χοῖνιξ.
Adde duos, χοῦς fit, vulgò qui eſt congius idem.
A quo ſextarii nomen feciſſe priores.
Crediderim, quòd eos capiat ſex congius idem.

Choon feſtum quo die & ritu celebratur.

Ab hoc Mẽſuræ genere Feſtum Χόες *apud Athenienſes dicebatur, quod &* δωδεκάτην *vocabant, vt Gyraldus Syntag. 17. de Diis ex Heſychio indicat: inſtitutum in honorem Bacchi, vnde & ipſe Coopotes cognominatus fuit: celebrabatúrque duodecima die menſis Antheſterionis, Suidâ authore. Rationem & originem ejus hanc tradit Suidas, & Scholiaſtes in primus Ariſtophanis in hunc Acharnensium locum,* Εἰς τοὺς χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν χιχλῶν. *Oreſtes poſt cædem matris quum Athenas veniſſet dum* Διονύσια,

Λήναια,

Λεωαῖῳ feſtum agitabatur: ne Athenienſibus foret ὁμόσπονδος; vt qui matris ſanguine manus polluiſſet, à Feſti tamen celebritate non arceretur, dicitur Pandion, ſale aliquid machinatus: Χοᾶ ὅπως τῶν δαιτυμόνων ἑκάστῳ παραστήσας, ἐξ αὐτοῦ πίνειν ἐκέλευσε, μηδὲν ὑπομιγνύντας ἀλλήλοις, ὡς μήτε ἀπὸ τοῦ κρατῆρος αὐτοῦ πίοι Ορέστης, μήτε ἐκεῖνος ἄχθοιτο καθ' αὑτὸν πίνων μόνος, καὶ ἀπ' ἐκείνου Ἀθηναίοις ἑορτὴ ἐνομίσθη οἱ χόες. *De eodem Athenæus lib.10.cap.12. ſic ſcribit:* Choum Feſtum Demophon Rex Athenienſium ſtatuit, Oreſtem Athenas profectum excipere volens: quum nollet tamen eum ad Sacra accedere, aut eiuſdem Sacri eſſe ſocium, quia nondum fuerat expiatus, ſacra concludi juſſit, ac vini choam ſingulis apponi, ei inquiens, qui primus bibiſſet, ſe placentam eſſe daturum. Edixit præterea, ne quis coronas poſt potum deponeret, quibus coronabantur in ſacris, quoniam contubernales fuiſſent cum Oreſte. At vt omnes circa choam deponerent, juſſit, coronáſque ipſas Sacerdoti afferre in Lucum, qui eſt in paludibus, reliqua in templo ſacrificare. *Magneſiis autem Themiſtocles, inito ibi Magiſtratu, quam Stephanopharum dicunt, peracto Dionyſio* Χοοπότῃ *ſacrificio,* Χόων *celebritatem primus exhibuit, vt Cælius teſtatur lib.12. in fine capitis vltimi, vt Athenæus lib.12. cap.16. ex Poſidis lib.3.* Μαγνητικῶν.

Conuiuiorum in Chois apparatus.

Celebrabantur igitur in hoc feſta conuiuia, quorum apparatum Ariſtophanes in Ἀχαρνῆς *his verbis egregiè admodum deſcribit:*

ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ
Βάδιζε, τὴν κίστην λαβὼν καὶ τὸν χοᾶ.
Ὁ τοῦ Διονύσου γὰρ σ' ἱερεὺς μεταπέμπεται.

Et mox:

Τἄλλ' ἄλλα πάντ' ἐστὶν παρεσκευασμένα,
Κλῖναι, τράπεζαι, προσκεφάλαια, στρώματα,
Στέφανοι, μύρον, τραγήμαθ', αἱ πόρναι πάρα,
Ἄμυλοι: πλακοῦντες; σησαμοῦντες, ἴτρια;
Ὀρχηστρίδες, τὰ φίλταθ' Ἁρμοδίου, καλαί.

Id eſt,

Ad cœnam citò
Te confer, ciſtam accipiens atque Choa.
Nam Dioniſii te ſacerdos accerſit.
Reliqua verò omnia ſunt parata,
Lecti, menſæ, pulvini, ſtrata,
Coronę, vnguentum, bellaria, ſcorta adſunt.
Amyli, placentæ, ſeſami, itria,
Saltratrices, Harmodii carmina pulchræ.

His verbis vno quaſi faſciculo comprehenſa habes omnia, quæ ad conuiuia in hiſce Chois celebrata, earúmque apparatum pertinent. Harum autem quædam ab inuitatis afferebantur ad illa conuiuia, alia ab inuitantibus ſubminiſtrari ſolebant, vt Scholiaſtes in hunc Poetæ locum annotat. Inuitati enim ſecum afferebant ἑψήματα, *cibos coctos, nimirum* ἀμύλους, *quod eſt* βρῶμα τὸ μὴ πεπλασμένον ὑπὸ μύλων, *teſte Euſtath. Il.* Π, *id eſt, placentæ genus* ἀθρύπτου, *in quo comminuendo dentes molares non laborant. Afferebant &* πλακοῦντας, *placentas:* σησαμοῦντας, *ſpecies placentarum:* ἴτρια, *quæ erant τὰ πορώδη πλάσματα. Afferebant præterea ſecum* κίστην, *id eſt,* ὀψοθήκην, *nec non* χοᾶ, *poculum, ne alio pocula communicarent, idque ob eam cauſam quam ſuprà de Oreſte retulimus. Illi verò qui vocabant, ſolebant ſuppeditare & apponere coronas, vnguenta, bellaria, & huius generis alia, nimirum lectas, menſas, puluinaria, ſtragulas, veſtes. His adhibebantur ſcorta & meretrices, ſaltatrices pulchræ, & cantilenæ jucundæ. Refert idem author eodem libro ex Timæo, quòd Dionyſius tyrannus primò Choam bibenti in hoc Feſto auream coronam præmium poſuerit, quódque primus Xenocrates Philoſophus biberit, qui auream coronam accipiens ac ſoluens Mercurio impoſuerit, cuius ſtatua fuit in aula Regis, & cui coronas floreas frequenter imponere conſueuerat, quum veſperi ad eum accederet. Hinc Athenæus lib.10.c.12. teſtatur ex Antigoni libro de Dionyſio cognomento Heracleote,* τὸν Διονύσιον τοῖς οἰκέταις συνεορτάζοντα ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ, καὶ μὴ δυνάμενον διὰ γῆρας χρῆσθαι ἣ παρειλήφεισαν ἑταίρᾳ ἐπιστρέψαντα εἰπεῖν πρὸς τοὺς συνδειπνοῦντας, Οὐ δύναμαι ταννύσαι, λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος: *id eſt,* Dionyſium cum familiaribus Feſtum agere ſolitum Choum, quumque amica, quam ei elegerant, frui non poſſet ob ſenectutem, ad conuiuas conuerſus dicebat: Non poſſum extendere, capiat alter.

Sicuti verò Romæ Minerualia Quinquatribus, aut paulò antè, præceptoribus perſoluebantur, ita Athenis in χόων *Feſto munera, mercedémque Sophiſtis mittebant; qui & ipſi eodem tempore familiares hoſpitaliter accipiebant, vt Athenæus eodem loco ex Eubulide dialectico refert: meminit etiam Cælius lib.14. in fine capitis vltimi.*

ΧΥΘΡΟΙ.

Chytri quando celebrati.

Χύθροι *nomen Feſti Athenienſium eſt. Suidas ſcribit, vno eódemq; die & τοὺς χόας & τοὺς χύθρους celebratos fuiſſe. Harpocration autem ex Philochoro tradit, agitatum fuiſſe Feſtum* χύθρων *decimâ tertiâ die Antheſterionis menſis. Celebrârunt autem in honorem Bacchi, vt ex Ariſtophane liquet, qui in Ranis ait.*

Ἣν (ἀοιδὰν) ἀμφὶ νυσήιον Διὸς
Διόνυσον ἐν Λίμναισιν ἰαχήσαμεν,
Ἡνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος
Τοῖς ἱεροῖσι Χύθροισιν
Χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος.

Nomen

Chytri nomen unde & ritus.

Nomen habet ab olla: quòd in eo omne genus ſeminum in olla coquere ſolerent Dionyſio & Mercurio ſacrificantes, ut Suidas docet, & Ariſtophanis Scholiaſtes in Ἀχαρνεῦσι: *ubi etiam ex Theopompo refert, principium hujus Sacri à Deucalione uſque per manus traditum fuiſſe. Ferunt enim illum, & qui cum eo ex diluuio illo ſuperſtites euaſerant, ſemina ita coxiſſe atque inde feſtum ortum & appellatum: nec ex coctis quicquam guſtabant, ſed Dionyſio & Mercurio Chtonio offerebant pro mortuis. Refert etiam ex Philochoro Natalis Comes lib. Mytholog. cap. 5.*

ΑΣΚΩΛΙΑ.

Aſcoliorum ritus.

ASColia *pars videntur fuiſſe Myſteriorum paruorum Bacchi. Eorum ritum Zezes in Commentariis in Heſiodum ſic deſcribit.* Ἀσκοὺς πεφυσημένους καὶ πνεύματος πεπληρωμένους τιθέντες κατὰ γῆς, ἑνὶ ποδὶ ἐξαλλόμενοι, ἄνωθεν τούτων ἐφέροντο. καὶ πολλάκις καταολισθαίνοντες εἰς γῆν ἔπιπτον. τοῦτο δὲ ἐποίουν τιμῶντες τὸν Διόνυσον· ὁ γὰρ ἀσκὸς δέρμα ἐστὶ τράγου. ὁ δὲ τράγος τὰς θαλλὰς τῶν ἀμπέλων τρώγων λυμαίνεται πάντων. Vtres inflatos ventóque plenos humi deponentes altero pede inſiliebant, atque ſuper iis ferebantur. Tum ſæpius labentes in terram decidebant. Faciebant autem id in honorem Dionyſii, quoniam utris pellis eſt hirci, qui pampinos vitium comedens illis obeſt plurimùm. *Mentionem quoque huius Celebritatis faciunt Ariſtophanes ejúſque Scholiaſtes, & Suidas.*

Aſcolia etiam à Romanis celebrata.

Agebantur hæc ſacrificia apud Latinos etiam, quæ Aſcolia *dicebantur, plurimúmque conferre credebantur ad vinearum fertilitatem: quorum ritum ita præclarè expreſſit Vergil. lib. 2. Georgicorum:*

Frigora nec tantùm cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas;
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Præmiáque ingentes pagos & compita circum
Theſeidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos ſalière per vtres.
Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni
Verſibus incomptis ludunt riſúque ſoluto,
Oráque corticibus ſumunt horrenda cavatis.
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibíque
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu.
Complentur valléſque cavæ, ſaltúſque profundi.
Et quocúnque Deus circum caput egit honeſtum.
Ergò ritè ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancéſque & liba feremus.

Proponebantur autem præmia illis, qui ſapientius ſuper vtres ſaltarent: deinde Bacchi ſtatua cum carminibus inconcinnè ebriorum more compoſitis in eius laudes patrio idiomate ſingularum nationum circumferebatur circa vineas, quæ res plurimùm ad fertilitatem conferre putabatur: atque ii qui iſta faciebant, perſonas ſumebant è corticibus arborum, & vini fece aliquando perungebantur ne cognoſci poſſent: quia multa ridicula, multa parùm decora, multa turpia & pudore plena dicebant, quæ ſint perſonis dicere omninò puduiſſet. Deinde vineis luſtratis ad altare Bacchi vnde diſceſſerant, redeuntes, ſacras victimas in lancibus offerebant & comburebant. Deinde altiſſimis arboribus imagines quaſdam, modo fictiles, modo ligneas Baccho ſacras & illi ſimiles appendebant, quas à paruitate oris dicebant oſcilla, vt longiſſimè poſſent proſpicere, quia vineis conferre putabantur. His ita actis in conuiuium, & è conuiuio domum diſcedebant: quæ omnia propè in ſuperioribus Vergilii carminibus continentur.

Ineptiſſimum hoc Sacrum ab Ethnicis mutuati ſunt Chriſtiani quidam hæretici, qui ab eo curſu ἀσκοδρουῖται *nominati fuerunt: vel, vt Philaſtrius ſcribit,* ἀσκοδρογῖται. *In Galatia verò hi fuere, qui vtrem inflatum contegentes, bacchantes circuibant. Solent & noſtrâ ætate pueri vno ſic pede per luſum jocúmque ſaltare interdum.*

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ.

P*Lutarchus in libello de Gloria Athenienſium indicat, Athenienſes decimam ſextam Munichionis Dianæ conſecrâſſe Feſtum. Verba ejus ſunt:* Τὴν ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος, *id eſt,* decimâ ſextâ Munichionis menſis Dianæ ſacrificant, quòd ea Græcis circa Salaminem vincentibus Luna pleno orbe apparuit. *Hæc autem fuiſſe illa* Μουνύχια, *quæ hoc menſe in Dianæ honorem celebrata ſunt, non pro certo affirmare auſim.*

IOVIS Solennitas.

VNdeuigeſimo die Μυνιχιῶν῀ μῆνὸς, *quem Martio noſtro reſpondere ſuprà diximus, equeſter ordo Athenis Ioui Feſtum cum ingenti pompa celebrauit. Plutarchus in fine vitæ Phocionis Athenienſis, viri & rerum geſtarum magnitudine clariſsimi, & propter merita in patriam perpetuâ gratitudine digniſsimi, ſed injuſto judicio populi Athenienſis, Caſſandro Macedonum Regi gratificantis, condemnati, & hoc ipſa die veneno necati Feſti hujus meminit his verbis:* ἦν ᾗ ἡμέρα μηνὸς μουνυχιῶν῀ ἐνάτη ἐπὶ δέκα, καὶ τῷ Διὶ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν, ὧν οἱ μὲν ἀφείλοντο τοὺς στεφάνους, οἱ δὲ πρὸς τὰς θύρας δεδακρυμένοι τῆς εἱρκτῆς ἀπέβλεψαν. ἐφάνη δὲ τοῖς μὴ παντάπασιν ὠμοῖς καὶ διεφθαρμένοις ὑπ᾽ ὀργῆς καὶ φθόνου τὴν ψυχὴν, ἀνοσιώτατον γεγονέναι, τὸ μὴ δ᾽ ἐπισχεῖν τὴν ἡμέραν ἐκείνην, μηδὲ καθαρεῦσαι δημοσίου φόνου τὴν πόλιν ἑορτάζουσαν. *Id eſt:* Erat tunc, quum ſcilicet Phocio necabatur, Munichionis menſis vndevigeſimus dies: quo ordo equeſter Iovi pompam Solennem celebravit: Horum pars in ſpeciem luctus coronas auſferentes, pars flendo ad fores; carcerem intuebantur. Nec quiſquam fuit, in quo aut feritate naturæ aut irâ, & odio extincta humanitas fuerit, qui non impium & nefarium duxerit diem illum ſanctiſſimum ſemper, & populo Athenienſi Sacrum atque Solennem hoc publico piaculo fuiſſe pollutum, & caſtas per id ſaltem tempus manus à tam impio ſcelere non ſervâſſe. *Meminit hujus Solennitatis etiam Alexan. ab Alexan. lib. 3. cap. 18.*

ΧΘΟΝΙΑ.

Chthoniorum origo & ritus. *CHthonia Argiua puella, quam Ceres ex Argolide ſecum Hermionem duxit, conflagratâ domo, & Colonte patre puella, quòd Deæ, nec hoſpitium, nec aliud honoris officium exhibuiſſet, in Hermione vrbe Cereris Deæ templum condidit. Eâ verò mortuâ, & ab Hermionenſibus in numerum Diuarum relata*, Chthonia *Feſtum Veris tempore (Cœlius tamen Æſtiuo tempore dicit libro 27. capite 26. L. A.) in ejus honorem inſtitutum, & quotannis eximio cultu, prorſúmque* μεγαλοπρεπῶς καὶ σοβαρῶς *celebratum fuit hunc in modum. In pompa præceſſerunt Deorum Sacerdotes, quique annuos Magiſtratus geſſerunt. Sequuti ſunt cum mulieribus viri. Sed & pueri adhuc ſoliti ſunt hac pompâ Deam honorare, & veſtimentis induti candidis ſerta geſſerunt capitibus impoſita. Serta verò ex flore compoſuerunt, quem Comoſandalon ibi appellârunt: hyacinthum eſſe putauit Pauſanias, & magnitudine & colore adductus, & quod eidem quoque literæ ob luctum ſint inſcriptæ. Eos qui pompam celebrârunt ſequuti ſunt alii, juuencam ex armento ducentes, & vinculis conſtrictam, & ferociâ adhuc indomitam. Hanc, ad templum actam, vinculis nonnulli vt intromittatur, ſoluunt. Alii fores retinent tantiſper apertas, dum bouem vident ingreſſam, poſtea rurſus claudunt. Intra templi parietes occidendæ vaccæ causâ quatuor aniculæ præſtolantur. Quæcunque ex his poteſt, guttur bouis falce incidit. Poſtea apertis iterum foribus, ii quibus imperatum eſt, propellunt inuicem ſecundam, & tertiam, quartam denique: quas omnes eodem modo aniculæ conficiunt. Aliud item in hoc ſacrificio editum fuit miraculum. Iuuenca enim prima quum cecidit, in quod latus procubuerit, neceſſe fuit reliquas quoque procumbere. Hoc igitur modo Hermionenſes ſacrificium illud Feſto hoc die peregerunt: Pauſanias in Corinthiacis. De hoc Feſto & ſacro hæc carmina circumferuntur Ariſtotelis Græci Poëtæ:*

Δαμάτηρ πολύκαρπε, σὺ ἣ ἐν σικελῶτον ἐνάρ-
γης,
Καὶ παρ᾽ ἐρεχθείδαις, ὧν τι μέγα κλέεται
Ερμιονεῦσιν ἐξ ἀγέλης, γὰρ ἀφειδὴ ταῦρον
Οὔτ᾽ οὐχ αἴρουσιν ἀνέρες οὐδὲ δέκα,
Τοῦτον γραῦς ςείχουσα μόνη μόνον ὦατ᾽ ἔλκει,
Τὸν δ᾽ ἐπὶ βωμὸν, ἐδ᾽ ὡς μητέρα παῖς ἕπεται.
Σὺ τόδε Δαμάτερ, σὺν τὸ σθέν᾽ ἵλαθ᾽ εἶναι,
Καὶ πᾶν τῷ θάλλοι χλωρὸν ἐν Ἑρμιόνῃ.

CAPVT XII.

De Feſtis quæ menſe Martio ab Romanis ſunt Celebrata.

CALENDÆ MARTIÆ.

Calendarum Mart. ritus. CAlendæ Martiæ, *vt quòd anni principium olim eſſent, celeberrima fuerunt: nam, vt Macrobius libro primo. Saturn. capite duodecimo, & Solinus capite tertio, indicant, & in regia, & curiis, & in flaminum domibus, nec non in æde Veſtæ, laureæ veteres nouis mutabantur. Ignis quoque in penetralibus Veſtæ nouus accendebatur. Docet id Ouidius lib. 3. Faſt. & ſimul eo probare conatur, Calendas Martias ante Numam initium totius anni fuiſſe: ſic enim canit:*

Neu dubites primæ fuerint quin ante Calendæ
Martis: ad hæc animum ſigna referre potes,

Laurea

Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.
Ianua tunc regis poſita viret arbore Phœbi.
Ante tuas itidem curia priſca fores.
Veſta quoq, vt folio niteat velata recenti
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde quòd arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Eodem etiam die Comitia auſpicabantur: qui quidem mos vſque ad bella Punica ſeruatus fuit: tunc enim primùm Comitia cœperunt auſpicari Calendis Ianuariis: quod Ouidius his verbis teſtatur.

Hinc etiam veteres initi memorantur honores,
Ad ſpacium belli per fide Pœne tui.

MATRONALIA.

Matronaliorum origo & cauſa.

MAtronalia *Feſta à Romulo dicuntur inſtituta, quæ celebrabantur Calendis Martiis à Matronis Romanis. Inſtituti autem Feſti hujus variæ afferuntur cauſæ. Quidam enim referunt ad diremptum bellum à matronis*
1. *Rom. inter Sabinos ac Romanos. Cùm enim ob raptas à Romanis Sabinorum virgines bellum inter vtróſque ortum, & tandem acies ad confligendum inſtructæ eſſent, mulieres, quarum causâ bellum ſuſceptum erat, conuenientes ſine viris ſolæ, & conſilia ferentes, vt Dionyſius refert, in eam ierunt ſententiam, vt verba ipſa de reconciliatione apud vtróſque inciperent. Re ad ſenatum delatâ placuit eas legationis munere fungi. Harum princeps Herſilia fuit, quæ longâ & lamentabili oratione petiit, vt viris ſuis pacem darent. Vnde commoti Sabinorum ſunt animi & fœdera inita.*

Plutarchus non meminit Legationis hujus, inquit autem: Cùm ambæ acies firmato impetu conſtitiſſent, mira res quædam, & ſpectatione digna ſtuporem omnibus attulit. Nam raptæ Sabinorum virgines, quum id vidiſſent, raptis in vlnis infantibus, paſſiſque crinibus, divino quodam inſtigante Spiritu, cum lachrymis ac gemitu per medias acies pervolant, exhortantes modò patres, modò viros, vt fœdatas jam acies dirimerent, & parcerent ſanguini. Cujus rei admiratione moti; ſiſtunt aciem, tela comprimunt, iras mittunt, animos colligunt. Quam ob cauſam dicatas matronis Calendas Martias putant, & Matronalia Sacra (*vt idem Plutarchus inquit*) eis tributa, compoſiti belli mo-
2. numentum. *Alij putant hoc Sacrum inſtitutum, vt matres fauore Martis, eam felicitatem conſequerentur in filijs, quàm videbatur is Deus Iliæ conceſſiſſe, quæ à Marte compreſſa Romulum ſummæ felicitatis filium peperit. Sunt etiam qui dicant, hoc factum, quod* 3.
menſe Martio terra fœcunda ſit, quales matronæ fieri cupiunt. Nonnulli, quod hoc die Iunonis 4.
Lucinæ ædes coli cœpta ſit, quæ in Exquilino monte poſita fuit: in qua ſententia Sex. Pompeius 5.
eſſe videtur. Addunt & hanc rationem aliqui: quòd nimirum Mars Iunonis dicatur filius, quæ conjugijs præeſt.

Ouidius lib. 3. Faſt. has rationes his verbis attigit:

Tela viris animiſque cadunt: gladiiſque remotis, 1.
Dant ſoceri generis, accipiuntq; manus.
Laudatáſque tenent natas, ſcutóque nepotem
Fert avus, hic ſicuti dulcior vſus erat.
Inde diem, primáſque meas celebrare Calendas,
Oebalides matres non leve munus habent.
Aut quia committi ſtrictis mucronibus auſæ,
Finierant lachrymis Martia bella ſuis.
Vel quòd erat de me feliciter Ilia mater, 2.
Rite colunt matres Sacra diémq; meum.
Quid? quòd hyems adoperta gelu tum denique cedit 3.
Et pereunt lapſæ ſole tepente nives.
Arboribus redeūt detonſæ frigore frondes
Viduáque in gravidio palmite gemma tumet, &c. *Et mox:*
Tempora jure colunt Latiæ fœcunda parentes,
Quarum militiam votaq; partus habet.
Adde quòd excubias vbi Rex Romanus agebat, 4.
Qui nunc Exquilias nomina collis habet:
Adde quòd excubias vbi Rex Romanus agebar,
Illic à nuribus Iunoni templa Latinis
Hac ſunt (ſi memini) publicâ facta die.
Quid moror? & variis onero tua pectora cauſis? 5.
Eminet ante oculos quod petis ecce tuos.
Mater amat nuptas, matrum me turba frequentat:
Hęc nos pręcipuè tā pia cauſa decet, &c.

Ritus in hac Solennitate obſernatus hic ferè fuit. Mittebantur in ea à viris munera fœminis, ſicut è contra in Saturnalibus à fœminis miſſitabantur viris. Hinc Suetonius de Veſpaſiano, Sicut, *inquit*, Saturnalibus dabat viris Apophoreta, ita & Calendis Martii fœminis,

& Tibullus ad Neream ſic ſcribit.

Martis Romani feſtæ venere Calendæ,
Pérque vias vrbis munera,perq; domus.

In hoc etiam Feſto matronæ ſeruis cœnas apponebant, vt eo honore ad promptius obſequium prouocarent, Solino teſte. Eam ob cauſam hæ Calendæ Saturnalia fœminarum *dicebantur: quemadmodum oſtendit Martialis ad fœminam,*

Scis puto veſtra jam venire.
Saturnalia, Martias Calendas,

Et Iuuenalis Fœmineas *vocat, perinde ac fœminis peculiariter dicatas. Ait enim:* Munera Fœmineis tractas ſecreta Calendis. *Vnde Horatius lib. 3. Carminum Ode 3. Mecænati ſcribit, ne miretur, quòd ipſe cœlebs Calendis Martijs ſacrificet, ſe enim hoc non facere, vt Matronalia cum fœminis celebret, ſed vt gratias privata ſacrifi. io agat Diis, qui eum ab arboris ictu, quo hoc die ferè interierat, incolumem conſeruârint: Sic enim canit:*

Martiis cœlebs quid agam Calendis:
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, poſitúſque carbo in
Ceſpite vivo,
Docte ſermonis vtriuſque linguæ?
Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum propè funeratus
Arboris ictu:
Hic dies, anno redeunte, Feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

ANCYLIORVM vel SALIORVM Feſtum.

Ancyliorum tempus, origo & ceremonia.

CAlendis Martiis & ſequentibus aliquot diebus ex Numa Pompilii inſtitutione, Ancyliorum Feſtum *celebratum fuit. Id etiam* Saliorum Feſtum, & Saliares, *itemque* Martiales Ludos, & Mamuralia *vocârunt. Huius ſacri cauſam & originem multis deſcribit verſibus Ouidius libro tertio. Faſtorum. Nos, omiſſis iis ob prolixitatem, Alexandri ab Alexandro verba adſcribimus ex libro primo. capite 26. quòd pleráque ex Dionyſio Halicarnaſſæo habeat. Is igitur,* Regnante Numa, *inquit,* cùm morbo & afflatu noxio civitas affecta eſſet, eáque lues nullis ſacrificiis aut piaculis ſedare vidaretur poſſe, peltam æneam è cœlo, in qua Romanorum facta ſita erant, in manus Numæ decidiſſe ferunt. In qua cùm vrbis ſalutem ſitam crederent, ne inventu facilis, & ob id furto expoſita eſſet, alias vndecim elaboratæ artis eadem facie menſuráque à Mamurio Fabro, ne dinoſci poſſet, conſtructas dicunt fuiſſe: illáſque in Martis Sacrario aſſervâſſe, illorúmque cuſtodes Salios vocâſſe: quorum Princeps Præſul, alter Vates, tertius Magiſter, qui præſidebant, dicti. Illorúmque inſigne tunica erat punicea, & æneum in pectore tegmen, quod ſuper tunicam verſicolorem induebant: cum balthei, & æneæ galeæ: quibus ornari Martio menſe, cum tripudiis ad tibiam, ſolennique ſaltatu cæleſtia Ancylia ejuſmodi ferentes, culti ornatíque prodibant: ipſique gladiolis illa percutientes cum greſſu & gradu compoſito, pulſu pedum ad ſonum vocis modulato, per Capitolium & forum, pérque vrbem incedebant. Inque eo tripudio Mamurium Fabrum, qui tam exactè illa molitus eſſet, in nominis memoriam ſempiternam, ac pennatas, impennatáſque agnas pro ſpicis & ariſtis, & Lucetium Iovem, Ianúmque Deorum Deum, alióſque Deus, exceptâ Venere, quam in Carminibus Saliaribus nominare nefas erat, verbis ſubobſcuris, Marti conſecratis, quæ nec mutare licebat, ritu priſcæ religionis, in fine carminum reſebant. Poſt aliquot verò ætates, Imperatorum nomina ſuis Carminibus Salios adnotare conſtitutum fuit, vt illorum quoque memoriam ſempiternæ gloriæ mandarent: Hique dies Religioſi ac Sacri manſere in poſterum. *Hæc ille.*

Plutarchus in Numa de Saliorum inſtitutione & ritu agens, hæc ſcribit. Salii nominantur, non, vt fabulantur nonnulli, à Salio quodam Samothrâce, aut Mantinenſi, qui ſaltationem armatam docuerit: ſed ab ipſa potius Chorea, quæ ſaltibus conſtat, quam per vrbem circumeuntes ducunt, cùm menſe Martio peltas geſtant, puniceas tunicas induti, mitriſque latis æreis cincti, & galeas æreas ferentes, pugionibúſque arma pulſantes. Reliqua tripudii pars pedum officio conſtabat. Movebantur enim eleganter, celeriter atque confertim orbes implicantes, evoluentéſq; multúmq; in eo roboris & agilitatis oſtendentes. *Et mox:* At Mamurio mercedis nomine datum aiunt, vt eum Salii inter pyrrhicam ſaltationem cantarent, alii Veturium Mamurium eum, qui caneretur, fuiſſe tradunt, alii veterem memoriam. *Plutarchus. Feſtus huius ritûs hanc rationem reddit:* Mamurii Veturii nomen frequentet in cantibus Romani frequentabant, hac de cauſâ Numâ Pompilio regnante, cœlo cecidiſſe fertur Ancyle, Id eſt, ſcutum breve, quod ideò ſic eſt appellatum, quia ex vtróq; latere erat reciſum, vt ſummum infimúmque ejus latiùs medio pareret, vnâque edita vox, omnium potentiſſimam fore civitatem, quandiu ea manſiſſet.

Itáque

Itaque facta ſunt ejus generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſet. Probatum opus eſt maximè Mamurii, qui præmii loco petiit, vt ſuum nomen Salii inter carmina canerent. *Hactenus Feſtus. Dionyſius refert, Feſtum hoc celebratum publicè ad dies aliquot. Paulus Marſus in Comment. ſuis ad lib. 3. Faſt. indicat, triduo integro hac Feſta duraſſe.*

Ancyliorum miniſtri

Idem author eodem loco, Fuere, *inquit*, Salii, hujus Sacri Miniſtri, Martis Sacerdotes, numero duodecim, ex Patriciis liberi, & cives, & qui neutro parente orbati eſſent, à Numa ſeu Tullo Hoſtilio bello contra Fidenates (vt Livius author eſt) vocati causâ nuncupati: qui poſtea numerum Saliorum duplicâſſe fertur, ita vt 24. belli paciſque temporibus Collegio cooptarentur.

Ancyliorum feſta opiparè celebrata.

Sacra autem & dies Feſtos hos cœnis ſumptuoſiſſimis, & commeſſationibus & cum cantu & ſymphonia adeò opiparè celebrare ſunt ſoliti, vt opiparum quodvis magnificumque convivium Saliare *poſtea dictum ſit Horatius in Odis*:

Nunc eſt bibendum, tunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum,
Tempus erat dapibus ſodales.

Apuleius lib. 4. inquit: Vt equus quidē meus tanta copia, & quidem ſolus potius, Saliares cœnas cœnâſſe crederet: *hoc eſt, vt Beroaldus interpretatur, lautas & opulentas.*

Ancyliorum tempore nuptiæ prohibitæ.

His autem tribus diebus, antequam ancylia eſſent recondita in templo Martis, religio fuit nubere, ne, dum arma movebantur, quæ pugnæ adhiberi ſolent, nubentibus Omen diſcordiæ fierent. Hāc ob cauſam etiam flaminis Dialis vxor impexis crinibus his tribus diebus eſſe debuit. Vnde Ovidius ſic cecinit:

Nubere ſi qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius Omen erit.
His etiam conjunx capitis diſcincta Dialis
Lucibus, impexas debet habere comas.

Neque verò ſolùm nuptiæ prohibitæ fuerunt, ſed nihil prorsùs occipere tanquam infauſtò quiſnam in hac ſolennitate audebat. Alludit ad hoc Suetonius in vita Claudii, in epiſt. Auguſti ad Liviam: Colloquutus ſum cum Tiberio, vt mandâſti, mea Livia, quid nepoti tuo faciēdum eſſet Ludis Martialibus: *Et iterum*: In præſentia tamen, quibus de rebus conſulis, curare eum Ludis Martialibus triclinium Sacerdotum, non diſplicet nobis, ſi eſt paſſurus ſe à Syllani filio, homine ſibi affine admoneri, ne quid faciat, quòd conſpici & derideri poſſit. *Idem in Ottone*: nulla nec religionum quidem cura, ſed & moris nec dum conditis ancilibus: quòd antiquitùs infauſtum haberetur, *&c. Sic Tacitus, qui eandem hiſtoriam ſcribit*: Fuere qui proficiſcenti Ottoni moras religionéſq; nondum conditorum ancyliorum, vel ſcutum, vel arma cœleſtia adferrent.

VESTALIA.

Pridie Non. Mart. qui eſt 6. dies huius Menſis quoddam Sacrum Veſtæ celebrabatur, quo etiam die Auguſtus Imp. Pontificatum Max. iniit. De vtroque ſic Ovidius lib. 3. Faſt.

Sextus vbi è terra clivoſum ſcandet Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpet equis:
Quiſquis ades, caſtæque colis penetralia Veſtæ
Gratare, Iliacis thuráque pone focis.
Cæſaris innumeris, quos maluit ipſe mereri
Acceſſit titulis Pontificalis honor.
Ignibus æternis æterni Numina præſunt
Cæſaris, imperii pignora juncta vides.

VEIOVIS Feſtum.

Veiovis feſti origo.

Nonis Martiis Feſtum Veiovis *fuit, id eſt, parvi Iovis, ſine fulmine. Ei hoc die Sacrata fuerunt templa ante lucos Aſyli in Intermontio. Cujus rei myſterium illud fuit: Vt Iupiter parvus, poſtquam adultus eſſet, cœlo regnavit: ſic vrbs Roma parva ab initio, vbi Romulus aperuit Aſylum, paulatim coaluit, & ad ſummum imperij culmen aſcendit: ideò conſecravere templum Parvi Iovis eo in loco, vnde ſumpſit initium augmenti. De hoc Deo ejúſque feſto Ovidius lib. 3. Faſt. ita cecinit*:

Vna nota eſt Martis Nonis ſacrata, quòd illis
Templa putant Lucos Veiovis ante duos.
Romulus vt ſaxo Lucum circumdedit alto,
Cuilibet, Huc, dixit, confuge, tutus eris.
O quàm de tenui Romanus origine crevit,
Turba vetus quàm non invidioſa fuit.
Nec tamen ignaro novitas tibi nominis obſtet.
Diſce quis iſte Deus, curúe vocetur ita.
Iupiter eſt juvenis, juveniles aſpice vultus:
Aſpice deinde manus, fulmina nulla tenet.
Fulmina poſt auſos cœlum affectare gigantes

Sumpta Iovi, primo tempore inermis
erat. *Et max:*
Nunc vocor ad nomen: Vegrandia farta
coloni,
Quæ malè creverunt, Veſcáque parva
vocant.
Vis ea ſi vcibi eſt, cur non ego Veiovis
ędem,
Ædem non magni ſuſpicor eſſe Iovis?

IVNONALIA.

Iunonaliorũ ritus.

A*Ddrianus Iunius in ſuis Faſtis ad Nanas Martias refert* Iunonalia.*Eorum autem ſacrarum mentionem in vnico T. Liuia ſe abſeruaſſe ſcribit Vuolfgangus Lazius lib.* 10. *de Repub. Rom. cap.* 10. *qui lib.* 7. *Dec.* 3. *ſic ſcriptum reliquit:* Ab æde Apollinis boves fæminæ albæ duæ portâ Carmentali in vrbem ductæ, post eas duo ſigna cupreſſea Iunonis Reginæ portabantur: tum ſeptem & viginti virgines longam indutæ veſtem, carmen in Iunonem Reginam canentes ibant, illâ tempeſtate forſitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, ſi referatur. Virginum ordinem ſequebantur Decemviri coronati laureâ, prætextatíque, à porta Iugario vico in forum venere: in foro pompa conſtitit, & per manus reſte data, Virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt. Inde vico Thuſco Valabróque per boarium forum in clivum publicum, atq; ædem Iunonis Reginę perrectum: ſibi duæ hoſtiæ à Decemuiris immolatæ, & ſimulachra cupreſſea in ædem illata, *Hinc forſan chorea illa defluxerunt, quibus in Suevia, & ad lacum Acranium virgines veſperi diebus feriatis ſaltantes, pedum quoque ſonitu cantilenas moderantur. Id quod etiam Auſtria in feſta Ioannis Baptiſta Salenne admodum aſt.* Confeſtim & aliud ſacrificium eidem divæ deſtinatum. Tacta de cœlo ędes in Aventino Iunonis, prodigiúmque id ad matronas pertinere aruſpices quum reſpõdiſſent, donóq; divam placandam eſſe, ædilium Curulium edicto in Capitolium convocatæ, quibus in vrbe Roma, intráque decimum lapidem ab vrbe domicilia eſſent, ipſæ inter ſe 25. delegerunt, ad quos ex dotibus ſtipem conferrent, inde donum pelvis aurea facta, latáque in Aventinum, puréque & caſtè à Matronis ſacrificatum.

Annæ Perennæ Celebritas.

I*Dibus Martiis priuatim & publicè* Annæ Perennæ *ſacrificabatur Romæ: quod Ovidius his verbis teſtatur.*

Feſti huius dies & origo.

Idibus eſt Annę Feſtum geniale perenne,
Non procul à ripis advena Tibri tuis.

Crediderunt aliqui hanc eſſe Beli filiam, ſororem Didonis, quæ poſtquam mortuam ſororem vidit, & Carthaginem ab Iarba Getulorum Rege occupatam relictâ ſede patriâ, ad Battum Regem, qui Melita inſula imperabat, curſum arripuit. A quo veteris hoſpitii jure benignè ſuſcepta, duos & vltrà annos ibi manſit. Sed quum Pygmaleonem fratrem jam cum armis aduentare cognouiſſet, Battus illius potentiam veritus, Annam vt inde migraret hortatus eſt. Mare igitur ingreſſa, dum Cameram nauigare contendit, vi tempeſtatis acta, in Laurentanam oram Italiæ pervenit, vbi tã Æneas pacatis rebus, & ductâ vxore Laviniâ, imperabat. Hic tum fortè ſola Achate comitatus in littore nudis pedibus ambulabat: Qui quum errantem Annam conſpexiſſet, & vix ſibi perſuadere poſſet eam eſſe, tandem agnitam compellat. Timuit illa principia, ſororis caſum ante oculos ponens, poſtea verò ab illa benignè invitata, in regiam cum illa profecta eſt. Cui mox Lavinia, amorem coniugis ſuſpectum habens, tendere inſidias cœpit. Sed Anna in ſomnis à Didone monita, vt infauſtam domum relinqueret, ſtatim per feneſtram exiliit. Quùmque citata curſu ad Numicium amnem perveniſſet, in eum ſe præcipitem dedit. Ortâ deinde luce, magno clamore eam quæritantes per Laurentem agrum proficiſcuntur. Apparent veſtigia pedum vſque ad Numicium amnem, vltrà nihil videtur. Quod dum admirantes ſecum animis volutant.

Anna perenna quæ.

Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum Nympha
Numici,
Amne perenne latens, Anna perenna
vocor.
Protinus erratis læti veſcuntur in agris,
Et celebrant largo ſéque diémq; mero:

Vt Ovidius indicat lib. 3. *Faſtorum: vbi aliorum quoque de hac Anna Perenna opiniones referens: ſic canit:*

Sunt quibus hæc Luna eſt, quia menſibus
impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat eſſe
bovem.
Invenies qui te Nympheo Atlantida di-
cant,
Téque Ioui primos Anna dediſſe cibos.
Hæc quoque quam referam, noſtras perve-
nit ad aures
Fama, nec à veri diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tri-
bunis,
Fugit, & in Sacri vertice montis erat.
Iam quoque quem ſecum tulerant, defe-
cerat illis
Victus, & humanis vſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bo-
uillis,
Pauper, ſed multæ ſedulitatis anus.
Illa levi mitra canos incincta capillos
Fingebat tremulâ ruſtica liba manu.

Atque

Atque ita per populum fumantia manè
ſolebat
Dividere : hæc populo copia grata
fuit.
Pace domi factâ ſignum poſuere peren-
ne,
Quod ſibi defectis illa ferebat opem.

Anna perennæ ritus. *Ob has cauſas in Feſto hoc plebeii apud Tiberim genio & voluptati operam dederunt, & cantu potúque largiore perennem vitam ſibi anſpicati ſunt. Vnde & Macrobius ſcribit*, Sacrificatum fuiſſe hoc die Annæ Perennæ, Perennare quid. vt annare perennaréque commodè liceret: *hoc eſt, vt non ſolum per præſentem, ſed per multos futuros annos viuere poſſent : eſt enim perennare per multum tempus durare. Sic enim Columella libro primo, capite nono.* Temperet, *inquit*, vires clementia, quoniam & terribilior debet eſſe quàm ſævior, vt & obſequantur ejus imperiis, & diutius perennent boves, non confecti vexatione ſimul verberum, operúmque. *Idem lib.* 3. Roſa hoc modo culta multis annis perennat. *Cæterùm ritum, id eſt, conuiuia & commeſſatianes, quibus hoc die vſi ſunt, Ouidius ſic deſcribit:*

Plebs venit, ac virides paſſim diſiecta per
herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque
ſua.
Sub Iove pars durat, pauci tentoria po-
nunt:
Sunt quibus è ramis frondea facta caſa
eſt.
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuere co-
lumnis,
Deſuper extentas impoſuere togas.
Sole tamen, vinóque calent, annóſque pre-
cantur,
Quot ſumant cyathos, ad numerúmque
bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos:
Illic & cantant quicquid didicere thea-
tris,
Et jactant faciles ad ſua verba manus.
Et ducunt poſito duras cratere choreas,
Cultáque diffuſis ſaltat amica comis.
Cùm redeunt, titubant, & ſunt ſpectacula
vulgi,
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum pota trahebat a-
nus.

Ioci autem & Luſus, qui in hoc Feſto referebantur, non ſolùm erant obſcœni & turpes, ſed & cantilena impudica admodum. Cauſa erat hæc: vbi Anna relata eſſet inter Deas, Martem eius operam petiiſſe ad comprimendam Pallada: illam retuliſſe, ſe Palladis animum inflexiſſe, paratamq; eſſe ad conjugium: deductam autem tempore conſtituto ad eum pro Pallade Annam luteo flameo velatam, cúmque eſſet eam oſculaturus, cognouiſſe Annam, ab eáque ſe deluſum eſſe. Quam fabulam Poëta nactus his verbis recitat:

Nunc mihi cur cantent, ſupereſt, obſcœna
puellæ,
Dicere: nam coëunt, certáque probra
canunt.
Nuper erat Dea facta, venit Gradivus ad
Annam,
Et cum ſeducta talia verba facit:
Menſe meo coleris, junxi mea tempora te-
cum:
Pendet ab officio ſpes mihi magna tuo.
Armiſer armiferæ correptus amore Mi-
nervæ
Vror, & in longo tempore vulnus alo.
Effice Di ſtudio ſimiles coëamus in vnum;
Conveniunt partes hæ tibi comis anus:
Dixerat: illa Deum promiſſo ludit inani,
Et ſtultam dubia ſpem trahit vſq; mora,
Sæpius inſtanti, Mandata peregimus, in-
quit,
Evicta eſt precibus, vix dedit illa manus.
Credit amans, thalamóſque parat: deduci-
tur iſtuc
Anna tegens vultus, vt nova nupta
ſuos.
Oſcula ſumpturus, ſubitò Mars aſpicit An-
nam:
Nunc pudor eluſum, nunc ſubit ira
Deum.
Ludis amatorem charæ nova Diva Mi-
nervæ,
Nec res hæc Veneri gratior vlla fuit,
Inde joci veteres : obſcœnáque dicta ca-
nuntur,
Et juvat hanc magno verba dediſſe
Deo.

Quòd verò hoc ipſo die poſtea C. Cæſar viginti tribus vulneribus in Curia à conjuratis eſſet confoſſus, propterea placuit Senatui eum diem, hoc eſt Idus Martias Parricidium *nominari, neúe vnquam in poſterum eo ſenatus cogeretur, Suetonio authore.* Idus Mart. cur parricidiū dicātur.

Liberalia ſeu Bacchanalia, eorumque Origo ac ritus turpiſſimi in Italia, præſertim Romæ.

Bacchanalia. D*Ecimo quinto Calend. April. Baccho Sacra fiebant Romæ, quod Ouidius etiam teſtatur lib.* 5. *Faſt. inquiens,*

Tertiâ poſt Idus Lux eſt celebetrima Bac-
cho.

Dicuntur autem Bacchanalia *à* Baccho, *Iouis*

Baccha-nal. etymon.

ex Semele filio, in cuius honorem celebrabantur. Eſt verò Βάκχος, *vnde Bacchus, græca dictio, à* βάζω *deducta, quod verbum ſignificat* φλυαρεῖν: *vt ſit* Βάκχος *qui furore agitatus multas nugas deblatterat. Niſi quis ad immanem Bacchantium vlulatum ſeu boatum referre malit: & tum optimè conueniet verbi* βάζω *etymologia tanquam à* βοάζω. *Eâdem ratione dicuntur*

Libera-lia vnde dicta.

etiam Liberalia, *à* Libero, *hoc eſt, Baccho: qui vini inuentor, propterea Liber dicitur, vt Feſtus refert, quòd vino vſi liberè omnia loquantur. Vnde Næuius:* Liberâ linguâ loquemur Ludis Liberalibus. *Alij tamen à libatione Liberum dictum volunt, quòd ipſe libationem præbuerit. Alij à libertate, quòd pro Bœotia libertate pugnauerit. Nonnulli à liberando dictum putant, quòd eius Sacra, vt Seruius docet, ad purgationem animæ pertinerent: aut quòd vinum curas ſoluat, & mentem ab illis liberet. Hinc Seneca lib. de Tranquil. vitæ, Liberum appellatum dicit, non ob licentiam linguæ, ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, & triſtitiæ medetur. Varro lib. 5. de lingua Latina à labendo deducit, quòd lubrica mens ebrij, quò iubet, prolabatur. Idem Varro Liberalia inde dicta putat, quòd per totum oppidum eo die ſederent Sacerdotes liberi, & anus hederâ coronatæ, cum libis & foculo pro emptore ſacrificarent.*

Baccha-nalia & Li-beralia diffe-runt.

At diſtinguit Gyraldus Syntag. 17. inter Liberalia & Bacchanalia. Nam Liberalibus, *inquit*, togæ pueris dabantur, 15. Calend. April. Bacchanalia verò ſingulis menſibus dabantur.

Baccha-naliorū in Ita-lia origo

Originem horum Sacrorum in Italia, Seruius ad Iulium Cæſarem refert, in ſuis Comment. ad Ægloga 5. hos verſus Vergilij:

Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit: Daphnis thyaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.

Ludouicus Viues autem in ſuis ad eoſdem verſus allegoricis interpretationibus, Non memini, *inquit*, legere me hoc apud alium quenquam: nec eſt veriſimile. Nam ante Cæſarem Bacchi Sacra Romæ erant: quæ, vt Liuius indicat lib. 39. Græcus quidam homo ignobilis, ſed eiuſmodi ſacrorum Antiſtes, primo in Hetturiam attulit, ibique ritus eorum docuit. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam penetrauit.

Bac-chanal. ritus turpiſſi-mus.

Eorum ritum turpiſſimum primò ſic deſcribit Liuius eodem loco: Initia, *inquit*, erant, quæ primò paucis tradita ſunt, dein vulgari cœpta per viros & mulieres, additæ voluptates Religioni vini & epularum, quo plurimum animi illicerentur. Quum vinum animos, & nox, & miſti fœminis mares ætatis teneræ maioribus diſcrimen omne pudoris extinxiſſent, corruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ, quum ad id quiſque, quo natura pronioris libidinis eſſet, paratam voluptatem haberet, nec vnum genus noxæ ſtupra promiſcua ingenuorum, fœminarúmque erant, ſed falſi teſtes, falſa ſigna, teſtimoniáque ex eadem officina exibant, venena identidem, inteſtinæque cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad ſepulturam extarent, multa dolo, pleráque per vim audebantur. Occulebat vim quòd præ vlulatibus tympanorúmque & cymbalorum ſtrepitu nulla vox quiritantium inter ſtupra & cædes exaudiri poterat. Huius mali labes ex Hetruria Romam, velut contagione morbi, penetrauit. Primò vrbis magnitudo capacior patientiórque talium malorum ea celauit: tandem indicium hoc maximè modo ad Poſthumium Conſulem peruenit.

P. Ebutius, cuius pater publico equo ſtipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus ſub tutela Duroniæ matris & vitrici T. Sempronij Rutili educatus fuerat, & mater dedita viro erat: & vitricus, quia tutelam ita geſſerat, vt rationem reddere non poſſet, aut tolli pupillum, aut obnoxium ſibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Via vna corruptelæ Bacchanalium erant: mater adoleſcentulum appellat, ſe pro ægroto vouiſſe, vbi primùm conualuiſſet, Bacchis cum ſe initiaturam; damnatam voti Deûm benignitate exoluere id velle: decem dierum caſtimonia opus eſſe, decimo die cœnatum, deinde purè lautum in Sacrarium deducturam. Scortum nobile libertina Hiſpala Fecenia non digna quæſtu, cui ancillula aſſueuerat: etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur. Huic conſuetudo iuxta vicinitatem cum Ebutio fuit, minimè adoleſcentis aut rei aut famæ damnoſa: vltrò enim amatus appetitúſque erat: & malignè omnia præbentibus ſuis, meretriculæ munificentia ſuſtinebatur; quin eò proceſſerat conſuetudine capta, vt poſt Patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutoreà Tribunis & Prætore petito, cum teſtamentum faceret, vnum Ebutium conſtitueret hæredem. Hæc amoris pignora cùm eſſent, nec quicquam ſecretum alter ab altero haberent, per iocum adoleſcens vetat eam mirari, ſi per aliquas noctes ſecubuiſſet, religionis ſe causâ, vt voto pro valitudine ſua facto liberetur, Bacchis initiari velle. Id vbi mulier audiuit, perturbata, Dij meliora, inquit,

quit, mori & ſibi & illi ſatius eſſe, quàm id faceret, & in caput eorum deteſtari minas periculáque, qui id ſuaſiſſent. Admiratus eùm verba tum perturbationem tantam adoleſcens, parcere execrationibus iubet, matrem id ſibi aſſentiente Vitrico imperâſſe. Vitricus ergo, inquit, tuus (matrem enim inſimulare forſitan fas non ſit) pudicitiam, famam, ſpem, vitámque tuam perditum ire hoc facto properas? Eò magis mirabundo, quærentibus quid rei eſſet, pacem veniámque peccata Deorum Dearúmque, ſi coacta caritate eius ſilenda enuntiâſſet: ancillam ſe ait dominæ comitem id ſacrarium intrâſſe, liberam nunquam eò acceſſiſſe; ſcire corruptelarum omnis generis eam officinam eſſe, & iam biennio conſtare neminem initiatum ibi maiorem annis xx. vt quíſque introductus ſit, velut victimam tradi Sacerdotibus, eos deducere in locum, qui circumſonet vlulatibus cantuque ſymphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulſu, ne vox quiritantis cùm per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit. Orare deinde atque obſecrare, vt eam rem quocúnque diſcuteret modo: nec ſe eò præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primùm deinde facienda eſſent; néque ante dimiſit eum quàm fidem dedit adoleſcens, ab his Sacris ſe temperaturum.

Poſteaquam domum venit & mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps cæteris quæ ad Sacra pertinerent, faciendum eſſet: negat eorum ſe quicquam facturum, nec initiari ſibi in animo eſſe: aderat ſermoni vitricus, confeſtim mulier exclamat: Hiſpalæ concubitu carere eum decem noctes non poſſe: illius excetræ delinimentis, & venenis imbutum nec Parentis, nec Vitrici, nec Deorum verecundiam habere: iurgantes hinc mater, hinc Vitricus cum quatuor eum ſeruis domo exegerunt. Adoleſcens inde ad Ebutiam ſe amitam contulit, cauſámque cur eſſet à matre eiectus, narrauit, deinde ex authoritate eius poſtero die ad Coſs. Poſthumium, arbitris remotis, rem detulit. Conſul poſt diem tertium ad ſe iuſſum redire dimiſit: ipſe Sulpiciam grauem fœminam, ſocrum ſuam percunctatus eſt: ecquam anum Ebutiam ex Auentino noſſet? cùm ea noſſe probam, & antiqui moris fœminam reſpondiſſet, opus eſſe ſibi ea conuenta dixit, mitteret nuntium ad eam, vt veniret. Ebutia accita ad Sulpitiam venit, & Conſul paulò pòſt, velut forte interueniſſet, ſermonem de Ebutio fratris eius filio infert. Lachrymæ mulieri obortæ, & miſerari caſum adoleſcentis cœpit: qui ſpoliatus fortunis à quibus minimè oporter, apud ſe tunc eſſet, Sacris initiari nollet.

Satis de Ebutio exploratum ratus Conſul, non vanum authorem eſſe: dimiſſâ Ebutiâ, ſocrum rogat vt Hiſpalam indidem ex Auentino libertinam non ignotam viciniæ arcerſeret ad ſeſe, eam quoque eſſe quæ percunctari vellet. Ad cuius nuntium perturbata Hiſpala, quod ad tam nobilem & grauem fœminam ignara cauſæ arcerſeretur: poſteaquam lictores in veſtibulo, turbámque conſularem, & Conſulem ipſum conſpexit, propè exanimata eſt.

In interiorem partem ædium abductam ſocru adhibitâ Conſul, ſi vera dicere inducere in animum poſſet, negat perturbari debere, fidem vel ab Sulpicia tali fœmina, vel ab ſe acciperet, expromeret ſibi quæ in luco Similæ Bacchanalibus in Sacro nocturno ſolerent fieri. Hoc vbi audiuit, tantus pauor tremórque omnium membrorum mulierem cepit, vt diu hiſcere non poſſet, tandem confirmata, puellam admodum ſe ancillam initiatam cum domina ait, aliquot annis, ex quo manumiſſa ſit, nihil quid ibi fiat, ſcire. Iam id ipſum Conſul laudare, quod initiatam ſe non inficiaretur; ſed & cætera eadem fide expromeret; Neganti vltra quicquam ſcire, non eandem dicere ſi coarguatur ab alio, ac per ſe fatenti veniam aut gratiam fore, eum ſibi omnia expoſuiſſe qui ab illa audiuiſſet. Mulier haud dubiè, id quod erat, Ebutium indicem arcani rata eſſe, ad pedes Sulpiciæ procidit, & eam primò orare cœpit, ne mulieris libertinæ cum amatore ſermonem in rem non ſeriam modò, ſed capitalem etiam verti vellet, ſe terrendi eius cauſâ, non quod ſciret quicquam, ea locutam eſſe. Hic Poſthumius accenſus irâ, tum quoque, ait, eam cum Ebutio ſe amatore cauillari credere, non in domo grauiſſimæ fœminæ & cum Conſule loqui: & Sulpicia attollere pauentem, ſimul illam adhortari, ſimul iram generi lenire. Tandem confirmata, multum incuſata perfidia Ebutij, qui optimè in eo ipſo meriti talem gratiam retuliſſet: magnum ſibi metum Deorum quorum occulta nuntiaret: maiorem multo dixit hominum eſſe; qui ſe indicem manibus ſuis diſcerpturi eſſent; itaque hoc ſe Sulpiciam, hoc Conſulem orare, vt ſe extra Italiam aliquò amandarent, vbi reliquum vitæ tutò degere poſſet. Bono animo eſſe iubere eam Conſul, & ſibi curæ fore dicere, vt Romæ tutò habitaret.

Tum Hiſpala originem Sacrorum expromit.

promit. Primò, ſacratium id fœminarum fuiſſe, nec quenquam virum eò admitti ſolitum, tres in anno ſtatos dies habuiſſe, quibus interdiu Bacchis initiarentur; Sacerdotes inuicem matronas creari ſolitas. Paculam Miniam Campanam Sacerdotem omnia tanquam Deûm monitu immutâſſe. Nam & viros eam primam ſuos filios initiâſſe, Minium & Herennium Cerrinios, & nocturnum Sacrum ex diutno, & pro tribus in anno diebus quinos ſingulis menſibus dies initiorum feciſſe, ex quo in promiſcuo Sacra ſint: & permiſti viri fœminis & noctis licentia acceſſerit: nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermiſſum. Plura virorum inter ſeſe, quàm fœminarum eſſe ſtupra, ſi qui minus patientes dedecoris ſint, & pigriotes ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere, hanc ſummam inter eos religionem eſſe. Viros velut mente captâ, cum iactatione fanatica corporis vaticinari; matronas Baccharum habitu crinibus paſſis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim: demiſſáſque in aquam faces, quia viuum ſulphur cum calce inſit, integra flamma efferre. Raptos à Diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conſpectu in abditos ſpecus abripiant, eos eſſe, qui aut coniurare aut ſociari facinoribus, aut ſtuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam propè populum eſſe: in his nobiles quoſdam viros fœmináſque. Biennio proximo inſtitutum eſſe, ne quis maior 20. annis, initiaretur, captari ætates & erroris & ſtupri patientes.

Peracto iudicio aduoluta rurſus genibus preces eaſdem, vt ſe ablegaret, repetiuit. Conſul rogat ſocrum, vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hiſpala immigraret, cœnaculum ſuper ædes datum eſt, ſcalis ferentibus in publicum obſeratis, aditu in ædes verſo. Res omnes Feceniæ ex templo tranſlatæ, & familia acceſſita, & Ebutius migrare ad Conſulis clientem iuſſus. Ita cùm indices ambo in poteſtate eſſent, rem ad Senatum Poſthumius defert. Omnibus ordine expoſitis, quæ delata primò, quæ deinde ab ſe inquiſita forent. Patres pauor ingens cœpit, cum publico nomine, ne quid ex coniurationes cœtúſque nocturni fraudis occulti aut periculi importarent: tum priuatim ſuorum quiſque vicem, ne quis affinis ei noxæ eſſet. Cenſuit autem Senatus gratias Conſuli agendas, quòd eam rem & cum ſingulari cura & ſine vllo tumultu inueſtigâſſet, quæſtionem deinde de Bacchanalibus Sacriſque nocturnis extra ordinem Conſulibus mandat. Indicibus Ebutio Feceniæ ne fraudi ea res ſit, curare, & alios indices præmiis inuitare iubet; Sacerdotes eorum ſacrorum, ſeu viri ſeu fœminæ eſſent, non Romæ modò, ſed per omnia fora & conciliabula conquiri, vt in Conſulum poteſtate eſſent: edici præterea in vrbe Româ, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui Bacchis initiatus eſſet, coiſſe aut conueniſſe cauſa Sacrorum velit: neu quid talis rei Diuinæ feciſſe: ante omnia vt quæſtio de his habeatur, qui coierint, coniurauerintúe, quo ſtuprum flagitiúmque inferretur. Hæc ſenatus decreuit. Conſules ædilibus curulibus imperârunt, vt Sacerdotes eius Sacri omnes conquirerent, comprehenſóſque libero conclaui ad quæſtionem ſeruarent: Ædiles plebis videre ne qua ſacra in operto fierent: triumuiris capitalibus mandatum eſt, vt vigilias diſponerent per vrbem, ſeruaréntque ne qui nocturni cœtus fierent: vtque ab incendiis caueretur, adiutores triumuiris quinque viri vti cis Tyberim ſuæ quiſque regionis ædificiis præeſſent.

Adhæc officia dimiſſis Magiſtratibus, Conſules in roſtra aſcenderunt & concione aduocatâ, cùm ſolenne carmen precationis, quod præfari priuſquam populum alloquantur, Magiſtratus ſolent, peregiſſet Conſul, ita cœpit. Nulli vnquam contioni Quirites tam non ſolùm apta, ſed etiam neceſſaria hæc ſolennis Deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret, hos eſſe Deos, quos colere, venerari, precaríque maiores veſtri inſtituiſſent: non illos qui prauis & externis religionibus captas mentes velut furialibus ſtimulis ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem necquid taceam, nec quatenus proloquar, invenio, ſi aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: ſi omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor; quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum ſcitote eſſe, ut ad cauendum ſatis ſit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota iam pridem Italia, & nunc per vrbem etiam multis locis eſſe, non famâ modo accepiſſe vos, ſed crepitibus etiam vlulatibúſque nocturnis, qui perſonant totâ vrbe, certum habeo: cæterum quæ ea res ſit, ignorare: alios Deorum aliquem cultum, alios conceſſum ludum & laſciuiam eſſe credere: & qualecúnque ſit, ad paucos pertinere, quod ad multitu-

dinem

dine otum attinenet, ſi dixero multa millia hominum eſſe, illicò neceſſe eſt exterreamini, niſi adiunxero, qui qualéſque ſint. Primùm igitur mulierum magna pars eſt, & is fons mali huiuſce fuit, deinde ſimillimi fœminis mares ſtuprati & conſtupratores, fanatici vigiles, vino, ſtrepitibus, clamoribúſque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio, cæterum incrementum ingens virium habet, quod indies plures fiunt. Maiores veſtri ne vos quidem, niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſa exercitus eductus eſſet, aut plebi concilium tribuni edixiſſent, aut aliquis ex Magiſtratibus ad concionem vocâſſet, forte temerè coire voluerunt: & vbicúnque multitudo eſſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiſcuos mulierum ac virorum eſſe creditis? ſi quibus ætatibus initientur mares, ſciatis: non miſereat vos eorum ſolùm, ſed etiam pudeat. Hoc ſacramento initiatos iuuenes milites faciendos cenſetis Quirites? iis ex obſcœno ſacrario eductis arma committenda? hi cooperti ſtupris ſuis alienîſque pro pudicitia coniugum ac liberorum veſtrorum ferre decernent? Minos tamen eſſet, ſi flagitiis tantùm effœminati forent (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abſtinuiſſent. Nunquam tantùm malum in Repub. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens, quicquid iis annis libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere peccatum eſt: ex illo vno ſacrario ſcitote ortum eſſe, necdum omnia in quæ coniurauerunt, edita facinora habent, adhuc priuatis noxiis, quia nondum ad Rempub. opprimendam ſatis virium eſt, coniuratio ſeſe impia tenet, creſcit & ſerpit quotidie malum: iam maius eſt, quàm vt capere id priuata fortuna poſſit: ad ſummam Reipub. ſpectat. Niſi præcauetis Quirites iam huic diurnæ legitimè ab Conſule vocatæ par nocturna concio eſſe poterit. Nunc illi vos ſinguli vniuerſos concionantes timent, iam vbi vos dilapſi domos & in rura veſtra eritis, niſi illi coierint: conſultabunt de ſua ſalute ſimul, ac veſtra pernicie, tum ſingulis vobis vniuerſi timendi erunt. Optare igitur vnus quiſque veſtrum debet, vt bona mens ſuis omnibus fuerit, ſi quem libido, ſi furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum cum quibus in omne flagitium & facinus coniurauit, non ſuum iudicet. Ne quis etiam errore labatur veſtrûm quóque non ſum ſecutus, nihil enim in ſpeciem fallacius eſt quàm praua religio, vbi Deorum numen prætenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis diuini iuris aliquid immiſtum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, Senatus conſulta, aruſpicum deníque reſponſa liberant. Quoties hoc Patrum auorúmque ætate negotium eſt Magiſtratibus datum, vt Sacra externa fieri vetarent? Sacrificulos Vateſque foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinios libros conquirerent, comburerentque? omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquam more Romano abolerent? iudicabant enim prudentiſſimi viri omnis Diuini humanîque iuris, nihil æquè diſſoluendæ religionis eſſe, quàm vbi non patrio, ſed externo ritu ſacrificarent. Hæc vobis prædicenda ratus ſum, nequa ſuperſtitio agitaret animos veſtros, cum demolientes non Bacchanalia diſcutientéſque nefarios cœtus cerneretis. Omnia Dis propitiis, volentibúſque ea faciemus; qui quia ſuum Numen ſceleribus libidinibúſque contaminari indignè ferebant, ex occultis & tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri vt impunita eſſent, ſed vt vindicarentur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæſtionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandauit: nos quæ ipſis nobis agenda ſunt, impigrè exequemur: vigiliarum nocturnarum curam per vrbem minoribus Magiſtratibus mandauimus: vos quóque æquum eſt quæ veſtra munia ſunt, quo quiſque loco poſitus erit, quod imperabitur impigrè præſtare & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultûs oriatur. Recitari deinde Senatusconſulta iuſſerunt, indicique præmium propoſuerunt: ſi quis quem ad ſe deduxiſſet, nomenúe abſentis detuliſſet, qui nominatus profugiſſet, diem certam ſe finituros, ad quam niſi citatus reſpondiſſet, abſens damnaretur, ſi quis eorum qui tum extra terram Italiam eſſent, nominaretur, ei laxiorem diem daturos, ſi venire ad cauſam dicendam vellet. Edixerunt deinde, ne quis quid fugæ cauſa vendidiſſe, neúe emiſſe vellet, ne quis reciperet, celaret, ope vllâ iuuaret fugientes.

Concione dimiſſâ terror magnus vrbe tota fuit: nec mœnibus ſe tantùm vrbis aut finibus Romanis continuit: ſed paſſim per totam Italiam literis hoſpitum de Senatusconſulto, & concione, & edicto Conſulum acceptis, trepidari cœptum eſt. Multi eâ nocte quæ diem inſe-

cuta

cuta eſt, quo in concione res palàm facta eſt, cuſtodiis circa portas poſitis, fugientes à triumuiris comprehenſi & reducti ſunt: multorum nomina delata; quidam ex iis viris fœminæque mortem ſibi conſciuerunt. Coniurâſſe ſupra ſeptem millia virorum ac mulierum dicebantur, capita autem coniurationis conſtabat eſſe, M. & L. Carinios de plebe Romana, & Faliſcum L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum, ab his omnia facinora & flagitia orta, eos maximos Sacerdotes conditoréſque eius Sacri eſſe, data opera eſt, vt primo quóque tempore comprehenderentur. Adducti ad Coſs. faſsíque de ſe nullam moram iudicio fecerunt. Cæterum tanta fuga ex vrbe facta erat, vt quia multis actiones & res peribant, cogerentur Prætores T. Mænius & M. Licinius per Senatum res in diem triceſſimum differre, donec quæſtiones à Coſs. perficerentur. Eadem ſolitudo, quia Romæ non reſpondebant nec inueniebantur, quorum nomina delata erant, coegit Conſules circa fora proficiſci, ibíque quærere & iudicia exercere.

Qui tantùm initiati erant, & ex carmine Sacro, præeunte verba Sacerdote, precationes fecerant, in quibus neſanda coniuratio in omne facinus ac libidines continebatur: nec earum rerum vllam rem, in qua iureiurando obligati erant, in ſe aut alios admiſerant, eos in vinculis relinquebant: qui ſtupris aut cædibus violati erant, qui falſis teſtimoniis, ſignis adulterinis, ſubiectione teſtamentorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali pœnâ afficiebant: plures necati quàm in vincula coniecti ſunt; magna vis in vtráque cauſa virorum mulierúmque fuit. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu eſſent, tradebant: vt ipſi in priuato animaduerterent in eas; ſi nemo erat idoneus ſupplicij exactor, in publico animaduertebatur. Datum deinde Conſulibus negocium eſt, vt omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerent: extra quàm ſi qua ibi vetuſta ara, aut ſignum conſecratum eſſet. In reliquum deinde S.C. cautum eſt, ne qua Bacchanalia Romæ, néue in Italia eſſent: ſi quis tale ſacrum ſolenne & neceſſarium duceret, nec ſine religione & piaculo ſe id omittere poſſe, apud Prætorem vrbanum profiteretur, Prætor Senatum conſuleret: ſi ei permiſſum eſſet, cum in Senatu centum non minus eſſent, ita id ſacrum faceret, dum ne plùs quinque ſacrificio intereſſent: neu qua pecunia communis, neu quis Magiſter Sacrorum, aut Sacerdos eſſet.

Ex his omnibus intelligit Lector, Primò, *Bacchanaliorum Originem Romæ*: Secundò, *eorundem turpitudinem. Ac licet ea quæ Liuius narrat pleraque in Sacrario circa initiationes eorum, qui his ſacris intereſſe cupiebant, facta credam: publicè tamen non minus horrenda ab iis perpetrata ſunt. Nam, vt Varro apud Cælium Rhodiginum libro quarto, capite ſexto ait*, Tantâ turpitudinis licentiâ Liberi patris ſacra in omnibus compitis peragebantur, vt in eius honorem virilia colerentur pudenda, palàm exultante nequitiâ. Nam Liberi membrum per hunc diem Feſtum magnâ celebritate ploſtellis per agros prius, mox & in Vrbem vectabatur, quo toto tempore vnuſquiſque ſpurciſſimis abutebatur verbis, donec per forum tranſueheretur membrum id, cui, inſpectantibus omnibus, matremfamiliâs honeſtiſſimam neceſſe erat impònere Coronam. Sic Deus ille propitiabatur ad ſeminum euentus, ſic ab agris faſcinatio auerruncabatur. Noctu etiam totâ vrbe ſtrepitus & vlulatus perſonuere, omnéſque Deorum cultum eſſe crediderunt. Tertiò, *vt abrogata ſint hæc Bacchanalia à Senatu Romano: quod factum eſt anno ab vrbe condita 568. Liuio authore lib. 39.*

Damnâuit etiam hæc Sacra, tanquam peſtem nocentiſſimam, M. Cato, qui apud Liuium, Decad. 4. lib. 9. ſic ait: Nunquam tantùm, támque latè patens malum in Repub. Romana cognitum eſt. Quicquid libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere peccatum eſt, ex illo vno Sacrario ortum eſt. *Varro quóque confeſſus eſt*, à bacchantibus talia fieri non poſſe, niſi mente commotâ, *vt Auguſtinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 9. refert.*

Facilè ſcilicet Ethnici illi ſolo naturæ ſenſu & iudicio edocti, nôrant, Religionem eam veram eſſe non poſſe, quæ capitales fraudes admitteret. Ac ſi cæteros quóque ſuæ ſuperſtitionis errores & vitia nouiſſent, perinde vt iſtud ſublaturos fuiſſe non dubito. Quo magis dolendum eſt hæc Sacra inter Chriſtianos homines, imò inter Euangelicæ veritatis Profeſſores tolli & abrogari non poſſe. Quum igitur hæc & ſimilia per verbum Dei corrigi nequeant, iuſtus Dominus aliquando ſcopas ſuas expediet, quibus has & ſimiles ſuperſtitiones horrendas ex Eccleſia ſua expurgabit.

Progreſſu verò temporis turpes & otioſas illas Superſtitiones, vt Tertullianus loquitur, reſtituerunt Romani, abrogatis tamen illis quæ nimiam & proſligatam haberent turpitudinem. Vilis enim anus hederâ coronata, liba calentia, quibus mel infuſum, Baccho offerebat: in- Bacchanalia reſtituta Romæ.

de

de illa ſecum ducens fœminarum choros & greges, populum inuitabat ad liba guſtanda. Ritum hunc poſteriorem ſacrorum Bacchi deſcribit Ouidius lib. 3. Faſtorum, vbi etiam ſingulorum cauſas & rationem reddit, ſic canens:

Carminis huius opus cauſas exponere, quare
Vilis anus populos ad ſua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ ſine honore fuerunt
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totóque oriente ſubacto,
Primitias magno ſuppoſuiſſe Ioui.
Cinnama tu primus, captiuáque thura dediſti,
Déque triumphato viſcera toſta boue.
Nomine ab authoris ducunt libamina nomen,
Libáque quod Sanctis pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.
Melle pater fruitur, libóque infuſa calenti
Iure repertori ſplendida mella damus.
Fœmina cur præſtet, non eſt rationis opertæ,
Fœmineos thyrſo concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinoſior ætas
Hæc erat, & grauidæ munera vitis amat.
Cur hedera hæc cincta eſt? Hedera eſt gratiſſima Baccho.
Hoc quóque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt:
Nyſiadas nymphas, puerum quærente nouercâ,
Hanc frondem cunis oppoſuiſſe ferunt.

In Liberalibus nobilium filii togam ſumebant.

Hoc ipſo etiam Bacchi Feſto, adoleſcentes Nobilium filij, relictâ prætextâ, virilem togam ſumebant. Tullius Hoſtilius Romanorum Rex 3. debellatis Hetruſcis, ſellam curulem, lictoréſque, & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Hetruſcorum erant, primus vt Romæ haberentur, inſtituit. Sed prætextam illo ſeculo puerilis non vſurpabat ætas. Erat enim, vt cætera quæ enumeraui, honoris habitus. Sed poſtea Tarquinius Demarati exulis Corinthij filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt Rex tertius ab Hoſtilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum.

Prætexta quando à pueris vſurpari cœpta Romæ.

Eo bello filium ſuum, annos quatuordecim natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit, & bullâ aureâ, prætextáque donauit, inſigniens puerum vltro annos fortem, præmiis virilitatis & honoris. Nam ſicut prætexta Magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium: quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, vt prætexta & bulla in vſum puerorum nobilium vſurparentur: ad omen & vota conciliãda virtutis, ei ſimilis, cui primis in annis munera iſta ceſſerunt. Alij putant eundem Priſcum, cum is ſtatum ciuium, ſolertia prouidi Principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorũ inter præcipua duxiſſe, inſtituiſſéque vt Patritij bullâ aureâ, cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur duntaxat illi, quorum Patres curulem geſſerant Magiſtratum: cæteris autem vt prætextâ tantùm vterentur, indultum ſed vſque ad eos quorum parentes equis ſtipendia iuſta meruiſſent. Libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat, ac multò minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo, Sed poſtea Libertinorum quoq. filiis prætexta conceſſa eſt, ex tali cauſa, quam M. Lælius augur refert, qui bello Punico ſecundo Duumuiros dicit ex Senatuſconſulto, propter multa prodigia libros Sibyllinos adiſſe, & inſpectis hiſ nunciâſſe in Capitolio ſupplicandum, lectiſterniumq. ex collata ſtipe faciendum, ita vt libertinæ quoque quæ longâ veſte vterentur, in eam rem pecuniam ſubminiſtrarẽt. Acta igitur obſecratio eſt, pueris ingenuiſ, libertinis & virginibus patrimis matrimiſque pronunciantib. carmen. Ex quo conceſſum, vt libertinorũ quoq. filij qui ex iuſta duntaxat matrefamiliâs nati eſſent, & togã prætextã, & lorũ in collo pro bulla decore geſtarent. Verrius Flaccus ait, cum populus Rom. peſtilentia laboraret, eſſétque reſponſum, id accidere, quòd Dij deſpicerentur, anxiam vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eueniſſeq. vt Circenſium die puer de cœnaculo pompam supernè deſpiceret, & patri referret ſecreta ſacrorum in arca pilenti compoſita vidiſſe: qui cum rem geſtam Senatui nunciaſſet, placuiſſe velari loca ea quâ põpa veheretur: atq. peſte ſedatâ, puerum, qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, togæ ac prætextæ vſum, munus impetraviſſe. Vetuſtatis peritiſſimi referunt, in raptu Sabinarum vnam mulierum nomine Herſiliam, dum adhæreret filiæ, ſimul raptam: Quam quum Romulus Hoſto cuidam ex agro Latino, qui in Aſylum eius confugerat, virtute conſpicuo vxorem dediſſet, natum ex eo puerum, antequam vlla alia Sabinarum partium ederet: eúmque quòd primus eſſet in hoſtico procreatus, Hoſtium à matre vocitatum: & eundem à Romanis bullâ aureâ ac prætextæ inſignibus honoratum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla, ante pectus annecterent: quam inſpicientes, ita demùm ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent. Togámque prætextam his additam, vt ex purpura rubore ingenuitatis pudore regerentur. Hanc igitur præ-

Digitized by Google

textam deponebant qui ex ephœbis exceſſiſſent, & togam virilem induebant eo die quo Bacchi Feſtivitas celebrabatur. Cauſas alias recitat Ovidius lib. 3. Faſt. inquiens:

Reſtat, vt inveniam, quare toga libera detur,
Luciferis pueris, candide Bacche tuis:
Sive quòd ipſe puer ſemper juveniſque videris,
Et media eſt ætas inter vtrúnque tibi.
Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
Commendant curæ, Numinibúſque tuis.
Sive quòd es Liber, veſtis quoque libera per te,
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia cùm colerent priſci ſtudioſius agros,
Et faceret patrio rure Senator opus.
Et caperet faſces à curvo Conſul aratro,
Nec crimen duras eſſet habere manus.
Ruſticus ad ludos populus veniebat in vrbem,
Sed Diis, non ſtudiis ille dabatur honor,
Ergo vt tyronum celebrare frequentia poſſit,
Viſa dies dandæ non aliena togæ eſt.

In Bacchanal. facta proceſſio.

Hoc ipſo præterea die quo Bacchi Solemnia fiebant, & antecedente etiam, cum proceſſione pergebant ad templum Caſtoris & Pollucis, quod conſecratum fuit apud aquam Iuturnam, iis in locis, quæ appellata fuerunt Argea, ſicut Ovidius lib. 3. Faſt. docet his verſibus:

Itur ad Argeos (qui ſunt, ſua pagina dicet)
Hac, ſicut memini, præteritáque die.

Erant autem Argea ſeu Argei loca Romæ, vbi Sacra fiebant, à Numa conſecrata: qualia 27. per quatuor Vrbis partes diſperſa fuerunt. Teſtatur hoc Varro lib. 4. de lingua Latina. Idem, Argeos, *inquit*, putant dictos à Principibus, qui cum Hercule Argivo Romam venerunt, & in Saturnia conſederunt. *Feſtus inquit*, Argei loca Romæ appellantur, quòd in his ſepulti eſſent quidam Argivorum illuſtres viri. *Cùm autem iretur ad Argeos, Flamini Diali neque caput comere, neque capillum depectere licebat, vt Agellius cap. 15. lib 10. refert.*

QVINQVATRIA.

Quinquatria quando celebrata.

QVinquatria 13. *Calendas Apriles celebrabantur Romæ, quod non obſcurè colligi poteſt ex lib. 3. Faſtorum Ovidii. Eius enim teſtimonio ſuprà indicavimus, Liberalia celebrata tertiâ poſt Idus Mart. hoc eſt 15. Calend. April. quibus hæc ſubjicit:*

Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arcton
Milvius: hæc illa nocte videnda venit.

Et mox de Quinquatribus:

Vna dies media eſt, poſt fiunt Sacra Minervæ.

Vnam inquit diem mediam eſſe inter ortum Milvij, & primum diem Quinquatriorum, & ſic ſignificat 13. Cal. Apriles.

Quinquatr. Minervæ ſacra, eorumque origo.

Erant autem Minervæ ſeu Palladi Sacra, Ovidio teſte. Feſtus in Fragmento de Nominum ſignific. nuper reperto, hanc rationem affert, quòd hoc die ædis Minervæ in Aventino conſecrata eſſet. *Lazius lib. 10. de Reg. Rom. cap. 10. non intelligens Ovidium, Quinquatriorum originem ad Sabinarum mulierum raptum refert. Non diſſimilia fuerunt his quæ ab Athenienſibus vocabantur* Παναθηναια.

Dicta Quinquatria, à numero quinque dierum quibus celebrabantur: quod Ovidius indicat ſuperiori verſiculo hunc ſubjiciens:

Nomina quæ à junctis quinque diebus habent.

Quinquatr. ritus.

Primo die fiebant ſacrificia: ſecundo, tertio, & quarto gladiatorum ſpectacula edebantur: quod Ovidius his verſibus atteſtatur.

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Cauſa, quòd eſt illo nata Minerva die.
Altera, tréſque ſuper ſtracta celebrantur arena,
Enſibus exertis, bellica læta Dea eſt.

Ex Tranquillo etiam in vita Domitiani intelligitur, in Quinquatribus, præter venationes ac ſcenicos ludos, oratorum quoque & Poëtarum fuiſſe certamina. Eodem etiam tempore, vt teſtatur Hieron munus Minerval *appellatum, pueri quando vacabant, magiſtro offerebant.*

Quinquatr. etymon.

Varro libro quinto, de Latina lingua refert, antiquitus vnum tantummodo feſti hujus diem fuiſſe poſt quintum ſcilicet Idus Martias. eúmque quinquatrum vocatum fuiſſe, tracto vocabuli exemplo à conſuetudine vicinorum populorum, qui dies poſt ſextum, & ſeptimum Iduum, ſexatrum & ſeptimatrum appellavere: paulatim tamen nominis errore conſuetudinem irrepſiſſe, vt quinque dies crederentur. Varronis ſententia Feſtus quoque & Aulus Gellius ſubſcribunt Vnde error deprehenditur recentiorum Grammaticorum de huius vocabuli etymo: qui Quinquatria inde dicta tradiderunt, quod celebrarentur quinque diebus continuis poſt diem atrum, qui erat poſtridie Iduum, quum probatiſſimorum (quos modò adduximus) authorum teſtimonijs ſatis conſtet, atrus ſive atria particulas, in hiſce vocibus nihil ſignificare, ſed ſolas eſſe nominum productiones.

Meminit Quinquatriorum Suetonius in Domitiani

mitiani Imperat. vita: Celebrata, *inquit*, & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium inſtituerat: ex quô ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderéntque eximias venationes, & ſcenicos Ludos, ſupérque Poëtarum & Oratorum certamina. *Et ſic intelliguntur loca Poëtarum, vt illud Iuvenalis.*

——Quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos.

Et illud Papinii Statii lib. 4. Sylvarum, quo oſtendit, ſe in hoc certamine reliquos Poëtas viciſſe, & propterea à Domitiano coronatum fuiſſe.

Lux mihi Romanæ qualis ſub collibus Albæ,
Cùm modò Germanas acies, modò Daca ſonantem
Prœlia, Palladio tua me manus induit auro.

Tubælustrium.

V*Ltimo die Quinquatriorum* Tubæluſtrium *celebrabatur, quod Ovidius his verbis indicat:*

Summa dies è quinque tubam luſtrare canoram
Admonet, & forti ſacrificare Deæ.

Tubæ luſtrii origo & ritus. *Nam in atrio Sutorio, pro quo nonnulli legunt Saturio, Tubæ luſtrabantur agnâ: fiebat id propter mortuos, qui [vt Servius indicat] ad tubam deduci conſueverant: quum iuberet Religio [Lactantio Grammatico teſte] vt majoribus tubâ, minoribus tibiâ caneretur. Vnde tubarum luſtratio neceſſaria videbatur, ideóque repetita fuit.*

Sunt tamen qui arbitrantur, in hoc Feſto non Tubas luſtratas, ſed vrbem tubis luſtratam, ideóque modò citatum verſum Ouidii ſic legendum putant:

Summa dies è quinque Tubâ luſtrare canorâ
Admonet, &c.

Sed quum in fine Februarii vrbs luſtrata fuerit, non exiſtimârim mox ſequenti menſe repetitam fuiſſe luſtrationem ejus, & propterea priorem ſententiam veriſimiliorem puto.

Hilaria.

Hilaria quo die celebrata Romæ. M*Acrobius libro primo, Saturnal. capite 21. indicat octauo Calend. April. Romæ* Hilaria *celebrata fuiſſe, quòd ab eo die, in quem Iulii Cæſaris tempore Æquinoxium vernum incidebat, Sol diem longiorem nocte efficeret.* *Hilariorum origo.* *Turnebus autem Auerſar. lib. 24. cap. 45. Hilaria exiſtimat fuiſſe matris Deûm ferias, quæ, vt in Aprili pluribus indicabitur, principio Veris celebrabantur maximâ populi lætitiâ, & nobiliſſimâ pompâ, quovis è populo inſignia cuiuſque dignitatis mentiente atque ſimulante liberè, & impunè, vt internoſci Magiſtratus à ſimulatore non poſſet, vt ab Herodiano in Commodo deſcribitur vbi tamen Hilariarum nomen deſideratur. Habet hæc ex Maximo D. Dionyſij Interprete, qui ſic ſcribit:* ἦν δὲ ἱλάρια ἑορτὴ ἰδικὴ ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς αὐτῶν, μᾶλλον δὲ δαιμόνων, ὥς φησι Δρυόφιλος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν. *Idem Maximus Hilaria dicit fuiſſe appellata, cùm alias Feſtiuitates privatas, tùm publicas celebrari ſolitas ob Regis alicujus creationem. Verba ejus hæc ſunt:* ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλάρια ἐκάλουν, καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάριοι, ὡς ὅταν τις ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἐτέκετο· αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρια ἐκαλοῦντο, ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρείας παρεῖχε, καὶ οὔτε πένθιμα ἐν ταύταις φέρειν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θέαι καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὡρισμένας ἡμέρας ταῖς τοιαύταις ἱλαρείαις: *Id eſt,* Erant quidem dies idololatris quas Hilarias ſeu Feſtivitates vocabant. Horum alii erant privati & feſtivi, vt quum quis vxorem duxerat, aut alicui filius natus erat. Communes autem & publicæ Feſtivitates Hilaria dicebantur, vt, quum quis Rex creatus erat, is publicas Feſtivitates populo exhibebat. In his nulla erat licitum luctus inſignia geſtare, luctus omnis ceſſabat, ſpectacula, ludi, ſacrificia, epulæ per totos illos dies agitabantur.

Matris Deorum Lauatio.

S*Exto Calend. April. celebratur* Lavationis Matris Deûm *Feſtum. Sic enim Vibius Sequeſter ad Vergilianum filium ſcribit:* Mater, *inquit*, Deûm ſexto Calend. April. lavatur. *Et Ammianus libro vigeſimo tertio.* Diem, *inquit*, Sextum Calend. April. quo Romæ matri Deorum pompæ celebrantur annales, &c. *Lauatio matris Deûm quotidie celebrata.*

Abluitur autem in Almone fluvio, ad quem magnâ pompâ à Gallis Sacerdotibus deferebatur, quique non procul ab vrbe Tiberi miſcetur. Teſtatur hoc Ammianus eodem loco, inquiens: ſimulachrum ejus, quod carpento vehitur, Almonis vndis ablui perhibetur: Mos hic inde originem traxit, quòd cum Romam primùm hæc Dea ex Aſia aducta eſſet, Sacerdos eam, antequam in vrbem intuliſſent, hoc fluuio lauiſſet: id deinde per ſingulos annos ſeruatum. Quod Ouidius lib. 4. Faſt. his verſibus teſtatur. *Lauationis matris Deûm origo.*

Eſt locus, in Tiberim quâ lubricus influit Almo,
Et magno nomen perdit in amne minor.

Illuc purpureâ canus cum veſte Sacerdos.
Almonis Dominam, Sacráque lavit aquis.

Feſti huius ritus turpis.

Obſcæna verò ac turpia ante Deam in ejus Lavatione cantata, D. Auguſtinus teſtatur lib. 2. de Civitate Dei capite 4. inquiens: Ante ejus lecticam die ſolenni Lavationis ejus talia per publicum concitabantur à nequiſſimis ſcenicis, qualia non dico matrem Deorum, ſed matrem qualemcunque Senatorum, vel quorumlibet honeſtorum virorum, imò verò qualia nec matrem ipſorum ſcenicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre. Illam enim turpitudinem obſcœnorum dictorum atque factorum, ſcenicos ipſos domi ſuæ proludendi cauſa coram matribus ſuis agere puderet, quam per publicum agebant, coram Deorum omnium matre, ſpectante & audiente vtriúſque ſexus frequentiſſimâ multitudine. Quæ ſi illecta curioſitate adeſſe potuit circumfuſa ſaltem offenſa caſtitate debuit abire confuſa. Quæ ſunt ſacrilegia, ſi illa erant Sacra? aut quæ inquinatio, ſi illa lavatio? *Arnobius quoque ipſam Lavationem Matris Deûm, vt quæ non conveniat diis, his verbis irridet:* Lavatio, *inquit*, Deûm matris eſt hodie. Sordeſcunt enim Divi, & ad ſordes eluendas laventibus aquis opus, atque adjunctâ antiquâ cineris frictione.

Ritum deducendi matrem Deûm ad Almonem.

Quibus autem ritibus ſimulachrum matris Deûm ad flumen Almonem ſic deductum hoc die, Prudentius his verſibus in martyrio Romani indicat:

Nudare plantas ante carpentum ſcio
Lapis nigellus evehendus eſſedo
Quem ad Lavacrum præeundo ducitis,
Almonis vſque pervenitis rivulum.
Proceres togatos matris Idææ Sacris,
Muliebris oris clauſus argento ſedet.
Pedes remotis atterentes calceis.

Iani, Concordiæ, Salutis, & Pacis FESTVM.

T*Ertio Calendas Apriles, id eſt, die 30. Martii erat* Feſtum Iani, Concordiæ, Salutis *&* Pacis, *quibus eo die rem Divinam faciebant. Vnde Ovidius libro tertio, Faſtor. in fine:*

Tres vbi Luciferos veniens præmiſerit eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feres.
Inde quater paſtor ſatutos vbi clauſerit hœdos.
Canverint herbæ rore tecente quater:
Ianus adorandus, cum quo concordia mitis,
Et Romana Salus, aráque Pacis erit.

Conjunxerunt autem non ſine cauſa tria hæc numina. Prudentia enim, quam Iano tribuunt, Concordiam facit: Concordia, Salutem & Pacem.

LVNÆ FESTVM.

Feſti huius dies.

P*Ridie Calend. April. hoc eſt, die vltimo Martij* Feſtum *eſt* Lunæ *in Aventino monte. Vnde Ovidius,*

Luna regit menſes, hujus quoque tempora menſis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Dianæ templo Romæ car boũ cornua affixa.

Livius de Æde Lunæ in Aventina ſic ſcribit: Atrox cum vento tempeſtas forem ex æde Lunæ, in Aventino eſt, raptam tulit. *In ſummo enim dorſo Aventini Lunæ ædes fuit. In veſtibula hujus templi ex vetuſto ritu, boum cornua affixerunt, in veteris geſtæ rei memoriam. Fuit enim quidam, vt Plutarchus in Quæſt. indicat, in Sabinis Antro Coratius, qui vaccam habebat magnitudine & formâ reliquis præſtantiorem: monitúſque à vate quodam, qui in Aventina bovem hanc immolâſſet Dianæ, ei fata ſummam poteſtatem deferre, vrbémque ipſius Italiæ totius regno potituram, Romam ſe contulit bovis ibi mactandæ gratiâ. Servus autem Regi Servio clàm vaticinium illud, & rex Cornelio Pontifici indicauit. Tum Cornelius Antroni mandauit, vt ante ſacrificium aquâ Tiberis præfluente ſeſe ablueret: ſic enim legibus præſcriptum eſſe litaturo. Lotum igitur hic abiit: interim Servius vt vacca in honorem Dianæ immolaretur præcepit, mactatæque cornua templo affixit: vt Plutarchus refert in quæſtionibus Romanis, quæſtione quartâ, Hoc & Iubanarrat, & Varro: niſi quò ibic Antronis nomen non habet, deceptúmque non à Cornelio Sacerdote Sabinum, ſed ab adituo refert.*

CAPVT XIII.

De Feſtis quæ Aprili menſe à Græcis Celebrata fuerunt.

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ'.

Feſti huius ritus.

Y*Bριστικὰ, Latinè* Contumelioſa *ſeu* Injurioſa, *Feſtum quoddam fuit Argivarum, in quo mulieres inſolentius ac petulantiùs in maritos agebant, virilibus induta veſtimentis, in memoriam patriæ ab hoſtibus ſuâ fortitudine vindicatæ. Hiſtoriam integram*

integram Plutarchus id lib. de Virtutibus mulierum ita ferè narrat. Orige. Cùm Cleomenes Spartæ Rex multis Argivorum occiſis, ad ipſam vrbem duceret exercitum, impetus & divinitus injecta quædam audacia mulieres quæ ætate integra eſſent, excitavit ad propulſandos à patria hoſtes. Erat inter cæteras Teleſilla nobili orta familiâ, quæ quum eſſet multis ac variis morbis obnoxia, Deos de recuperanda bona valetudine conſuluit: oraculóque monita vt Muſas coleret, Deæ obtemperavit, ſtudiúmque in carmina & harmoniam collocavit: nec ſolùm à morbo liberata, ſed etiam ob poëticam in admiratione apud mulieres fuit. Hac Duce arma capiunt, propugnacula occupant, muros coronâ cingunt non ſine hoſtium magnâ admiratione. Ac Cleomenem quidem repulerunt, multos ſuorum deſiderantem, alterum Regem Demaratum (vt Socrates ait) qui in vrbem pervenerat & Pamphiliacum occupaverat, vi exturbârunt. *Refert etiam Pauſanias in Corinthiacis. Hoc modo vrbe ſervatâ mulieres quæ in pugna ceciderant, in via Argina ſepultæ ſunt à civibus: ſuperſtitibus autem præmium virtutis dedicatio Martis conceſſa eſt. Pugnatum alij in ipſo novilunio, alij ſeptimâ die tradunt menſis, qui nunc quartus, olim* ἑρμαῖ@, *id eſt, Mercurialis, apud Arginos dicitur. Eâ die etiam hodie* Ὑβρισικὰ ἱερὰ *(Hybriſtica Sacra) agunt,* γυναῖκας μὲν ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσιν, ἄνδρας δὲ πέπλοις γυναικῶν καὶ καλύπτραις ἀμφιεννύντες, *id eſt,* mulieres virilibus tunicis & lænis, viros autem muliebribus vittis ac velis veſtientes: *Virorum penuriam vt exſarcirent, mulieres non (vt Herodotus tradit) ſervis, ſed vicinorum optimis in civitatem receptis conjunxerunt: quos illæ videbantur contemnere & ignominiâ afficere in concubitu. Itáque decreverunt, vt nuptæ barbam haberent, quando cum viris concumberent. Quo loco Plutarchus, quum dicat menſem qui olim ab Arginis Hermæus dictus ſit, nunc verò quartus exiſtat, ad Romanorum conſuetudinem, vt etiam aliis in locis, reſpicere, & proinde Aprilem intelligere videtur.*

ΘΑΡΓΥΛΙΑ.

Thargelia in cuius honorẽ & quo die celebrata. *Menſe* Θαργηλιῶνι, *quem Aprili Latinorum reſpondere ſuprà abundè probavimus,* Θαργήλια *Feſtum & Sacra in honorem Apollinis Delii, vt Athenæus teſtatur lib. 12. capite 7. & Dianæ celebrabantur: inde fortaſſe, quod hic menſis vtriuſque Dei Natalis eſſet: ſextus videlicet dies Dianæ, & ſeptimus Apollinis, unde & ἑβδομαγέτης ab Æſchylo dictus eſt: eadémque de cauſa* ἑβδόμη ἱσταμένου Θαργηλιῶν@, *id eſt, ſeptimâ die Thargelionis hoc Feſtum agitabatur.*

Thargeliorũ ritus. *Solebant autem in hiſce* Θαργηλίοις, τὰς ἀπαρχὰς τῶν φυομένων ποιεῖσθαι καὶ ἀνακομίζειν: *& in olla quando coquere ſemina, quam* τοῦ ἱεροῦ ἑψήματος ἀνάπλεων χύτραν *nominabant* θάργηλον: *quo nomine etiam appellabant τὴν ἱκετηρίαν quæ tunc fiebat, Heſychio authore. Suidas quoque* Θαργήλια *feſtum fuiſſe dicit Apollinis & Dianæ: in eóque ſolitum fuiſſe coqui* χύτρον ἱεροῦ ἑψήματ@ μεστὸν σπερμάτων, *ſeu fuiſſe ſolitas coqui in eo* ἀπαρχὰς τῷ θεῷ τῶν φανέντων καρπῶν. *Crates* Ἀττικῆς διαλέκτου *lib.* 1. θάργηλον ἄρτον *vocari ſcribit* τὸν ἐκ τῆς συγκομιδῆς πρῶτον γινόμενον: *quem* θάργηλον *à nonnullis vocari* θαλύσιον *quidam referunt. Verùm & Etymologicus* θαργήλια *ſive* Θαργήλια *eſſe dicit feſtum quoddam Athenis denominatum* ἀπὸ τῶν θαργηλίων, *quæ eſſe dicit* πάντας τοὺς ἀπὸ γῆς καρπούς: *agitari autem menſe* Θαργηλιῶνι *in honorem Apollinis & Dianæ ipſe quoque teſtatur.*

Hunc diem etiam πολύφθογγον *à Græcis appellatum Plutarchus annotat, ob multitudinem oraculorum quæ eo dabantur ab Apolline. Serò námque cœpit ſingulis menſibus oracula requirentibus reſpondere: antiquitùs enim ſemel duntaxat in anno vaticinabatur, idque hoc ipſo die, vt Plutarchus in Quæſtionibus Græcis ex Calliſthene & Anaxandrido refert, quæſt. 9.*

ΚΑΡΝΕΙΑ ΙΕΡΑ.

Carnea quando & vbi celebrata. Κάρνεια ἱερὰ *hoc eſt,* Carnea Sacra *&* Feſtum, *non ſolùm apud Lacedæmonios & Cyrenæos, ſed totâ ferè Græciâ & alibi quoque gentium, ſeptimo die menſis Thargelionis, peragebatur, vt Pindarus in Pyth. oſtendit, & elegantiſſimè in hymno ad Apollinem Callimachus. Celebrabatur in honorem Apollinis hoc Feſtum & Sacrum, à quo & nomen habet. Nam* Apollo cur Carneus dictus. Καρνείου Ἀπόλλων@ *crebra fit mentio apud authores. Dicebatur autem ſic à Carno genere ex Acarnania: alij à Carno Iouis & Europæ filio ito vocatum exiſtimant, quod Praxilla Poëtria ſcripſit, & Heſychius recitat, qui ab Apolline & Latona fuerit educatus: quidam à carno vate denominatum exiſtimant, quem vnum ex Heraclidis fuiſſe aiunt. Sunt qui idcò Carneum Apollinem vocitatum autument, quòd quum in Ida Græci Cornum arborem ſuccidiſſent, quam* Κρανείαν *illi vocant, ex luco Apollinis, ad equum fabricandum, Deum ea in re iratum & nominatum Carneum, literæ vnius inverſione. Lege Pauſaniam in Laconicis, & quem dixi Callimachi hymnum, ac in eum Scholia.*

Carneorum origo. *Varias & diſcrepantes ſententias, de Origine Carneorum Zacharias Callergus Theocri-*

Digitized by Google

ti Scholiaſtes hîs verbis in εἰδυλλ. E recitat: Κάρνεα ἑορτὴ ἐστὶ Ἀπόλλωνος καρνείου ἀπὸ τινος κάρνου. Οὗτος δὲ ὁ κάρνος μάντις ὤν, εἵπετο τοῖς ἡρακλείδαις, ἅτινα τούτοις μαντευόμενος ὅν τινα ἐκζαπεὶς εἰς τὴν ἡρακλειδῶν ἐπιπότης τ' οὔνομα, λόγχῃ βαλὼν ἀπέκτεινε· διὸ λοιμὸς ἐγένετο ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, καὶ ἀπελθόντες, ἔλαβον χρησμὸν ἐξ Ἀπόλλωνος, κάρνειον τιμῆσαι Ἀπόλλωνα. καὶ τοῦτο ποιήσαντες, ἐπαύσαντο τοῦ λοιμοῦ. ταύτην οὖν τὴν ἑορτὴν καὶ οὗτοι οἱ μετοικήσαντες ἐκ Πελοποννήσου εἰς ἑτέρας πόλεις, διὰ τὸν λοιμὸν ἐπετέλουν. *Senſus eſt, Fame obortâ in Geloponneſo ob Carni necem, ſedatam eam fuiſſe Carneorum inſtitutione, vt Oraculo Apollinis edocti fuerant: & inde hæc Sacra in alias Græciæ vrbes poſtea tranſlata.* Ἄλλως, Κάρνεα ἑορτὴ δωρικὴ, τελουμένη Καρνείῳ Ἀπόλλωνι, κατὰ τὴν Πελοπόννησον, ἀπὸ κάρνου μάντεως ὃς ἡγεῖτο τοῖς ἡρακλείδαις: ἀπ' αὐτοῦ δὲ κάρνειον Ἀπόλλωνα προσαγορεύουσιν. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ θεοπόμπῳ: ὅτι τὸν αὐτὸν, καὶ δία, καὶ ἡγητορα καλοῦσιν Ἀργεῖοι, διὰ τὸ κάρνον ἡγήσασθαι τοῦ στρατοῦ. ὃν οἱ ἡρακλεῖδαι ἀπέκτειναν ἀπερχόμενον εἰς Πελοπόννησον, ὑπολαβόντες κατάσκοπον εἶναι τοῦ στρατεύματος: ὃν ὕστερον ἐτίμησαν ὑπὸ λοιμοῦ φθειρόμενοι. Ἄλλως: Πράξιλας μὲν ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὀνομάσθαι τοῦ διὸς καὶ εὐρώπης υἱοῦ, ὃς ἦν ἐρώμενος τῷ Ἀπόλλωνι, ἀλκμὰν δὲ, ἀπὸ Καρνέου τινὸς Τρωϊκοῦ. Δημήτριος δὲ, ἀπὸ τοῦ κραίνεσθαι ὅ ἐστι τελέσαι. Φησὶ γὰρ, ὡς ὁ Μενέλαος στρατεύσας εἰς Ἴλιον, ηὔξατο τιμῆσαι αὐτὸν ἐὰν κρανάνῃ. Ἄλλως: Κάρνεα ἑορτὴ ἐστὶ διὸς καρνεία ὀνομαζομένη. Παρ' ἕλλησι δὲ τελεῖται διὰ τὸ τὸν δούρειον ἵππον, ἐκ Καρνείου εἶναι ξύλου.

Carneorum ritus. *Porrò de Carneorum ſeu Carniorum Feſto & Sacro Athenæus quoque libro quarto, ex Demetrio Sceptio plura ſcripſit, morémque in eo ſeruatum retulit. Nouem diebus celebrabatur,* καὶ μίμημα ἦν στρατιωτικῆς ἀγωγῆς, *hoc eſt ſpeciem præ ſe ferebat militaris cujuſdam conuictûs, ſeu vitæ atque inſtituti.* Τόποι *enim, id eſt, loci nouem numero erant (ſic enim* σκιάδες, *hoc eſt, vmbracula ab illis vocabantur) ſcenis ſimillimi: in quibus ſingulis viri nouem cœnabant, delecti ex trinis* φρατρίαις *ſeu tribubus: ibique facilis ac ſine lautitia, militarem in modum, conuictus fuit, & ſub quodam imperio, vt in caſtris mos eſt fieri. Quæ omnia per præconem ex mandato pronuntiebantur.*

Huic Feſto igitur ſimillima fuit Iudæorum Solennitas Tabernaculorum, de qua libro ſuperiore plura diximus. Et ab eo Saturnaliorum illa Feſtiuitas apud Romanos originem traxiſſe videtur.

In ludis verò Carneis primum omnium palmam reportâſſe Terpandrum, Athenæus lib. 14. ex Hellanici τοῖς καρνεονίκαις ἐμμέτροις *indicat. Tales dicebantur* Καρνεονῖκαι: *ſicut* Καρνεάται, *Heſychio teſte,* οἱ ἄγαμοι, κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ καρνείου λειτουργίαν. *Quinque autem ex vnaquaque tribu hanc liturgiam obibant quatuor annorum ſpatio.*

Inſtituta hæc Feſta Athenæus eodem libro capite decimo quarto: ex libro de Tempore Soſimi refert, Olympiade 26. Hieronymum autem aſſerere, ait ibidem, in libro de Citharœdis, qui de Poëtis ſit quintus, qui Lycurgi Legiſlatoris temporibus floruerunt, Terpandrum, qui primus omnium in his ludis vicerit, eum fuiſſe, ὃς ὑπὸ πάντων συμφώνως ἱστορεῖται μετὰ τοῦ Ἰφίτου τοῦ Ἠλείου τὴν πρώτην ἀριθμηθεῖσαν τῶν ὀλυμπίων θέσιν διαθεῖναι, *hoc eſt,* qui ab omnibus vna voce prædicetur cum Iphito Eleo primam Olympiorum poſitionem connumeratam conſtituiſſe. Carnea quando inſtituta.

Luſtratio Athenarum.

L*Aërtius libro ſecundo, in Socratis vita circa finem teſtis eſt, ſextâ die menſis* Θαργηλιῶνος, *Athenienſes ſuam vrbem luſtrâſſe. Et quia Gyraldus Syntagmate 17. de Diis refert, Athenienſe menſe Thargelione duos homines immolâſſe, vnum pro maribus, alterum pro fœminis, bóſque* Pharmacos, *id eſt, medicos vocâſſe, & ſaginatos in cuſtodia publica aſſeruâſſe, adducor, vt hac ipſa die luſtrica eos hoc ſacrificium peregiſſe credam. Fuit enim hic mos apud plurimas olim gentes, vt quotannis deligerentur aliqui, quorum capite omnia ciuitatis aut gentis alicujus ſcelera luerentur, quique ad auertendam Deorum iram mactarentur, quos nõ ſolùm* φαρμακοὺς, *Sed &* καθάρματα *vocârunt. Vnde Suidas,* ἐπὶ καθαρισμῷ πόλεως ἀνῄρουν ἐστολισμένον τινά, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. *Meminit hujuſce conſuetudinis & Herodotus libro ſeptimo. Ad hunc morem reſpexiſſe Paulus videtur 1. Cor. 4. inquiens:* ὥσπερ καθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν: *his enim verbis ſic Apoſtolum dicere voluiſſe Budæus rectè exiſtimat* Nos tanquàm piacula mundi facti ſumus, & ſuccidaneæ pro populo victimæ. *Vel,* Non minus apud gentium vulgus deteſtabiles ſumus, quàm illi, qui diris execrationibus onerati atque obruti, pro ſalute publica abjici olim ſolebant. Pauli locus explicatur.

Fuit præterea hic dies, ob proſperiorem euentum rerum, veteribus non Athenienſibus modò, ſed & alijs auſpicatiſſimus, vt ſcribit Cœlius Rhodig. lib. 17. cap. 30. Illud enim felicitatis argumentum ſanè primum, & magnum quoque, quòd hominum ſapientiſſimus Delphico quoque oraculo judicatus, eo in vitalem prodiiſſe lucem Socrates narratur. Sic námque Plutarchus lib. 8. Sympoſ. ἕκτῃ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τὴν Σωκράτους ἀγάγοντες γενέθλιον. *Sic etiam Laërtius libro 2. in Socratis vita circa finem ſcribit, Socratem natum anno 4. Olympiadis 77. Thargelionis* Dies hic Græcis auſpicatiſſimus.

gelionis die ſexto. Deinde eodem die Perſæ ad Artemiſium ſuperati, eorúmque Afflicta potentia eſt. Æliano libro 2. cap. 25. varia hiſtoria authore: qui etiam teſtatur, eo nomine Athenienſibus receptum fuiſſe Dianæ τῇ ἀγροτέρᾳ capras trecentas immolare, voti Miltiado damnato. Rurſum apud Plateas prælio nobili ſuperata gens eadem hoc ipſo die. Quin & Perſis eſſe fatalis quodammodo dies hæc viſa, quando ea quoque ab Alexandro Darij traduntur conciſa opes.

BENΔIΔIA.

Βενδίδια *Feſtum quoddam erat celebratum ab Athenienſibus in Piræo portu, vt Proclus annotauit, in honorem Dianæ ſeu Lunæ, quam Thraces* Βένδιν *ſuâ linguâ vocabant, teſte Palæphato, Heſychio, Suidâ & Phauorino. Lucianus inter barbarorum Deas hanc refert, apud quem ſcribitur paroxytonos* Βένδις, *in Ioue tragœdo. Adrianus Iunius in ſuis Faſtis ponit eius Feſtum ad diem 19. menſis Aprilis: Reuſnerus autem in aucto Calendario Attico & Romano Gyraldi ad 14. Calend. Iunij. Meminit eius Plato Politic. 1. ſub finem his verbis:* Ταῦτα δὴ ὑμῖν εἱστιάσθω ἐν τοῖς Βενδιδείοις: *Nam Feſtum hoc &* Βενδίδεια *appellant plurali numero.*

MYΣTHPIA ΔHMHTPOΣ hoc eſt, Myſteria Cereris quę & Eleuſinia Sacra dicuntur.

Myſteria Cereris & Theſmophoria differũt.

MYſteria Cereris, *quæ &* Sacra Eleuſinia, *diuerſa ſunt à* Teſmophoriis, *licet hæc quoque* Μυστήρια Δήμητρος *ab Heſychio & Suida dicantur, ac vtráque vnam & eandem originem habeant. Nam illa Eleuſine, hæc autem Athenis facta ſunt, etiam poſt bellum inter Eleuſinios & Athenienſes, quod inter alias conditiones hâc quoque confectum eſt, vt Eleuſinij alias in rebus obtemperarent Athenienſibus Myſteria verò Cereris, ſoli & ſeorſim adminiſtrarent: Deæ autem vtrique Eumolpus & Celei filiæ Sacra peragerent, Pauſaniâ authore. Deinde Eleuſinia ſacra à viris & mulieribus ſimul celebrata eſſe animaduertimus. Hercules alioquin his Sacris initiari non petiiſſet. Quamuis autem morem ei non geſſerint, non tamen hoc ideò factum legimus, quòd viris intereſſe his Sacris non liceret, ſed quia lege caueretur, ne peregrinis ea impartirentur Theſmophoria verò à ſolis mulieribus obſeruata, ſuo loco indicabitur. Ad hæc Theſmophoria cum luctu & ieiuniis ſeruabantur, propter filiæ deperditæ memoriam, luctum item in quo tum fuit Dea, & abſtinentiam eius ab omni cibo & potu. Eleuſinia verò myſteria cum luſu & lætitia quadam fiebant, ob monſtratam frumenti ſationem, vt Gyraldus indicat de Diis Syntag 13.*

Myſteria Cereris duplicia.

Fuerunt autem duorum generum, Magna & Parua, *Cereri Sacra erant Magna, Proſerpinæ Parua, Cœlio teſte lib. 16. cap. 9. L. A.*

MYΣTHPIA ΔHMHTPOΣ Μεγάλα

Myſteriorum Cereris magnorum origo.

MAgna Cereris Myſteria *ſeu* Eleuſinia Sacra *inſtituit, vt Lactantius Grammaticus refert, Triptolemus Celeus Eleuſinis Regis filius. Et Seruius in Vergilij lib. 1. Georgic. inquit,* Eleuſin ciuitas eſt Atticæ prouinciæ, non longè Athenis: in qua quum regnaret Celeus, & Cererem, quærentem filiam Proſerpinam, à Plutone raptam dum flores legeret, liberaliſſimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro munere oſtendit ei omne genus agri culturæ, filium etiam eius Triptolemum, recens natum, per noctem igne fouit, per diem lacte Diuino nutriuit: & alatis eum draconibus ſuperpoſitum, per totum orbem miſit, ad vſum frumentorum hominibus indicandum. Ille contrà, vt gratum ſe ac memorem tanti beneficij accepti præberet, templum ei Eleuſine extruxit, & hæc Sacra inſtituit. *Vnde etiam Iuſtinus lib. 2. ſcribit. frumenti ſationem à Triptolemo repertam eſſe, & in eius muneris honorem noctes initiorum ſacratas. Hinc & Arnobius lib. 5. contra Gentes,* Eleuſinia, *inquit,* illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, cuius memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſitione Ceres feſſa, oras vt venit ad Atticas, triticeas attulit fruges? *Confirmat horum ſententiam Homerus: is enim enumerans, quos Dea myſteriorum ſuorum rationem edocuerit, ſic inquit:*

Triptolemo oſtendit, bellatoríque Diocli,
Eumolpo, & Celeo, populos qui flectere nouit,
Sacra miniſteriis, híſque omnibus Orgia dixit.

Herodotus in Euterpe non à Triptolemo, vel alio aliquo Græcorum, initium habuiſſe ſcri- 2.
bit hæc myſteria, ſed ex Ægypto primùm à Danai filiabus delata fuiſſe, iiſque Pelaſgicas mulieres imbuiſſe. Sed deinde omni Peloponneſo à Doribus eiectâ ſedibus ſuis, hæc myſteria, húncque initiandi ritum abolitum, & à ſolis Arcadibus, qui è Peloponneſo non eiecti fuerant, conſeruatum.

Diodorus Siculus lib. 1. tradit, Erichtheum 3.
Ægyptium, quum maxima ſiccitas omnem ferè orbem, præter Ægyptum, peruaſiſſet vnde ingens frugũ hominúmque pernities ſequuta, attu-

liſſe ex Ægypto propter cognationem Athenienſibus frumentum: ob idque beneficium eis Regem conſtitutum, docuiſſe Athenienſes ceremonias ac myſteria Cereris Eleuſinia ab Ægyptiis tranſlata.

Alij ad Eumolpum Ægyptium horum Sacrorum originem referunt: & idcirco Eumolpidas etiam, horum ſacrificiorum Sacerdotes, ex Ægypto traductos Diodorus indicat: quarum etiam Aeſchines meminit contra Cteſiphontem, & Sophocles in Oedipode:

ὧν καὶ Χρυσέα
Κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακεν
Προσπόλων Εὐμολπιδᾶν.

Quorum & aurea
Clauis in lingua
Sacerdotum Eumolpidarum.

Myſteriorum M. Cererum ritus. *Vtebantur autem Sacerdotes iſti in his Sacris veſtibus albis.*

Facibus verò & tadis hæc myſteria agebant accenſis, Cererem repræſentantes, quæ facibus ex Aetna Siciliæ monte accenſis, Proſerpinam per vniuerſum terrarum orbem quæſiuit: impoſito calatho cum ſacris abditis in curru, ciſtophoris vnà prodeuntibus. De quibus & aliis ita Claudianus in raptu Proſerpinæ:

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus, & claram diſpergere lumine lucem,
Aduentum teſtata Dei: iam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templúmque remugit
Cecropidum, Sanctáſque faces extollit Eleuſis.
Angues Triptolemi ſtrident, & ſquammea curuis
Colla leua attrita iugis, lapsúque ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.

Virgines autem ciſtas opertas ferentes Canephoræ, & Ciſtiphoræ dicebantur: in quarum altera flores erant, in altera ſpicæ: per illos ver, per has æſtatem ſignificantes. Theodoritus verò in his muliebrium naturam delatam ſcripſit: alij alia tradiderunt.

Coronas etiam, vel ſerta ſpicea ex frugum primitiis Deæ offerebant in hoc Sacro.

Certamen quoque celebre in eo agebatur, cuius & Pindarus in Iſthmiis, nec ſemel Commentatores eius meminere: in quo victores coronâ hordeaceâ ornabantur: hinc & Actæa Ceres interdum nuncupata eſt, Vnde Papinius:

Túque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

Myſteria Cereris non euulganda. *Hæc pauca ferè de horum myſteriorum ceremoniis & ritibus apud authores Ethnicos extant, quum plura alia in iis pertractata ſint. Sed ea tam fuerunt arcana & ſecreta, vt vulgò prouerbium iactaretur in ſecretos & tacitas* ἀῤῥητὰ καὶ τὰ μυστήρια. *Et Ariſtophanes in Nebulis* ἀπόῤῥητα ἱερὰ, *hoc eſt, non euulganda ſacra nominat. Pauſanias quoque retulit, ſomno ſe monitum, ne ea explicaret. Et Iuſtinus dixit, Myſteria Cereris nullâ aliâ re magis quàm ſilentio Sacra fuiſſe. Putârunt aliqui, Orpheum fulmine ictum concidiſſe, quòd arcana initiorum profanis & rudibus hominibus diuulgâſſet. Numenius Philoſophus offenſam pertuliſſe Numinum dicitur, quòd ſacra Eleuſinia interpretando vulgauerit. Viſum enim fuit ei in ſomnis videre Deas ipſas habitu meretricio in fornice proſtantes. Id quum mirabundus quid eſſet percunctatus fuiſſet ei reſponſum fuit, Deas perſcripta eius, ab ipſo pudicitiæ adito vi abſtractas, ante apertum lupanar omnibus paſſim adeuntibus proſtitui, quia ſacra ſua, quæ ſecreta eſſe voluerint, altius rimari, & intrinſecus perſcrutari conatus, publicauerit atque vulgauerit. Vnde Horatius in Carminibus dixit, ſe vitaturum ne ſub eodem tecto ſit, qui Cereris ſacrum vulgauerit. Et Apuleius de his ſacris ſcribens, inquit:* Dicerem, ſi dicere liceret: cognoſceres, ſi liceret audire: ſed parem noxam contraherent aures & linguæ illæ temerariæ curioſitatis. *Quocirca capitale fuiſſe legimus hæc arcana proferre. Hinc Ariſtoteles Ethic. 3. narrat, Aeſchilum Poëtam ad Areopagum in iudicium vocatum fuiſſe, quòd in ſua poëſi arcana Cereris edidiſſet. Alcibiadem etiam ſimili de cauſa ab Athenienſibus condemnatum & morti adductum hiſtorici prodiderunt.*

Extant verò apud primitiuæ Eccleſiæ Doctores horum arcanorum non obſcura veſtigia. Gregorius Nazianz. in Serm. Epiphaniorum, Neque nobis, *inquit*, Virgo aliqua rapitur, nec Ceres vagatur, nec Celeos aliquos inducit, & Triptolemos, & dracones: & hæc quidem facit, & hæc patitur: pudet enim me per diem dare noctis ſacrificium, & pudorem facere myſteriorum. *Auguſtinus in Quæſtionibus vtriúſque Teſtamenti ait:* Nihil apud nos in tenebris vel occultè geritur. Omne enim quod honeſtum ſcitur, publicari non timetur. Illud autem quod turpe eſt & inhoneſtum, prohibente pudore non poteſt publicari. Quamobrem Pagani myſteria ſua in tenebris celebrant, vel in eo prudentes. Erubeſcunt enim palàm illudi: piacula enim, quæ illic vice legis aguntur, nolunt manifeſtare, ne qui prudentes ſe dicunt, hebetes his videantur quos ſtultos iudicant. Sed ne fortè hinc illis ſtulti videamur, quia lex noſtra caſtitatem, miſericordiam, pietatem, continentiam prædicat: apud illos enim hęc ſtulta ſũt, quia omnis bonus malo malus *Ritus Myſteriorum Cereris veſtigia.*

eſt

eſt, & prudens ſtulto inſenſatus eſt. Nam in tantùm caſtitatem execrantur, vt etiam cinædis delectentur, magiſterio eorum ſubiecti, qui niſi tales fuerint, idonei non erunt ipſi, ſi dicendum eſt, religioni. Propterea enim abſcinduntur & habitum immutant, vt de viris quaſi fœminæ fiant, & circa naturam ſubiecti muliebria patiantur, & tunc demum apti & digni ſunt miniſtri ſuperſtitionis illorum. Nunquid accuſari poteſt huiuſmodi quem lex facit talem? Ideò enim amiſſo viri & actu & habitu in mulierem transformantur, vt muliebria libenter patiantur. Quæ ergo putantur eſſe myſteria, vbi de honeſto inhoneſtum fit, & de incorrupto corruptum, cùm hic ſit verè cultus Religionis, qui de turpibus honeſtos facit, de indiſciplinatis modeſtos? Quomodo cultores eius æmuli poſſunt eſſe bonæ vitæ, quando myſteria legis eorum ſine cinædis celebrari non poſſunt? *Hæc omnia Auguſtinus.*

Myſteria Cereris in magna authoritate fuerunt.

Et tamen in tanta authoritate primis illis temporibus Eleuſinia hæc Sacra fuerunt, vt profanum & ſcelere aliquo pollutum admiſerint, ſuo quidem arbitratu, neminem. Inde Catullus.

Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Tanti eadem exiſtimabantur, vt illis initiari Hercules præoptauerit, quam rem tamen minimè eſt aſſequutus. Sophocles etiam his verſibus:

——ὡς τριςόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
Μόλωσ' ἐς ᾅδου. Τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἐστι. Τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Plurimos ea ſuperſtitione implere conatus eſt, tanquam initiis horum Sacrorum, quamuis ſceleratiſſimi eſſent, ſanctiores Diiſque gratiores effici poſſent. Rectius Diogenes, quum ſimile quid audiuiſſet: Meliore ergo, *ait*, conditione erit Patæcion fur, quia initiatus eſt, quàm Epaminundas, vir cętera optimus niſi quòd non eſt myſteriis iſtis imbutus: *vt refert Plutarchus in libro De audiendis Poëtis.*

Myſteria Cereris pluribus diebus celebrata. Μεῖζον quid.

Celebrabantur autem quotannis Eleuſine non vno, ſed pluribus diebus: ex quibus vnus, & fortaſſe primus Μεῖζον *dicebatur, vt mihi quidem ex hac coniectura videtur. Propè Cereris Eleuſinia templum* Πτέρωμα *fuit factum. Vocârunt ita duos inſigni magnitudine lapides inuicem coaptatos. Quotannis autem Feſtum cùm celebrârunt, quòd* Μεῖζον *appellârunt, lapides hos aperuerunt, libellóſque depromiſerunt quibus celebrandorum Myſteriarum modus fuit præſcriptus. Hos audientibus ſacerdatibus, vt perlegerunt, noctu in locum priorem repoſuerunt. Huius* Πτερώματος *operculum rotundum fuit, & incluſam habuit imaginem ſeu faciem: eam* ἐν τῇ μείζονι καλουμένῃ τελετῇ *poſtquam accommodauit ſibi Sacerdos, indigenas ex quadam religione virgis cecîdit, vt Pauſanias in Arcadicis indicat. Sed Lectori liberum hac de re iudicium relinquo.*

Πλημοχόη quid.

Poſtremum certè diem horum Myſteriorum Πλημοχόας *appellârunt, à* πλημοχοῇ*, quod fuit vas fictile ad turbinis figuram accedens, leuiter in funda compreſſum, vt Euſtathius indicat. Eo vtebantur in his myſteriis nouiſſimo die. Sic enim Athenæus lib. 11. cap. 15. ex Pamphilo de eo loquens, ait:* Κρῶνται τούτῳ τῷ σκεύει ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι πλημοχόας· ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολάς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσι, ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν: *id eſt:* Vtuntur hoc vaſe vltimo die Sacrorum in Eleuſine, quod inde Plemochoam vocant: in quos duas Plemochoas implentes, alterámque ad orientem, alteram ad occidentem conſtituentes, conuertunt ſe, ſacrámque orationem dicunt. *Sic etiam Heſychius,* τῇ ὑστεραίᾳ, *ait,* ἡμέρᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσιν πλημοχόας.

Pheneatæ & Celeatæ etiam verum myſteria celebrarunt.

Pheneatæ quóque iiſdem ritibus quibus Eleuſinij hæc myſteria celebrârunt. Naum enim dixerunt ex oraculo Delphico eò veniſſe: cum autem tertium ex poſteris Eumolpi fuiſſe, vt Pauſanias in Arcadicis indicat.

Celeis verò, quæ vrbs eſt Peloponneſi, non ſingulis, ſed quarto quóque anno hæc myſteria obſeruârunt, & Dyſaulem Celei fratrem in Phliaſiarum agrum profectum hos myſteriarum ritus inſtituiſſe, idem in Corinthiacis author eſt.

Myſteria Cereris M. Veris tempore celebrata.

Agi autem hæc myſteria fuiſſe ſolita Veris tempore, & quidem Thargelione menſe, qui partem Aprilis, partem etiam Maij noſtri ſibi vendicat, ex multis coniecturis colligitur. Nam primò, Verno tempore raptam Proſerpinam dum flores legeret, & quæſitam à Cerere omnes dicunt. Deinde ſuprà oſtendimus, in certaminibus horum Sacrarum victores coronâ hordeaceâ ornatos. Hordeum autem menſe Maio, & aliquibus in regionibus Aprili quóque matureſcit. Tertiò, Ouidius lib. 10 indicat, in iis coronas, vel ſerta ſpicea ex frugum primitiis Deæ oblatas. Quartò, quum Gyraldus Syntag. 13. aſtendiſſet, ieiunia in Theſmophoriis ob perditam Proſerpinam in Cereris honorem inſtituta, mox addit, ideò verno tempore cum luſu & lætitia virides herbas eidem obtuliſſe, quaſi quòd filium mater reperiſſet, vbi de his tantùm myſteriis loquitur. Quintò, Fulgentius in Mythologico, Hanc, *inquit,* Proſerpinam mater Ceres cum lampadibus raptam quærere dicitur: vnde & lampadum dies Cereri dedicatus eſt, illa videlicet ratione, quòd hoc tempore cum lampadibus, id eſt, cum Solis feruore ſeges ad

ad metendum cum gaudio requiratur.

Alexander ab Alex.lib.3.cap.18.dicit, Iunio menſe hac myſteria Cereris celebrata. Sed difficile eſt dicere quâ menſium Atticorum applicatione ad Iulianos hic author vſus fuerit. Nam libro eodem cap.24.extant quadam menſium diuerſarum nomina adeò ineptè cum noſtris collata, adcóque corruptè & confuſè, vt eum ne nomina quidem Atticorum menſium, nedum ſeriem & applicationem tenuiſſe appareat: niſi forſan ab alijs corruptus ſit ille locus.

ΜΗΣΤΗΡΙΑ ΔΗΜΗΤΡΟΣ Μικρά.

Myſteriorum Cereris paruorum origo.

PArua Cereris Myſteria *hac occaſione inſtituta ſunt. Ab Athenienſibus petebat Hercules, vt Magnis ſibi initiari liceret. Id verò Eumolpi prohibebatur lege, vt Pauſanias ait, quâ cauebatur, ne peregrinis, ſed indigenis tantùm impartirentur hac myſteria. At illi & viri inſignem admirati virtutem, & omnium capacem animum, ſimul etiam amicitiâ permoti, qua vetus ferè ciuitatè cum eo intercedebat, ſimul quòd Iouis filius eſſet, diceretúrque, ne quid abnuerent, cui nihil negatum vellent, rationem inierunt, quâ nec legi derogaretur quicquam, & nihilominus compotem voti Herculem facerent. Protinus námque Parua inſtituere Myſteria in honorem Proſerpinæ, quibus & illum initiârunt.*

Myſteriorum horum ritus.

Obſeruatum in his Myſteriis, vt quam quis, dum initiaretur, veſtem fortè geſtaſſet, eam ne vnquam exueret, donec victa tempore fieret omninò ingeſtabilis. Hinc datus adagio locus, Veſtimenta initiatorum, *de iis qua attrita prorſus ſunt, nulláque temporum viciſſitudine variantur: vide Cælium lib 16.cap.9 L. A. In aliis Myſteriis obſeruatus mos, vt veſtem, in qua aliquis initiatus eſſet, templis & numinibus dicaret, vt teſtatur Melanthius in lib. de Myſteriis,* πάτριόν ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες: *ex quibus ſtolis nonnulli puerulorum faſcias magnâ religionis opinione confecerunt: authore Cælio eodem loco, & Alexandro ab Alex.lib.3.cap.18.*

Myſteria parua Cereris fuerunt quadam praparatio ad Magna.

Fuerunt autem hac Parua magnorum Myſteriorum velut προκάθαρσις καὶ προάγνευσις, *id eſt pralustratio quadam ac præuia deputatio, vt Cælius modò citato loco indicat. Vnde ſimul intelligitur, ante Magna, ſed non diu hac Parua celebrata eſſe.*

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ,

Plyntheria in cuius honorē celebrata.

A*Thenis die 25.* Θαργηλιῶνος, *vt P. Eberus in ſuo Calendario hiſtorico refert, Feſtum* Πλυντήρια Plyntheria *nuncupatum, celebrabatur, teſte Heſychio, in honorem Aglauræ filia Cecropis primi Athenienſium Regis: de qua Ouidius lib. 2. Metamorph. fabulatur, quòd quum Mercurio Herſen ſororem ſuam adamanti acceptâ pecuniâ operam ſuam pollicita eſſet, poſtea verò inuidiâ correpta, limen ingredienti pertinaciter reſtitiſſet, in ſaxum conuerſa ſit. Meminit huius Feſti Xenophon Hellenicῶn lib.1. vbi etiam dicit, in ea Mineruæ templum claudi fuiſſe ſolitum, propterea fortaſſe, quòd ob iram eius triſtis hic caſus Aglauræ eueniſſet. Verba Xenophontis de reduce Alcibiade hac ſunt:* Καταπλεῖ δὲ εἰς τὸν Πειραιᾶ ἡμέρᾳ ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις, τοῦ ἕδους κατακεκαλυμμένου τῆς Ἀθηνᾶς· ὅ τινες οἰωνίζοντο ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ αὐτῷ καὶ τῇ πόλει. Ἀθηναίων γὰρ οὐδεὶς ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐδενὸς σπουδαίου ἔργου τολμήσαι ἂν ἅψασθαι: *hoc eſt, in Piræum nauigauit, die quâ Plyntheria celebrabat ciuitas, & Palladis templum clauditur, quod nonnulli & Alcibiadi, & vrbi infauſtum ominabantur, nullus etenim Athenienſium, etiam ſummâ coactus neceſſitate, aliquid die illâ operari audet, qua Plutarchus in eiuſdem Alcibiadis vita ſic retulit,* ᾗ γὰρ ἡμέρᾳ κατέπλευσεν, ἐδρᾶτο τὰ Πλυντήρια τῇ Θεῷ.

Plyntheriorū ritus.

Gyraldus de Diis gentium Syntagmate 17. de hoc Feſto ſic ſcribit: Plyntheria Feſta erant Cereris, qui dies inter nefaſtos repoſiti fuerunt. Scribit Pollux lib. 8. in Plyntheriis à Solone permiſſum tria iurare numina, Iceſion, Catharſion, & Hecaeſterion, qua ſunt Iouis cognomina: hoc eſt, ſupplicem, expiatorem & depulſorem. Cælius lib.14.cap.9. Antiq. Lect. de Plyntheriis loquens, dicit, Athenienſes Orgia Praxiorgidæ Februario menſe (nam ipſe, vt ſuprà diximus, Thargeliona non pro Aprili agnoſcit) ritu arcano, deiecta prorſum templi vniuerſo ornatu, & obtecto ſimulachro, obire.

ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ.

Canephoria in cuius honorem celebrata, eorūque ritus.

A*Gebant Athenienſes* Κανηφόρια Canephoria *in honorem Bacchi: eorum ritum his verbis Demarchus in carminibus Dionyſiacis deſcribit,* κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἀθηναίοις, αἱ εὐγενεῖς παρθένοι τότε πρῶτον ἥβωσαι ἐκανηφόρουν, ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ πεποιημένα τὰ κανά, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν. Per Feſtum Dionyſij diem, qui apud antiquos Athenienſ. agebatur, Virgines agiles, quæ ad pubertatem accederent, tum primùm caniſtros ferebant, qui erant ex puro auro: in quibus erant fructuum omnium primitiæ impoſitæ. *Non defuerunt tamen, qui non in honorem Dionyſij, ſed Dianæ, Canephoria inſtituta crediderint, cum dicerent, virgines nubiles per ea Sacra caniſtros earum rerum, quas pulchriores acu laboraſſent, plenos Dianæ conſecrare*

ſecrare

ſecrare ſolitas: atque ita ſignificâſſe, ſe prioris vitæ, virginitatiſque pertæſas, exautorari cupere, & huius Deæ, in cujus tutela hactenus fuiſſent, veniam petere, vt aſſerait Dorotheus Synonimus: quæ Sacra celebrabantur ſub finem menſis Aprilis, vt habet Natalis Comes lib. 5. capite 13. Mythol.

CAPVT XIV.

Feſta quę menſe Aprili à Romanis ſunt Celebrata.

CALENDÆ APRILES.

Ritus Calend. Aprilis. *CAlendis April. Matronæ abluebant Romæ ſimulachrum Veneris, cui & ſacrificabant ſimul cum floribus & myrto. Id Ouidius lib 4. Faſtorum his verbis indicat:*

Ritè Deam colitis Latiæ matréſque nurúſque,
Et vos quis vitæ, longáque veſtis adeſt.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Demite divitias: tota lavanda Dea eſt,
Aurea ſiccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda roſa eſt.

Mulieres etiam apud templum Fortunæ vi-
2. *rilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ hoc ipſo die ſacrificare & lauari conſueuerunt: quod Ouidius indicat, ſic canens lib. 4. Faſtorum.*

Vos quoque ſub viridi myrto jubet ipſa lavari:

Refert etiam Plutarchus in vita Numæ. Cauſam huius ritus idem Paëta eodem loco his verbis commemorat:

Cauſaq; cur jubeat, diſcite, certa ſubeſt.
Littore ſiccabat ſudantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterva, Deam.
Sēſit, & oppoſitâ texit ſua tempora myrto.
Tuta fuit facto, vóſque referre jubet.
Diſcite nunc quare Fortunæ thura virili
Detis eò, gelidâ qui locus humet aquâ.
Accipit illic locus poſito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc celérque viros, Fortuna virilis
Prȩſtat, & hoc parvo thure rogata facit.

Non ineptè igitur Fortunæ virilis ſacra Veneris Feſto iungebantur, hæc pulchritudinem præſtat, illa cuſtodit, facítque vt non appareant, quæ violare pulchritudinem poſſunt.

Ludi Megalenſes, ſeu Megaleſia, & Magnę Matris Deûm Feſtum.

N*Onis Aprilibus Romæ* Matri Deûm *ſeu* Magnæ Matri *celebrârunt Feſtum, quod &* Megaleſia *appellatum fuit à Cicerone verò,* Sacra Idæa, *in Catone majore. Teſtatur hoc etiam Ovidius lib. 4. Faſt. quum enim ortûs Pleiadum meminiſſet, qui fit ſecundâ die Aprilis, hoc eſt, 4. Non. ſubjungit:* *Megaleſia quo die celebrata*

Ter ſine perpetuo cœlum verſetur in axe,
Ter jungat Titan, térq; reſolvat equos:
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ Feſta parentis erunt.

Livius tamen lib. 9. Decad 3 ad Pridie Idus Aprilis refert Megaleſia. Et Lazius lib. 10. cap. 5. de Rom. Repub. teſtatur, ſe inveniſſe, ludos Megaleſiacos cum pompa & ſolennitate quotannis ab initio Aprilis celebratos Romæ per ſeptem dies Herodianus in Commodo, & ex eo Alexan. lib. 6. cap. 19. Veris initio quod idem eſt, hos ludos factos dicunt.

Magnæ *autem* Matris, *&* Matris Deûm *nomine* Terram *intelligi debere Orpheus, docuit, ſic canens de illa:* *Magna Mater quæ.*

Μήτηρ μέντε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων:

Id eſt,

Hæc vna eſt Matérque hominum, Matérque Deorum.

Idem tamen Orpheus, authore Diodoro, Terram omnium Matrem dixit, quòd divitias & opes largiatur: vel, quòd remedia multis non modò pecorum, ſed & hominum, inprimis puerorum morbis excogitârit. Servius Grammaticus Matrem Deûm *appellari putat, quòd ipſa ſit ex ijs Dijs, qui ἄζωνοι dicuntur: hoc eſt, qui cæli certas non habent partes, ſed generatim ab omnibus coluntur. Dicitur &* Mater Phrygiæ, *à monte Phrygiæ, quem plurali numero Dindyma vocant in eo Sacra ſibi per Corybantes inſtituit: à quo Dea* Dindyme, *&* Dindymine *à nonnullis vocata fuit, authore Strabone Diod. Siculus tamen à nomine matris ſic dictam innuere videtur quæ Dindymine vocata ſit.* Idæa Mater *etiam appellata fuit, à monte Ida. Et* Peſſinuntia, *à Peſſinunte Phrygiæ emporio in quo culta.* Cybele *quoque dicta fuit, à Phrygiæ monte, vbi antra & thalami hujus Deæ ferũt, qui dicebatur Κύβελα, vt Heſychius & Stephanus ſcribũt: vt verò Strabo, ab oppido, in quo ejus Sacra primo fuerunt inſtituta: Servius autem & Feſtus, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, hoc eſt, à rotatione capitis, quod proprium fuerat ejus Deæ Sacerdotum. Addit Servius in tertio, alios dicere, Cybelum Sacerdotem ejus Deæ primum fuiſſe, & ab eo Cybelem dictam. Item* Berecynthia, *à monte Phrygiæ, quæ* Βερέκυντος *appellatur.* Rhea *quoque,* ἀπὸ τοῦ ῥέειν *fluo, quòd terra affluens ſit omnium rerum. Et* Pales, *quòd ſit pabulorum Dea.*

Quando verò & quâ occaſione hæc Sacra Romam & Phrygia tranſlata ſint Livius tradit lib. 9. Decad. 3. Eo tempore quo Hannibal Italiam vexauit, inſpectis fortè libris Sybillinis, propter crebrius eo anno de cælo lapidatum, carmen inven- *Mater Deûm & eius ſacra quando Romam tranſlata.*

ventum eſt, pelli poſſe Italiâ, vincíque alienigenam hoſtem, ſi matris Idææ Numen Peſſinunte Romam deportatum eſſet. Quod Silius his verſibus teſtatur.

Hoſtis vt Auſoniis diſcederet advena terris
Fatidicæ fuerant oracula priſca Sibyllæ,
Cœlicolûm Phrygia genetricem ſede petitam
Laomedonteæ ſervandam mœnibus vrbis.

Hoc carmen à Decemviris inventum eò magis Patres movit, quòd & legati, qui donum Delphos portaverant, referebant, & ſacrificantibus ipſis Pythio Apollini, omnia læta exta fuiſſe, & reſponſum oraculo editum, maiorem multo victoriam, quàm cujus ex ſpoliis dona portarent, adeſſe populo Romano. Vnde placuit, vt quinque legati ad regem Attalum mitterentur, M. Valerius Levinus, qui bis Conſul fuerat, ac res in Græcia geſſerat, M. Cæcilius Metellus Prætorius, Sulpitius Galba ædilitius, duo quæſtores Cn. Tremelius Flaccus & M. Valerius Falco. Hi cum quinque quinqueremibus Aſiam petentes, ab oraculo Delphico reſponſum acceperunt, compotes ſe per regem Attalum ejus rei fore, quam peterent: Sed quum deam devexiſſent, tum curarent, vt eam, qui vir optimus Romæ eſſet, hoſpitio exciperet. Legati cùm Pergamum ad regem ſe contuliſſent, Attalus eos humaniter excepit, & Peſſinuntem in Phrygiam deduxit, vbi Cybeles colebatur, ſacrúmque eis lapidem, quem matrem Deûm incolæ eſſe dicebant, tradidit, ac deportare Romam juſſit. Præmittitur Falco, qui ferri deam nunciaret, moneretque ex oraculo Delphico à viro optimo excipiendam eſſe. Habita ſunt Comitia in iis Patres conſcripti P. Scipionem, eius filium qui in Hiſpania occiderat, adoleſcentem nondum quæſtorium, judicaverunt in tota civitate virum optimum eſſe. Is cum omnibus matronis Hoſtiam ire iuſſus obuiam deæ, eámque de naui accipere, & in terram delatam tradere referendam matronis. Poſteaquam naui ad oſtium amnis Tyberini acceſſit, ſicut erat iuſſus, in ſalum naue euectus, à Sacerdotibus Deam accepit, extulítque in terram. Matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quintæ inſigne eſt nomen, accepere. Cui dubia, vt traditur, ante fama, clariorem ad poſteros tam religioſo miniſterio pudicitiam fecit. Et per manus ſuccedentes deinde aliæ aliis, omni effuſâ civitate obuiam, thuribulis ante januam poſitis quâ præferebatur, atque accenſo thure precantibus, vt volens propitiáque vrbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ eſt in Palatio, pertulere Deam, pridie Idus Apriliſque dies feſtus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatio tulit, lectiſterniúmq; & ludi fuere Megaleſia appellata. Paulus Marſus in ſuis ad libros Faſtorum Ouidii Commentariis putat, corruptum eſſe hunc locum Liuii, & legendum eſſe pro, Pridie Id. April. Nonis Aprilibus, quum Ovidius, qui non tam facilè potuerit depravari, disertè Nonis April. hoc feſtum celebratum referat. Ego verò mendum nullum eſſe in Livio arbitror: & facilè authores ambo conciliari poſſunt. Matronæ enim, juxta Liuium, Deam in ædem Victoriæ pertulerunt. Pridie Id. Apriles, qui dies feſtus fuit. Hoc dupliciter intelligi poteſt: vel enim dies ille tum feſtus fuit Victoriæ Deæ: vel Feſtus fuit Deæ Phrygiæ vſque ad dedicationem templi in honorem ejus extructi. Nam poſtea dedicatâ æde Matri Deûm Romæ Feſtum ejus conſtat ad Nonas menſis tranſlatum: nihil enim fuit tam celebre apud Romanos, quàm Dedicationis dies. De Dedicatione verò illa idem Livius lib. 6. de Bello Maced. ita ſcribit: Per idem ferè tempus ædes Matris Magnæ Idææ dedicata eſt. Locaverat ædem faciendam M. Livius. C. Claudius Cenſores, M. Cornelio, T. Sempronio Coſſ. Tertiodecimo anno, poſteaquam locata erat, dedicavit eam M. Iunius Brutus, ludíque ob Dedicationem ejus facti, quos primos ſcenicos fuiſſe Antias Valerius eſt author, Megaleſia appellatos. *Hæc Livius: cum quibus conſentit Varro lib. 5 de Lingua Latina. Hoc deinde templo bis incendio conſumpto, toties reſtauratum eſt, primo à Metello: deinde ab Auguſto. Vnde Ouidius lib. 4. Faſt. ſic canit:*

Naſica accepit, templi non perſtitit author,
Auguſtus nunc eſt, antè Metellus erat.

Hanc tranſlationẽ Matris magnæ ex Phrygia idẽ Poëta eodem lib. prolixè etiam deſcribit.

Ritus autem & Ceremoniæ quibus in hoc Sacro hiſque ludis Megalenſibus vſi ſunt, fuerunt variæ & quidem magnificæ, vnde & nomen eis inditum videtur. Eas ordine commemorabimus. Die feſta Romæ ſimulachrum Deæ hujus vicatim circumferebatur à Gallis, vt indicat Ovidius, ſic canens: Megaleſiorum ritus. 1.

Ipſa ſedens molli comitum cervice feretur
Vrbis per medias exululata vias.

Erant *autem Galli Miniſtri vel Sacerdotes huius Deæ, omnéſque caſtrati. Cauſa à variis varia afferuntur. Nam, vt Servius refert*, Atys puer ſpecioſus, quum magnæ Matris præeſſet ſacris, à Regéque civitatis ſuæ ita amatus, vt ab eo vim ſibi inſtare intelligeret, clàm in ſylvas profugit. Sed ibi à Rege inventus, quum vim ei inferre vellet, verenda ſtupratoris abſcidit: qui moriẽs, eandem corporis partem puero abſtuliſſe dicitur. Quem quum Antiſtites Deæ ſemianimem ſub pinu inveniſſent, perlatum in templum fruſtrà reficere conati, defunctum tumulârunt. Cujus vt perpetua maneret memoria, magna Mater inſtituit, vt quotannis in ſacris ſuis plangeretur, pinúmque arborem tutelæ ſuæ aſcripſit, juſſitq; vt Galli quid.

Locus Liuii emaculatur.

cultores

cultores ſui omnes ſeu Sacerdotes virilia ſibi amputarent. *Ouidius autem lib. 4. Faſt. docet, Atym dilectum à Cybele, ſed data fidei immemorem, quum adamâſſet Nympham Sagaritidem, ſtatim in furorem verſum virilia ſibi amputâſſe: ſic enim canit:*

Annuit, vnde venit, dixi, ſua membra ſecandi.
Impetus? vt tacui, pieris orſa loqui.
Phryx puer in ſylvis facie ſpectabilis altis
Turrigeram caſto junxit amore Deam.
Hunc ſibi ſervari voluit, ſua templa tueri:
Et dixit, Semper fac puer eſſe velis.
Ille fidem juſſis dedit: &, ſi mentiar, inquit,
Vltima, quæ fallam, ſit Venus illa mihi.
Fallit, & In Nympha Sagaritide deſinit eſſe
Quod fuit: hinc pœnas exigit ira Deæ.
Naiada vulneribus ſuccidit in arbore factis:
Illa perit, fatum Naiadis arbor erat.
Hic furit: & credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit.
Et mox:
Ah pereant, dicebat adhuc, onus inguinis aufert,
Nullâque ſunt ſubitò ſigna relicti viri.
Venit in exemplum furor hic, molléſque Miniſtri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Catullus verò aliique furoris hujus cauſam non Deæ, ſed Gallo flumini tribuunt cujus epotis aquis, Atym dicit in furorem fuiſſe actum, ſibique abſcidiſſe virilia. Ab hoc fluvio Miniſtri Cybeles Galli dicti fuerunt, quod Ouidius his verſibus innuit:

Cur igitur Gallos, qui ſe excidêre, vocamus?
Cùm tantùm à Phrygia Gallica diſtet humus?
Inter ait viridem Cybelen, altáſque Celænas
Amnis it inſanâ nomine Gallus aquâ.
Qui bibit inde, furit, &c.

In circumgeſtatione porrò hujus Deæ Sacerdotes tympana pulſabant, capita rotabant, pectora ad cantum tibiarum tympanarúmque ſonitum tundebant, omniáque ſtrepitu & armiſonanti chorea agebantur. Rationem hanc reddit Ouidius lib. 4. Faſt.

Reddita Saturno ſors hæc erat: Optime Regum,
A nato regnis excutiere tuis.
Ille ſuam metuens, vt quæque erat edita, prolem,
Devorat, immerſam viceribúſque tenet.
Iupiter ortus erat, pro magno teſte vetuſtas
Creditur, acceptam parce movere fidem.
Veſte latens ſaxum, cœleſti gutture ſedit:
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jam dudum reſonat tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos manibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, priſcíque imitamina facti:
Æra Deæ comites, raucáque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant:
Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, modos.

Lucretius etiam hunc Sacrorum ritum, quem ſervabant Curetes in ſacris Deæ hujus, ejúſque cauſam ita breviter expreſſit lib. 2.

Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter ſe fortè catervâ
Ludunt, in numerúmque exultant ſanguine læti,
Terrificas capitum quatientes numine criſtas.
Dictæos referunt Curetas: qui Iovis illum
Vagitum in Creta quondam occultâſſe feruntur.
Cum pueri circum puerum pernice choreâ,
Armati in numerum pulſârunt æribus æra.

Vſi ſunt etiam Sacerdotes iſti in Sacris his flagello nadaſa, qua delinquentes puniebant, Plutarcho authore in libello contra Colotem.

Meminit quoque harum rituum diligentiſſimus Antiquitatum Roman. auctor Dionyſius Halicarnaſſ. libro ſecundo, his verbis:

Si qua oraculorum juſſu aliunde introducta ſunt, ſuo more coluntur à civibus, abdicatis fabularum miraculis, ſicut in matris Idææ Sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt, & ludos faciunt: Sacerdotio verò ejus funguntur Phryges vir & mulier, cámque vicatim circumferunt more ſuo circulatorio, pectora tundentes ad cantum tibiarum tympanorúmque ſonitum: ingenuus autem Romanus nemo eſt Mitria-

eus, nec obertat ad Phrygios modulos indutus ſynthesim, neque ex decreto Senatus initiatur magnæ Matris Orgiis. *Hac Dionyſius, oſtendens Romanos externis Religionibus, & turpibus ceremoniis in Sacris minus ſtuduiſſe: id quòd tamen Satyrici Poëtæ identidem illis objiciunt.*

4. *In huius porrò Deæ myſteriis fuerunt purificationis menſtrua, quas μηνιαίας ἁγιστείας Græci appellârunt: eas obſeruaviſſe Proclum, Marinus Neopolitanus teſtatur in libro de ipſius vita, ſiue περὶ εὐδαιμονίας, vbi ſic ſcribit:* Τὰς δὲ μηνιαίας παρὰ Ῥωμαίοις καὶ πρότερον ποτὲ παρὰ Φρυξὶν αὐτοῦ ἀγιστείας ἀγιστείας ἑκάστου μηνὸς ἦγεν.

5. *Ludi ipſi, quorum curam Ædiles gerere oportebat, quique, vt Cicero de Aruſp. reſpon. indicat, Palatio, in conſpectu Deæ fiebant, maximâ populi lætitiâ, & nobiliſſimâ pompâ, quovis è populo inſignia cujúſque dignitatis mentiente atque ſimulante liberè & impunè, vt internoſci magiſtratus à ſimulatore non poſſet. Sic enim Herodianus in Commodo*, Veris initio, *inquit*, ſolennique die, pompam Matri Deûm Romani celebrant. In ea quæ apud quenque ſunt Divitiarum præcipua, ſuppléxque pleráque imperatoria, materiæ aut artis ſpectandæ, præferri ante Deam ſolent. Paſſimque omnibus ludendi licentia permiſſa, ſic vt perſonas induant, quas cuique libitum nullúmque non Magiſtratuum quoque imaginem, provt cujuſque ſtudium, repræſentent, ſic vt non temerè â falſis veros dinoſcas. *Hiſtriones quoque in his Ludis mirâ laſciviâ ſpurciſſima quæque & turpiſſima in Matrem Deûm & Atym dictitabant.*

6. *Matronas quoque ſpectata pudicitia in his canere Auguſtus inſtituit, quod Ouidius in principio libro ſecundo. Triſtium his verbis teſtatur.*

Ipſe quoque Auſonias Cæſar Matréſque nurúſque
Carmina turrigeræ dicere juſſit Opi.

7. *Inſtituebantur etiam ſodalitates & convivia. Vnde Cicero in Catone maiore*, Sodalitates, *inquit*, me Queſtore conſtitutæ ſunt Sacris Idæis magnæ Matris acceptis. *Mutabant autem ſedes, dum è conuiuiis ad alia per vices ibant. Hoc faciebant boni ominis causâ: quoniam Cybele è Phrygia Romam tranſlata benè ac feliciter ſedem mutauerat. Innuit hoc Ovidius ſic canens:*

Cur vicibus factis ineant convivia quæro,
Tunc magis indictas concelebrantque dapes.
Quòd benè mutârit ſedem Berecynthia, dixit,
Captant mutatis ſedibus omen idem.

Et propterea non interdiu tantùm, ſed noctu quoque conuiuia hæc celebrabantur. Vnde Cicero, Romæ, *inquit*, erant Sacra Deæ Matris, in quibus diebus Feſtis nocte epulabantur. *In his autem ſodalitiis, ſiue ſyſſitiis Magnæ Matris apponebatur* Moretum, *quod fuit genus libi ex caſeo, lacte & herbis. Id deſcribitur à Vergilio in opuſculo cui titulus eſt* Moretum. *Dictum, vt non obſcurè innuit Vergilius loco jam citato, à Græco verbo μορέω, quod inter cætera ſignificat abrado. Vergilii verba ſunt hæc:*

Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum diſtantia contrahit vnum:
Conſtet vt effecti ſpecies, noménque Moreti.

Apponebatur autem in Matris Deûm ſyſſitiis, ob conuenientiam hujus cibi cum Dea. Lac enim & herbæ veterum cibus fuerunt: hanc autem Deam vetuſtiſſimam eſſe crediderunt, vt quæ Deorum omnium eſſet Mater. Hinc Ouidius lib. 4. Faſt.

Non pudet heibofum, dixi, poluiſſe Moretum
In dominæ menſis? an ſua cauſa ſubeſt?
Lacte mero veteres vſi nariantur, & herbis,
Sponte ſua ſi quas terra ferebat air:
Candidus elixæ miſcetur caſeus herbæ,
Cognoſcat primos vt Dea priſca cibos.

Inde colligitur conuiuia hæc fuiſſe frugalia, ſicut Sacra hæc in vniverſum more inſtitutiſque maximè caſta, ſolennia & religioſa fuiſſe Cicero teſtatur in Orat. de Aruſp. reſponſis.

Ad ea etiam ſeruis adire non licebat: illáque Prætores & Magiſtratus purpurati, in toga & prætexta, atque in ornatu maximo celebrârunt, vnde & Purpura Megalenſis *in Proverbium vulgi venit, vt refert Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 19.* 8.

Moris denique fuit in hoc feſto ſtipem matris Idææ Sacerdotibus colligere. Hoc à Phrygibus ſumpſit originem, qui in inſtitutione horum Sacrorum ordinârunt, qui ſtipem Matri Deorum cogerent, quos Μητραγύρτας *oppellârunt, quaſi* μητρὸς ἀγύρτας, *quo nomine* φιλοκερδεῖς καὶ ἀπατεῶνες *à Græcis denotati ſunt, natióque hominum præſtigiatrix. Collegerunt enim hanc ſtipem magnam præ ſe pietatem & ſimplicitatem ferentes, ac ſimul tympano pulſantes, ſed impudentiſſimè pecunias emungentes. Ob quam etiam cauſam contemptiſſimi fuerunt. Vnde Ariſtoteles lib. Rhet. 3. innuit, vilius fuiſſe miniſterium colligere ſtipem, quàm face prælucere. Menander quoque apud Clement. Alex. in ſuaſione ad Græcos, hoc mendicorum genus Religionem mentientium damnat his verbis:* Οὐδεὶς μ᾽ ἀρέσκει περιπατῶν ἔξω θεὸς μετὰ γραός, οὐδ᾽ εἰς 9.

εἰς ἑταίρας παρεισιὼν ἐπὶ τῷ σοφισῇ μητραγύρτης. Idem author lib. 3. pædagog. reprehendit mulierculaɾum ſuperſtitionem hoc hominum genus colentium, inquiens: περιφέρονται δ' αὗται ἀνὰ τὰ ἱερὰ ἐπιθυόμεναι καὶ μαντευόμεναι, ἀγύρταις καὶ μητραγύρταις καὶ γραΐαις βωμολόχοις οἰκοφθορίσαις συνεμπορευόμεναι. Conſuetudo etiam illa colligendi huic Deæ ſtipem apud Romanos inde ſumpſit initium, quòd populus frequens in Palatio dona Deæ tulit, quam primùm ex Phrygia Romam tranſlata eſſet ſicut ex Liuio ſuprà retulimus. Teſtatur id Ouidius lib. 4. Faſt. his verſibus:

Dic, inquam, parva cur ſtipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

Nemini verò, præter huius Deæ Sacerdotes, ſtipem Romæ cogere licebat, adeóque ejus familiæ hoc proprium erat: quòd etiam lege cautum fuit his verbis: Præter Idææ matris famulias, eáſque juſtis diebus, ne quis ſtipem cogito: *vt eſt videre in ſanctiſſimis illis, pro illarum temporum ratione, & ſeueriſſimis Ciceronis legibus. Rationem addens, inquit:* Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies Idææ matris propriam excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. *Quod ſi nunc viderent Ariſtoteles, Menander, Clemens & Cicero ditiſſima & ampliſſima ſodalitia Monachorum ab iis ſtipem petere, quibus deceret potiùs ſua impartiri, quibus redundant & affluunt? Quum interea qui dedit ſiccum arrodat & cibarium panem, oleribus menſam inſtruens, & fictilibus vaſis aqua duntaxat plenis, liberis circumſeptus, pro quibus noctes & dies ſollicitus operi intentus agit: qui verò accepit opulens mendicus candido & ſiligino pane, perdicibus capiſque generoſo ac leni vino ſe obruat: verba ſunt Ludovici Viuis in cap. 26. de Ciuit. Dei Auguſtini.*

Et hæc quidem dicta ſint de matris Deûm feſto & ludis, qui primi & præcipui ludorum omnium fuerunt Romæ. Ejus cauſam Ouidius lib. 4. commemorat, inquiens:

Inſtiteram: quare primi Megaleſia ludi
Vrbe forent noſtra, cum Dea (ſenſit enim)
Illa Deos, inquit, peperit: ceſſere parenti,
Principiúmq; dari mater honoris habet.

Fortunæ publicę Feſtum.

Feſtum hoc quo die celebratũ.

OCtauo Idus April. celebrabatur Romæ Feſtum & dies Dedicationis templi in colle Quirinali Publicæ Fortunæ, *quam Liuius lib. 9. de Bello 2. Punico, & lib. 4. de Bello Macedonico* Primigeniam *vocat. Colligitur hoc ex lib. 4. Ouidij Faſt. vbi ſic canit:*

Poſtera quum cœlo motis Pallantias aſtris
Fulſerit, & niveos luna levarit equos.
Qui dicet quondam Sacrata eſt colle Quirini,
Hæc fortuna die publica verus erit.

Ædem hujus Deæ voverat P. Sempronius Sophus: qui quum in agro Crotonienſi cum Hannibale malè pugnâſſet conjunctis deinde copiis cum P. Licinij Proconſulis legionibus, cum eodem hoſte conflixit denuò, & in principio pugnæ ædem huic Deæ quum vouiſſet hoſtes fuſi fugatique, & ſupra quatuor millia cæſa ſunt. Hanc decem annis poſt Q. Martius Ahala Duumuir ad id ipſum creatus, dedicauit, & quotannis memoriam ejus celebrandam inſtituit.

Ludi ob Victoriam Cęſaris.

TErtia die à Feſto Fortunæ primigeniæ quæ eſt 6. Id. April. celebrabantur Ludi in honorem C. Iulij Cæſaris, qui hoc die in Africa, vbi perſequutus eſt Pompeiani exercitus reliquias, Scipionem & Iubam Regem ſuperauit. De hoc ita canit Ouidius lib. 4. Faſt.

Tertia lux, memini, ludis erit: hac mihi quidam
Spectanti ſenior continuúſque loco,
Hæc, ait, illa dies Libycis quâ Cæſar in oris,
Perfida magnanimi contudit arma Iubę.

Ludi Cereales & Myſteria Cereris.

Cerealium ludorũ ritus.

LVdi Cereales, *quin in honorem Cereris magnificentiſſimè fierent nulla eſt controuerſia: Nam & Deorum imagines in his longo ordine produci ſolebant: unde eſt illud Macrobii; Vehitur ſimulachrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circenſium Deorum ſimulachra: & circum metas curſu contendebant, ovúmque in Cerealis pompæ apparatu numerabatur primùm: in his quoque Ædiles plebis pro equorum curſu plerúmque gladiatorum certamen exhibuerunt: referente Alexandro ab Alex. lib. 6. cap. 9. Et quia Circenſibus Ludis non abſimiles fuerunt, idcirco etiam ab Angelo Politiano Circenſes appellati ſunt, ſed non rectè.*

Ludorũ Cereris origo.

De eorum origine & authore Angelus Politianus in ſuis Miſcellaneis capite 85. ad hunc modum ſcribit.

Ludi Cereris, Cerealia dicti, quibus equorum curſus in Circo celebrabantur primúſque eos C. Memmius ædilis Curulis fecit. Cornelius Tacitus in libro hiſtoriarum ſextodecimo, de Nerone Principe loquens, Tandem, *inquit*, ſtatuere Circenſium Ludorum die, qui Cereri ce-

lebratur, exequi deſtinata, quia Cæſar tarus egreſſu, domóque aut hortis clauſus, ad ludicta Circi ventitabat. Et paulo pòſt: Vtque Circenſium Cerealium ludicrum, pluribus equitum curſibus celebraretur. *Ouid. in 4 Faſt.*

Circus erit pompa celeber numeróque
Deorum,
Primáque ventoſis palma petetur equit.
Hic Cereris ludi, non eſt opus indice
cauſa.

Dion quoque hiſtoriæ Scriptor in libro 2. & 40. narrat, potito jam rerum Cæſare, ædiles tum primum duos ex Patricijs, quatuor ex plebe creatos. Sed duos illos ſuperiores, à Cæſare fuiſſe dènominatos idq; ab illo initio ſcribit ad ſuam vſq; ætatem permanere. Idémque etiam Dion. lib. 7. & 40. ante devictum Brutum eveniſſe ait, vt ædiles plebei gladiatorum certamina pro equorum curſibus Cereri exhibuerint. Prætetea Laurentius Medices, vir omni laude præcelleos nomiſmata compluria nobis oſtendit, quæ faciem viri barbatam, & intonſam habeant, cum duplici titulo, Quirinus & C. Mìmmius. Attrinſecus autem Cereris imagunculam Draconibus vehentem, cum titulo hujuſmodi: Memmius. Æd. Cur. Cerealia Preimus fecit. Vbi etiam preimus non primus cum diphtongo in priore ſyllaba notatum obſervavimus. Hunc nos putamus autem C. ipſum Memmium fuiſſe, qui Prætor cum L. Domitio fuerit, quíque Cæſari obiecerit etiam ad cyathum & vinum Nicodemi ſtetiſſe, eum reliquis exoletis, quique eundem Cæſarem aſperrimis orationibus laceravit: Mox reconciliatus, etiam ſuffragatorem in petitione Conſulatus habuerit. De quo ſic in epiſtola ad Atticum Cicero libro quarto. O virum, ô civem Mēmium. Cæſaris omnes opes confirmant, cum eo Domitium Conſulem junxerunt, quâ pactione, epiſtolæ committere non audeo. Ad eúmque puto, vel certè ad filium liber Poëtæ Lucretii de rerum natura ſcriptus. Siquidem & dignitas hominis, & tempora congruunt, niſi tamen arbitrari malumus, filium potius ejuſdem C. Memmij cognominem Patri, ædilem Curulem tum factum à Cæſare.

Ludouicus Viues autem in ſuis ad lib. 7. cap. 20. Annotationibus de Ciuitate Dei Auguſtini, hanc Politiani ſententiam de origine & authore Ludorum Cereris his verbis refutat: Non ſunt, *inquit*, iidem Circenſes illi veteres, jam inde à Romulo inſtituti, & hi Cereales multò recentiores: nam illi Neptuno equeſtri fuerant ſemper Sacri: deinde Cereales ludos longè ante Memmium factos fuiſſe, teſtis eſt Livius, nempe 16. anno ſecundi belli Punici ex S. C. à Dictatore Gn. Servilio Gemino & Magiſtro Eq. Ælio Pæto. Nec Tacitus & Ovidius aliud indicant, quàm in Circo celebrari ſolitos ludos Cereris: & Cereales ædiles rei frumentariæ curandæ creati erant, non ludorum ergò, tametſi ludos facerent Cereri. Tum & illud in eodem capite miror, putâſſe Politianum C. Memmium, quem Cæſar feciſſet ædilem, eſſe, cui Lucretius dicâſſet opus ſuum, vel etiam ſi Diis placet filium, cum obierit Lucretius Pompeio & Craſſo ſecundùm Coſſ. opúſque conſtat ſcriptum C. Memmio prope adoleſcente adhuc. Profectò verum eſt illud, Erratum vnum parentem eſſe multorum. Quæ nolim quiſquam putet eſſe à me dicta, vt aliquid detraham memoriæ clariſſimi viri: neque enim minoris eſt habendus Politianus, quòd aliquot locis ſit falſus nempe homo & ipſe. Ita quæ dixi, non ſugilandi gratiâ, ſed vt proſim, ſunt dicta. Quod ſi quis exiſtimarit me carpendi ſtudio eſſe ductum, quod non eſt ita, is quoque velim, vt ne ignoret, non eſſe piaculum, non modò Politianum, ſed ne quenquam ex ſacratiſſimis vetuſtate reprehendere.

Celebrati autem fuerunt hi Ludi quotannis 5. Idus April vt Ouidius docet per dies octo. Errauit igitur Alex. ab Alex. qui lib. 6. cap. 29. ſcripſit. 5. Calend. Apr. celebratos.

Has ludos ſequebatur Sacrum Cereris, quod annis ſingulis Romani more patrio facere aſſuerant. Hac Sacra quòd è Gracia tranſlata eſſent, & per Gracos curata, Graca dicta ſunt. Fuiſſe enim in Gracia ſacra Eleuſina Cereris ſpectatiſſima ſuprà indicauimus. Ea obſcurâ luce fiebant, Sacerdotéſque facibus diſcurrentes curſu fanatica ſacra peragebant, à quibus velut ſanctiſſimis & impollutis, impij conſceleratique arcebantur Praconis voce, ita vt templum velut omni religioni ſanctum, alicujus criminis aut noxa conſcia adire non liceret: quod ſi quis adiiſſet non initiatus capite luebat. Nero igitur conſcientiâ ſceleris agitatus id ingredi veritus fuit. Non ſic autem Antoninus Philoſophus Auguſtus: nam is fretus innocentiâ, & vita integritate, ſine diſcrimine adiuit. Sacrum ipſum à ſolis matronis in veſte alba fiebat quotannis, Vnde Ouidius: Sacrum Cereris quale.

Alba decet Cererem veſtis, Cerealibus al-
bas
Sumite, nunc pulli velleris vſus abeſt.

In qua id fuit obſeruatum quoque vt demùm Diis gratum eſſe cenſerent, ſi à latis, (vnde intermiſſum fuit eo anno quo clades Cannenſis accepta erat, cùm nulla eo tempore Matrona Ro-

ma

ma luctûs expers eſſet Liuio authore de Bello Maced. lib. 4.) nec funere pollutis celebraretur: vtque in eo ante noctem epularetur nemo, quòd dea ſub noctem demùm, dum quæreret filiam ieiunium ſoluiſſet. Vnde Ouid. lib. 4. Faſt.

Quæ quia principio poſuit ieiunia noctis,
Tempus habent menſæ ſidera viſa ſibi.

Atque à vino inprimis & venere abſtinerent: adhac, vt quinto quóque anno ex Sibyllinis carminibus prodigiorum cauſâ, ieiunium fieret, vtque Sacris initiatos, calda (legendum fortè, calida) abluerent, quod caſtitati præeſſe ducerent: vt refert Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19.

Cereris ludi & Sacra cum Liberalibus iuncta.

Etſi verò Cereris Sacrum eo quo diximus tempore ab initio fieri ſit ſolitum, tamen progreſſu temporis cum Liberalibus iunctum eſt: quod Ouidius lib. 3. Faſtorum his verſibus teſtatur:

Luce ſuâ ludos vuæ commentor habebat,
Quos cũ tædifera nunc habet ille Dea.

Vbi per tædiferam Deam intelligit Cererem, quæ tedâ accensâ filiam Proſerpinam quæſiuit, vnde & Sacerdotes quóque eius tædis accenſis Cerealia celebrabant, ob id δᾳδοῦχοι *dicti. Teſtatur id rurſus Ouidius. ſic canens de Cerere filiam quærente:*

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris Sacris nunc quóque tæda datur.

Oſtendimus autem ſuprà Liberalia decimo quinto Calend. April. celebrata: proindéque mendum eſſe puto in Alexandri ab Alex. lib. 6. cap. 19. vbi dicit, Cereti ad quinto (*legendum, decimo quinto*) Calend. April. annis ſingulis Romanos rem diuinam feciſſe. *Alludit etiam ad hoc tempus Feſti huius Vergilius lib. 1. Georg. inquiens:*

——— Annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis
Extremæ ſub caſu hyemis iam vere ſereno.

Cereri cur hic honor habitus.

Habebatur autem hic Cereri honor, quòd ab ea reperto frumento, & conficiendi panis vſu, ſylueſtrem victum delicatiori cibo mutârit: legibúſque, quas prima mortalibus dediſſe perhibetur, vitam ac mores eorum formârit: quemadmodum in Theſmophoriis pluribus indicabimus. Refert etiam Ouidius lib. 4. Faſt. vbi & ſacrificium huius Deæ deſcribit, ſic canens:

Panis erat primus virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modò carpebant viuax de ceſpite gramen.
Nunc epulæ è tenera fronde cacumen erant.
Poſt modò glans nata eſt, benè erat iam glande repertâ,
Duráque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo,
Illa iugo tauros collum præbere coëgit.
Tunc primum Soles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio, chalybis iam maſſa placebat:
Heu heu perpetuo debuit illa tegi.
Pace Ceres læta eſt: & vos orate coloni
Perpetuam pacem, pacificúmque Ducem:
Farra Deæ, micæque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos:
Sed ſi thura aberint, vnctas accendite tædas:
Parua bonæ Cereri (ſint modò caſta) placent.

Iouis Victoris & Libertatis Feſtum.

Hoc feſtum & quando celebratum.

I*Dus quidem omnes, vt Macrobius tradit Saturnal. lib. 1. & nos quóque ſuprà diximus, Ioui Sacra fuerunt. Sed acceſſit Idibus Aprilibus ædis dedicatio, & Victoris titulus. Vouit enim bello Samnitium Q. Fabius, anno Vrbis 545. auditâ morte collegæ P. Decij, Ioui Victori ædem, & voto concepto ad caſtra hoſtium perrexit, vbi eorum Dux Gellius cecidit & hoſtium millia 24. cæſa, octo capta ſunt. Hanc ædem poſtea Idibus April. dedicauit Fabius, magno ſumptu & mole conſtructam in Palatio, vt Liuius lib. 10. ab vrbe condita, & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18. referunt Ouidius etiam lib. 4. Faſt. de die huius Feſti ſic canit:*

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Iupiter, hac illi ſunt data templa die.

Atria Libertatis feſtum.

Eadem die Iduum ædificatum & conſecratum fuit Atrium Libertatis, quod in Auentino nonnulli fuiſſe exiſtimant, vbi conſtat eius Deæ templum, fuiſſe vt Feſtus indicat, & Liuius libro 4. de Bello 2. Punico, T. Gracchi patrem ex multatitia pecunia faciendum curâſſe dedicâſſéque dicit. Sed Atrium eius Suetonius tradit extructum eſſe hortatu Auguſti ab Aſinio Pollione. Verùm longè ante hæc tempora Romæ id fuit. Liuius enim lib. 5. de Bello 2. Punico teſtatur, Annibalis tempore obſides Tarentinorum in eo cuſtoditos, quum inde profugiſſent ex fuga

retractos,virgiſq; , caſos de ſaxo præcipitatos eſſe. Sed reſtauratum ab eo crediderim amplificatumq;, quemadmodum & à Sexto Helio Pæto & Cn.Cornelio Cethego, Liuio authore. De die verò dedicationis huius Atrij ſuperioribus verſibus hos mox adijcit Ouidius:

Hac quóque , ni fallor, populo digniſſima noſtro,
 Atria Libertas cœpit habere die.

Fordicidiorum Feſtum.

Fordicidia quando celebrata *Fordicidia vnde dicta.* DEcimo ſeptimo Calend. Maiarum, hoc eſt, 15. die Aprilis *Fordicidia Romæ celebrabantur.Varro dicta ſic putat,à* fordis bobus cædendis *: nam hoc die publicè immolabantur boues prægnantes in curiis Romæ , quas* Boues Fordas *dicebant , vel à fætu , vt Feſto placet , vel quòd in ventre ferant. Eadem &* Hordæ *vocabantur,vt Varro refert , qui quum in bubulo genere quatuor dicantur ætatis gradus,docet lib.2.de Re ruſtica cap.5. primam ætatem eſſe vitulorum,ſecundam iuuencorum , tertiam nouellorum,quartam vetulorum:& diſcerni in prima vitulum & vitulam:in ſecunda iuuencum & iuuencam: in tertia & quarta tantum & vaccam:ſed vaccam ſterilem tauram inquit appellari:hordam verò quæ prægnans eſt,& ab ea in faſtis diem eſſe,*Hordicalia *: & Feſtus ait*, ab Horda , dies quo grauidæ hoſtiæ immolabantur,Hordicia. *De die huius Feſti & nominis etymo. Ouidius lib. 4. Faſtorum ita cecinit:*

Tertia poſt Veneris , cum lux ſurrexerit Idus,
 Pontifices forda ſacra litate boue.
Forda,ferens bos eſt : fœcundáque dicta ferendo,
 Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Vbi ſimul indicat, virginem Veſtalem maximam hoc ipſo die cremâſſe vitulos,eorúmque cinerem ſeruatum in templo Veſtæ,vt inde ſuffimen fieret,quo populus Palilibus purgaretur.

Fordicidia quare celebrata *Celebrabatur autem ſacrum iſtud tempore hoc,vt annus fœcundior proueniret : terra enim hoc tempore quaſi grauida eſt. Vnde Ouidius ſuperioribus mox adiicit:*

Nunc grauidum pecus eſt grauidæ quóque ſemine terræ,
 Telluri plenæ victima plena datur.

Fordicidiorum ritus. *Ritum autem ſacrificij huius his verbis exprimit Poëta noſter:*

Pars cadit arce Iouis:ter denas curia vaccas
 Accipit,& largo ſparſa cruore madet.
Aſt vbi viſceribus vitulos rapuere miniſtri,
 Sectáque fumoſis exta dedere focis,
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo eſt:
Luce Palis populos purget vt ille cinis.

Fordicidiorum origo. *Inſtituit autem hoc Feſtum & ſacrificium Numa Rex Fauni monitu tempore magnæ ſterilitatis,quæ ſub eius imperio fuit : Ouidius integram hiſtoriam his verſibus expreſſit:*

Rege Numâ, fructu non reſpondente labori,
 Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modò ſiccus erat gelidis aquilonibus annus,
 Nunc ager aſſiduâ luxuriabat aquâ.
Sæpè Ceres primis dominum fallebat in herbis,
 Et leuis obſeſſo ſtabat auena ſolo.
Et pecus ante diem partus edebat acerbos,
 Agnáque naſcendo ſæpè necabat ouem.
Sylua vetus,nulláque diu violata ſecuri
 Stabat,Mænalio ſacra relicta Deo.
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
 Noctibus,hic geminas Rex Numa mactat oues.
Prima cadit Fauno, leni cadit altera Somno,
 Sternitur in duro vellus vtrúnque ſolo.
Bis caput intonſum fontanâ ſpargitur vndâ,
 Bis ſua faginea tempora fronde tegit.
Vſus abeſt Veneris, nec fas animalia menſis
 Ponere,nec digitis annulus vllus ineſt.
Veſper vbi eſt tectus, ſupra noua vellera corpus
 Ponit,adorato per ſua verba Deo.
Interea placidam redimita papauere frontem,
 Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.
Faunus adeſt,ouiúmque premens pede vellera duro
 Edidit à dextro talia verba thoro:
Morte boum tibi Rex tellus placanda duarum,
 Deque ſacris animas vna iuuenca duas.
Excutitur terrore quies , Numa viſa reſoluit,
 Et ſecum ambages, cæcáque iuſſa refert:
Expedit errantem nemori gratiſſima coniunx,
 Et dixit,grauidæ poſceris exta bouis.
Exta bouis grauidæ dantur: fœcundior annus
 Prouenit, & fructum terra pecúſque ferunt.

Alexander ab Alex.lib.5.cap. 25. indicat , in his Fordicidiis ſacris , quibus hoſtias , quæ ventrem ferunt, immolare præcipitur,ſi fœtus biceps,aut mancus in vtero fuiſſet , vel interaneis exulceratis

exulceratis apparuiſſet, exta ejuſmodi imminentium malorum nunciâ eſſe, creditum fuiſſe.

Equiria & Vulpium Combuſtio.

Equiria quo die celebrata.

D*Ecimo tertio Calendas Maias erant E*quiria *in Circo maximo inter Palatium & Auentinum. Nam die quarto ab excluſis Idibus April qui eſt 15. Calend. Maij, Hyadas occidere Ouidius his verſibus indicat:*

Sed jam præteritas vbi quartus Lucifer Idus
 Reſpicit, hac Hyades Dorida nocte tenent.

Tertio autem poſt earum occaſum, quæ eſt 13. Cal. incluſiuè Equiria celebrari Ouidius indicat:

Tertiâ poſt Hyadas cum lux erit orta remotas,
 Carcera partitos Circus habebit equos.

Vulpium combuſtio, & eius origo.

Eadem die fugientium vulpium eſt combuſtio, *vt pœnas luant incenſa meſſis agri Carſeolani. Cùm enim apud Carſeolos oppidum Latij ruſticus quidam vulpi à ſe capta, ac fœno & ſtipulis involuta ignem admonuiſſet, ea fugiens, vniverſi agri Carſeolani meſſem abſumpſit incendio. Ob quam cauſam quotannis hoc die vulpes Cerealibus ſtipulis vrebantur implicita, quòd Cereris munera perdidiſſent. Hanc hiſtoriam, & originem hujus ritûs Ouidius ſic commemorat.*

Cur igitur miſſæ junctis ardentia tædis
 Tergia ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.
Frigida Carſeolis, nec olivis apta ferendis
 Terra, ſed ad ſegetes ingeniosſus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura petebam,
 Parva, ſed aſſiduis humida ſemper aquis.
Hoſpitis antiqui ſolitas intravimus ædes,
 Dempſerat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, ſed & hæc narrare ſolebat,
 Vnde meum præſens inſtrueretur opus.
Hoc, ait in campo (campúmque oſtendit) habebat
 Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille ſuam peragebat humum, ſive vſus aratri,
 Seu curvæ falcis, ſive bidentis erat,
Hæc modò verrebat cum raro pectine pratum,
 Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos,
 Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen aſſiduis exercet brachia telis,
 Adverſúſq; minas frigoris arma parat.
Filius hujus erat primo laſcivus in ævo.
 Addiderâtque annos ad duo luſtra duos.
Is capit extremi vulpem convalle ſalicti,
 Abſtulerat multas illa cohortis aves.
Captivam ſtipulâ fœnóque involuit, & ignes
 Admovet, vrentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros,
 Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abjit: monumenta manent: nam dicere certam
 Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.
Vtque luat pœnas, genus hoc Cerealibus ardet:
 Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.

Paliliorum Feſtum, & Vrbis Romæ Natalis.

Palilia quo die celebrata.

D*Vodecimo Calend. Ma. Sol Ariete Taurum ingreditur: ſequenti die, hoc eſt, 12. Cal. Ma.* Palilia *celebrata Ouidius his verſibus retulit.*

Nox abiit, oritúrque aurora, Palilia poſcor.
 Non poſcor fruſtrà, ſi favet alma Pales.

Huic ſententiæ etiam adſtipulatur Solinus. Paulus tamen Marſus in ſuis ad Faſtorum libros Ouidij Commentariis, ex eodem Poëta ad 12. Cal. Ma. hoc eſt, ad 20. diem Aprilis Feſtum hoc reuocare conatur. Refert etiam in indicibus Faſtorum veterum, & codicibus vetuſtiſſimis die 20. Aprilis Feſtum hoc notatum reperiri. Varro quoque & Plinius id cum Natali vrbis Romæ ad 12. Calen. Maias referunt, eodem námque die vrbem Romam conditam, ideóque ejus natalem ſimul quotannis celebratam aiunt. Plutarchus in vita Romuli aliter ſentire videtur: Vrbem, *inquit*, ad 12. Cal. Mai. condi cœptam eſſe omnium eſt opinio. Veruntamen pridie ejus diei paſtoralem quandam celebritatem agitabant, quæ Palilia ab illis dicebatur.

Palilia unde dicta Parilia.

Dictum eſt autem hoc Feſtum antiquitùs Palilia, à Pale Dea Paſtorum, in cujus honorem, Varrone teſte, à paſtoribus celebrabatur etiam ante vrbem conditam. Pales enim Dea pabuli & paſtorum eſt, quam plerique Veſtam, alij Matrem Deûm nuncupant. Eadem tamen Feſta, Parilia à nonnullis appellantur, quòd pro partu pecoris eidem Deæ ſacra fierent Vel quòd is dies, quo ſerenitas reddebatur, lucem parere videretur: vel etiam, vt Feſtus author eſt, quod pro partu & proventu pecoris Pali ſacra fierent lacte & libro ſine victima. Poſtea tamen mutata nomine Romana Feſta *appellata ſunt, quum Adrianus Imperator ciuitatis Fortunæ templum erexiſſet, cujus conſecrationis diem ſingu-*

Digitized by Google

lis annis inſignem & feſtum egerunt deinceps omnes & qui Romam incolunt, & qui Romæ etiam ſunt peregrini, vt Athenæus teſtatur lib. 8. cap. 11.

Varii autem ritus hoc die obſeruabantur, variaque purgationes & expiamina fieri ſolebant. Primò purgabat ſe populus in vrbe Roma ſuffimenta, cui adhibebatur ſanguis equinus, cineres nandum nati vituli, ſed è mactata Matris vtero exerti, & aduſti in Fordicidiis à Veſtalibus, tertiò ſtipula fabales, ex quibus omnibus ſuprà prunas impoſitis fiebat ſuffitio. De hac luſtratione Ouidius lib. 4. Faſt. ſic canit:

I, pete virginea populos ſuffimen ab ara.
Veſta dabit, Veſtæ Numine purus eris,
Sanguis equi ſuffimen erit, vituliq́; favilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.

Quo tempore etiam obſeruatum fuit, ne qua hoſtia caderetur, Plutarcho & Solino authoribus. Dicebat enim ſolùm populum Romanum impollutum, ſed & diem purum eſſe, quo vrbis natalem colerent. Sed Plutarchus in vita Romuli id ab initio tantùm obſeruatum tradit.

2 *Clangor quoq́ tubarum per vniuerſam exaudiebatur vrbem, cymbalarumq́ ſtrepitus, ac tympanorum ſonitus vnà cum cantilenis immiſtus, vt ex Athenai lib. 8. cap. 11. intelligitur.*

3 *Deinde ſummo mane à paſtoribus purgabantur paſſim in vrbe & agro ouilia ac pecora, hoc modo: Iuſpergebant oues aquâ & ſulphure, herbáque ſabinâ & lauro igne ſucceuſis, circumcirca ouilia ſuffibant, quo pecora purgari, morbos depelli & tabem credebant. De quo ſic Ouidius:*

Paſtor ove ſaturas ad prima crepuſcula luſtret:
Vnda prius ſpargat, virgáque verrat humum,
Frondibus ac fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cœrulei fiant puro de ſulfure fumi,
Tectáque fumanti ſulfure balet ovis.
Vre mares oleas tædámque herbáſque Sabina,
Et crepet in mediis laurus aduſta focis.

Præterea in Palilibus lacte, ſapâ & milio Pali Deæ ſacra perſoluebant, quibus proces adjungebant pro ſalute & incolumitate pecoris, & conuiuia celebrabant. Quod Ouidius his verſibus retulit:

Libáque de millo milii fiſcella ſequatur,
Ruſtica præcipuè eſt hoc Dea læta cibo.
Adde dapes mulctrámquo ſuas: dapibúſque reſectus
Sylvicolam tepido lacte precare Palem:
Conſule, dic, pecori pariter, pecoríſque Magiſtris,
Effugiat ſtabulis noxa repulſa meis.
Sive Sacra pavi, ſedíve ſub arbore Sacra,
Pabuláque in buſtis inſcia carpſit ovis.

Et quæ ibidem ſequuntur reliqua.

His Sacris peractis veſperi ſub noctem accendebantur inſuper acerui fæni vel ſtipularum, eorúmque flammas paſtores ſolebant tranſilire: cœna quoque apparabantur. Vnde Tibullus: 5

At madidus Baccho ſua feſta Palilia Paſtor
Concinet, à ſtabulis tûc procul eſſe lupi.
Ille levis ſtipulæ ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſiliétque ſacras.

Et Propertius.

Cúmque ſuper raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes.

Perſius quoque,

Fumoſa Palilia fœno, *vocauit.*

De eodem Ouidius ſic cecinit.

Tunc licet appoſitâ veluti cratere cameliâ,
Lac niveum potes, purpureámq; ſapam.
Móxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrennua membra pede.

Ter autem ignes tranſiliebant, qui ad id ordine erant diſpoſiti: quod noſter Poëta his verſibus non obſcurè innuit:

Certè ego tranſilii poſitas ter in ordine flammas:
Virgáque rorales laurea miſit aquas.

Moris autem inſtitutique huius, vt in Palilibus Paſtores & populus aquâ ſpargantur, ignesq́ tranſiliant, origo & cauſa variæ afferuntur. Hoc enim obſeruatum volunt, vel quòd vt metalla igne expurgantur, ſic luſtrarentur eo paſtores & oves. Vel, quòd duo hæc ignis & aqua ſunt cauſa generationis. Vnde in Metamorph. Et ab his oriuntur cuncta duobus: *ita hac eadem luſtrationis & expurgationis cauſam eſſe putant. Vel, quòd per hæc duo vivamus, & his exules interdicebantur, hæcq́ in limine nuptiali ponebantur: ſic ad purgamina quoq́ pertinere arbitrati ſunt. Vel, vt Phaëtontis incendium, & Deucalionis diluvium referretur. Vel vt indicaretur, ignem à paſtoribus fuiſſe inventum. Vel, vt referretur Æneæ pietas, qui tutus & incolumis cum parente per Troiana incendia fugit. Vel, quòd coloni, qui Romam condiderunt, quas incoluerant antea caſas, in coloniam abeuntes incenderent. Has rationes Ouidius lib. 4. Faſt. ſic recenſet:* *Rituum horum cauſa.*

Omnia purgat edax ignis, vitiúmque metallis
Excoquit: idcirco cum Duce purgat oves.
An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & vnda Dei.
Iunxerunt elementa patres, aptúmque putârunt
Ignibus, & ſparsâ tingere corpus aquâ.
An quòd in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul

His nova fit conjunx, hęc duo magna putant.
Vix equidem credo. Sunt qui Phaetonta referri
Credunt,& nimias Deucalionis opes.
Pars quoque paſtores cum ſaxis ſaxa feribant,
Scintillam ſubitò profiluiſſe ferunt,
Prima quidem periit, ſtipulis excepra ſecunda eſt,
Hoc argumentom flammą Palilis haber.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter.
Hoc tamen eſt vero propius, cum condita Roma eſt.
Transferri juſſos in nova tecta lares:
Mutantéſque domum tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ.
Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos,
Quod fit natali nunç quoque Roma tuo,

Mas hic ſaltandi per ignem à Pontificiis in ſuam quoque religionem tranſlatus eſt: nam idem apud eos in feſto S. Ioannis Baptiſta pluribus in locis fieri ſolet: quod Lazius & ipſe Pontificius lib.11. de Repub. Roman.cap.2. ingenuè fatetur.

Mos ſaltandi per ignē ad Chriſtianos tranſlatus

Alexander ab Alexandro libro ſecundo, capite 22. ex aliorum ſententia etiam ante urbem conditam, à paſtoribus qui proxima vrbi loca incaluerint, celebrari ſolita Palilia refert. In qua etiam ſententia Ouidius videtur fuiſſe, qui libro 4. Faſt. de origine vrbis agens, inter alia ſic canit:

Palilia ante conditā Romam celebrata.

Apta dies legitur, quæ mœnia ſignet aratro.
Sacra Pali ſuberant: inde movetur opos.

Plutarchus quoque in vita Romuli affirmat, pridie ejus diei quo Roma condi cœpta ſit, Palilia à paſtoribus celebrata fuiſſe. Dionyſius Halicarnaſſ. hac de re ita libro primo, ſcribit. Cùm jam nullo impediente fabrica vrbis procederet, Romulus indicta die qua placatis Diis auſpicaretur adminiſtrationem Reipubl. præparatíſque omnibus ad ſacrificium & epulum neceſſariis, vbi ea dies illuxit ipſe primùm Sacris operatus, deinde cæteris juſſis idem pro virili facere, aquilarum ante omnes viſus eſt auſpicio: mox piaculi cauſa juſſit per flammas ſalire populum. Satis deinde propitia ratus Numina, convocatis in deſtinatum locum omnibus, circumſcripſit collem figurâ quadrangulâ, continentem ſulcum aratro ducentibus ſub idem jugum junctis bubus mare atq; fœminâ, in quo fundanda erant mœnia: vnde Romanis hic mos circumarandi loca durat in condendis vrbibus. Hoc peracto, & bubus mactatis ambob. vnâ cum multis aliis victimis, operi populum adhibuit. Quem diem, ſi vllum alium, Romana Civitas noſtro quoq; tempore ſingulis annis Feſtum celebrat: vocátque Parilia, cùm ineunte Vere pro partu quadrupedum agricolæ grati paſtoréſque ſacra faciunt. Vtrum verò hunc diem jam antè feſtum auſpicatum condendæ vrbi duxerint, an propter vrbis initia conſecraverint, Deóſque paſtorales in eo honorandos ſanxerint, affirmare certò non poſſum. *Hac omnia Dionyſius.*

Seculares LVDI.

SEculares Ludi *jam inde à prima ſua origine centeſimo quoque anno celebrati ſunt, vnde & nomen habent: Seculum enim eſt centum annorum ſpacium, Feſta teſte: De iis tùm Antias, aliique hiſtorici authores ſunt: cùm Varro de Scenicis originibus libro primo ita ſcriptum reliquit:* Cùm multa portenta fierent & murus, & turris, quæ ſunt inter portam Collinam, & Exquilinam, de cœlo eſſent tacta, & ideo Sibyllinos libros Decemviri adiſſent, renuntiârunt, vti Diti patri & Proſerpinæ Ludi Taurentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hoſtiæ furvæ immolarentur, vtque Ludi centeſimo quoque anno fierent. *Item T. Livius:* Eodem anno Ludos ſeculares Cęſar ingenti apparatu fecit: quos centeſimo quoq; anno (his enim terminus ſeculi) fieri mos. *Horatius in carmine, quod de Secularibus ludis cantatum eſt, id etiam tempus hoc modo deſignauit:*

Seculares ludi quando celebrati.

Certus vt denos decies per annos
Orbis,& cantus, referátque ludos,
Ter die claro totiéſque grata
Nocte frequentes.

In nonnullis tamen exemplaribus prior verſiculus ſic legitur:

Certus vndenos decies per annos.
Orbis, &c.

Et tunc Poëta his ludis centum annorum circuitum attribuit. Idem de hoc temporum intervallo, quibus hi ludi referebantur, ſentiunt Quindecim viri in ſuis Commentariis, Auguſti Imper. edicta, atque etiam Sibylla, quod adhuc extat, oraculum. Alterius autem ſententia ſunt Valerius Antias, Livius & M. Varro.

Numerare autem incipiebant hos annos à Natali vrbis Roma, qua die etiam hos Ludos, abſoluto ſpatio illo temporis, plerunque celebrabant Vnde Pomponius Latus in Philippo Imper ſic ſcribit: Hujus (*Philippi*) imperii anno 2.

Seculares ludi in Natali vrbis Romæ celebrati.

ante

Digitized by Google

ante 11. Calend. Maij ingenti pompâ, magnóque ſumptu & apparatu Seculares Ludi anno ab vrbe condita Milleſimo celebrati ſunt.

Secularium ludorũ origo.

Originem autem Secularium Ludorum Valerius Maximus, in capite De Inſtitutis antiquis lib.2.cap.4.his verbis recenſet: Cùm ingenti, *inquit*, peſtilentiâ vrbs antiqua agrique vaſtarentur. Valeſius vir locuples, ruſticæ vitæ, duobus filiis & filiâ ad deſperationem vſque Medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus innixus, Lares familiares, vt puerorum periculum in ſuum caput transferrent, orauit. Orta deinde vox eſt, habiturum eos ſaluos, ſi continuo flumine Tiberis deuectus Tarentum portâſſet, ibíque ex Ditis patris & Proſerpinæ ara petita aquâ calidâ, quam illi deſiderarent, recreâſſet. Eo prædictu magnopere confuſus, quòd & longa & periculoſa nauigatio imperabatur: ſpe tamen dubiâ præſentem metum vincente, pueros ad ripam fluminis repentè detulit: habitabat enim in villa ſua prope vicum Sabinæ regionis Heretum: & lintre Hoſtiam petens, nocte concubiâ ad Martium campum appulit: ſitientibus ægris ſuccurrere cupiens, igne in nauigio non ſuppetente, ex gubernatore cognóſcit, haud procul apparere fumum: & ab eo iuſſus egredi Tarentum (id nomen ei loco eſt) cupidè arrepto calice, aquam flumine hauſtum, eò vnde fumus erat obortus, iam lætior pertulit, diuinitùs dati remedij, quaſi veſtigia quædam in propinquo ſe exiſtimans nactum: ihque ſolo magis fumante, quàm vllas ignis habente reliquias, dum tenacius ignem apprehendit, contractis leuibus & quæſors obtulerat nutrimentis, pertinaci ſpiritu flammam euomit, calefactámque aquam pueris bibendam dedit: quâ potatâ, ſalutari quiete ſopiti, diutinâ vi morbi repentè ſunt liberati: patríque indicauerunt, vidiſſe ſe in ſomnis neſcio à quo Deorum ſpongia corpora ſua pertergi, & præcipi vt ad Ditis patris & Proſerpinæ aram, à qua potio illis fuerat allata, furuæ hoſtiæ immolarentur, lectiſterniáque & Ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, deſiderari credens, vt à ſe conſtrueretur, aram empturus in vrbem perrexit, relictis qui fundamentorum conſtituendorum gratiâ terram ad ſolidum foderent. Ii domini imperium exequentes, quum ad viginti pedum altitudinem humo egeſtâ perueniſſent, veterem inuenerunt aram Diti patri Proſerpinæque inſcriptam. Eam Romani olim condiderant, peracto Diis inferis ſacro, cùm pugnaturi aduerſus Albanos in acie iam iam concurſuri ſtarent, iuſſi à dæmone id facere priuſquam manum conſererent. Hoc poſtquam Valeſius, nunciante ſeruo, accepit, omiſſo emendi propoſito, hoſtias nigras, quæ antiquitùs furuæ dicebantur, Tarenti immolauit: Ludóſque & lectiſternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati fuerant, fecit. *Hæc Angelus Politianus in Miſcellaneis cap. 58. paulò aliter narrat ex Zoſimo, quem potes legere. Varro quoque lib. 1. de Scenicis originibus aliter refert Originem horum Ludorum, cuius verba ab initio extant.*

Ex hac deſcriptione intelliguntur multa Authorum loca: & inter alia verſus hic Auſonij: Trina Tarentino celebrara trinoctia ludo. *Nam, vt Valerius tradit, à Tarento loco prope Romam, vbi Valeſius cum filiis ægris appulit ex Tiberi, & vbi aram Ditis defoſſam reperit, non à Tarento Calabriæ ſiue Magnæ Græciæ,* Tarentini *hi ludi nominati ſunt.*

Seculares ludi varie celebrati.

Poſt hunc Valeſium autem P. Valerius Poplicola, qui cum Bruto primus Conſul Romæ fuit, idem ſacrum, conſtituiſſe ac celebrâſſe primus dicitur anno vrbis 244. Nam laborantibus peſtilentiâ ciuibus, apud hanc ipſam aram publicè votis nuncupatis, atrum bouem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis, iuuencam Proſerpinæ mactauit, ludóſque & lectiſternia trinoctio fecit, & aram terrâ, ſicut ante fuerant, exaggeratâ occuluit huiuſmodi titulo inſcriptam: P. Valerius Poplicola frumentarium campum Diti & Proſerpinæ conſecraui & ludos Diti & Proſerpinæ Romanorum ſalutis ergò feci. *Non tamen ſolenni pompâ à Poplicola celebratum fuit: quod primùm factum anno vrbis conditæ 300. Sp. Tarpeio Capitol. & A. Aternio Fontinal. COSS. vt Funccius in Chron. indicat. Secundi facti ſunt ex libris Sibyllinis anno ab vrbe condita 502. P. Claudio Pulchro, L. Iunio Bruto Coſſ. 11. anno primi belli Punici. Tertij primo anno tertij belli Punici, M. Manlio, Martio Cenſorino Coſſ. Quarti non exſpectato iuſto tempore, L. Æmilio Lepido L. Aurelio Oreſte Syllano Coſſ. Inter Imperatores autem primus celebrauit Auguſtus hos Ludos, & quidem quintos arbitratu ſuo, non ſuo tempore & vt modus adhiberetur, pueros & puellas à nocturnis cœtibus monuit. Claudius ſecundus ab Auguſto, non tam ludos ab Auguſti temporibus, quàm Auguſti errorem iterauit: neque enim amplius 63. annos interfuiſſe conſtat. Quare Præconis vocem irriſam Suetonius ſcribit, inuitantis populum ad eos ludos, quos nemo vidiſſet, neque viſurus eſſet: quum multi adhuc viuerent eorum qui priores ſpectârant: aliquot etiam hiſtriones*

qui

qui in illis egerant, in his producerentur. De iiſdem ſic etiam ſcribit Tacitus libro undecimo. Iiſdem Coſſ. *inquit*, Ludi ſeculares octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo quàm Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Vtriúſque Principis rationes prætermitto, ſatis narratas libris quibus res Domitiani Imper. compoſui. Nam is quoque edidit Ludos Seculares: iiſque intentius affuit Sacerdotio Quindecemvirali præditus ac tum Prætor. *Ex quibus apparet, tertium in ordine tales Ludos & quidem ſeptimos celebrâſſe Domitianum Cæſarem, ſimiliter nondum elapſo ſeculo. Cuius etiam meminit Aurelius Victor in huius Cæſaris hiſtoria. Melius tamen quàm ſuperiores Principes initâ ratione temporis, ſeculum quod erat ab urbe condita ſeptimum Domitianus celebrauit. Quartum præterea ludos Seculares edidiſſe Septimum Severum Cæſarem, Herodianus lib. 3. ſcribit hiſtoria Auguſtæ, cum Severi Septimij vitam deſcribit:* Vidimus, *inquit*, ſub illo quoſdam omnis generis Ludos cunctis editos theatris, ſimúlque ſupplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiorum (ſeculares hi tum appellabantur) celebratos, vt aiunt, decurſo trium ſpacio ætatum. Siquidem vrbe totâ atque Italiâ præcones itabant, convocantum omnes ad ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodò forent. Ita ſcilicet intervallum præteritæ futuræque celebritatis, ſupra omnem eſſe hominum ætatem ſignificantes. *Quintum ex Imperatoribus Philippum Voſtrenſem anno ab urbe condita* 1000. *Ludos hos dediſſe Pomponius Lætus teſtatur, de quibus etiam in ſequentibus nonnulla referemus. Tametſi verò & alios ſequentes Imperatores tales edidiſſe ludos veriſimile ſit: tamen quia apud authores mentio eorum nulla occurrit, nos quoque de eo nihil certi ſtatuere poſſumus. Illud verò conſtat, Honorium Imp. & fortaſſe poſtremum, hos ludos edidiſſe, vt ex Claudiani teſtimonio intelligitur, qui in Panegyrico ſexti Conſulatûs ſic cecinit:*

Nunc præſens etiam Getici me laurea belli
Declinare poteſt? ſedeſnè capacior vlla
Tantæ laudis erit? tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritíſque ſuis obnoxia virtus,
Quod ſervavit amat: jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces:
Spectatóſque iterum nulli celebrantia Ludos,
Circumflexa rapit centenus ſecula Conſul.

Supereſt vt de forma horum ludorum, & ſacrorum quædam dicam: nam & Sacra facta, & ludi magno apparatu celebrati ſunt. De vtriſque Antonius Mancinellus in ſuis Annotationibus ad Horatij Seculare carmen, quod in fine libri Epodon extat, hæc refert: In Sibyllinis, *inquit*, verſibus, quos Zoſimus Græcè refert, continetur, vt anno centeſimo decimo in campo Martio ſolennia Sacra fierent & noctu & interdiu. Parcis autem furvæ agnæ mactarentur, caprigenúmque decus: ſimiliter & Dianæ: Terræ verò ſcropha: Iovi tauri candidi: interdiu Iunoni nitida juvenca: Apollini Pæanas: Latini pueri patrimi & matrimi, & puellæ patrimæ & matrimæ canebant in templo: nuptæ ad aram Iunonis orabant. Accipiebant februa viri & fœminæ, præſertim autem fœminæ. Dehinc in templis ferè omnibus primitias portabant. Sic enim agendo Italia tellus omnis Romano jugo Romanóque ſceptro colla ſubdere non recuſaret. Hæc quidem in Sibyllinis verſibus continebantur. Addunt alii, quòd primo die Princeps ipſe & quindecimviri manè Capitolium aſcendebant, ibique Sacra de more agitabant: tum in theatris conveniebant ad Ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciendos. Sequenti verò die nobiles matronæ conveniebant in Capitolium: ſupplicabant Deos: frequentabant lectiſternia: canebant hymnos. Tertio denique die in Templo Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati, totidémque virgines, patrimi omnes matrimíque Græca Romanáque voce carmina & pæanas concinebant, quibus imperium ſuum & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum: & ſacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter atque interdiu. Sed, vt ſcribit Suetonius, Auguſtus, Secularibus ludis juvenes vtriúſq; ſexus prohibuit, vllum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo majore natu propinquorum. *Hæc omnia Mancinellus.*

Secularium ludorum forma.

Quòd verò etiam inſolita animalia & feræ in his ludis oſtenderentur, Solinus teſtatur, qui Pompeium iis rhinocerota exhibuiſſe tradit. Sic autem Iulius Capitolinus de Secularibus ludis à Philippo Imper. editis ſcribit in Gordianis: Fuerunt, *inquit*, ſub Gordiano Romæ elephanti 32. quorum ipſe 12. miſerat, Alexander 10. Alces 10. Tigres 10. Leones mãſueti 60. Leorpardi manſueti 30. Belbi, id eſt, hyænæ 10. Gladiatorum fiſcalium paria mille. Hippopotamus & Rhinoceros vnus. Archoleones 10. Camelopardali 10. Onagri 20. Equi feri 40. & cetera hujuſmodi animalia innumera & diverſa, quę omnia

Philippus

Digitized by Google

Philippus Ludis Secularibus vel dedit,vel occidit, *Eadem etiam refert Pomp. Latus in Philippo.*

Qui plura de Secularium Ludorum origine, cauſa nominis,ritu aliiſque ſcire deſiderat,legat, vt diximus , Angeli Politiani Miſcellaneorum centuriam 1.cap. 58. & Onuphrium Panuinium, qui peculiarem librum de Ludis his ſcripſit. Res eſt per ſe cognitu non indigna,quum ad intelligendos Poëtarum locos nonnullos haud modicum afferat adiumentum.

Secularium ludorũ veſtigia apud Chriſtianos.

Loco verò horum Ludorum apud Chriſtianos à Pontificibus Romanis annus Iubilaus excogitatus,& in Eccleſiam Chriſti horribili cum conculcatione meriti ejus introductus eſt Quemadmodum autem in Secularibus Ludis ordo & numerus annorum ab initio definitus , progreſſu temporis ambitione Imperatorum , id ſolenne ſuis temporibus exhiberi cupientium , interruptus fuit,& pro libidine ſæpè mutatus, ſic in numero Iubilei anni idem poſtea à Romanis Pontificibus factum,ſuo loco iudicabitur.

VINALIA PRIORA.

Vinaliorum dies.

D*E die quo celebrata ſunt Romæ* Vinalia priora:*Ovidius lib.4.Faſt.ſic cecinit :*

Dicta Pales nobis,idem Vinalia dicam:
Vna tamen media eſt inter vtrũq; dies.

Pliny locus emendatur.

Plinius lib. 18. cap. 29. retulit, 9. Calend. Maij celebrata : ſic etiam habetur in Calendario Maffeiano : quod tum verum eſt , juxta Ouidij ſententiam, ſi Palilia 11.Cal. Ma.fuerunt. Notandum autem hîc eſt obiter mendum in veteribus Plinij exemplaribus,in quibus pro,9.Calen. Maij, vt in recentioribus rectè legitur, habetur, 9.Cal.Martij:quod ipſum etiam Alexandrum ab Alex fortè decepit,qui lib.6.c.8. Vinalia hæc ad 12.Cal.Martias refert. Sin verò Palilia celebrata ſunt 1..Cal.Maij,tunc Vinalia 10.Calen. Ma.habita ſunt.

Vinalia priora Ioui Sacra.

Sacra autem fuerunt Ioui,non Veneri,vt nonnulli arbitrantur: quod etiam ex Maſurio refert Macrobius lib 1.Saturnal. Cauſam his verſibus reddit lib.4.Faſt.Ouid.

Quæritis & quare ſit locus iſta dies?
Turnus vt Æneas Latiæ gener eſſet Amatæ,
Bellum erat : Hetruſcas Turnus adorat opes.
Clarus erat, ſumptíſque ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus,vel pede major erat.
Quem Rutuli , Turnúſque ſuis aſciſcere tentant
Partibus:hæc cõtra dux ita Thuſcus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea : vulnera teſtor,
Armaq; quæ ſparſi ſanguine ſæpè meo.
Qui petis auxilium non grandia divide mecum
Præmia,de lacubus proxima muſta tuis.
Nulla mora eſt operi:veſtrum eſt dare:vincere noſtrum eſt.
Quam velit Æneas iſta negata mihi.
Annuerant Rutuli:Mezentius induit arma,
Induit Æneas, alloquitúrque Iovem.
Hoſtica Tyrrheno vota,eſt vindemia Regi,
Iupiter è Latio palmite muſta feres.
Vota valent meliora : cadit Mezentius ingens,
Atq; indignanti pectore plangit humũ.
Venerat autumnus calcatis ſordibus vuis,
Redduntur meritò debita vina Iovi.
Dicta dies hinc eſt Vinalia,Iupiter illam
Vendicat,& feſtis gaudet ineſſe ſuis.

Ioſephus Scaliger tamen in ſuis Caſtigationibus ad Feſti lib.indicat, Vinalia menſe Aprili eſſe Veneris ,eique hortos dedicari, eáque à Plutarcho Veneralia *appellari. Vinalia autem menſis Sextilis Iouis eſſe : addit autem, vtrúmque contrà apud authores reperiri: Ouidius ſanè teſtatur Vinalia Feſtum Veneris dici, & tamen etiam Iouis Feſtum eſſe.*

Vinaliorum ritus.

Libabant autem Ioui in hoc Feſto vina pura, vt author eſt Feſtus , quæ ſacrificij cauſa antequam guſtarentur demebantur ex doliis Calpari,*quod fuit vaſis fictilis genus.Vnde Plinius dicit lib.18.c.29.deguſtandis vinis inſtituta eſſe Vinalia,& nihil ad fructus pertinuiſſe.Fecerunt autem hoc , vt hac ratione Deos placarent , quo vites & vuas eo anno tuerentur.Etſi enim priſcorum vita rudis fuit,ac ſine literis, non tamen, vt Plinius ſcribit,ſupra citato loco, parum ingenioſa fuit:nam quum tria tempora fructibus metuerent,inſtituerunt ferias,diéſque feſtos. Vinalia,Rubigalia & Floralia.* 1.

Alexan.ab Alex.lib.6.c. 8. ex Varronis lib.5. de Latina lingua teſtatur,veteri lege fuiſſe ſancitum,vt Flamen Martialis diceret diem veteri vino libando medicaminis cauſâ:indéq; vſurpata hæc verba , Novum vetus vinum bibo, novo veteri vino medeor. *Sic etiam ad primitias pomorum noua eſſe dicebant vetera,& alia exoptabant noua,ominis cauſâ.* 2.

Plutarchus etiam author eſt,Quæſt.45. Vinalibus multùm vini è templo Veneris profundi ſolitum : vel, vt oſtenderent, diem Feſtum agê ſobriè oportere: vel, quòd ferunt, vt modò ex Ouidio retulimus, Mezentium Hetruſcorum ducem ad Æneã miſiſſe,qui cum eo fœdus facerent, vt quotannis certum vini numerum ab eo acciperet.Id verò cum poſtea Æneas poſcenti negâſſet Mezentio : Tyrrhenis ſe daturum pollicitus eſt,ſi prælio viciſſet. Itaque Æneam victorem Diis immortalibus vinum conſecrâſſe , & collectum templo Veneris effudiſſe. Verùm quod Plutarchus Æneæ, id Dionyſius Halicarn. Aſcanio aſcribit.

aſcribit. Nam quum mortem Æneæ deſcripſiſſet ſed hæc ſubjungit : Imperium ſuſcipit Euryleon, qui mutato nomine dictus eſt Aſcanius, Erant autem incluſi muris eo tempore Troiani: & quum hoſtibus ſemper nova adventarent auxilia, haud ſatis validæ Latinorum vires erant ad ſubveniendum obſeſſis Lavini. Primùm igitur in amicitiam, æquáſque conditiones provocavit hoſtes Aſcanius. Vt verò nihil proficit, permittere ipſis coactus eſt, vt quibus ipſi vellent conditionibus bellum componerent. Rex igitur Hetruſcorum, tanquam in ſervitutem redactis, intolerabilia imperat : & vinum quodcunque ferret Latinorum ager quotannis Hetruſcis dandum. Quæ quum ferenda viſa non ſunt, fructum vitis Sacrum Iovi eſſe decreverunt, ferente ſententiam Aſcanio.

Meretricum Feſtum.

Feſti huius dies. Venus Erycina

E*Odem die quo Vinalia celebrabantur Romæ,* Meretrices *quoque* Veneris Erycinæ *feſtum ſacrúmque colebant. Ea ex Sicilia Romam à M. Marcello, victis Syracuſanis, tranſlata eſt, & apud portam Collinam ædes illi conſecrata, ſub eadem appellatione ab Eryce monte Siciliæ, in quo ſecundum alios ab Ænea, ſecundùm Diodorum autem ab Eryce Veneris ac Buta, ſive Neptuni filio templum Veneri conditum, ſingulari veneratione antiquum colebatur, refertum mulierum frequentiâ, vt inquit Strabo, eius Deæ miniſterio dicatarum. Addit Diodorus:* Æneas hic vota ſoluit, dona obtulit. Et Carthaginenſes, & Romani Duces, & Conſules ad templum veniunt, poſitáque ſeveritate ludunt. Senatus P.Q.R. inſtituit. 16. vrbes Siciliæ, aurum conferre Veneri Erycinæ, militéſque ducentos ad templi tutelam deputavit, &c. *Ouid. lib. 4. Faſt. meretrices & puellas liberaliores corporis ad hoc feſtum & ſacrum his verbis hortatur :*

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ :
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus:
Poſcite thure dato formam, populíque favorem,
Poſcite blanditias, dignáque verba joco.
Cúmque ſua dominæ date grata ſi ſymbria myrto,
Tépla frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina colle tenet.
Vtq; Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius, & bello te quoq; cœpit Eryx,
Carmine vivatis Venus eſt tranſlata Sibyllæ,
Inque ſuę ſtirpę ſtirpis maluit vrbe coli.

Robigalia.

Robigaliorum dies.

R Obigalia *ſive* Rubigalia, *dies Feſtus erat Romæ ſeptimo Cal. Maias celebrari ſolitus teſte Feſto & Plinio lib 18. c. 29. Docet id etiam Ouid. lib. 4. Faſt. ita canens:*

Sex vbi quæ reſtent luces Aprilis habebit,
In medio curſu tempora veris erant.

Vbi non vult dicere Poëta ſexto die poſt Vinalia, hoc eſt, 4. Cal. Maij, vel eſſe ver medium, vel Rubigalia celebrari: ſed 7. Cal. Maias, quum Aprili ſex tantùm dies ſuperfuerint. Alex. ab Alex. lib. 6. cap 8. ad 6. Cal. Maias ponit, ſed autoris, ex quo hoc habeat, non meminit.

Robiginem deũ quare coluerint

Hoc die Sacrum fiebat Rubigini. Nam ex Diis duodecim, qui maximè ab agricolis colebantur, eorúmque duces erant, vt Varro loquitur, Robigus quoque vnus erat. Eum colebant, non vt prodeſſet, quemadmodum Ceres, Liber, Iupiter, ac Bonus euentus: ſed ne obeſſet, néue frumenta & arbores corrumpat rubigine, quam Plinius ſegetum peſtem maximam, ac cœleſte frugum vineárúmque malum appellat. Vnde eſt illud Vergilij Georg. 1.

Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Eſſet Rubigo, &c.

Rubigo.

Eſt autem Rubigo putredo quædam, quâ ſpicæ torrentur ſtatiléſque redduntur quam in vitibus carbunculum vocant. Eius nonnulli rorem Sole inuſtum cauſam dicunt: ſed id Plinius lib. 18. *cap.* 29. *ex parte falſum putat eſſe, & ejuſmodi putredinem frigore conſtare arbitratur, ac non niſi interlunio, aut plenâ lunâ fieri putat. Hoc malum in tractu roſcido, conuallibus, ac locis perflatum non habentibus frequentiſſimum eſt, in ventoſis & excelſis nullum, vel rarum. Eo ſiligo minus, quàm cætera frumenta periclitatur, quoniam ſemper rectam habet ſpicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat. Avertitur autem Lauri ramis in arvo defixis, vt Plinius docet, tranſítque in eorum folia ex arvis. Colebatur itaque Rubigo, vt Febris, ac Mala fortuna, ne obeſſet.*

Rubigaliorũ ritus.

Proceſſio autem fiebat à Flamine Quirinali, & populo albis veſtibus induto, in lucum Rubigini conſecratum. Ibi, factis precibus, quibus Rubiginem invocabant, vt ſegetibus parceret, immolabatur, adhibito mero & thure, canis & ovis, eorúmque exta in cineres cremabantur. Mactabatur autem canis, nullâ aliâ ratione, niſi quia cœleſtis ſyderis nomen retinet ſtella vtrumtrum canicula, idque propterea, ne nimio æſtu frugibus noceat: ejus enim exortu, vt Plinius docet, accendi ſolis vaporem quis ignorat ? eius ſyderis effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur. Feruent Maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, moventur ſtagna, &c. Sed verior cauſa eſt, quòd poſt dies 19. ab æquinoctio verno, per id quatriduum

plerúnque circa 4. Cal. Maij canis occidit, ſidus & per ſe vehemens, & cui praeoccidere caniculam neceſſe eſt. De hac Sacro ejuſque ritu ita cecinit. Ouid. lib. 4. Faſt.

Hoc mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obſtitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Extat canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus acceſſi, ritus ne neſcius eſſem,
Edidit hæc flamen verba Quirine tuus:
Aſpera Rubigo parcas cerealibus herbis,
Et tremat in ſumma leve cacumen humo.
Tu ſata ſyderibus cœli nutrita fecundis
Creſcere, dum fiant falcibus apta, ſinas, &c. *Et mox:*
Dixerat, à dextro villis mantile ſolutis,
Cúmque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis, vinúmque dedit, fibráſque bidentis,
Turpiáq; obſcœnæ videmus exta canis.
Tum mihi cur detur Sacris nova victima quęris?
Quæſieram. Cauſam percipe, flamen ait.
Eſt canis, Icarium dicunt: quo ſidere moto,
Toſta ſitit tellus, præripitúrque ſeges.
Pro cane ſidereo, canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat, nil niſi nomen habet.

Rubigaliorum origo. *Inſtituta autem fuerunt hæc Sacra à Numa Pompilio, anno regni ſui 11. Plinio teſte lib. 18. cap. 29. Funccius in Chron. refert ad annum ab vrbe condito 49.*

Floralia, quæ & Laurentinalia, eorúmque Ludi.

Floraliorum dies. FLoralia *non vnius erant diei: nam 4. Calendas Maias incipiebant, & in Cal. Maias, exibant: quod Ouidius in fine lib. 4. Faſtorum ſic atteſtatur:*

Cum Phrygis Aſſaraci Tithonia, fratre relicto,
Suſtulit immenſo ter jubar ore ſuum,
Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Maias Feſtum Florale Calendas: &c.
Et rurſus lib. 5. Faſt.
Incipis Aprili, tranſis in tempora Maij:
Alter te fugiens, cúm venit alter habet,

Varro etiam Floraliorum dies determinauit, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente: quoniam ſi in hoc quatriduum incideret plenilunium, fruges & omnia quæ florebunt, lædi neceſſe eſt.

Flora Dea, & Flora. *Inſtituta autem volunt Floralia in honorem Floræ. De qua Lactantius libro primo, de Falſa Religione, & eum ſequuti alij, ſcribunt,* *Feſti eius origo.* *meretricem fuiſſe, quæ quum turpi quæſtu magnas opes acquiſiuiſſet, populum Romanum ſcripſiſſe hæredem, certámque pecuniam reliquiſſe, cuius ex annuo fænore, natalis eius dies quotannis, editione ludorum, celebraretur, quos Floralia dixerint. Plutarchus verò in Romulo, & Problemat. 35. itémque Macrobius libro primo. Saturnal. hanc meretricem non Floram, ſed Larentiam vocant. quã ſic deſcribunt:* *Larentia.* *Æditum Herculis abundans otio, ſolebat dies Ludo talorum & cuborum conſumere. Et quodam tempore quum ſociorum nullus adeſſet, tædii impatiens ipſum Deum ad cuborum ludum prouocauit, ſic pactus, vt ſi viciſſet Deum, aliquid ob eo beneficii conſequeretur: ſin victus ipſe eſſet, ſe Deo cænam exhibiturum, & puellam elegantem quã cum concumberet: teſſeris deinde duabus, vna pro Deo, altero pro ſe propoſitis ac iactis, ſuperatus ſtetit pactis, ac Deo & cænam adornauit ſplendidiſſimam, & Larentiam, quæ palàm corpore quæſtum faceret, et cœnæ adhibuit, ſiníque foribus clauſis intus eam reliquit. Porrò aiunt eam à Deo cognitam non humano more fuiſſe, juſſámque primâ luce in forum prodire, & in quem primum incideret, eum obſeruare, amicitiámque eius captare. Larentiam, vt ſurrexit & iuit, Taruntio quidam obuiam factam eſſe, homine opulento, ſed liberorum experti, & ætate jam ad ſenium vergente: qui poſtquam notitiam eius habuit, cùm viuus familia præfecerit, tùm moriens hæredem inſtituerit. Larentiam poſtea ſub mortem opum ſuarum hæreditatem populo Romano nuncupaſſe: ideóque ei honores iſtos haberi. Cato ait, Larentiam meretricio quæſtu locupletatam, poſt exceſſum ſuum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerium, & Solinium reliquiſſe, & ideò ſepulchri magnificentiâ, & annua Parentationis honore dignatam.*

Fuit deinde alia Laurentia, eiuſdem nominis & famæ mulier, Romuli & Remi nutrix, cui Romani ob hoc officium conditori & parenti ſuo præſtitum, feſtum quoque ſacrum inſtituerunt.

De Laurentia diuerſa ſententia. 1. *Sed dici vix poteſt quantum authores de vtriúſque Feſto, imò de illis ipſis mulieribus inter ſe diſſentiant, atque etiam errent. Macer enim hiſtoriam lib. 1. referente Macrobio in primo Saturnaliorum, vnam & eandem vtrámque eſſe putat. Scribit enim, Fauſtuli coniugem Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem, regnante Romulo, Tarutio cuidam diuiti Tuſco denuptam, auctámque hæreditate viri eam poſt Romulo, quem educâſſet reliquiſſe: & ob eo parentalia diemq́ feſtum pietatis cauſâ ſtatutum.*

2\. *Plutarchus in vita Romuli differentiam quidem inter vtranque facit, ſed Laurentia Fauſtuli vxori Romanos ſacrificâſſe, & libâſſe menſe*

Aprili

Aprili Martis Sacerdotem, & Laurentiam eam celebritatem vocâſſe tradit.

3. *Macrobius autem alterius Laurentiæ Sacrum 10. Calen. Ian. celebratum, quod Laurentinæ ita dixerint, indicat.*

4. *Alexan. ab Alexan. lib. 1. capite 26. ne ab vtroque horum diſſentire videatur, de Fauſtuli vxore, Romuli nutrice ſic ſcribit:* Huic Larentiæ Aprili menſe ſolennes dies, & ſacra ab Anco inſtituta, Romani aſſiduè celebrant, quæ Larentalia dicta ſunt, & 10. Calend. Ianuarias, qui dies Iovi feriatus erat. Cui Martis flamen, & plerúnque Pontifices in velabro, vbi Larentiæ ara & ſtatua erat, ſacrum anniverſarium facere, ad ejuſq; ſepulchrum Decembri menſe convenire frequentes, & dare inferias ſolebant, quòd populum Romanum decedens hæredem fecerat. Cujus rei causâ, ejus dies inter Faſtos relatus fuit.

De Larentiis vera ſententia

Quamvis autem graue ſit tantis viris contradicere, tamen, vt meam liberè dicam ſententiam, omnes hi erráſſe videntur. Alexan. ab Alexan. enim ex duabus vnam Larentiam facit, eique vni duo anniverſaria Feſta tribuit. Deinde quæ hîc Larentiæ nutrici Romuli, ea lib. 6. c. 9. Floræ aſcribit: Fuit, *inquit,* Flora nobile ſcortum, quæ quum præpotens eſſet, & divitiis affluerct, populum Rom. morte obitâ, hæredem fecit, pecuniámque annuam ludis exhiberi voluit.

Deinde potiorem fidem adhibendam puto in hac cauſa Ouidio, quàm Plutarcho, quum ille hunc plus centum annis anteceſſerit. Quod autem Plutarchus dicit Larentiæ vxoris Fauſtuli ſacrum celebratum menſe Aprili, id Ouidius menſe Decembri factum his verſibus manifeſtè teſtatur lib 3. Faſt.

Non ego retantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceā veſtras Fauſtule pauper opes.
Veſter honos veniet, cùm Laurentalia dicam:
Acceptus geniis illa December habet.

Sic igitur ego ſtatuo, alia tamen veriora afferenti libenter ceſſurus, alterius Larentiæ, Nobiliſſimi ſcorti, ſub Flora, ſacra 4. Cal May celebrata. Nam quia Senatui Romano flagitioſum videbatur, in vulgatiſſima meretricis memoriam Feſtum & Ludos celebrare, vt pudendæ rei quadam dignitas adderetur, nomen Larentiæ in Flora mutârunt, quam Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eamq́ oportere placari, vt fruges cum arboribus & vitibus benè proſperèq́ floreſcerent. Eum colorem ſequutus Ouidius, non ignobilem nympham narrauit Floram, quæ antea Chloris vocata fuerit: eámque Zephyro nuptam quaſi dotis loco id accepiſſe muneris, vbi haberet omnium florum poteſtatem. Sic enim lib. 5. Faſt. canit:

Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.
Chloris eram nymphe campi fœlicis, vbi audis
Rem fortunatis antè fuiſſe viris.
Quæ fuerit mihi forma, grave eſt narrare modeſtè:
Sed generum matri reperit illa Deum.
Ver erat: errabam Zephyrus conſpexit, abibam.
Inſequitur, fugio. Fortior ille fuit.
Et dederat fratri Burcas jus omne rapinæ,
Auſus Ericthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat, dando mihi nomina nuptæ:
Inque meo non eſt vlla querela toro.
Vere fruor ſemper, ſemper nitidiſſimus annus:
Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.
Eſt mihi fœcundus dotalibus hortus in agris:
Aura fovet, liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoſo flore maritus:
Atque ait: Arbitrium tu Dea fl... is habe.

Ad quæ Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 20. de Falſa religione, Honeſtè quidem *inquit,* iſta dicuntur, ſed inhoneſtè turpiterq; creduntur, Non debent, quum veritas quæritur, hujuſmodi nos velamenta decipere.

Floralia virorum

Celebrabantur autem hæ feriæ atque ludi, eodem Lactantio teſte, cum omni laſciuia verbis & moribus pudendis, ad placandam Deam, quæ floribus & fructibus præerat. Nam per tubam convocabantur omnis generis meretrices. Vnde Iuvenalis:

—— Digniſſima prorſus
Florali Matrona tuba

Ea in theatro denudata coram omni multitudine vtriúſque ſexûs omníſque ætatis & ordinis hominibus pudendis ſolùm tectis & inuelatis, per ſummam laſciuiam atque luxum currere, & impudicos agere jocos ſolebant: adeóque, vt inquit Lactantius, meretrices, flagitante populo, nudatis corporibus, in tali ſcena, mimorum fungebantur officio. Refert Valerius maximus lib. 2. hos ludos quum Meſſenius Ædilis faceret, & ad ſpectaculum eorum etiam Cato veniſſet, populum ob eius ſeueritatem ac grauitatem petere erubuiſſe vt meretrices nudarentur, ludóſque peragerent: id verò quum ex Fauonio amiciſſimo ſibi vnà ſedente intellexiſſet, diceſſiſſe è theatro, ne præſentiâ ſuâ ſpectaculi conſuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plauſu populus vbi proſequutus eſſet, priſcum jocorum morem in ſcenam reuocâſſe. Vnde Martialis lib. 1.

O 2 Noſſes

N‸ſſes jocoſæ dulce cum Sacrum Floræ,
Feſtóſque luſus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideò tantùm veneras, vt exires?

Sed audi Lector quàm friuolè Ouidius hanc turpitudinem, quæ exhibebatur, Dea Flora in his ludis, excuſet lib.5.Faſt. vbi ſic canit:

Scena levis decet hanc: non eſt, mihi credite, non eſt
Illa cothurnatas inter habenda Deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili cauſa petita fuit.
Non eſt de tetricis, non eſt de magna profeſſis,
Vult ſua plebeio Sacra patere choro.
Et monet ætatis ſpecie, dum floreat, vti.
Contemnunt ſpinã, cùm decidere roſæ.

3. *Deinde ædiles in his ludis cicer, fabas, aliáque eiuſmodi in theatro ſpargebant populo, teſte Porphyrione Alexan. ab Alex. lib.6. c.8. & Perſio, qui inquit:*

————Cicer ingere largè
Rixanti populo, &c.

5. *Tertiò, in his Ludis non, vt in aliis, leones, vrſi, apri, &c. ſed capræ tantùm & lepores admittebantur, quòd hæc Dea non ſylvis, vbi leones & ſimilia animalia, ſed hortis ac pratis, vbi capræ & lepores verſantur, præſit. Sic enim Ouidius lib.5.Faſt.*

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis,
Imbelles capræ, ſollicitúſque lepus?
Non ſibi reſpondit ſylvas ceſſiſſe, ſed hortos,
Arváque pugnaci non adeunda feræ.

Progreſſu tamen temporis introducti etiam ſunt in iis funambuli & elephantes, &c. id primùm ſub Galba Imp. incepiſſe Suetonius his verbis innuere videtur in ejus vita: Honoribus, ait, ante legitimum tempus ipſius mitis, Prætor commiſſione ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantes funambulos edidit. *De his Ludis etiam intelligendus eſt locus Flauii Vopiſci in vita Carini:* Memorabilem maximè, *inquit*, & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus. Nam & ſeœnobaten dedit, in quo elephanti funambuli introducebantur: & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobaten, qui per parietem vrſo eluſo cucurrit, & vrſos nimium agentes: *&c. Plinius enim docet lib.8. elephantes docilitatis tantæ eſſe, vt didicerint aduerſis funibus ſubire, ac funibus pronos retrogredi: alludens nimirum ad hos ipſos ludos.*

Quartò die in ſcena; & præſertim noctu meretrices & populus facibus accenſis, cum multa obſcœnitate verborum per vrbem diſcurrebant. Ejus rei cauſas Ouidius libro quinto. Faſt. hæc retulit:

Lumina teſtabant, quorum me cauſâ latebar,
Cùm ſic errores abſtulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri,
Lumina ſunt noſtros viſa decere dies:
Vel quia nec flos eſt hebeti, nec flamma colore,
Atque oculos in ſe plendor vterque trahit.
Vel quia deliciis nocturna licentia noſtris
Convenit: à vero tertia cauſa venit.

Quinto, vt in Ludis Cerealibus albis, ſic in Floralibus verſicoloribus veſtibus vtebantur. Id Ouidius indicat, & ſimul cauſam ritùs talis affert lib.5. Faſt. ſic canens: 4.

Cur tamen vt dantur veſtes Cerealibus albæ,
Sic eſt hæc cultu verſicolore decens?
Aut quia maturis albeſcit meſſis ariſtis?
Et color & ſpecies floribus omnis ineſt?
Annuit.

Ludi autem Frorales anniuerſarii ab initio non fuerunt. Accidit autem vt aliquot annis flores arborum, vitium, cæterarúmque frugum corrumperentur, fructúſque adeò omnes perirent: tunc, inſpectu libris Sibyllinis, Senatus vouit, ſi omnia benè floruiſſent, annuos ludos Floræ: id quum eueniſſet, Poſthumius & Lenas Coſſ. vota perſoluerunt. De hoc Ouidius lib.5. Faſt. ſic canit: *Floralia anniverſaria facta.*

Annua credideram ſpectacula facta, negavit,
Addidit & dictis altera verba ſuis.
Nos quoque tangit honos: feſtis gaudemus & aris
Turbáque cœleſtes ambitioſa ſumus.
Sæpè Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.

Ex mox:

Longa referre mora eſt collecta oblivia damnis.
Me quoque Romani prætericre Patres.
Quid facerem? per quod fierem manifeſta doloris?
Exigerent noſtræ qualia damna notæ?
Excidit officium triſti mihi: nulla tuebar
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.

Rurſus:

Convenere Patres, & ſie benè floreat annus,
Numinibus noſtris annua Feſta vovent.
Annuimus voto: Conſule cum Conſule ludos
Poſthumio Lenas perſoluere mihi.

Plinius

Plinius lib.18.c.29. factum hoc dicit anno ab vrbe condita quingenteſimo decimoſexto.

Floralia vbi Romæ celebrantur

Tradiderunt nonnulli, hos ludos in Patritio vico vrbis celebrari ſolitos, qui à Patritiis nomen accepit. Varro autem in cliuo, quem proximum vocat.

Veſtæ Palatinæ Feſtum.

Feſtum hoc quando & vbi celebratum.

P*Ridie Calendas Maias* Veſtæ Palatinæ Sacrum *celebratur, in ædibus quas Auguſtus habuit in Palatio, & incendio abſumptas reſtituit, juxta illud:*

Veſtáque Cæſareos inter Sacrata penates.

Fuit etiam in earum parte Apollinis templum ab Auguſto extructum, & admirandis operibus exornatum, vt Ioſephus tradit. De quibus Ouidius in fine lib.4. Faſt. ſic cecinit:

Aufert Veſta diem, cognati Veſta recepta eſt
Limine, ſic juſti conſtituere ſenes.
Phœbus habet partem, Veſtæ pars altera ceſſit:
Quod ſupereſt illis, tertius ipſe tenet.

Latinæ Feriæ & Ludi.

Latinæ feriæ vnde dictæ conceptiuæ ſunt:

L*Atinæ Feriæ Varrone teſte lib.5. de lingua Latina, dictæ ſic ſunt à Latinis populis quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere jus fuit cum Romanis. Erant autem non ſtatiuæ, ſed conceptiuæ, ſingulis annis à Magiſtratibus in certos, vel incertos dies concipi ſolita. Sic cùm Romæ lapidibus pluiſſet & nox interdiu viſa eſſet intendi, librîſque inſpectis cùm plena religione ciuitas eſſet, Senatui placuit Dictatorem feriarum conſtituendorum causâ dici: Dictus P. Varerius Poplicula. Magiſter equitum: ei Q. Fabius Ambuſtius datus eſt, Liuio authore. Ferias autem Latinas, intelligit. Et anno 496. Latinarum feriarum conſtituendarum Dictator creatus eſt Q. Ogulnius Gallus, vt eſt in Capitolinis tabulis. Etſi verò Liuius author ſit lib.1. Decad. 5. has ferias ſemel fuiſſe ad diem tertium Non. Mai. & rurſus, ſemel ad diem tertium Idus Sextiles: itémque lib.5. Decadis 5 ante quartum & tertium Pridie Idus Novemb. edictas: tamen ex eodem authore intelligitur, bis menſe Aprili celebratas. Nam lib.4. Decadis 5. inquit:* Et ne quid profectionem ſuam teneret, Pridie Idus Aprilis Latinis eſſe conſtitutam diem: *&c. & lib.5. Decadis eiuſdem*, Romæ, *inquit*, Conſules Prætoréſque ante diem quintum Cal. Maias Latinę tenuerunt: eo die perpetuato Sacro in monte, in ſuas quiſque provincias proficiſcuntur; *Propterea nos quoque ad finem hujus menſis de iiſdem agemus.*

Latinarum origo & ritus.

Initium ſeu originem eorum nonnulli referunt ad Sp. Caßium & Poſthumium Cominium Coſſ. à quibus fœdus inter Romanos & Latinos factum ictúmque eſſet. Sed Dionyſius Halicarnaſſ. gravis author libro quarto, ad L. Tarquinium Superb. vltimum Romanorum Regem refert. Sic enim ſcribit. Tarquinium collaudatum in concilio, quaſi ſervatis tot optimatibus de cunctis populis benè meritum, Latinorum Principem faciunt, cum ea poteſtate qua quondam avum ipſius Tarquinium fecerant ac deinde Tullium: inciſóque in columnas fœdere, & jurejurando addito, ſolutum eſt concilium. Tarquinius gentis imperio potitus Legatos miſit ad Volſcos & Hernicos, eorum quoque amicitiam & ſocietatem expetens. Vulſcorum duo tantùm populi aſſenſerunt, Ecetrani & Antiates: Hernici vniverſi ſocietatem decreverunt, Et vt ſempiternum maneret id fœdus, Tarquinius propoſuit deſignare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volſcorum duntaxat in ſocietatem receptorum, quò ad mercatum convenientes quotannis vnà epularentur fruerentúrque ſacris communibus. Gratum id fuit omnibus. Locus conventui præſtitutus eſt in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens, vbi ſingulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis ſpatio propter luci religionem legémque de hoc latam ab omni vi temperarent omnes: ſacráque communiter Iovi Latiari facerent (*vnde & ſacrificium hoc* LATIAR *vocabatur, vt Macrobius docet*) & vacarent epulis, conſtituto prius quantum quiſque populus in ea ſacra præbere, quantumve portionem recipere debeat. Earum feriarum atque ſacrificij participes fuerunt tribus minus 50. populi, quas noſtrâ quoque ætate Romani agitant LATINAS vocatas: conferúntque in eas populi ſacrorum participes, quidam agnos, quidam caſeos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima eſt taurus vnus communis omnium, de cujus viſceribus cuique populo ſua certa portio tribuitur. Sacrificatur autem pro omnibus, & Romani præſunt Sacrificio. Taurus verò ob initio non niſi nivei coloris, poſtea etiam rufi ad hoc ſacrificium eligebatur *Vnde Arnobius lib.2. vbi de Ceremoniarum mutatione agit:* In Albano, *inquit*, antiquitùs monte nullos alios licebat, quàm nivei tauros candoris immolare: nonne iſtum morem religionémque mutâſtis, atque vt rufulos liceret dari, ſenatûs conſtitutum ſanctione?

Eadem ferè & quædam alia Alexander ab Alexand. lib.5. capite ſeptimo. Romanos Coſſ. *inquit*, Comitijs creatos, ſortitis pro-

vincilis,aut extra ſortem datis, Latinas Ferias indicere conſueuiſſe planè perſpicuum eſt: Iouique Latiali in monte Albano Sacrum facere, quod LATIAR dixere, vbi carnem Latinis populis dare mos erat quæ *Viſceratio* dicta. Eſt enim mons Albanus inter Albam & vrbem Romam tractu ferè pari disiunctus, vbi templum à Tarquinio Superbo Ioui Latiali conſtructum ferunt, factúmque inſtitutum,ad quod Latini populi numero 67.ſtato tempore conuenirẽt, & carnem poſcerent. Erant autem hi ferme:A benſes, Albani, Eſolani, Accienſes, Abolani,Nubetani,Bolancij, Coretij, Ortenſes,Lauinienſes,Longani, Monates,Macrales,Munienſes,Olliculani,Octulani,Pedani,Pelletaurini,Querculani,Sicani, Siſolenſes, Tolerenſes, Corniculani, Ficulei, Vetuſcamenij,Amerioli,Tutienſes, Venatulani, Vicellenſes. Præter hos fuere Ardeates,Violanenſes, Bubetani, Corni, Varicitani,Gabini,Lauinienſes,Lauiniatæ,Lavicani,Nomeorani, Bouillani, Præneſtini, Atriciani,Scaptemij,adde etiam Laurenſes,cum quibus & Romanis,poſt decimum Latinarum, ſingulis annis fœdus renouatur. Conueniebant hi noctu nonnunquam ad lumina frequentes,ibíque nundinas habebant:vtque alij agoos, alij caſeos, nonnulli lac, plerique molam ad commune epulum afferrent,& vnà taurum immolarent concordi ſuffragio ſtatutum erat. Tauro immolato, & cæſâ victimâ, ritéque ſacrificio peracto,vt quiſque populus, qui ad Sacrum acceſſerat,& quæque ciuitas carnem poſceret,de tauróque partem acciperet,priſci moris erat. Principatûs verò ſacri & publici concilij caput, haud dubiè penes Romanos fuit. *Huc pertinet illud Auli Gellij, qui lib.13.Noctium demonſtrat, Præfectum vrbis Latinarum Feriarum causâ Romæ relinqui ſolitum:quem Mutius negat ſenatum habere poſſe.*

Latinarum religio.

Conſules autem non antè exibant paludati in prouincias,quàm Ferias Latinas indixiſſent, atque iis in monte Albano cum Latinarum ciuitatum Magiſtratibus operam dediſſent. Ac refert Dio lib.46.malè ceßiſſe iis,qui ante Ferias Latinas Vrbe Præfecti fuiſſent.

Sacrum etiam hoc, etſi conceptiuum eſſet, tamen ſine piaculo,nec prætermitti, nec ſupprimi poterat. Ideò ſi dilatum, aut omiſſum foret, piaculum admitti putabatur. Iterari quoque illud & non ſuo tempore celebrari prodigium erat. Propterea C. Flaminio, quòd ſecundo Punico bello Conſul Latinas non indixiſſet, neque Sacrum in Albano feciſſet,ſed lixa modo ſine more, ſine auſpiciis ad exercitum profectus eſſet,dirum fuit, & haud multò pòſt, publicâ clade expiatam: ſiquidem ad Traſimenum quum inconſultâ audaciâ in hoſtes irruiſſet, depulſis & diſſipatis copiis, totóque exercitu profligato, & nefandâ cæde afflicto, prætermißi ſacri pœnas dedit: vt Liuius in fine lib.21.& lib.2. Punici belli 2.indicat.

Latinæ non ritè celebratæ inſtaurabantur.

Quodſi etiam in hoc Sacro non omnes Latini carnem accepiſſent, ſed aliquid dilati prætermiſſum fuiſſet, aut neglecta ceremonia, intermiſſumúe ſolenne eſt,tanquam non ritè exhibitum foret,denuò inſtaurari oportebat. Sic Liuius libro 32. ſcripſit, Latinas Ferias inſtauratas, quòd legati ab Ardea queſti in ſenatu eſſent, ſibi in monte Albano Latinis carnem, vt aſſolet, datam non eſſe. Et libro 37. teſtatur,quòd Laurentibus carnis,quæ dari debebat, data non fuiſſet, Latinas inſtauratas. In Latinis quia in vna hoſtia magiſtratus Lanuuinus precatus non erat, Prætor Quiritium religioni fuit. Id quum ad Senatum relatum eſſet, Senatúſque ad Pontificum Collegium reieciſſet, Pontificibus, quia non rectè factæ Latinæ eſſent inſtaurantis Latinis placuit,Lanuuinos,quorum operâ inſtauratæ eſſent,hoſtias præbere. Hinc intelliguntur loca Ciceronis qui in Planciana, E Lauicano, *inquit*, Bouillano & Gabino municipio vix qui carnem Latinis peterent, ſuâ ætate inueniri eſſe. *Et cum Attico iocans, Auiam eius mortuam,quòd verita eſſet, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hoſtias non adducerent.*

Latinarum tempus.

Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſexto Antiquitatum in fine, & Alexand. ab Alexand. ſuprà citato loco indicant, has Latinas Tarquinium à principio in vnum tantùm diem indixiſſe,quum deuiciſſet Hetruriam. Poſt Reges verò exactos, altero populi iuſſu adiici cœpta fuit, iiſdem authoribus. Reconciliatâ verò plebe Patribus per Meneniam Agrippam,à quibus defecerat,& ad ſacrum montem ſeceſſerat, Senatus Latinis Feriis diem tertium addidit. Alij hoc referunt ad tempus fœderis cum Latinis à Sp. Caßio Conſule icti: & quartum additum aiunt, anno demùm vrbis 396. compoſitâ, quæ diu ciuitatem turbauerat, de plebeio Conſulatu ſeditione vt auctor eſt Liuius,Plutarchus in Camillo & Dionyſius Halicar. Interiecto deinde tempore,in decem dilatas ſeruatáſque ſe inueniſſe Alexander eodem loco refert. Vltro quos, duo etiam dies poſt Latinas religioſi habiti ſunt. Quibus etiam ſolenne ludicrum in Capitolio fieri quadrigaque concito curſu decertare, victórque certaminis in palmam victoriæ Abſinthium bibere ſolebat,eodem authore lib.4.c.7.

Latinarum tempore induciæ erant cũ hoſte.

His quoque diebus, ſi Latinis cum populo Romano bellum eſſet, induciæ dabantur: nam in his Feriis Latinos populos inuicem arma ſumere, aut acie decernere, vel agros hoſtiliter vaſtare ſine graui prodigio non licebat: tunc

enim

enim odia offenſionéſque ceſſare & quieſcere debebant. Cúmque poſt pugnam cum Veientibus ad Veſuuium fœdus ictum fuerit cum Laurentibus, deinceps ſingulis annis poſt decimum Latinarum denuò renouabatur eodem Alexand. teſte.

CAPVT XV.

Feſta quæ menſe Maio à Grçcis ſunt Celebrata.

ΣΚΙΡΑ ΕΤ ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ.

Sciroɸhoriõ dies

ΣΚίῤῥα & Σκιῤῥοφόρια, nam vtrúnque reperitur, Feſtum fuerunt Athenis, celebrari ſolitum duodecimâ die Σκιῤῥοφοριῶνος, vt Cælius Rhodig. lib. 14. c. 13. ex Strabone refert: quamuis in eo loco Cælius malè Σκιῤῥοφοριῶνα Martium reddat.

Sirophoria in cuius honorē celebrata. Scirophoria vnde dicta.

Agebatur autem in honorem Cereris & Proſerpinæ: vel, vt alii volunt, in honorem Mineruæ, quæ σκιῤῥὰς cognominata fuit, à Sciro vate Dodonæo, vt Philochorus in ſecundo ſcribit, qui vetuſtiſſimum huius Deæ templum condidit: vnde & nomen feſto inditum. Alii ἀπὸ τῦ σκιάδος ſeu τῦ σκίρου Feſtum hoc cognominatum voluñt, & Deam in cuius honorem celebrabatur. Nam in hoc feſto Sacerdos Erechthei geſtabat σκιάδειον λευκὸν, hoc eſt, vmbraculum ſeu vmbellam albam, quód σκιὰς & σκίῤῥον nominatur, vt apud Scholiaſt. Ariſtophanis legitur, initio Ἐκκλησιαζουσῶν. Ibidem ab alio annotatur Scholiaſte, Σκίῤῥα eſſe Feſtum apud Athenienſes, à quo menſis σκιῤῥοφοριὼν nomen acceperit: ac tradere, eos qui de menſibus & Feſtis Athenienſium ſcripſerunt, σκίῤῥον eſſe σκιάδιον μεθ' ὃ φερόμενοι ἐξ ἀκροπόλεως εἴς τινα τόπον καλούμενον σκίῤῥον, πορεύονται ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια καὶ ὁ τοῦ ἡλίου. Solitum autem geſtari ab Eteobutadis: ſymbolicéque eo ſignificari, τὸ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν. Cælius lib. 14. cap. 13. reddidit. Hæc ferè ibi annotantur in hæc Ariſtophanis verba

——σκευοίσει καὶ τὰ νῦν βουλεύματα
Ὅσα σκίῤῥοις ἔδοξε ταῖς ἐμαῖς φίλαις.

Eadem apud Suidam leguntur. Cælius Eteobutadas, in hoc Feſto vmbellam ferre ſolitos, ſcribit citato loco, fuiſſe nobiles & perilluſtres Athenis, à Bute Sacerdote propagatos: ex eáque familia Sacerdotes creatos.

Scirophoria celebriora feſta.

Refert etiam Plutarchus in libro, Bellóne an pace clariores fuerint Athenienſes. Duodecimam hanc Scirophorionis diem ſacratiorem feciſſe pugnam ad Mantineam. in qua pulſis cedentibúſque ſociorum copiis, ſoli à ſua parte vicerunt Athenienſes, trophæúmque de victoribus hoſtibus poſuerunt.

ΒΟΥΦΟΝΙΑ ΕΤ ΔΙΙΠΟΛΙΑ Διάσια & Πάνδια.

Feſtum hoc cui celebratum.

Βουφόνια Buphonia feſtum fuit, Athenis celeberrimum, in Iouis Milichii honorem celebratum, vt Suidas & Lucianus in Charidemo, itémque Heſychius annotant: vnde & Διιπόλια, Διάσια καὶ Πάνδια nuncupatum fuit. Iupiter enim Πολιεὺς, quaſi ciuilis, vel vrbis Præſes & Cuſtos dictus, & ab Athenienſibus cultus ſimulacrum Leocharem feciſſe, à Pauſania proditum eſt.

Buphoniorum dies

Adrianus Iunius hoc eius Feſtum ad diem 15. Scirophorionis ſeu Maij ponit in ſuis Faſtis: Elias Reuſnerus autem in aucto Gyraldi Cal. Attico & Romano ad 18. Cal. Quintiles.

Buphoniorum ritus.

Sacrum verò quod in eo cum quadam triſtitia vt Heſychius ſcripſit huic Deo fiebat, huiuſmodi. Hordeum tritico mixtum in eius ara, nullâ cuſtodiâ appoſitum ſeruabatur. Bos autem, quæ ad ſacrificium illuc accedebat quoad ſacrificium frugeſq; pertractabat, ex ſacerdotibus vnum βουφόνον id eſt, Bouicidam vocabant: hic ſecurim injiciebat, exemploq; fugiebat. Alii eius facti auctorem ſe ignorare ſimulantes, ſecurim ipſam ad iudicium agebant. Qua de re alibi ita comperio, quòd in foro ad Prytaneũ ferro rebuſq; omnibus ἀψύχοις, id eſt, inanimatis iudicia exercerent. Hoc ex ea cauſa manâſſe exiſtimatur, quòd Erichthone Athenienſibus imperante, tunc primùm bouem ad huius Dei arã βουφόνος mactauit, ſecurīq; ibi relictâ ex finibus Atticis aufugit. Securis ipſa in iudiciũ vocata à judicibus fuit abſoluta. Hæc omnia Gyraldus de Diis Syntag. 2. Ælianus lib. 8. Varia hiſtoria c. 3. in eandem ſententiã ſed paulò clariùs ita ſcribit: Ἀττικὸν τοῦτο τὸ ἔθος, ὅταν ὁ βοῦς ἀποσφαγῇ, τῶν μὲν ἄλλων ἀποψηφίζονται, κρίνοντες ἕκαστον ἐν τῷ μέρει τόνη, καταψηφίζονται δὲ τῆς μαχαίρας, καὶ λέγουσι ταύτην ἀποκτεῖναι αὐτόν. καὶ ἐν ᾗ ταῦτα ἡμέρᾳ δρῶσι, Διϊπόλια τὴν ἑορτὴν καλοῦσι, καὶ Βουφόνια. *Hoc eſt:* Atticis more eſt, vt occiſo bove reliqua omnia à cæde libera pronuncient, ſingulis ordine judicatis: ſolùm autem enim condemnent, & dicant illum cædis authorem extitiſſe. Et ejus diei in quo hæc patrant, feſtum vocant Diipolia & Buphonia. *Sacrorum hoc fuit vetuſtiſſimum: vnde Διιπολιώδη pro priſcis & obſoletis ponitur apud Ariſtophanem: ob vetuſtatem autem deſiitum, nomen tantummodò retinuit. Siquidem quum primus bos caderetur, max popanon pro boue offerebant: poponon id eſt, placentam, nuncupantes bouem, vt ex Heſychio liquet. Buphoniorum meminit Ariſtophanes in Nebulis, quo in loco plura Scholiaſtes annotat, & Suidas in ſuo Lexico. Cælius lib. 12. cap. 6.*

Capvt XVI.

De Feſtis & Sacris quę Menſe Maio à Romanis ſunt Celebrata.

Larivm Festvm.

Hoc Feſtum quo celebratū, & quare.

CAlendis *Maiis fuit Feſtum* Larium, *quòd eâ die Ara ex Curibus Sabinorum Romam tranſlata illis conſecrata fuiſſet. Hi quòd omnia ſuis oculis tuta præſtarent,* Præſtiti *dicti ſunt. Et quia fideles ſunt ædium cuſtodes, ideò effingebatur apud Larium ſimulachrum canis, quòd is quoque diligenter excubaret. Hinc Ouidius lib.5. Faſtarum.*

Præſtitibus Maiæ Matibus videre Calendæ
Aram conſtitui, parváque ſigna Deûm.
Ara erat illa quidem Curibus, ſed longa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.
Cauſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
Quòd præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus vrbis,
Et ſunt præſentes, auxiliúmque ferunt.
Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quæ ſtandi cum Lare cauſa fuit?
Servat vtérque domum, domino quoque fidus vtérque eſt
Compita grata Deo: compita grata cani, *&c.*

Bonæ Deæ Feſtum.

Bona Dea quæ.

M*Agna apud authores controverſia eſt, quæ ſit* Bona Dea *cujus nomen tantopere coluiſſe Romanos legimus. Cingius apud Macrobium libro primo Saturnal. putat, Maiam Vulcani uxorem eſſe, argumentóque vtitur, quòd Flamen Vulcanalis Calendis Maiis huic Deæ rem Diuinam facit. Sed Piſo vt paulò antè diximus, uxorem Vulcani Majeſtam, non Maiam vocari dicit. Cornelius Labeo igitur putat, aliam eſſe Maiam, & quidem eam quam Magnam matrem & Terram dixerint: eique ædem Calendis Maiis Dedicatam, ſub nomine Bonæ Deæ. Et eandem eſſe Bonam Deam ac Terram, ex ipſo ritu occultiore Sacrarum doceri poſſe confirmat. Eandem alii Proſerpinam crediderunt porcâque ei rem divinam fieri ſolitam quia ſegetes quas Ceres mortalibus tribuit, porca depaſta eſt. Alii Hecaten Chthoniam Bœotii Semelem crediderunt. Quidam præterea Deam hanc Medeam putavere quòd in ejus æde omne genus herborum eſſet, ex quibus Antiſtites plerunque medicinam exhiberent: & quòd templum eius virum introire non licebat, propter injuriam, quam ipſa ab ingrato viro Iaſone perpeſſa fuiſſet. Eandem Plutarcho authore in Cæſare, Phryges ſibi aſſerentes peculiarem, Mydæ Regis ſui autumant matrem fuiſſe. Quidam Græcarum Liberi patris eam matrem, quam nefandum ſit nominare: vnde & pampinis tentoria Feſtum diem agentes mulieres contegunt, ac ſacer draco ex fabula ad pedes Deæ jacet. Alexan. ab Alex. lib.6.c.8. mox ab initio dicit, multos exiſtimâſſe Floram eſſe Bonam Deam, quæ Flavii quondam vxor fuerit. Sed hoc apud nullum veterem authorem reperitur. Deceptus eſt autem Alexander, & ii omnes ex quibus hoc habet, ex malè Latinè reddito exemplari Problematum Plutarchi: vbi Problema 20. ſic corruptè in Latino exemplari legitur:* Quid eſt, quòd Floræ, quam Bonam Deam nominant, omni florum genere templum exornantes, &c. *Et paulò poſt,* Floram Flavii cujuſdam vatis vxorem dicit. *Sed nihil eiuſmodi Plutarchus tradidit: nam ſi verba eius verè Interpreteris ſic habent:* Cur matronæ domi ſuæ ſacellum Gynæceæ ſeu muliebris Deæ, quam Bonam vocant, ornantes, *&c. Et mox:* An credendum eſt Fabulæ, quæ perhibet, Faulii cujuſdam aruſpicis vxorem. *&c. Pleríque Fauni filiam dixerunt, obſtitiſſéque voluntati patris in amorem eius lapſi, ita vt virga myrtea ab eo verberaretur, quum deſiderio Patris nec vina ab eodem preſſa ceſſiſſet. Demùm tamen in ſerpentem ſe transfiguraſſe Pater creditur, & cum filia coiiſſe. Horum omnium tale proferunt indicium, quòd virgam myrteam in eius templo haberi nefas ſit: & quòd ſuper caput eius extendatur vitis, quâ maximè Pater eam decipere tentârit: vnde etiam vinum in templum eius non ſuo nomine ſoleat inferri, ſed vas in quo vinum inditum eſſet, quam amphoram vocant, in Sacris obuolutum apponi, quod* Mellarium *nominetur & vinum lac: ſerpenteſque in templo eius nec terrentes, nec timentes indifferenter appareat. Sex. Clodius qui Græcè ſcripſit, vt Lactantius refert, hanc vxorem Fauni fuiſſe aſſerit: quæ quia contra morem decúſque Regium clam vini ollam ebibiſſet, & ebria facta eſſet, virgis myrteis à viro vſque ad mortem cæſa ſit. Poſtea verò quum Regem facti huius pœniteret, & vxoris deſiderium ferre non poſſet, inter Deos illam retuliſſe, ideóque in Sacris eius obuolutam vini amphoram poni ſolitam. Plutarchus Proble. 20. hanc deam Flavii ſeu Faulii cuiuſdam aruſpicis & vatis vxorem fuiſſe perhibet, quæ clam quum vinum largius biberet, à viro deprehenſa, flagris myrteis cæſa ſit: idcóque mulieres templum eius myrtum non inferre, licet omnibus germinantibus & floreſcentibus ſtudioſè ad eam rem vtantur: & vinum ei ſub lactis appellatione libare. Hanc verò Fauni coniugem, Lactantius lib.1. de Falſa religione c.22. ex Varronis ſententia, tantæ pudicitiæ fuiſſe perhibet, vt nemo eam quoad vixerit (præter*

Alex. ab Alex. error. Plutarchi locus emaculatur.

Digitized by Google

virum ſuum) mas viderit, nec nomen eius audierit, ideóque vbi mulieres in aperta ei ſacrificârint, Bonam Deam nominâſſe. Macrobius autem lib. 1. Saturnal. hac de Fauni filia ex eiuſdem Varranis ſententia refert, rectène an ſecus, pronunciare nan poſſum ſic enim ſcribit: Hanc Varro Fauni filiam tradidit adeò pudicam, vt extra γυναικωνῖτιν nunquam ſit egreſſa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum viderit, vel à viro viſa ſit: proprer quod nec vir templum eius ingreditur.

Sacrorũ Bonæ Deæ dies.

Celebrabatur autem huius Dea Feſtum & ſacrum Calend. Maijs, quòd ea die in monte Auentino virga, quam alij Craſſam nominant, alij Claudiam veſtalem eſſe putant, templum ei dedicârit: quad paſtea Liuia Druſilla vetuſtate collapſum reſtituit. Sic enim Ouidius lib. 5. Faſtorum.

Eſt moles natiua loco, res nomina fecit,
Appellant ſaxum pars Bona montis ea eſt.
Hic Remus inſtiterat fruſtrà, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dediſtis aues.
Templa Patres illic oculos exoſa viriles,
Leniter accliui conſtituere iugo.
Dedicat hoc veteris Craſſorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore paſſa virum.
Liuia reſtituit, &c.

Sacra Bonæ Deæ quare & vbi celebrata.

Celebrabatur verò pra ſalute populi, non vbique & paſſim, ſed in Maximi Pantificis adium intimo receſſu. Sunt tamen, qui arbitrentur, non in ſalius Pantificis, ſed Canſulis & Prætoris etiam adibus celebrari conſueuiſſe. Sic enim Plutarchus in Vita Ciceronis, Quorannis, ait, in domo Conſulis, ſiue per eius coniugem, ſiue matremfamiliâs cum virginibus Veſtæ Bonæ Deæ ſacrificari mos eſt. Et in Caſare ait: Cùm diei Feſti tempus inſtat, Conſulem aut Prætorem marito agente, ipſe quidem & omne maſculum expellitur.

Sacra Bonæ Deæ à ſolis mulieribus celebrata.

A ſolis autem mulieribus peragebatur, ita vt viro nulli intereſſe liceret. Mulieres quóque caſtas eſſe apartebat, & qua aliquot diebus à viris abſtinuiſſent. Vnde Plutarchus putat Prablem. 20. mulieres in hoc Sacra myrtum abominari, quòd Veneri Sacra ſit. Ex Iuuenali tamen, Sipontinus in Latina lingua Camment. col. 572. Aldina aditionis, docet, viras eius Paëta tempore ita molles, laſciuos & effœminatos fuiſſe, vt non puduerit eas & muliebrem veſtem induere, & frontem redimiculis ornare, & colla monilibus cingere, & qua nihil dici eo tempore fœdius potuerit, prater ius fáſque ſacris Bona Dea intereſſe, eiectis etiam mulieribus, quibus tamen ſolis ſacrum locum ingredi licebat. Mares, inquit Iuuenalis, nunc Bana Dea ſacrificia perſaluunt, ipſi litant. ipſi parcam immolant, ipſi vina offerunt: mulieres non patiuntur intrare, ſed eas abigunt, & faceſſite hinc exclamant, nan eſſe vobis amplius hic licet, nan tibias, aut chareas exercere: & vt facto addant authoritatem, talia inquiunt ſacrificia caluerunt mares Athenis, nactu exercentes Cacytia ſacra. Verſus Poëta hi ſunt.

——— accipient te
Paulatim qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: ſed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ata Deæ maribus patet, ite profanæ
Clamatur, nullo gemit hic tibicina cornu:
Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cocyttho.

Sacrorũ bonæ ſeatiùs.

Vbi igitur dies Feſtus inſtat, quicquid eſt maſculum, domo expellitur: nec modò viri extra canſpectum ſummouentur, licet vel in imperia Conſulari, vel Pratoria dignitate ſint, ſed maſcula quóque pictura teguntur. Quod etiam in Myſiæ Cereris Sacro fieri Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8. indicat, in quo quum ſeptem operentur dies, tertiâ à templa exactis viris, pulſis etiam canibus maribus, mulieres celebrabant. Vnde viciſſim apud Romanos mulieribus ſacro Herculis non licuit intereſſe. Nam Herculi ſitienti, quũ Geryonis baues per Italia agras duceret, reſpondit mulier, aquam ſe nan poſſe praſtare ei quòd fœminarum Dea celebritas ageretur. Propter quod Hercules facturus ſacrum, deteſtatus eſt fœminarum praſentiam: & Potitio ac Pinaria ſacrorum cuſtadibus iuſſit, ne mulierem intereſſe permitterent: vt author eſt Macrobius, Athenaus, Plutarchus, amniúmque copioſiſſimè elegantiſſiméque Propertius lib. 4. Elegiarum ad Herculem. Mulieres igitur, domos eiectis inde maribus, ornatiſſimè exornant ibique inter ſe multa Orphicis Sacris nan abſimilia facere traduntur, & promiſcena ſanis & cantibus ioca lõgas exercere vigilias.

In ipſis porrò ſacrificiis huius Dea canes immolabantur, quaque huic ſupplicabant, malè dictis & prabris Deam inceſſerunt, neminémque aptabant banum inueniri, qui domi naſceretur. Macrobius ſuem pragnantem ei mactatam ſcribit: quod etiam Iuuenalis innuit Satyra 2. inquiens. Atque bonam teneræ placant abdomine porcæ. Ac licet vina libarint Dea, illud tamen nan ſua nomine nuncupârunt, ſed lac dixerunt eſſe: vnt tamen amphoram in Sacris obuolutam appaſuerunt.

Sacra bonæ Deæ nocte celebrata. Sacrorũ bonæ dearũ lat.

Nocte denique, nan interdiu hac Sacra fiebant. Licet enim nocturna Sacra priſco ritu mulieribus interdicta fuerint: in hoc tamen ſacro,

quod

quad pro populi ſalute fecerunt, mulieres noctu conuenire, eique intereſſe non vetabantur. Quad etiam tanta religianis eſt habitum, vt illud Veſtales virgines abirent, & per illas ſacrum fieret. Cúmque in omnibus ſacris, qui rem diuinam facit, velare caput ſaleat, huic tamen dea aperto capite, & inuelato ſacrificat, vt refert Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8.

Sacra Bona dea violata.

Sed hac temporis opportunitate occaſio frequens mœchandi, & adulterii facultas data eſt, vt Alex. ab Alex. laquitur. Extat eius rei notum vulgà exemplum P. Cladij apud Plutarchum in vita Caſaris. Fuit is Nobili genere ortus, diuitijs & facundia præcellens, ſed inſolentia & audacia nulli improbiſſimorum ſecundus. Amabat is Pompeiam Cæſaris vxorem, néque inuitam. Verùm mulierem Cæſar acri cuſtodia ſepſerat, eiúſque mater Aurelia fœmina honeſta perpetuò lateri adhærens Pompeiæ, arduum & periculoſum eis congreſſum efficiebat. Sacra autem hæc nocturna agitante Pompeia, Clodius imberbis etiámnum, ideóque fallere ſe exiſtimans poſſe cæteras, veſtitu & cultu ſumpto pſaltriæ, acceſſit ad ædes eius, iuuenculam facie referens. Cùm fores offendiſſet patefactas, ab ancilla conſcia eſt citra impedimentum introductus. Dum autem illa properat, vt id Pompeiæ nunciet, mora interueniente, operi vbi relictus erat non ſuſtinenti Clodio, laxíſque in ædibus erranti, luménque declinanti, occurrit pediſſequa Aureliæ, atque vt fœmina fœminam prouocata ad Luſum. Detrectantem in medium rapit: quæ ſit & vnde, percunctatur? Cum reſpondiſſet Clodius, Auram exſpectare ſe Pompeiæ ancillam (nam id nominis ei erat) voce eſt detectus. Ibi repentè pediſſequa proſilit cum clamore ad lumen & cœtum, virum vociferans ſe deprehendiſſe. Obſtupefactis mulieribus, ſacra Deæ Aurelia inhibet & obuelat. Mox iuſſo obſerari fores, ad faces domum luſtrat, Clodium quærens. Refugerat ille in ancillæ tabernaculum illius, cum qua congreſſus fuerat, atque ibi deprehenditur. Cognitus à mulieribus exigitur foras. *Hucúſque Plutarchus ea quem diximus loco.*

LEMVRIA.

Lemuriorum dies.

S*Eptima Idus Maias fiebant* Lemuria: *quod Ouidius his verſibus declarat lib. 5. Faſt.*

Scorpius in cœlo, cùm cras luceſcere nonas
Dicimus, à media parte tenendus erit.
Hinc vbi propulerit formoſa ter Heſperus ora,
Ter dederint Phœbo ſidera victa locum:
Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri,
&c.

Celebrabantur autem ad placandos Manes, eóſque ex ædibus abigendos. Vnde Poëta ſuperioribus mox ſubiungit:

Lemuria cur celebrata.

Inferias tacitis manibus illa dabunt.

Nan igitur multum à Feralibus Sacris differebat, qua menſe Februario pro mortuis etiam agebantur. Nam quia menſe Maio mortuis iuſta ſoluebantur, antequam Ianuarius & Februarius anno additus fuiſſet à Numa, ideò poſtea quóque veterem hunc morem ſeruârunt. Quod Ouidius lib. 5 Faſt. ſic docet:

Annus erat breuior, nec adhuc pia februa norant,
Nec tu Dux menſum Iane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri ſua dona ferebant,
Compoſitíque nepos buſta piabat aui.
Menſis erat Maius maiorum nomine dictus,
Qui partem priſci nunc quóque moris habet.

Lemuriorum ritus.

Ritu autem tali peragebantur Surgebat nocte intempeſta qui Manes placaturus erat, nudis incedens pedibus: aquâ fontanâ ſe abluebat, & iunctis digitis cum media pollice; fabas nigras quas prius ore verſauerit, à tergo iaciebat. dicebátque quòd iis ſe ſuóſque redimeret, & vbi pulsâſſet æra, rogabat vt ex ædibus vmbra abirent. Hunc ritum Ouidius his verbis eleganter deſcribit:

Nox vbi iam media eſt, ſomnóque ſilentia præbet,
Et canis, & variæ conticuiſtis aues.
Ille memor veteris ritûs, timidúſq; Deorũ
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.
Signáque dat digitis medio cum pollice iunctis,
Occurrat tacito, ne leuis vmbra ſibi.
Cúmque manus purè fontana perluit vndâ,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Auerſúſque iacit: ſed dum iacit, hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meq; meoſq; fabis,
Hęc nouies dicit, nec reſpicit, vmbra putatur
Colligere, & nulla terga vidente ſequi.
Rurſus aquam tangit, Temeſæáque concrepat æra,
Et rogat, vt tectis exeat vmbra ſuis.
Cùm dixit nouies, Manes exite Paterni,
Reſpicit, & purè Sacra peracta putat.

Lemuria celebrata tribus noctibus ſed non continuis.

Caterùm natandum, celebrata quidem eſſe hæc Sacra tribus noctibus, verùm non cantinuis, ſed interueniente ſemper vnâ nocte: vt ſi prima ſint celebrata 7. Id. Maias, altera 5. & tertia 3. Id. quod Ouidius his verſibus docet:

Sed

Sed tamen hæc tria ſunt ſub eodem nomine Feſta,
Inter ſe nullâ continuata die.

Fabarũ vſus cur in Lemuriis. *Fabarum autem vſus in his erat ſacris, ſicut & in Feralibus, quòd mortuorum animas in bis eſſe crederent ſuperſtitioſiſſimi homines. Vnde Feſtus,* Fabam, *inquit*, nec tangere, nec nominate Diali flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. *Varro etiam flamines eâ non veſci tradit, quòd in flore eius litera lugubres reperiantur: quod etiam Pythagoras aſſeruit.*

Lamuriorum tempore quare prohibita. *Toto porrò tempore illa quo celebrabantur, templa Deorum clauſa erant, nuptiaque omnes infauſta putabantur. Quod Ouidius his verſibus docuit lib. 5. Faſt.*

Fana tamen veteres illis clauſere diebus,
Vt nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupſit non diuturna fuit.
Hac quóque de cauſa ſi te prouerbia tangunt,
Menſe malas Maio nubere vulgus ait:

De hac & alijs cauſis, ob quas apud Romanos prohibitum fuit menſe Maio celebrare nuptias, vide plutarchum in Quæſtionibus Rom. quaſt. 86. Et Chil. Eraſmi prouerb. Menſe Maio nubunt mala.

Lemuriorum origo. *Inſtituta autem ſunt primò à Romulo ad placandas tantùm vmbras fratris Remi. Cùm enim Remum occiſum magnificentiſſimè, vt illis temporibus licebat, humaſſet, noctu per quietem viſa eſt imago Remi aſtare lecto Fauſtuli & Larentiæ nutricis, conquerique de miſeranda morte & crudelitate Celeris, qui eum interfecerat: orarèque, vt à Romulo illud precibus impetrarent, quo ſuo nomine diem ſignaret. Romulus igitur ea de cauſa inſtituit illi Feſtum appellauitque* Remuria: *mutata deinde eſt prima litera, &* Lemuria *dicta. Inde quóque poſtea Lemures appellata, quæ ſunt vmbræ noxiæ, ac laruæ nocturnæ terrificationéſque, & ſugillatorum imagines, quas nos Heluetij* das Schrättelt / vnd deß Schrättelins vngeheur *nominamus. Sicut Lares boni ſpiritus dicuntur. Cùm verò incertum eſt, bonine an mali ſint, Manes appellantur. De his Ouidius lib. 5. Faſt. ita cecinit:*

Romulus vt tumulo fraternas condidit vmbras,
Et malè veloci iuſta ſoluta Remo,
Fauſtulus infelix, & paſſis Acca capillis,
Spargebant lachrymis oſſa peruſta ſuis:
Inde domum redeunt ſub prima crepuſcula mœſti
Vtque erat in duro procubuere thoro.
Vmbra cruenta Remi viſa eſt aſſiſtere lecto,
Atque hic exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium veſtri, parſq; altera voti,
Cernite ſim qualis, qui modò talis eram
Qui modò ſi volucres habuiſſem regna iubentes,
In populo potui maximus eſſe meo.
Nunc elapſa rogi flammis & inanis imago,
Hæc eſt ex illo forma relicta Remo.

Et mox:

Noluit hoc frater pietas, æqualis in illo eſt:
Quod potuit, lachrymas manibus ille dedit.
Hunc vos per lachrymas, per veſtra alimenta rogate,
Vt celebrem noſtro ſignet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt:
Lubrica prenſantes effugit vmbra manus:
Viſaq; confugiens ſomnos abduxit imago.
Ad Regem voces fratris vterq; ferunt.
Romulus obſequitur, lucémque Remuria dixit
Illam, quâ poſitis iuſta feruntur auis.
Aſpera mutata eſt in Lenem tempore lõgo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere ſilentum,
Hic verbi ſenſus, vis ea vocis erat.

Martis Vltoris Feſtum, eiúſque Ludi.

Feſti huius dies & origo. Q*Varto Idus Maias* Martis Vltoris *Feſtum & Ludi celebrantur. E plurimis enim operibus qua Auguſtus Imp. extruxit præcipua fuerunt. Suetonio teſte, forum Auguſti, & templum Martis Vltoris magnificentiſſimum, quod vouerat bello Philippenſi, aduerſus Brutum Caſſiúmque ſuſcepto, ad vlciſcendam mortem Cæſaris. Vnde &* Vltorem Martem *nominauit, eodem authore. Idque hac die dedicauit: ſanxitque vt in eo de Bellis triumphiſque conſuleretur Senatus: & prouincias petituri cum imperio deducerentur inde: quique victores rediiſſent, in id inſignia triumphorum inferrent. Ibi etiam quarundam gentium Reges & Principes Auguſto iuramentum fidelitatis præſtare coacti ſunt.*

PERSICI LVDI.

L*Azius lib. 11. cap. 16. Reipub. Romanæ ex faſtis eiuſdem refert, 3. Idus Maias, vſque ad 6. Cal. Mai. Ludos Perſicos celebratos fuiſſe.*

Iduum Maiarum Feſtum.

Iduum Maiarum & origo. I*Dibus Maijs Scirpea ſimulachra iaciebantur Romæ è ponte in Tiberim quotannis, vnde prius ſolebant proijci homines. Sic enim Feſtus:* Argeos vocabant Scirpeas effigies quæ per virgines Veſtales annis ſingulis iaciebantur in Tiberim. *Et Varro de Latina lingua*

libro

libro ſexto, inquit: Argei fiunt è Scirpeis à ponte ſublicio à Sacerdotibus peblicè jaci ſolent in Tiberim. *De his etiam ſic Ouidius lib.5. Faſt.*

Idibus ora prior ſtellantia tollere taurum
Indicat, *&c.* *Et mox*:
Tum puoque priſcorum virgo ſimulachra virorum
Mittere roboreo Scirpea ponte ſolet.

Cuius rei etiam mentionem faciunt Dionyſius lib.1. Antiquit. Roman. Lactantius libro primo, Diuin. Inſtitut. Plutarchus in Problematibus problem.32. Macrobius in Saturnalibus & Euſebius libro quarto, de Euangelica Praparatione. Origo ritûs huius talis fuit. Saturno in Italia priſcu temporibus viuis hominibus ſacrificatum fuit, quemadmodum etiam apud Carthaginenſes, antequam vrbs eorum dirueretur, & Celtas ferè omnes longo tempore, Euſebio teſte. Hunc morem in Latio à Pelaſgis fluxiſſe nonnulli crediderunt, qui ſedibus ſuis pulſi, & incerti quibus in locis pedem figerent, apud Dodonam, Varrone autore, oraculum acceperunt, cujus vltimus verſus talis eſt.

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. *Id eſt*:

Et capita Saturno, & patri mittite hominem.

Hoc oraculum paulò aliter recitat Ouid. lib.5. Faſt. vbi ſic canit:

Fama vetus, tunc Saturnia terra vocata eſt,
Talia Fatidici dicta fuiſſe ſenis.
Falcifero libata ſeni duo corpora gentes
Mittite, quæ Thuſcis excipiantur aquis.

Idem Poëta mox aliam hujus ſacrificii horrendi originem refert: dicit enim iuuenes ſolitos fuiſſe antiquitùs ſenes ſuos de pontibus in aquas præcipere, vt ipſi ſoli pro arbitrio in comitiis ſuffragia ferre poſſent, nec à ſenibus impedirentur. Verba eius hæc ſunt lib.5. Faſt.

Pars putat, vt ferrent juvenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitâſſe ſenes.

Verum id genus ſacrificii ab Hercule, cum ex Hiſpania rediret, dicitur eſſe ſublatum, ac primus fertur ea in regione in Saturno arâ ædificatâ, intemeratas hoſtias immolâſſe. Ne tamen, quaſi patrio ritu neglecto, ſuperſtitione inani turbarentur, ſimulachra pro viuis hominibus, quos in fluenta Tiberis proiiciebant, hoſtiarum ornata modo in Tiberim immittere docuit. Hic ritus, temporibus quoq; noſtris, *inquit Dionyſius Halicarnaſſ.* à Romanis Idibus Maijs diligenter fieri ſolet. *Eâ enim die Pontifices, animalibus primò ſecundùm leges immolatis, virginéſque Veſtales, Pratores, aliique ciues, quos ſacris adeſſe fas eſt, triginta ſimulachra hominum, quæ Argeos ſeu Argiuos vocant, è ponte ſacro, vt vult Dionyſius: vel è ponte ſublicio, vt Epicadus & Plutarchus: vel è ponte roboreo, vt Ouidius: vel denique è ponte Miluio, vt Lactantius ſcribit, in Tiberim dimittunt. Vnde ſic Ouidius:*

Donec in hęc venit Tirynthius arva, quotannis
Triſtia Leucadio Sacra peracta Deo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites,
Herculis exemplo corpora falſa jaci.

Epicadus autem refert, Herculem occiſo Geryone, quum Victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte ſublicio ad tempus inſtructo, hominum ſimulachra pro numero ſociarum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluuium demerſiſſe, vt aquâ ſecundâ in mare deuecta, pro corporibus defunctorum, veluti patriis ſedibus redderentur: & inde vſum, talia ſimulachra fingendi, inter Sacra manſiſſe.

Ouidius verò libro quinto, Faſt. docet, comites Herculis, quum in Italiam veniſſent, vlterius progredi noluiſſe, ſed ibi ſedes ſuas fixiſſe, morientes tamen mandâſſe hæredibus vt pulnerem & cineres ſuos in Tiberim abiicerent, quo ita ſaltem ad patrios Lares reuerterentur. Hæredes verò id inhumanum iudicantes, pro mortuorum corporibus, aut eorum puluere oſcilla & ſcirpeas has imagines in flumen abieciſſe quotannis. Sic enim canit:

Arcadis Evandri nomen tibi ſæpè refertur:
Ille meas remis advena torſit aquas.
Venit & Alcides turbâ comitatus Achivâ.
Albula (ſi memini) tunc mihi nomen erat.
Excipit hoſpitio juvenem Pallâtius Heros,
Et tandem Caco debita pœna fuit.
Victor abit, ſecúmque boves Erythreida prædam
Abſtrahit: & comites longiùs ire negant.
Magnáque pars horum deſertia manſit in agris,
Montibus his ponunt ſpémque Larémque ſuum.
Sæpè tamen patriæ dulci tanguntur amore:
Atque aliquis moriens, hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tiberim, Tiberinis vectus in vndis,
Littus ad Inachium pulvis inanis eam,
Diſplicet hæredi mandati cura ſepulchri:
Mortuus Auſonia conditur hoſpes humo.
Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago,
Vt repetat Graias per freta longa domos.

Mercurii

Mercurii & Mercatorum Feſtum.

Id. Maias Mercurij feſtũ celebratum.

I*Dibus Maijs etiam* Mercurij Feſtum *agebatur: vel quòd is dies natalis eſſet Dei hujus, vt Martialis refert: vel quòd ædes illi apud Circum maximum Appio Claudio & P. Seruilio Coſſ. dedicata eſſet. Poſteriori ſententiæ aſtipulatur Ouidius lib. 5. Faſt. ita canens:*

Clare nepos Atlantis ades, quem montibus olim
Edidit Arcadiis Plelas vna Ioui.
Templa tibi poſuere patres ſpectantia Circum
Idibus, ex illo eſt hæc tibi Sacra dies.

Mercatorum Feſtum & eius ritus.

Eodem quoque die Mercatorum Feſtus dies celebrabatur, qua mercatores Mercurio ſacrum facere, & ſuem prægnantem immolare, ſéque & merces ſuas ex Mercurij fonte ad portam Capenam ſito luſtrare aſſuerant, ita magnos & vberes quæſtus facere ſe poſſe opinantes. De quibus Ouidius lib. 5. Faſt. ſic cecinit:

Te quicunque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas vt ſibi lucra, rogant.
Eſt aqua Mercurij portæ vicina Capenæ:
Si iuuat expertis credere, Numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ mercator, & vrnâ
Purus ſuffuſam, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus: lauro ſparguntur ab Vda,
Omnia quæ dominos ſunt habitura nouos.
Spargit & ipſa ſuos lauro rorante capillos,
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba die.
Siue ego te feci teſtem, falsóue citaui
Non audituri nomina vana Iouis:
Siue Deum prudens alium, Diuámve feſelli,
Abſtulerint celeres improba verba noti.
Et pereant veniente die perjuria nobis:
Nec curent ſuperi, ſi qua loquutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face vt emptori verba dediſſe iuuet.

Vulcanalia, ſeu Tubilluſtria.

V*Ndecimo Calendas Iunias*, Vulcani Feſtum *fuit, inſtitutum ad luſtrationem tubarum. Vnde Ouidius ſic cecinit:*

Proxima Vulcani lux eſt, quam luſtria dicunt.
Luſtrantur puræ, quas fecit ille, tubæ.

AGONALIA ALTERA.

D*Ecimotertio Calend. Iunij* Agonia *ſiue* Agonalia *erant de quibus ſic Ouidius:*

Ad Ianum redeat, qui quærit Agonia quid ſint,
Quæ tamen in Faſtis hoc quoque tempus habent.

REGIFVGIVM.

Regifugium repetitum.

S*Eptimo vel juxta Calendarium vetus nono Calendas Iunias iterum Regifugium celebrabatur: & Sacerdotibus eodem die Sacrorum ritus tradebatur. Quod Ouidius his verſibus indicat:*

Quatuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis,
Vel mos Sacrorũ, vel fuga Regis ineſt.

Hoc idcircò factum ſuſpicantur aliqui, quòd ejecto Tarquinio, qui abſq; dubia Rex Sacrorum fuit, alij creati ſunt Conſules, alij Reges Sacrorum. Niſi per Sacrorum morem intelligere velis conſuetudinem & ritum ſacrificandi eo die, vt agerentur Dijs gratiæ ob Reges exactos.

Fortunæ publicę Feſtum.

Fortuna publica quæ.

S*Exto vel juxta Calendarium vetus octauo Calendas Iunias Feſtum fuit* Fortunæ publicæ*. quod his verbis Ouidius ad finem lib. 5. Faſtor. teſtatur:*

Nec te prætereo, populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

Non eſt autem ea Fortuna, cui ædem dedicaſſe Q. Martium Ahalam, & vouiſſe eandem P. Sempronium Sophum ſuprà retulimus: ſed alia, cui ſacratam ædem fuiſſe arbitrantur hoc die, vti in ea res diuina illi, mox poſt Regifugium, fieret, quòd eius beneficio populus Romanus ſibi & libertatem publicam, & ablatam Tarquinij potentiam vendicaſſet.

CAPVT XVII.

Feſta quę IVNIO menſe à Græcis ſunt celebrata.

EKATOMBAIA.

Hecatõbæa vnde dicta.

E*Κατόμβαια Feſtum erant apud Athenienſes & reliquos Græcos, ſic dictum* ἀπὸ τῆς ἑκατόμβης*, quod eo peragebatur, & celebre Græcorum ſacrificium fuit, conſtans centum bobus: quale Conon Lacedæmoniis deuictis apud Cnidum, obtuliſſe diis ſcribitur: vel etiam aliis pecoribus, partem capiendo pro toto nam in* ἑκατόμβῃ *Homerus complectitur: etiam* ἄρνας καὶ αἶγας*, oues ſeu agnos & capras. Alij intelligunt* θυσίαν ἐξ ἑκατὸν βάσεων*, id eſt, pedum, in qua immolarentur animalia quadrupeda viginti quinque, quorum pedes centum numero. Alij in hoc Sacro per finitum numerum*

Hecatõbæa quid.

infinitum intelligi putant, vt ἑκατόζυγον *pro* πολύζυγον. *Quidam etiam non à victimarũ numera dictum putant, ſed quod centum Peloponneſi vrbes id facerent: vt Hecatombe à ſacrificantium numero dicatur, non hoſtiarum: vt Euſtathius author eſt. Tranſlatum à Græcis ad Romanos etiam fuit, apud quos paulò aliter, quàm apud Græcos fiebat. Colligitur id ex Iulio Capitolino, qui in vita Maximi & Balbini Impp. hoc ſacrificium ſic deſcribit:* Hecatombe, *inquit*, tale ſacrificium eſt: Centum aræ vno loco conſtruuntur ceſpititiæ, ad eas cẽtum ſues, centum oues mactabantur: inde ſi Imperatoris ſacrificium fieret, centum Leones, centum Aquilæ, & cætera huiuſmodi animalia centena feriebantur: quod quidem etiam Græci feciſſe quondam dicuntur, quum peſtilentiâ laborarent, & à multis Imperatoribus id celebratum conſtat: *hæc ferè Capitolinus, & Cælius quoque libro vigeſimo capite ſexto.*

Hecatõbea quando celebrata.

Celebrabatur autem potiſſimùm menſe Hecatombæone, qui primus fuit Atticorum menſiũ, & Iunio noſtro vt plurimum reſpondet, qui & ab hoc ſacrificio nomen accepit. Quia verò Solſtitium in hunc menſem incidit, credibile eſt in die Solſtitij aut circa Feſtum hoc & ſacrum Apollini celebratum fuiſſe, vnde & Hecatombæus *appellatus fuit, Heſychio authore.*

ΕΙΣΙΤΗΡΙΑ.

Iſiteria quale Feſtum.

Εἰσιτήρια *Feſtum fuit Athenis, quo magiſtratus noui inibant, vt Suidas habet. Fiebat autem hoc in principio menſis Hecatombæonis, qui primus menſium, & initium totius anni fuit: Plato lib. 6. de Legibus vult, vt omnes magiſtratus tam annui, quàm longioris temporis, pridie Calend. menſis illius, quo poſt Solſtitium æſtiuum nouus annus incipit, in vnum templum conueniant. Alij putant rectius per* Εἰσιτήρια *Sacra intelligi, quæ Ioui* Βουλαίῳ *fiebant, quum Senatores iudicium ingreſſuri eſſent.*

ΙΠΠΟΔΡΟΜΙΑ.

Hippodromia quale Feſtum.

Ἱπποδρόμια *fuerunt Feſtum apud Bœotios, à curſu equorum nominatum, Romanorum ludis Circenſibus & Curulibus non abſimile. Celebrabatur menſe* Ἱπποδρομιῷ *quem Iunio reſpõdere ſuprà diximus, & nomen ab his Equiriis, quæ in eo fiebant, habet. Quinto huius menſis die Bœoti duas præclariſſimas victorias conſequuti ſunt, vnam in Leuctris, alteram ad Geraſtum, authore Plutarcho in Camillo. Quod ſi dicam in rei tam benè & feliciter geſtæ memoriam Equiria hæc à Bœotis hoc die inſtituta, à verò fortaſſe non procul aberrauero. Fuit & Athenis* ἱππόδρομος *hoc eſt, certamen equeſtre inſtitutum in honorem Theſei, vt docet Heſychius, ſed incertum quo menſe celebratum ſit.*

OLYMPICI LVDI.

Olympia quãdo celebrata.

Lvdi & certamina Olympica inſtituta ſunt ad Deorum immortalium cultum, vtque iis ad exercendas corporis vires homines excitarẽtur. Plutarchus in vita Alexandri Magni refert, natum Alexandrum ſextâ die menſis Hecatombæonis, qui Iunio noſtro reſpondet. Philippo verò eo ipſo tempore nuntiatum, equum ſuum in Olympico certamine victorem extitiſſe. Mouet me hæc ratio, vt arbitror. Olympicos ludos hoc menſe celebratos. Philippus Melanthon quoque lib. 2. Chronic. in Xerxe noſtræ adſtipulatur ſententiæ, dicit enim: Pugna ad Thermopylas facta eſt circiter Solſtitium æſtiuum, quum inſtarent Olympia. *Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 1. indicat ex Pindari Scholiaſte, actos hos ludos menſe Parthenio, aut Apollonio, ſed qui ſit ille non pro certo comperi. Et quia ludorum quatuor genera apud Græcos præcipua fuerunt,* Olympici, Pythij, Iſthmij *&* Nemei, *quæ etiam in primo Epigrammatum Archias hoc tetraſticho atteſtatur.*

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα· τέσσαρες ἱροί,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνός, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Ad quos vniuerſum penè nomen Græcum confluxit: alij enim certorum oppidorum quaſi priuati extiterunt: propterea Olympicorum occaſione de Iſthmiis ſimul quoque agemus, de Nemeis menſe Βοηδρομιῶνι, *qui Auguſto noſtro reſpondet, in quo celebrati ſunt, dicturi: de Pythiis in Martio diximus.*

De Olympiorum origine variæ ſententiæ. 1.

De Olympiorum ludorum & certaminum origine, magna eſt apud authores diſcrepantia. Sunt enim qui ad Pelopem, Tantali Phrygiæ Regis & Taygetes filium referant. Is enim relictâ patriâ in Elidem, vbi adoleuiſſet, ſe contulit, quo loco id temporis regnabat Oenomaus, qui vnicam habebat filiam Hippodamiam, regni totius hæredem, & eo nomine à procis quam plurimis ambitam. Verùm Oenomaus quum oraculo edoctus eſſet, fore vt generi operâ interiret, duriſſimam hanc procis conditionem tulit vt qui nuptiis filiæ potiri vellet, ſecum prius curuli certamine contenderet, eâ lege, vt victorem filiæ ſuæ coniugium & regni hæreditas, victum mors ſequeretur. Quum itaque iam tredecim iuuenes vt docet Pindarus, quorũ etiam nomina interpretes recenſent, equorum, quos velociſſimos habebat, celeritate ſuperâſſet & interfeciſſet, Pelops qui & ipſe puellam adamabat, à Neptuno impetratis equis, & Myrtilo Oenomai auriga pretio corrupto, vt fragiles currui axes ſubiungeret. Oenomaum vicit & virgine cũ regno potitus eſt, certamenq́; Olympicum victoriæ monumentũ inſtituit, Strabone authore lib. 8.

Iſacius

Iſacius autem, cui adſtipulari videtur Pindarus in Olympicis, in Epinicio Theronis Agrigentini, Herculi Iouis & Alcmenæ filio id inuentum tribuit: is enim Augea Elidis Rege ſuperato, repurgatóq; eius ſtabulo, in campis Olympiæ vicinis juxta Alphæum fluuium ſacrum hoc certamen inſtituiſſe dicitur.

Nonnulli Iouem cum Saturno hoc in loco colluctatum
3.
4. *hos ludos dediſſe aiunt. Alij debellatis Titanibus, eos à Ioue inſtitutos, quibus Apollo Mercurium curſu ſuperârit, Mars pugillatu ſuperior fuerit: atq; inde ſeruatum eſſe, vt tibiarũ moduli ſalientibus quinquertionibus accinerentur, quòd id genus carminis ſacratum eſſet Apollini, qui primus Olympicas palmas tuliſſet.*

5. *Pauſanias autem in Eliacis longè antiquiorem originem tradit. Refert enim, quinque fratres ex Dactylis Idæis, Iouis nutritoribus, in Elidem è Creta veniſſe, Herculem, Pæoneum, Epimedem, Iaſium & Idam. Herculem vtpote natu maximum, fratribus certamen curſûs per ludum propoſuiſſe. Inde poſteri nominis ſimilitudine ducti, opinati ſunt ab Hercule Alcmenæ ea certamina inſtituta fuiſſe, vt Diodorus Siculus lib.6. indicat. Quinquageſima autem poſt Deucalionis diluuium anno, Clymenum Cardis filium, vnum ex Herculis illius Idæi nepotibus è Creta veniſſe, & Olympicum certamen quaſi familiæ ſuæ prærogatiua inſtauráſſe: aramq; tum Curetibus, tum ſuæ gentis authori Herculi ſtatuiſſe, quem παραστάτην appellari juſsit. Hunc poſtea Clymenum Æthlio ſatus Endymion exactum regno priuauit, liberiſq; ſuis in curſus certamine regnum propoſuit victori. Altero ab hoc ſeculo Pelopem quàm magnificentiſsimo apparatu eos ludos illaſtráſſe Pelopis filiis ex Elide per vniuerſam diſperſis Peloponneſum, Amythaon Cretheo genitus, nepos Endymionis Olympia indixit. Poſt eum Pelias, & Neleus communi tum gloriâ tum authoritate. Poſtea Hercules Alcmenæ captâ Elede. Secundum hos Oxylus qui in Elyde regnum obtinuit.*

Intermiſſa deinde vſque ad Iphiti tempora, qui ea inſtaurauit, & ſingulis Olympiadibus poſtea noua certamina ſunt addita, vel antiqua renouata. Nam ſub Iphito primùm curſûs præmia poſita fuerunt. Aliquot annis poſt in mentem venit δίαυλος, atque additus priſtino curſui. Anno inde quinto decimo Pentathli ac luctæ memoria renouata. Quinta poſt eam Olympiade quæ 23. numerabatur, pugilatus redditus. Quintâ & viceſimâ equorum curſus additus. Ab hinc Olympiade 8. excitatum de integro Pancration, & equus ſingularis. Ex quibus ſimul intelligitur, quinq; potiſsimùm ludorum genera in Olympiacis fuiſſe, Curſum, Luctam, Diſcum, Saltum, *&* Pugillatum, *quos ludos ſingulos ex Idæis Dactylis fratres ſingulos inſtituiſſe volunt.*

Olimpiis quæ certamina addita.

Strabo lib. 8. refert Olympia certamina poſt Trojana tempora incœpiſſe: cuius rei illud facit argumentum, quòd nullam de Olympicis mentionem fecit Homerus, quum meminerit tantùm de nonnullis certaminibus funebribus.

Agebantur igitur hi ludi in regione Elienſium non procul à Piſa ciuitate, & Alphæo flumine, teſtatur Vergilius lib.3. Georgic. Olympia vbi.

Sin armenta magis ſtudium, vituloſq; tueri,
Aut Alphæa rotis prælabi flumina Piſæ.

Puerorũ verò certamina in his ludis ab initio planè in vſu non fuerunt, ſed Elei pro arbitratu ea inſtituerunt. Curſus certamina & lucta pueris propoſita fuerunt Olympiade 37. Olympiade 41. pugiles pueres in certamen vocârunt. Armatorum verò curſus Olympiade 65. approbatus, propter exercitationem rerũ militarium. Curſus præterea bigarum Olympiade 93. eſt propoſitus. Olympiade 99. pullorum curribus decertare viſum fuit. Decreuerunt poſtea & bigas pullorum, pullum item ſolitarium. Olympiade 145. Pancratij certamina ſunt inſtituta pueris. Fœminæ etiam in hoc certamine progreſſu temporis admiſſæ fuerunt: & quidem Cyniſcam Archidami filiam primam reportáſſe victoriam Pauſanias in Laconicis teſtatur.

In Olympijs puerorũ certamina quando inſtituta.

Etſi verò in his certaminibus Athletæ ab initio ſubligacula ferrent, quòd pudori ducerent nudatis corporibus apparere in ludis: poſtea tamen Lacedæmonij decertantium corpora nudari, mox oleo perfundi edocuere. Et primùm qui nudare corpus in Olympiis auſus fuit, Alexand. ab Alexandro lib 5.cap.8. Hecanthum Lacedæmonium, Dionyſius autem Halicarnaſſ. lib.7. Neanthum nominat, factumq; id dicit Olympiade 15. Inde credo prohibitum, ne in his ludis ad ſpectandum admitterentur mulieres præter vnã Pherenicem quæ mater, filia, & ſoror Olympionicorum fuit, vt refert Ælianus lib. 10. variæ hiſt. cap.1. & Cereris Sacerdotes mulieres.

In Olympijs quando nuda certare cœperint.

In his etiam inſtitutum, vt qui largitione corruptis aduerſariis, pugnarent, quiq; Athletæ ad præſcriptum tempus non venirent, multâ plecterentur: vtque nefario ſcelere conuicti, aut crimine damnati nec in certamen venirent, neque ante cõmiſsionem ſpectaculi, ad immolandum accederent: quippe Athletarum parentes, & omnem ſtirpem citra labem eſſe voluerũt. Neque barbaris etiam pugnare licere, lege ſimiliter cautum fuit. Alex. ab Alexandro.

In Olympijs fraude & dolo uti non licebat.

Iudices porrò horum certaminum erant, quos ἀγωνοθέτας appellârunt (ab initio vnus tantum extitit) author Hercules, Iphitus Oxylus. Verùm Olympiade 50. duobus ex Elide ciuibus datus ſortitò is fuit Magiſtratus: qui numerus ab hoc tempore diutiſsimè durauit. Iudices autem nouem ſunt electi Olympiade 25. quos ἑλλανοδίκας nominârunt, tres equorum curabant curſum: tres Pentathlum: reliquis certaminibus

Olympicorum certaminum judices.

praerant reliqui. Alterâ deinde Olympiade additus & decimus. Quum autem eſſent Eleenſibus tribus duodecim, Olympiade 103. è ſingulis tribubus ſinguli judices electi ſunt. Ab Arcadibus deinde bello petiti, victi, & agrorum parte mulctati, quatuor ex eo numero detraxerunt: tot enim tribus in hoſtium poteſtatem venerant Olympiade 104. viceſima tandem poſt anno ad decem res redijt: Pauſaniâ in Eliacis authore. Hi verò judices etiam ἀθλοθέται *&* αἰσυμνῆται *dicti ſunt. à nonnullis verò* ῥαβδούχους *quoque appellatas inuenias. Referunt hæc etiam Scaliger lib. 1. poëtices c. 24. Cælius lib. 13. Antiq. lect. cap. 17.*

In Olympijs pugnaturi ſorte eliguntur.

Hi piaculare ſue, & aquâ luſtrati ex fonte Piera in vrna argentea calculos tot collocabant, quot deſcendiſſent Athletæ pugnaturi, geminos, eâdem literâ ſignatos: duo enim inſcriptum habebant A, duo B, & hoc modo reliqui. Singuli Athletæ Ioui ſupplicantes ex vrna calculum extrahebant, quibus inſpectis, qui eâdem literâ ſignatas haberent, eos judices cõmittebant. Si impar fuiſſet Athletarum numerus, impares & calculi erant: atq́; cui is contigiſſet, qui ſolus inſcriptus erat, vltimo loco cum jam defeſſis pugnabat. Quamvis ſæpè nullum cum quo certarent eligebant, ſed cum primo prodeunte congrediebantur, Alex ab Alex. teſte lib. 5. c. 8.

Victoris in Olympijs præmium.

Herodotus lib. 8. indicat, præmium in his certaminibus propoſitum κότινον *oleaginam coronam quâ donati fuerint victores. Non tamen è quouis oleaſtro corona victoribus dabantur antiquitus, ſed è vocata* καλλιστεφάνῳ, *vt teſtatur Ariſtophanis enarrator de ſententia Ariſtotelis: cuius verba ſic Latinè habent.* Oliua quędam eſt in Panſtethio, quæ vocatur Calliſtephanus, cujus folia è contrario ſe habent ipſa naturâ atque folia cæterarum oliuarum. Demittit ramos tanquam myrtus conficiendis coronis accommodatos. Ex hac cepit Hercules, atque in Olympicis plantauit è qua dantur coronæ Athletis. Eſt verò ipſa circa Hiliſſum fluuium ſexaginta ſtadijs diſtans ab ipſo flumine, atque circumſepta eſt Propoſita eſt magna pœna ſi quis illam attigerit, è qua capientes Elei Athletis coronas in Olympicis proponebant. *Hanc & ab Hercule ita fuiſſe portatam, & ea coronari in Olympicis Athletas conſueuiſſe, etiam ſignificauit Pindarus in Epinicio Theronis Agrigentini. Quapropter Tigranes Artabani filius, eo tempore quo Xerxes bellum cum Græcis gerebat, audiens præmium Græcis in his certaminibus oleaginam coronam eſſe, non pecuniam, dixiſſe fertur:* Papæ Mardoni (*is enim Xerxi bellum contra Græcos ſuaſerat*) in quos viros induxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis? *Herodoto authore in Vrania. Coronis tamen aureis & alijs donatos victores quandóque in his ludis, Alex. ab Alexandro ſcribit lib. 5. cap. 8.*

Olympia quomodo inſtituta, & quãdiu celebrata.

Teſtis eſt Athenæus lib. 12. cap. 6. Olympicum conuentum Crotoniatas victis Sybaritis conatos fuiſſe ad ſe pertrahere, quum certamen opulentum argenti ipſi conſtituiſſent, eadem tempore quo celebrari Olympia conſueuerant, vt hoc pacto Athletas ad ſe pellicerent. Alij tamen hoc voluiſſe Sybaritas malunt.

Vitruuius lib. 9. & Xenophanes Colophonius ſcribunt, Olympionicas non modò in conuentu ſtantes cum palmâ & corona tuliſſe laudes, ſed etiam quum reuerterentur in ſuas ciuitates, cum victoria triumphantes, diſiectâ parte muri per ruinas quadrigis inuectos, vt ſignificaretur, non magnopere ciuitatem talem muro opus habere habentem viros qui poſſint pugnare & vincere: & è Repub perpetuâ vitâ conſtitutis vectigalibus vſos fuiſſe. Xenophanis carmina Græca, Natalis Comes ſic Latinè reddidit:

Quòd ſi quis leuitate pedum certamina tentet.
Pentathlum ſi quis eſt vbi ſylua Iouis,
Hic propè Piſæas vadas vnde ſurgit Olympus,
Seu grauis ars pugillum, ſiue palæſtra juuat:
Seu graue bellum quod dicunt Pancration illi,
Ciuibus ad ſummum mox venerandus erit.
Huic dabitur ſedes inter certamina prima
Impenſa hinc illi publica victus erit.
Ex vrbe accipiet mox munera plurima, opéſque.
Atq́; hęc vel celeri conſequeretur equo.

Vnde à Solone etiam inſtitutum fuiſſe Plutarchus ſcribit, vt drachmæ quingentæ darentur ei, qui Olympia viciſſet: ſin verò ter viciſſet ſtatuæ, quas Iconas vocant, ſimilitudine membrorum expreſſa dicarentur: adeò vt Græcis Olympionicem maius eſſe cenſeretur munus, quàm Romæ de hoſtibus triumphus: quamuis Romani etiam Athletas qui Sacris certaminibus coronam meruiſſent, vacationem munerum, cura tutelaque, & perpetuâ immunitate donarent: ſicut etiam Alex. ab Alex. lib 5 c. 8. refert.

Hoc certamen Solennibus quibuſdom ſacrificijs auſpicabatur: eſſéque literis proditum Alexander, eodem loco teſtatur, ab immolato tauro, Deo quem Myiodem *vocant, dum Olympiorum celebritas manſerit, muſcas ad vnam cateruatim Piſas conceſſiſſe, rurſusque ludis abſolutis, eadem reuerſas. Eidem verò certamini quinto die finis imponebatur: quinque diebus enim celebrabantur Olympia poſt lunæ vndecimã quintadecimâ tenus quo die qui viciſſet pronũciabatur: verùm præludia erant diebus triginta, vt Cælius ſcribit.*

Olympia quinto quoque celebrata.

Fiebant etiam non quotannis, ſed quinto quoque anno, quòd fratres quinque numero Idæi Dactyli fuiſſent. Quod etiam Ariſtophanes in Pluto ſic teſtatur:

Ὁ Ζεὺς δήπου πένεται· καὶ τοῦτ' ἤδη φανερῶς σε διδάξω.
Εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ποιῶν αὐτὸς τὸν ὀλυμπικὸν ἀγῶνα,
Ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι' ἔτους πέμπτου ξυναγείρῃ,
Ἀνεκήρυττεν τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας, στεφανώσας
Κοτίνου στεφάνῳ; καίτοι χρυσῷ μᾶλλον ἐχρῆν, εἴπερ ἐπλούτει.

Iupiter ſanè pauper eſt: quod te palàm profectò docebo.
Nam ſi diues ſit quo pacto faciens is certamina Olympi
Illic, quo Græcos omnes quinto quoque anno coëgit,
Per præconem nuntiaret Athletas victores, vbi coronaſſet
Oleaſtri corona? nam magis auro decuit, ſi diues is eſſet.

Hoc tamen vt rectiùs intelligatur, obſeruandū, Olympiada non quinque, ſed quatuor duntaxat complecti annos. Qua de re Glareanus in Chronologia quam in Dionyſii Halicarnaſſæi libros Antiquitatum Rom. ſcripſit, ſic refert: Olympias eſt ſpacium quatuor annorum: quod puto apud Romanos vocari luſtrum. *Et paulò poſt:* Fefellit autem quoſdam hic loquendi modus apud Latinos, Quinto quoque anno agon gymnicus totius Græciæ celebrabatur, vt Olympiada ſpatium quinque annorum crediderint, atq; adeò etiam ſcriptis prodiderint: non intelligentes, annum quo ſequens Olympias incipit, quintum dici annum, qui tamen eſt primus ſequentis Olympiadis. Quatuor itaque anni interiacent, exceptis iis quibus luditur menſibus. *Hæc ille. Similiter alij quidam Olympiadibus quaternos tantùm annos ex Solino & Euſebio tribuerunt. Ita etiam apud Suidam Olympias quatuor annos habet: qui tamen non πενταετηρικὸν χρόνον, verùm πενταετηρικὸν ἀγῶνα exponit. Per has autem Olympiades deinceps apud Græcos tempora numerata ſunt, veluti apud Romanos per Conſules, quorum magiſtratus annuus erat. Quocirca miror Natalem Comitem lib. 7. Mythologiæ cap. 1. ſcripſiſſe, quinquageſimo quoque anno ludos hos celebratos: niſi erratum ſit Typographicum, & pro menſe anni nomen poſitum: nam vt idem author lib. 5. cap. 1. ſcribit, agebantur Olympica certamina quinquageſimo quoque menſe.*

Natalis Comes corrigitur.

Olympicos autem ludos propter Olympij Iouis templum, & Olympium campum, qui templo adjacet, & in quo iſti fiebant, dictos accepimus. *Vnde Strabo lib. 8. ſic ſcribit:* Eſt in agro Piſano templum ab Elide ſtadijs 300. abſens. Ante illud verò lucus agreſti veſtitus olea ſurgit, in quo ſtadium iacet: Alphæus autem alluit ex Arcadia labens. Initio quidem ex Olympij Iouis oraculo ingentem ſibi claritatem vendicauit: eoq; deficiente nihilominus Templi fama remanſit. Et quantum ipſi nouimus adaucta eſt, & celebritatis gratiâ, & ludorum Olympicorum causâ, &c.

Olympia vnde dicta.

Syracuſis etiam & Athenis alia agebantur Olympia: alia Herculi in agro Leontino, quæ ſi quando intermiſſa fuiſſent, loqui non poterant ante Sacerdotes linguâ impediti, quàm ludos repetiſſent, vt Sardus refert lib. 3.

Olympia alia.

EPAIA.

AD ludos Olympicos pertinent etiam ἀγὼν muliebris, quem Ἡραῖα Iunonium *dixere: nam progreſſu temporis etiam mulieres ad hos ludos admiſſas iam indicauimus. Celebrabatur autem in honorem Iunonis ἡραῖας, quæ templum in Elide habuit, quod Scilluntij ex Triphylia ſtruxiſſe creduntur, octo ferè annis poſterius quàm Eleis imperare cœpit Oxylus. De hoc certamine Pauſanias in Eliacis & Cælius lib. 13. cap. 24. ita ſcribunt:* Quinto quoque anno Iunoni peplum contexebant mulieres decem ac ſex numero, quæ ipſæ agoni præficiebantur, ſingulæ ex ſingulis vrbibus Elidis: & cum octo tribus Eleorum fuiſſent, duæ ex ſingulis delectæ, ſue & aquâ ex Piera prius luſtratæ, Currebant verò virgines ætatis vtique non vnius, prodibant principes natu omnium minimæ, ſequebantur grandiores paulò, poſtremis quæ cæteras anteirent ætate. Currebant autem ſic: demittebatur illis coma, tunica ſubſiſtebat paulùm ſuprà genua, dexter vſque ad pectus retegebatur humerus. Stadium Olympicum erat curſui deſtinatus locus, ſextâ tamen parte demptâ. Victoriæ præmium oleagina fuit corolla, & bouis portio Iunoni immolatæ. Certaminis vetuſtatem ad Hippodamiam producunt, quæ Pelopis adepta conjugium; ſic Iunoni gratam ſe oſtenderit, ſex & decem allectis mulieribus cum quibus ἡραῖα ſtatuerit prima: túncque viciſſe Chlorin Amphionis filiam. *Afferuntur & alia, quæ huc prorſum ſpectant, ſed ambuſtis Græcorum codicibus, in lubrico haud quaquam luctabimur. Illud apertiùs omninò ac certiùs, à mulieribus iiſdem duos conſtitutos choros, alter quorum Phyſcoa dicatur, Hippodamia alter.*

Heræa cui celebrata & eorum ritus.

Heræorum origo.

Ἡραῖα alia, quæ & Ἀσπὶς ἐς Ἄργους dicta.

Feſti & certaminis huius ritus.

C*Elebrata & apud Argos Panagyris* Iunonis *honori legitur, quam iidem* ἡραίαν *vocârunt, &* ἑκατομβαίαν, *quia Deæ centum in ea immolarentur boues, Sed & certamen in ea celebratū, in quo præmiū fuit* χαλκῆ ἀσπὶς, *æneum ſcutū, quod ſignificat Pindarus, corona itē myrtea: vt refert Cælius lib.* 13. *cap.* 34. *Hyginus in Fabulis poëticis,* Argis, *inquit*, facti ſunt ludi á Lynceo Ægypti filio Iunoni Argiuæ, qui vocantur *Ἀσπὶς ἐς Ἄργους*: quibus qui vicit, accepit pro corona clypeum: ideò quòd Abas Lyncei & Hypermneſtræ filius nunciauit Danaum parentibus periſſe: cui Lyncæus de templo Iunonis Argiuę detraxit clypeum, quod Danaus in iuuenta geſſerat, & Iunoni ſacrauerat & Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui ſemel vicit, & iterum deſcendit ad certamen: vt niſi iterum vincat, ſæpè deſcendat: *refert etiam Gyraldus de Diis Syntag.* 3.

ΘΗΣΕΙΑ:

Feſti huius dies origo & ritus.

Θ Ησεῖα *Feſtum in honorem Theſei celebratum fuit Athenis octauo* ἑκατομβαιῶνος *quo rediens ex Troëzene interfectis in itinere aliquot latronibus primùm Athenas ingreſſus eſt ſalutaturus patrem Ægea, quem eouſq; ignorauerat: vt Plutarchus cùm à principio, tum etiam in fine vitæ eius ex Diodoro Periegata indicat. In hoc verò celebri Feſto dabatur populo congiarium, & conuiuia luxurioſiſſima celebrabantur, teſte Cælio lib.* 7. *cap.* 23. *Eiuſdem Feſti apud Ariſtophanem in Pluto etiam fit mentio, vbi Scholiaſtes annotat, omnes in illo Feſto gratis* ἀθάρας, *id eſt farinam ſiue pultem, & alia quadam comediſſe.*

Theſeo octauo quoque die mēſium honores exhibiti.

Refert Plutarchus eodem loco, aliis etiam mēſibus octauo quoq; die honores & cultus Theſeo exhibitos, & Feſta celebrata fuiſſe. Vel, quò octauo die Hecatombæonis ex Troëzene Athenas ſe contuliſſet: vel quòd hic numerus magis quàm alius illi conueniret. Neptuno enim, cuius Theſeus filius exiſtimabatur, octauo quoque die ſingulis menſibus feriatos nouimus.

Feſtum aliud Cōnide.

Idem author eſt in initio vitæ Theſei, Connida cuidam ἐπιστάτῃ *&* παιδαγωγῷ *Theſei vſque ad ſuam ætatem Athenienſes proximo ante* Θησεῖα *die Feſtum celebrâſſe, in eoque arietem immolâſſe: hocq; pacto ait, memoria beneficij & honoribus Connidam multa iuſtiùs eos proſequi, quàm Silanionem & Parrhaſium, qui imagines Theſei pictores ac fictores fuerint. Vnde intelligitur his duobus quoque Athenienſes cultum & honorem quendam ob Theſeum publicè tribuiſſe.*

ΚΡΟΝΙΑ.

Croniorum ritus.

K Ρόνια Cronia *celebrata eſſe Athenis duodecimâ die menſis* ἑκατομβαιῶνος *Demoſthenes contra Timocratem teſtatur, his verbis:* τοῦ ἑκατομβαιῶνος δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσενεγκεῖν, καὶ ταῦτα ὄντων Κρονίων. *Heſyc. quoque* Κρόνια *refert celebrata menſe Hecatombæone, qui inde antiquitùs* Κρόνιος *appellatus fuit, vt ex Plutarcho colligitur, qui in Theſeo ſic inquit:* ἡμέρα ἐγδόη Κρονίου μηνὸς ὃν νῦν ἑκατομβαιῶνα καλοῦσι. *Latinè* Saturnalia *appellantur. Et quia Athenæus ſcribit, Romanos ſua Saturnalia à Græcis mutuatos eſſe, vnde, &* Κρονίων ἡμέρας *ea nominat, abſque dubio iiſdē ritus in Croniis ſunt obſeruati quorum in Romanorum Saturnalibus meminimus. Verſus tantùm L. Accij, antiquiſſimi Poëtæ, ex ſuis Annalibus adſcribam de Athenienſium* Κρονίοις:

Metœciorum origo.

Maxima pars Graium Saturno, & maximè
Athenæ,
Conficiunt Sacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis,
Cumq; diem celebrant per agros, vrbesq;
ferè omnes,
Exercent epulis læti famulosq; procurant
Quiſq; ſuos, noſtriq; itidem: & mos traditus illinc
Iſte, vt cum dominis famuli tum epulentur
ibidem.

METOIKIA.

M Ετοίκια *ſiue* συνοίκια *apud Plutarchum in Theſeo Sacrum eſſe tradunt, à mutatis ciuium ſedibus: alij autem Ferias fuiſſe volunt, ob receptos in vrbem incolas, decimo ſexto die Hecatombæonis celebratas. Quum enim Plutarchus eo loco oſtendiſſet, Atticæ incolas, ex diuerſis oppidis municipiiſque in vnam ciuitatem à Theſeo coactos, hæc verba ſubijcit:* ἔθυσε δὲ καὶ Μετοίκια τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ ἑκατομβαιῶνος, ἃ ἔτι νῦν θύουσι. *Thucydides lib.* 2. *hoc Feſtum vocat* Ξυνοίκια.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΜΕΓΑΛΑ.

Panathenæa quādo celebrata.

P Anathenæa *duplicia fuiſſe ſuprà oſtendimus* Parua *ſcilicet &* Magna: *de Paruis diximus: de Magnis nunc agemus. Celebrata ſunt illa non quotannis, ſed quinto quoque anno, vt Suidas annotat & in argumento Orationis Demoſthenis contra Midiam indicatur, ſolita ea fuiſſe* τελεῖσθαι κατὰ πενταετηρίδα *Annuis longè fuerunt celebriora, & propterea* μεγάλα *nuncupata: à Latinis rectè* Quinquatria *appellari poſſent.*

Quo menſe & die acta ſint, ego quidem diſertè expreſſum non reperi, coniecturis tamen non leuibus id demonſtrare conabor. Thucydides lib 1 *refert, Harmodium & Ariſtogitonem na-*

ctos

ctos Hipparchum, Piſiſtrati tyranni filium, ad fanum Leocorium, in Panathenaica pompa adornanda occupatum, obtruncâſſe. Rurſus lib. 6. dicit, in feſtis, quæ dicantur Magna Panathenæa, id perpetratum ab ipſis. Vbi notandus obiter error Lazii qui lib. 10. Reip. Romanæ cap. 7. dicit, Thucydidem referre, Hipparchum fuiſſe occiſum ab Harmodio & Ariſtogitone, dum pompa MINORVM Panathenæorum ordinaretur ab Hipparcho Collocat autem Adrianus Iunius in ſuis Faſtis cædem Hipparchi ad diem vigeſimum octauum mènſis Iunii.

Lazii error.

Panathenæorum M. origo.

Inducta primò fuerunt, vt Cælius teſtatur lib. 11. cap. 27. ab Erichtonio Vulcani filio, quum vicatim diſiectum populum Athenienſem in vnam ciuitatem euocâſſet. Scriptum autem reliquit Apollodorus lib. 3. Erichthonium à Mineruæ in templo educatum fuiſſe, cúmque adoleuiſſet, regnúmque Athenarum accepiſſet, Mineruæ altricis ſignum in arce erexiſſe, & Panathenæa ſolennitatem in honorem Mineruæ inſtituiſſe: vt etiam Natalis Comes lib. 6. Mythologiæ cap. 11. refert. Poſtea verò à Theſeo ſunt renouata. Is enim, vt in eius vita Plutarchus ſcribit, poſtquam Atticæ incolas εἰς ἓν ἄςυ συνῴκισε, καὶ μιᾶς πόλεως ἕνα δῆμον ἀπέφηνε τὸν πρότερον σποράδας ὄντας καὶ δυσανακλήτους πρὸς τὸ κοινὸν πάντων συμφέρον. Κατέλυσε τὰ παρ' ἑκάστοις πρυτανεῖα καὶ βουλευτήρια καὶ ἀρχὰς, ἓν δ' ἐποίησεν ἅπασι κοινὸν πρυτανεῖον καὶ βουλευτήριον. Τό ἄςυ τὴν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε, καὶ παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν: hoc eſt, in vnam vrbem congregauit, & vnius vrbis vnum populum effecit, quum antea ſparſim variis habitarent locis, & difficulter pro communi omnium libertate conuenire poſſent. Quúmque ſingulorum Prytanea, curias ac magiſtratus ſuſtuliſſet, vnúmq; & commune omnibus Prytaneum & Curiam conſtituiſſet, ciuitatem Athenas appellauit, & Panathenæa communem celebritatem decreuit. Antè enim nominatam fuiſſe hanc ſolennitatem Ἀθήναια, Iſter tradidit Atticorum lib. 5. id eſt, Minerualia, ſeu Mineruæ Sacra, vt quæ in honorem Mineruæ agitarentur: poſtea verò παναθήναια, διὰ τὴν τῶν πάντων τῶν Ἀττικῶν κατοικούντων εἰς ἓν Ἀθηνῶν ἄςυ συνοίκισιν, vt iam dictum eſt: fuit enim mos Græcis addere vocem illam πᾶν nominibus & verbis quum vniverſitatem ſignificare vellent: vt παμβασιλεὺς, πανδέξιος, παμπόνηρος, πανέλληνες. Poteſt & inde nomen hoc natum eſſe, quòd ad Panathenæorum ludos ex omnibus Atticæ oppidis & vicis conuenirent. Eandem originem Thucydides etiam lib. 2. huius celebritatis refert: Suidas quóque cum Scholiaſte Ariſtophanis ſcribit, fuiſſe ἑορτὴν ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θησέως γενομένῳ συνοικισμῷ: cum enim συναγαγεῖν τοὺς δήμους εἰς ἄςυ.

Athenas Panathenæa vnde dicta.

Poſis libro 3. Μαγνητικῶν, apud Athenæum lib. 12. cap. 16. teſtatur, Themiſtoclem apud Magneſios initio magiſtratu, quem ςεφανηφόρον Coroniferum appellant, Panathenæa ibi inſtituiſſe.

In his Sollennis carmine per tibicinem & præconem ludicrum inducebatur. Ac geſtabant in iis ſenes venuſti ad id delecti oleaginas frondes, quos ob id θαλλοφόρους nominabant: quod Xenophon innuere videtur in Sympoſ. inquiens: Θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντας πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. Ariſtophanis Scholiaſtes in Veſpis refert ex Dicæarchi Panath. καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς παναθηναίοις θαλλοφορεῖν miratur autem vnde id acceperit.

Author Orationis Demoſthenis contra Midiam teſtatur, conſueuiſſe fieri ἐν τοῖς μεγάλοις γυμνάσιά τινα, καὶ προβάλλεσθαι ἀφ' ἑκάςης φυλῆς ἕνα γυμνασίαρχον, λαμβάνοντα χρήματα εἰς τὸ γυμνάζειν τοὺς ἐπιτελέσοντας τὴν ἑορτὴν, καὶ δαπανῶντας ταύτας δαπάνας ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ φυλῆς, hoc eſt, in Magnis Panathenæis, exercitationes quaſdam, & è ſingulis tribubus vnum Gymnaſiarcham conſtitutum, datámq; ei pecuniam ad exercendos eos, qui Feſtum peracturi eſſent, & ad earum rerum ſumptus ſuis tribulibus ſuppeditandos.

Panathenæa inſtituta apud Magneſios.

Erant verò γυμνάσια ſeu exercitationes illæ duplicis generis: Poëtarum videlicet, comœdorum & tragœdorum, vt ex Demoſthenis Oratione aduerſus Midiam luculenter intelligi poteſt. Hinc etiam Ælianus lib. 8. variæ hiſtoriæ ſcribit, Piſiſtrati filium Hipparchum primùm Homeri verſus Athenas importâſſe: & Rhapſodos Panathenaicis feſtiuitatibus eos canere inſtituiſſe: quod tamen ipſum lib. 13. non Hipparcho, ſed Piſiſtrato tribuit.

Panathenæorum ritus.

Erant & certamina curulia, palæſtræ, & id genus alia in his Panathenæis vſitata: vnde Athenæus lib. 4. de quodam Phoco homine intemperantiſſimo ſcribit, quòd in Panathenæis equo vicerit, paterq. eius ſocios ad conuiuium vocârit. Et lib. 5. cap. 3. eiuſdem Autolyci meminit, qui in Panathenæis ob Pancratium coronatus ſit. Sic etiam Xenophon in Symp. dicit, ἦν γὰρ παναθηναίων τῶν μεγάλων ἱπποδρομία. Et Demoſthenes pro Corona, ἀναγορεῦσαι παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι. Ita Euſebius in Chron. Agonem, inquit, gymnicum, quem Panathenæon vocant, Athenis celebratum extitiſſe. Hinc eſt illud in hiſtoriis celeberrimum, de ſene quodam ingreſſo in hoc genus ſpectaculi, qui quum à nullo reciperetur, poſtremò à Lacedæmoniis fuiſſe receptum, & dixiſſe cum lachrymis: Heu me miſerum, vt Græci omnes nouerunt quæ honeſta ſunt, ſed his ſoli vtuntur Lacedæmonii.

Gymnaſtica in Panath. qualia.

In hac verò Celebritate néque ſenes, néque ignobiles, néq; viros, ſed pueros tantùm certâſſe,

Gyraldus Syntag. 17. de Diis ex Ariſtophanis Commentariis refert.

In Panathenais quóque armati pueri ſaltârunt: in quibus, vt in ludis Iuuenalibus Romæ, puellaque formâ conſpicui, manibus amplexi, nunc in orbem, nunc in obliquum per diuerſos flexus Pyrrhicam in theatro ſaltabant: de quo ſaltationis genere in ludis Iuuenalium plura diximus. Referunt autem hoc Phauorinus: Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 19. Scaliger lib. 1. poëtices cap. 27. Cælius lib. 5. cap. 4.

Indicat etiam Alexander Sardus lib. 3. de Gentium moribus, in Panathenæis maioribus conſecrâſſe Mineruæ peplum, Deorum victoria intexta, quam retulerint de Gigantibus, Typhonis cæde, Enceladique imagine, quos Dea interfecerat, & eorum, qui aliquid fortiter egiſſent.

Victoriã in Panathan. præmiũ

Eum verò qui his Ludis viciſſet, præmium aſportâſſe ferunt velut amplum precium Κεράμιον *ſeu amphoram olei octo & quadraginta ſextarios continentem, & coronam oleaginam plexã.*

Ad Panathen. Colonia Atheniens. bouem mittebant.

Ad Panathenæorum deniq; Solennitatem ſingula Athenienſium colonia bouem mittebant, vnde omnes propter carnium magnam copiam ſupra modum ſe cibis ingurgitabant, vt teſtatur Ariſtophanis Interpres in Νεφέλαις.

CAPVT XVIII.

Feſta & Sacra quę IVNIO menſe à Romanis ſunt Celebrata.

CARNÆ DEÆ FESTVM.

Carneorum origo.

Carnea Dea quæ.

C*Alendas Iunias* Carnę *vel* Carmæ Deæ *ſacrauit antiquitas. Nam Iunius Brutus, qui primus Conſul Romæ factus eſt, Calendis Iuniis, pulſo Tarquinio, huic Deæ & templum dedicauit, & ſacra in Cælio monte voti reus fecit. Hanc Deam vitalibus humanis praeſſe crediderunt. Ab eâque petierunt, vt iecinora & corda, quæq; ſunt intrinſecus viſcera, ſalua conſeruet. Ob eamq; cauſam Brutus ei templum conſecrauit, quòd cordis beneficio, cuius diſſimulatione idoneus habebatur, ſtatum publicum emendâſſet. Huic Deæ pulte fabariâ & laride ſacrificabantur, quòd vires maximè his rebus corporis roborentur. Non & Calendæ Iuniæ Fabariæ vulgò vocabantur, quia hoc menſe adultæ fabæ diuinis rebus adhibebantur. Hactenus Macrobio teſte lib. 1. Saturn. cap. 12. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. Ouidius lib. 6. Faſt. Nympham fuiſſe fabulatur, & dictam Cardinã, quaſi Cardinam putat, à Cardinibus nimirum, quibus præſit. Compreſſam enim à Iano, pro mercede concubitûs, accepiſſe poteſtatem aperiendi clauſa, & aperta claudendi: atq; inſuper virgam tanalem, quâ ſtriges à foribus pellerentur. Sic enim canit:*

Prima dies tibi Carna datur: Dea Cardinis hæc eſt,
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Et quum ſtuprum ei à Iano illatum deſcripſiſſet, hæc Ianum loquentem introducit:

Ius pro cõcubitu noſtro tibi Cardinis eſto,
Hoc precium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus, virgam, quâ triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Carneorum ritus.

Moris autem fuit ſacrificare & guſtare hoc die in honorem Carnæ Deæ lardum, & pultem fabaceam, hoc eſt, fabas mixtas cum calido farre. Vnde & Calendæ Fabaceæ *dictæ ſunt. Factum hoc docet Ouidius, quod vetuſtiſſimam Deam priſcâ frugalitate delectari crederent: ſic enim lib. 6. Faſt. canit:*

Pinguia cur illis guſtentur larda Calendis,
Mixtáq; cum calido ſit Faba farre rogas,
Priſca dea eſt, alitúrq; cibis, quibus antè ſolebat,
Nec petit aſcitas luxurioſa dapes.
Piſcis adhuc illis populis ſine fraude natabat,
Oſtreáque in conchis tuta fuere ſuis.

Et Mox:

Sus erat in precio, cæſâ ſue feſta colebant.
Terra fabas tantùm, duráq; farra dabat.
Quæ duo miſta ſimul ſextis quicúnq; Calendis
Ederit, huic lædi viſcera poſſe negant.

His duobus vltimis verſibus, aliam cauſam afferre videtur, ob quam Calendis Iuniis, quæ ſextæ ſunt à Ianuariis Calendis, lardo, farre & fabâ Carnæ ſacrificatum fuerit, quòd nimirum vires corporis his rebus maximè roborentur, nec læderentur; cuius etiam Macrobius meminit lib. 1. Saturnaliorum: ob eámq; cauſam, has fabas, niſi Calendis Iuniis adultæ forent, Sacris adhibere non licebat, vt Alex. ab Alex. teſtatur lib. 2. cap. 22. In quo authore obiter mendum exemplaris notandum videtur, nam quòd ſacrum Carnæ Deæ Calendis Iulii factum ſcribit, de Calendis Iunii intelligendum eſt.

Alex. ab Alex. error.

Iunonis Monetę Feſtum.

Feſti huius origo.

C*Alendis Iuniis etiam dedicata eſt ædes Iu*nonis Monetæ. *Vouerat eam M. Furius Camillus dictator in ipſo prælio cum Auruncis facto. Romam quum reuerſus eſſet, Senatus Duumuiros ad eam ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari iuſſit, locus in arce deſtinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitoli fuerat. Is Manlius direptâ penitus & incenſâ vrbe à Gallis Senonibus, & arce Capitolinâ obſeſſâ, quum noctu arcem Galli aſcenderent, clangore anſerum expergefactus, primus Gallos adortus eſt, & inde vi propriâ repulit, vnde, & Capitolinus appellatus. Sed poſtea affectati regni conuictus damnatúsque, e ſaxo Tarpeio*

peio præcipitatus eſt, vt Varro & Liuius referunt. Plutarchus addit, Romanos, dirutâ eius domo, ædem Iunonis Monetæ ibi dedicâſſe. Facto eſt ea dedicatio anno poſtquam voto erat, C. Martio Rutilio, T. Manlio Torquato Conſulibus: Prodigiumq́; extemplò dedicationem ſequutum eſt. quòd & nox interdiu viſa intendi, & lapidibus Plut. Meminit huius ædis Solinus his verbis: Tatius in arce, vbi nunc eſt ædes Iunonis Monetæ 27. Olympiade hominem exuit. *In Romuli vita Plutarchus inquit,* incoluiſſe Tatium eam vrbis partem, vbi nunc Monetæ templum ſit, quâ ex Palatio in Circum maximum itur, iuxtà quem locum ſunt quos Pulchræ Monetæ gradus vocant. *De huius Deæ templo eiusq́; Feſto die ad eundem modum Ouidius canit lib. 6. Faſt.*

Arce quoq; ex ſumma Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.
Antè domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino repulit arma Ioue.

Valerius Maximus lib. 1. de Miraculis, & Lactantius lib. 2. Inſtitut. Iunonem Monetam eam vocant, quæ captis Veiis Romam translata eſt. Sed Liuius lib. 5. ab vrbe condita, eam Iunonem Reginam verbis Furii Camilli nominat, eique non in Capitolio, ſed in Auentino templum locâſſe ſcribit Dictatorem illum.

Dea Moneta vnde dicta. *Dictam autem hanc Deam* Monetam *à monendo, Ciceroni in libro de Diuinatione placet. Nam quum nouo motu tota vrbs contremiſceret, & quibus piamentis cuiúe Deo Sacrum fieret, non dignoſcerent, ex arce vocem auditam ferunt monentem, vt ſue plena ſacrum Iunoni & procuratio fieret: refert etiam Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 4. Suidas huius nominis aliam reddit cauſam & originem.* Cùm Romani, *inquit,* pecuniâ indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Iunonem inuocârunt: quæ illos monuit, ſi juſtitiæ armis vterentur, pecuniam eis non defuturam. Id quum Romanis rectè contigiſſet, Monetam Iunonem venerati ſunt. *Sed potius credendum Ciceroni arbitror, præſertim quum diu ante Pyrrhum huius Deæ & templum Romæ, & nomen Monetæ fuerit.*

Martis Extramurani Feſtum.

APud Romanos Mars duo templa habuit: alterum intra vrbem, ad tranquillitatem cuſtodiendam, & vrbis defenſionem: alterū verò extra vrbem, in via Appia, ad portam Capenam, cuius ſæpè meminit Liuius. Huic Marti qui in templo extramurano colebatur, Feſtum diem agebant etiam Calendis Iuniis, vt Ouidius lib. 6. Faſt. indicat, nam ſuperioribus de Iunone Moneta hoc ſubiicit:

Lux eadem Marti feſta eſt, quem proſpicit extrà
Appoſitum tectæ porta Capena viæ.

Hoc enim die ædem hanc Martis Gallico bello votam dedicatam eſſe à T. Quintio Duumuiro Sacris faciendis, Liuius author eſt libro 6. ab vrbe condita. Paulus Marſus verò indicat, non tamen adnotato authore, Syllam in ædilitate ſua templum hoc Martis conſecraſſe extra muros, ſupra centum columnas, dictumq́; Martis Extramurani. *Iuxta hanc ædem lapis erat: quem quum in nimia ſiccitate in vrbem pertraxiſſent, mox pluuia ſequebantur: eumq́; quòd aquis manaret,* Manalem Lapidem *dixerunt, authore Feſto.*

Tempeſtatis Feſtum.

CAlendis quoq́; Iuniis Tempeſtas *Dea colebatur Romæ eique templum extructum fuit, & conſecratum hoc die quòd ſeruâſſet claſſem Romanorum, quæ penè apud Corſicam interierat. Vnde Ouidius ſic cecinit:* *Feſti huius origo.*

Te quoq; Tempeſtas meritam delubra fatemur
Cùm penè eſt Corſis obruta Claſſis aquis.

Factum hoc alii volunt in primo, alii in ſecundo bello Punico, quum ſæua Tempeſtas Claudii Conſulis claſſē in vaſtiſſimis locis adorta diſiecit, quem Liuius ait è Corſica in Sardiniam traiecisse.

Bellonę Feſtum.

PRidie Nonas Iunias, hoc eſt, quarto die menſis huius, Feſtum *eſt* Bellonæ, *eo enim die dedicatum eſt ei templum, non quidem extra vrbem, vt quibuſdam placet, id nimirum, in quo Scipioni reuerſo ex Hiſpania, pulſis Carthaginenſibus, ſenatus datus eſt, Plutarcho authore: ſed in vrbe, non procul à Circo maximo, vbi columnella fuit quæ* Bellica *dicebatur. Cui proximam fuiſſe Bellonæ ædem Feſtus his verbis docet:* Bellona dicebatur, *ait,* Dea bellorum, ante cuius templum erat columnella, quæ Bellica vocabatur: ſuper quam haſtam jaciebant, quum bellum indicebatur. *Huius ædis author Appius Claudius fuit, quum Hetruſcos bello viciſſet. Et autem hic Appius Claudius, quem poſtea luminibus captum ferunt, quum à Potitiis ad ſeruos Herculis Sacra tranſtuliſſet, quiq́; & cæcus & ſenex diſſuaſit pacem cum Pyrrho faciendam. Nam Plinius alterius Appii Claudii meminit, qui primus clypeos in ſacro vel publico dicari priuatim inſtituit, Conſulq́; fuit anno vrbis 259. eúmque altera in æde Bellonæ poſuiſſe maiores ſuos refert, quum placeret in excelſo ſpectari, ac titulos honorū legi de his Ouidius lib. 6. Faſt. ita cecinit:* *Bellonæ Feſti dies & origo.*

Mauè vbi bis fuerit, Phœbusq; iterauerit ortus,

Facta-

Factáque erit poſito rore bis vda ſeges,
Hoc ſacra die Thuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt:
Appius eſt author, Pyrrho qui pace negatâ,
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Proſpicit à tergo ſummum breuis area Circum,
Eſt ibi non paruæ parua columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti,
In Regem & gentes cum placet arma capi.

Bellonæ feſti ritus.

Huius Deæ ſacerdotes non animali hoſtiâ, nec victimâ, ſed ſuo cruore ſacrificabant: gladios enim diſtrictos vtráque manu tenentes, humeros ſibi & lacertos tanquam fanatici diſſecabât: hoc ſanguine litari & crimina expiari putantes: ac pro vulneribus ſtipes recipiebant, vt teſtatur Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 12. Meminit etiam Lucanus, quum inquit:

——— Tunc quos ſectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinere Deos, *&c. Meminit etiam Tertullianus in Apologet. & Lactantius lib. 1. Diuin. Inſtitut.*

Herculis Feſtum.

Herculis feſti origo.

A*D Circum maximum ædificatum erat Herculis templum à L. Sylla, & à Senatu dedicatum, probante id Syllâ, monitu Sibyllinorum oraculorum. Celebrabatur autem conſecrationis eius Feſtum Pridie Non. Iunias. Sic enim Ouidius lib. 6. Faſt. canit:*

Altera pars Circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt.
Quod Deus Euboico carmine munus habet.
Muneris eſt tempus, qui Nonas lucifer ante eſt.
Si titulos quæris, Sylla probauit opus.

Herculis in feſto conuiuia celebrata.

Eodem die Sylla Dictator, Plutarcho authore, ex vniuerſis fortunis Herculi decimam ſacrificans, opipara populo conuiuia fecit. Inde fortaſſe conſuetudo inualuit, Athenæo lib. 4. teſte, vt etiam poſterioribus temporibus triumphantes in hoc templo conuiuati ſint magnifico apparatu, Potio mulſum adminiſtrabatur, atque cibi erant magni panes, carnéſque fumoſæ elixæ, & nuper iugulatarum victimarum carnes aſſatæ multæ.

Herculis Feſti antiquitas.

Sed diu ante hæc tempora Herculi Græco Feſta & Sacra in Latio ab Euandro inſtituta fuiſſe Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 1. & Liuius ab initio mox ſua hiſtoria indicant. Herculem, *ait Liuius*, in ea loca Geryone interempto, boves mirâ ſpecie abegiſſe commemorant, ac prope Tiberim fluuium, quâ præ ſe armentum agens nando traiecerat, loco herbido, vt quiete & pabulo læto reficeret boues, & ipſum feſſum viâ, procubuiſſe. Ibi quum eum cibo, vinoq́; grauatum ſopor oppreſſiſſet, paſtor, accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, quum auertere eam prædam vellet, quia, ſi agendo armentum in ſpeluncam abegiſſet, ipſa veſtigia quærentem dominum eò deductura erant, auerſos boves eximium quenq́; pulchritudine, caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram ſomno excitus, quum gregem perluſtrâſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi fortè eò veſtigia ferrent. Quæ vbi omnis foras verſa vidit, nec in partem aliá ferre, confuſus atq́; incertus animi, ex loco infeſto agere porro armentum occœpit. Inde quum actæ boues quædam ad deſiderium, vt fit, relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem conuertit. Quem quum vadentem ad ſpeluncam Cacus vi prohibere conatus eſſet, ictus claua fidem paſtorum nequicquam inuocans, morte occubuit. Euander rum ea, profugus ex Peloponneſo, authoritate magis quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita matris Carmentæ, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant, concurſu paſtorum trepidantium circa aduenam manifeſtæ cędis reum excitus, poſteaquam facinus, facinoriſq́; cauſam audiuit, habitum formamq́; viri aliquantum ampliorem, auguſtioremq́; humanâ intuens, rogitat qui vir eſſet? Vbi nomen, patremq́; ac patriam accepit, Ioue nate Hercules ſalue, inquit, te mihi mater veridica, interpres Deûm, auctuum cœleſtium numerum cecinit, ibiq́; aram hîc dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens Maximam vocet, tuoq́; ritu colat. Dextrâ Hercules datâ, accipere ſe omen, impleturúmque fata ara conditâ & dicatâ ait. Ibi tum primùm boue eximiâ capta de grege, Sacrum, adhibitis ad miniſterium, dapémque Potitiis & Pinariis, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant, factũ. Perfecto autem matutino ſacrificio, quum circa ſolis occaſum ſacra eſſent repetenda, Potitii priores aduenerunt, iiſque exta appoſita ſunt, Pinarii verò extis iam adeſis ad cæteram venerunt dapem. Vnde iratus Hercules ſtatuit vt Pinariorũ familia tantùm miniſtra eſſet, epulantibus Potitiis, & cõplentibus ſacra. Hæc verò Sacra Romulus vna ex omnibus peregrina ſuſcepit, &

Romæ

Romæ peragãda decreuit: adeoq́; etiam ſub Romanorũ imperio per multas ætates Potitij Antiſtites his ſacris præfuerunt: donec tradito ſeruis publicis ſolenni familiæ miniſterio, Potitiorum ac Pinariorum omne genus periit. Id enim Apius Claudius quum eſſet Cenſor effecit, hiſce familiis infenſus: ob ídque ita Deorum (vt creditur) luminibus priuatus eſt.

Eodem modo originem Herculis Feſti & Sacri recenſet ipſe Rex Euander Æneæ apud Vergilium lib. 8. Æneid. ſic inquiens:

Non hæc ſolennia nobis
Has ex more dapes, hanc tanti Numinis aram,
Vana ſuperſtitio, veterumúe ignara Deorum
Impoſuit: ſæuis, hoſpes Troiane, periclis
Seruati facimus: meritoſq́; nouamus honores.

Et ubi commemoraſſet ordine hiſtoriam Herculis & Caci, hæc, hæc ſubiungit:

Ex illo celebratus honos, lætíque minores
Seruauere diem. Primúsque Potitius author:
Et domus Herculei cuſtos Pinaria Sacri,
Hanc aram luco ſtatuit, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Herculis feſti ritus.

Quibus autem ritibus hæc Solennia Herculis celebrata fuerint, ex Vergilio non obſcurè intelligitur, qui lib. 8. Æneid. ſic canit:

Fortè die ſolennẽ illo Rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ mangno, diuíſq; ferebat
Ante vrbem in luco Pallas huic filius vnà,
Vnà omnes juuenum primi, paupérque ſenatus
Tura dabant, tepidúſque cruor fumabat ad aras. *Et mox:*
Hæc vbi dicta, dapes iubet & ſublata reponi
Pocula: gramineoq́; viros locat ipſe ſedili:
Præcipuúmq; thoro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioq́; inuitat acerno.
Tunc lecti juvenes certatim, aræq́; Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerántque caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchúmque miniſtrant.
Veſcitur Æneas ſimul, & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.
Et mox:
Deuexo interea propior fit veſper Olympo:
Iámque Sacerdotes, primúſque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammáſque ferebant.
Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt: Cumulántque oneratis lancibus aras.
Tum ſalii ad cantus, incenſa altaria circũ
Populeis adſunt euincti tempora ramis.
Hic juuenum chorus, ille ſenum: qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt: vt prima nouercæ
Monſtra manu geminoſq́; premens eliſerit angues: &c. *Et mox:*
Exin ſe cuncti Diuinis rebus ad vrbem
Perfectis referunt.

In ſacris Herculis nullus alius Deus nominabatur, nec Deus conſpiciebatur.

In ſacrificiis etiam Herculis nullus alius Deus nominabatur, neque intra ſepimenta canis conſpiciebatur, Varrone teſte: vel quia Semideus habitus fuit Hercules: aut quia adhuc inter homines degenti Euander, vti diximus, arã poſuit, & victimam obtulit. Omnium autem animalium nullum infeſtius habuit Hercules cane, vt qui ei plurimum negotii exhibuit: & Cerberus canis fuit: præterea cùm Licymnii filium Oeonum canis cauſâ interfeciſſet Hippocoontida, coactus pugnam committere, cùm multas alios ſociorum, tum Iphiclum amiſit: vt Plutarchus narrat in Quæſt. Romanis, quæſt. 90.

Sancti Fidii Semipatris Feſtum.

Sancti Fidii Semipatris feſti origo.

SAncti Fidii Semipatris Feſtum *Nonis Iuniis colebatur. Erat is Sabinorum Deus; re quidem vnus, ſed diuerſis nominibus appellatus. Ei in colle Quirinali Sabini, quum in communem ciuitatem aſciti eſſent, templum condiderunt, & hunc diem in eius honorem celebrârunt Feſtum. Quod Ouidius his verſibus docet lib. 6. Faſt.*

Quærebam, Nonas Sancto, Fidióne referrem,
An tibi Semipater. Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunq́; ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donârunt æde Sabini,
Inq́; Quirinali conſtituere iugo.

Iuſiurandus Fidius Semipater, cur Iupiter appellatus.

Per hunc Deum Iuſiurandum ſi fieret, magnam vim habere putabatur. Vnde Plautus in Aſinaria: Per Deum Fidium quæris? iurato mihi video neceſſe eloqui quicquid roges. *Sunt qui eſſe hunc Deum Herculem Iouis filium arbitrentur. Vnde* Medius Fidius *dicebant jurantes per Iouem, filiúmque Iouis Herculem, Seruio teſte. Veteres enim Romani, vt Feſtus docet, pro litera L. vtebantur ſæpè literâ D. Vocabatur autem* Sanctus, *quòd eum minimè corrumpi oporteret. Sanctum enim aliquando incorruptum ſignificat. Vt autem* Semipater *vocaretur, hanc rationẽ afferunt, quod Hercules vnus Deorũ, quos Apuleius* Medioximos *vocat,*

ſtuduit

ſtuduit hominum commodis ac tutela, conſueuitq́; etiam non rogatus laborantibus ſubuenire. Vel quod magis placet, quia Hercules Sol eſt, vt Macrobius ex aliorum ſententia docet : à quo & homine conſtat gigni hominem, vt Ariſtoteli placet.

Piſcatorii Ludi & Feriæ.

S*Eptimo Idus Iunias celebrabatur* Piſcatorum Feriæ *&* Ludi *in campo Martio ad flumen Tiberis, vt fauente eo, abunda piſcatio, & proinde vberior quæſtus fieret, vt habetur in fragmento Feſti nuper reperto & excuſo. De quo Ouidius etiam lib. 6. Faſtorum ſic cecinit :*

Tertia poſt Nonas remouere Lycaona Phœbo
Fertur, & à tergo non habet vrſa metum.
Tunc ego me memini Ludos in gramine campi.
Aſpicere, & dici lubrice Tibri tuos.
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt paruis æra recurua cibis.

Feſtus : Piſcatorii Ludi vocantur, qui quotannis trans Tiberim fieri ſolent à Prætore vrbano pro Piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum peruenit, ſed ferè in aream Volcani, quòd id genus piſciculorum viuorum datur ei Deo pro animis humanis.

Mentis Sacrum.

Mentis feſti origo.

S*Exto Idus Iunias* Deæ Mentis Feſtum *colebatur. Nam huic Deæ templum votum eſt ſecundo bello Punico ab Attilio Craſſo Prætore, C. Flaminio Conſule inſidiis ab Hannibale circumuento, caſoq́; ad lacum Thraſimenum : eo autem poſtea victis à Romanis dedicata fuit hoc die. Vide Liuium lib. 2. de Bello Punico. Ouidius de hoc Feſto ita canit lib. 6. Faſt.*

Mens quóque Numen habet, Menti delubra videmus
Vota metu belli perfide Pœne tui.
Pœne rebellabas, & letho Conſulis omnes
Attoniti Mauras pertimuere manos,
Spem metus abſtulerat, cúm Menti vota ſenatus
Suſcipit, & melior protinus illa venit.
Aſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
Illa dies, qua ſunt vota ſoluta Deæ.

Lactantius, vbi meminiſſet conſecrationis Virtutis & Honoris, hæc ſubiicit : Eâdem vanitate Mentem quóque inter Deos collocauit ſenatus : quam profectò ſi habuiſſet, eiuſmodi Sacra nunquam ſuſcepiſſet. *lib. 1. Diuinarum inſtitut. cap. 20.*

Vestalia.

Q*Vinto Idus Iunias eſt Feſtum* Veſtæ*, Qui virgines Veſtales, teſte Varrone, ſacrificent Veſtæ. Hanc Deam nonnulli pro terra quandóq; ſumunt, eò quòd rebus omnibus terra veſtiatur, ſeu quia vi ſua ſtet. Vnde ſic Ouidius lib. 6. Faſt.* *Veſtalium dies. Veſta quæ.*

Stat vi terra ſuâ : vi ſtando Veſta vocatur.
Cauſáq; par Graii nominis eſſe poteſt.

Nam ſunt qui ἀπὸ τῆς ἑστίας *nomen Veſtæ deductum putent, aſpiratione in V. conſonantem mutatâ : Cui ſententia Cicero ſubſcribit lib 1. de Natura Deorum* Veſtæ *(inquit)* nomen ſumptum eſt à Græcis. *Interdum ponitur pro igne. Sic Ouidius lib. 6. Faſt.*

Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam.

Veteres enim duas Veſtas eſſe dixerunt, Vnam Saturni matrem : alteram eius filiam, de qua ſic Ouidius lib. 6. Faſt.

Ex Ope Iunonem memorant, Cererémque creatas,
Semine Saturni : tertia Veſtâ fuit.

Confundunt verò has Poetæ, alteram pro altera ponentes. Id tamen obſeruandum eſt, quum Veſtā pro Terrà accipiunt, de matre Saturni id eſſe intelligendum : quando verò virginem nominant, de filia eius accipiendum, quam ignem eſſe voluerunt. Hanc vnam ex Diis Penatibus eſſe affirmant, quos Æneas ex Aſia in Italiam ſecum aduexerit : Vergilius enim lib. 2. Æneid.

Sic, ait, & manibus vittas, Veſtámq; potentem,
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Cui ſententiæ non obſcurè aſtipulatur Liuius, quum Veſtæ Sacra vetuſtiſſima eſſe aſſerit, & ab Albanis accepta, à Numa Pompilio autem primùm Romæ inſtituta : multiſq́; ceremoniis venerabiliora effecta. Primus enim ille Sacerdotes ei ſacrauit, ſtipendio publico donauit, perpetuâ virginitate, aliiſque ceremoniis venerabiliores effecit. Harum potiſſima cura erat, vt ignem perpetuum conſeruarent : qui ſi fortè per negligentiam fuiſſet extinctus, alio ex igni reparare fas non erat, ſed accensâ per fomites ex ſole flammâ purus & cœleſtis ignis eliciebatur : & virgines, quarum negligentiâ extinctus eſſet, virgis à Pontifice cædebantur. *Veſtæ ſacra vetuſta.*

Templum quóque huic Deæ conditum & dedicatum fuit Romæ, in quo ſacrificatum ei, & inde etiam dies feſtas celebratus eſt. Feſtus refert, Penum vocari locum intimum in hoc templo Veſtæ, ſegetibus ſeptum, qui certis diebus circa veſtalia apertus fuerit, eóſque dies religioſos habitos fuiſſe. *Sed non conuenit inter authores à Romulone, an verò à Numa Pompilio id factum fuerit. Minimis hu-* *Veſtæ ſacrata feſta à quo Romæ primùm.*

jus litis Dionyſius Halicarnaſſ.lib. 2. Antiquit. Romanarum, eámque omnium aptimè compoſuiſſe videtur. Quidam, *inquit*, Romulum huius templi Conditorem exiſtimant: abſurdum rati, ſi vir rerum diuinarum peritus non ante omnia publicum vrbis larem ſacraret præſertim educatus Albæ, vbi vetus eius Deæ ſacratium fuerat, & penes ipſius matrem ſacerdotium. Cumq; duo ſint Sacrorum genera, publica & gentilitia, neceſſe aiunt vtróque nomine illa non neglecta eſſe à Romulo. Nihil enim publico lare magis neceſſarium, & ipſe nulla ſacra magis habuit familiaria, quippe oriundus à maioribus per quos illa tranſportata fuerant ab Ilio, atque etiam natus ex hujus Deæ ſacrifica. Sed iſti qui hoc templum malunt Romuli eſſe quàm Numæ ædificiom, quod ad Remp. attinet rectè exiſtimant, oportuiſſe primum aliquem focum eſſe communem omnium ciuium, nec hoc ignorâſſe conditorem vrbis pro ſua ſapientia: cæterum quod priuatim ad huius templi apparatum ſpectat & ad ſacratas Deæ virgines, videntur mihi parùm intelligere. Neque enim locum, in quo ſacer ignis aſſeruatur, huic Deæ dicâſſe Romulum, argumenro certiſſimo id eſt, quòd ſitus is eſt extra quadratam Romam quam ille muniit: publici autem laris focum omnes ſolent in præcipua parte vrbis locare, nemo extra mœnia. Neque etiam virgines Deæ Sacerdotes inſtituit, memor fortaſſe materni dedecoris, quæ inter illius miniſteria virginitatem amiſerat: haudquaquam idoneus futurus vltor iuxta leges patrias, ſi quam violâſſe pudorem deprehendiſſet, ne ſibimet refricaret probrum domeſticum. Quapropter nullum fecit publicum Veſtæ templum, nec virgines Sacerdotes optauit vt illam colerent: ſed per ſingulas curias focum dicauit, vbi curiales rem diuinam facerent: eiſque ſacris curiones ipſos præpoſuit, juxta morem qui adhuc ſeruatur in antiquiſſimis Græcorum vrbibus: In his enim Prytanea quæ vocantur ſacrata ſunt, & ad ſummum Magiſtratum cura eorum pertinet. At Numa regno potitus, relictis ſuo loco focis curiatim poſitis, vnum inſuper omnibus communem eſſe voluit medio Capitolium inter & Palatium ſpacio, cùm jam hos colles idem murorum ambitus cingeret, quâ inter vtrunque ſitum erat forum templi ſedes. *Hæc omnia Dionyſius. Cui ſententiæ ſubſcribere videtur etiam Ouidius lib. 6. Faſt. ita canens:*

Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,
Cùm flamę cuſtos æde recepta Dea eſt.
Regis opus placidi, quo non metuentius vllum
Numinis ingenium, terra Sabina tulit.

Nec diſſentit Plutarchus in Numa. Ædem autem hanc rotundam Numa condidit, imitatus terræ, vel totius mundi figuram, cuius medium ignis à Pythagoricis putabatur. Simulachrum in hoc nullum Veſtæ ſeruabatur ſed ignis tantùm in medio eius, cuius ſimulachrum non datur. Vnde & Ouidius:

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulachra putaui,
Mox didici curuo nulla ſubeſſe tholo.
Ignis inextinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam Veſta nec ignis habet:

Alij tradunt præter ignem occulta quædam Sacra in hoc Fano etiam fuiſſe, ſolis æditui & virginibus cognita: de quibus vide Dionyſium lib. 2. Antiquitat.

Hoc autem die quo Veſtæ rem Diuinam faciebant Veſtales eo cultu ornatuq; erant, vt licet vittatæ jam antè eſſent, tunc tamen album veſtimentum, quod ſuffibulum vocant, oblongum, prætextum quadrangulum in capite ſumerent, illudq; fibulâ ſubnecterent: Caſtaq; molâ, & ſale tuſo, ac in ollam fictilem miſſo, & mox in furno percocto, ſacra facerent, calicibúſque fictilibus, qui Cululi *dicti ſunt, Veſtæ libarent: vt refert Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12. Hoc etiam die, cùm conuiuia paſſim ante focos agitarentur cibi quoque virginibus Veſtalibus à ciuibus mittebantur Deæ Veſtæ libandi. Neq; olim, niſi aquâ de fluuio Numico libabant ei, quòd in ea corpus Æneæ repertum eſſet. In eiuſdem Deæ ſacro, quia piaculum erat, ſi aqua hauſta ad Sacra in terra poneretur, vtebantur vaſe quod à Seruio* Futis, *à Donato* Futile *appellatur. Id erat acuto fundo, & ore patulo, nec ſtare poterat, ſed poſitum ſtatim effundebatur.*

Veſtalium ornatus in Veſtæ feſto & eius ritus.

Eâdem die in honorem Veſtæ aſini molas vertere conſueti, coronati floribus, & è pane veluti monilia quædam gerentes ad focos ducebantur à piſtoribus: molæ etiam ſertis & floribus ornabantur. Hunc ritum ita deſcribit Ouidius lib. 6. Faſt.

In Veſtæ feſto aſini coronabantur.

Ecce coronatis panis dependet aſellis,
Et velant ſcabras florida ſerta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ:
Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat,
Strataq; erat tepido tegula quaſſa ſolo.
Inde focum ſeruat piſtor, dominámque focorum,
Et quæ pumiceas verſat aſella molas.

Senſus eſt: quòd olim molarum nullus vſus fuerit, ſed farra ſolummoda in furnis, Veſtæ, hoc eſt ignis beneficio torreri cõſueuerint, indeq; mos ſeruatus fuerit, vt hoc die & foci, & Da-

mina ſacorũ, quæ Veſta eſt, à Pictoribus colerentur: & aſini, qui ſcilicet primis temporibus Veſtæ beneficio immunes à circum agendis molis eſſent, quando nullus earum Romæ vſus eſſet, vacarent & feriarentur: vt In Fornacalibus dictum eſt. Recenſet ibidem Poëta fabulam, quâ etiam docet, vnde mos coronandorum in Veſtalibus aſinorum originem habuerit. Nam quum Cybele ad conuiuiũ Deos vocâſſet, & poſt epulas alij ludis, alij quieti ſeſe dediſſent, Priapus dormientẽ Veſtã compreſſiſſet, ni rudens Sileni aſinus illã excitâſſet. Ob meritum igitur excitata Dea in Veſtalibus capita eis panibus redimibãt.

In Veſtalibus matronæ nudis ibant pedibus ad ædẽ Veſtæ.

In his denique Veſtalibus ad ædem Veſtæ Matronæ nudis ibant pedibus, Nam olim ea parte lacunæ fuerunt, vt ſicco pede templum id adire non potuerit. Etſi verò progreſſu temporis ſsceatæ ſint illæ, in memoriam tamen veteris conſuetudinis hic ritus obſeruabatur: de quo Poëta noſter ita cecinit:

Fortè reuertebar feſtis Veſtalibus illac,
Qua via Romano nunc Noua juncta foro eſt.
Huc pede matronam nudo deſcendere vidi:
Obſtupui tacitus, ſuſtinuiq; gradum.
Senſit anus vicina loco, juſſúmque ſedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput,
Hoc, vbi nunc fora ſunt, vdæ tenuere paludes,
Amne redundanti foſſa madebat aqua.
Curtiùs ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus: ſed lacus antè fuit.
Quâ Velabra ſolent in Circum ducere pompas,
Nil præter ſalices, craſſáque canna fuit.
Et mox:
Hic quóque lucus erat juncis & arundine denſus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna receſſerunt, & aquas ſua ripa coërcet,
Siccáque nunc tellus: mos tamen ille manet.

Hac etiam die, vel iuxta alios proximè præcedente, celebrabatur memoria aræ Ioui Piſtori poſitæ in Capitolio. Hiſtoriam hanc pluribus recitat Ouidius lib. 6. Faſt. Summa eſt: Ioui ara poſita fuit in Capitolio, quòd Gallis Capitolinum obſidentibus, Romanos Duces in ſomno moniſſet, vt ex omni frumento, quod haberent reliquum panem coquerent, vnde & Piſtor vocatus fuit, & in hoſtium caſtra proijcerent: quo facto ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis, inopiâ Romanos ſubigi poſſe.

Matralia ſiue Matutę Deę Feſtum.

Matraliorum dies Matutæ quæ.

QVi *Veſtalia ad 6. Id. Iun. ponunt*, Matralia, *ſeu* Deę Matutæ *Feſtum ad 5. Id. referunt: qui verò illa ad 5. Id. Iun. referunt hoc ad 4. Id. ponunt. Fuit autem* Matuta *Leucothea, Plutarcho teſte in Camillo & in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 16. Cicero quoque ſic ait:* Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à noſtris, & Aurora. *Ad eundem prorſus modum Ouidius lib. 6. Faſt. ait:*

Leucothea Graijs, Matuta habebere noſtris.

Quod autem Matuta ſit Aurora, patet ex Lucretij lib. 5. vbi ſic canit:

Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Ætheris auroram deſert, & lumina pandit.

Dicta eſt primò Ino, fuitque Cadmi ex Hermione filia, vxor autem Athamantis Thebarum Regis, quo furente, & Learcho ab eo interfecto, cum Melicerta altero filio & ipſa furens ſe in mare præcipitem dedit: vbi Deorum miſeratione in Numen marinum conuerſa, à Græcis Leucothea, hoc eſt, alba dea nomen accepit. Fabulam hanc pluribus deſcribit Ouidius lib. 4. Metamorph. & lib. 6. Faſt. vbi etiam indicat, hanc Matutam Euandri tempore in Latium veniſſe, eámque Carmentam matrem Euandri fatidicam incolas eius regionis vnà cum filio pro Diis marinis colere iuſſiſſe.

Matutæ templũ Romæ.

Fuit autem ædes deæ Matutæ in foro boario Romæ, quam Seruius Tullius hac ipſa die poſuit, vt Ouidius his verbis libro 6. teſtatur Faſt.

Pontibus & magno juncta eſt celeberrima Circo
Area, quæ poſito de boue nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ Sacra parenti
Sceptriferas Serui templa dediſſe manus.

Verum poſtea à Camillo ex voto refecta & conſecrata eſt. De quo Plutarchus ſic in eius vita ſcribit: Primò vouit ſi felicem exitum bellum haberet, magna ſpectacula ſe facturum, & templum Deę, quam Matutam matrem Romani vocant, conſecraturum. *In eandem etiam ſententiam Liuius lib. 5. ab vrbe condita,* Ludos, *inquit*, magnos ex Senatusconſulto vouit, Veijs captis, ſe facturum, ædemq; Matutæ matris refectam dedicaturum, jam antè à Rege Seruio Tullio dedicatam. *Et paulò poſt:* Tum Iunoni Reginæ templum in Auentino locauit, dedicavítque Matutæ matris. *Quo tamen loco Carolus Sigonius pro Matuta Soſpitam legendum docet. Hoc templum rotunda forma, erectis in ambitu columnis, integrum adhuc eſſe in ripa*

Tibe-

Tiberina, extremáque parte fori; ſub titulo S. Stephani martyris. Paulus Marſus teſtatur.

Matralium ritus. Huic Deæ in hoc templo (*vt Varro inquit*) in Matralibus Matronæ teſtuaceum faciebant, *ſic dictum, quòd in teſta calida co-*
1. *queretur: cùm idem libum nominatum exiſtimet, quòd, priuſquam coctum eſſet, libaretur. Hinc Ouid. lib. 6. Faſt.*

Ite bonæ Matres, veſtrum Matralia Feſtum
Flauaq; Thebanæ reddite liba Deæ.

Horum autem liborum offerendorum mos ab iis libis, quæ Carmenta ei obtulit, quum hoſpitio eam ſuſcepiſſet, originem habuit. Id Ouidius his verſibus docet:

Liba ſuâ properata manu Tegeæa Sacerdos
Traditur, & ſubitò cocta dediſſe foco.
Nunc quoq; liba iuuant feſtis Matralibus illam,
Ruſtica ſedulitas gratior arte fuit.

2. *Currebant autem circa hæc ſacrificia, vt Plutarchus in Camillo clare atteſtatur, & inde hanc Deam Leucatheam eſſe cognoſci poſſe. Sic enim ait:* ταύτην ἄν τις ἀπὸ τῶν δρωμένων ἱερῶν μάλιστα Λευκοθέαν νομίσειεν εἶναι:

3. *In ſacris porrò huius Deæ, fratrum ac ſororum liberos in vlnis ſub brachio ferentes ab ea non ſuis liberis, ſed nepotibus bona petebãt matronæ: vel quòd Ino ſororis ſtudioſa, filium eius Bacchum enutrijt, adeoq; in aliorum filiis felicior, quàm in ſuipſius fuit liberis, quum alterũ extinctum à parte viderit, cum altera verò ſeipſam in mare præcipitem dederit: vel, quòd hic mos pulcherrimus multum inter conſanguineas & neceſſarios beneualentiæ compararet: vt Plutarcus Quæſtione 17. docet. De eadem quoque ritu ſic Ouidius lib. 6. Faſt. cecinit:*

Non tamen hanc pro ſtirpe ſua pia mater adoret,
Ipſa parùm felix viſa fuiſſe parens.
Alterius prolem meliùs mandabitis illi,
Vtilior Baccho quàm fuit illa ſuis.

4. *Ancillis denique & ſeruis ad hæc Sacra nullus aditus, imò ne in templum quidem Deæ hujus ingreſſus conceſſus fuit: vnam tantùm Matronæ introduxerunt, eámque alapis cecîderunt, poſtea eiecerunt. Sic enim Plutarchus in vita Camilli:* θεράπαιναν εἰς τὸν σηκὸν εἰσάγουσαι, ῥαπίζουσιν, εἶτα ἐλαύνουσι, *Et Problem.* 16. Faciunt, *inquit*, hoc in ſignum, ſeruas aditu prohiberi. Ino enim fertur ex æmulatione aduerſus maritum, quem ancillam ex Ætolia oriundam, nomine Antipheram, amare ſuſpicabatur, in inſaniam prolapſa filium ſuum perdidiſſe, & inde odio habere cœpiſſe ſeruas. *Quod etiam Ouidius his verbis recenſet:*

Cur vetet ancillas accedere quæritis? odit,
Principiúmque odij, ſi ſinat ipſa, canam.
Vna miniſtrarum ſolita eſt Cadmea tuarum
Sæpè ſub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit, ab illa
Comperit agricolis ſemina toſta dari.
Ipſa quidem feciſſe negat, ſed fama recepit,
Hoc eſt cur odio ſit tibi ſerua manus.

Vnde rurſum Plutarchus in Camillo inquit: Δρῶσι δὲ περὶ τὴν θυσίαν ἅ τοῖς διὰ τὴν παλλακὴν πάθεσι τῆς Ἰνοῦς πρέπει.

FORTVNÆ FESTVM.

Fortunæ Feſti dies. E*Odem Matraliorum die, hoc eſt 10. menſis Iunij Feſtum eſſe* Fortunæ *Seiæ nimirum, Ouidius his verſibus teſtatur lib. 6. Faſtorum.*

Lux eadem Fortuna tua eſt *&c.*

Nam Seruius Tullius huic Deæ ædem condidit, & hac die dedicauit.

Fortunæ Feſti origo. *In hac æde Seruij Tulli ſignum erat togâ velatum & contectum, vel quod Seruius à Fortuna amatus fuerit, ac deinde Deam puduerit cum homine congreſſam eſſe, ideóq; velatum voluerit eius ſimulachrum: vel, quòd Seruij morte confuſa plebs mœrore ac deſiderio amiſſi Regis, cùm imaginem eius intuens, à lachrymis temperare non poſſet eam contexerint, vt à lachrymis abſtinerent: vel quòd Manes Seruij ſimulachrũ illud velari voluerint, ne videre cogerentur ſceleſtam filiam Tulliam. De hoc Fortunæ Feſto, & Seruij in eius templo ſimulachro ſic canit Ouidius lib. 6. Faſt.*

Lux eadem Fortuna tua eſt, authórque locúſque
Sed ſuper injectis quis latet iſte togis?
Seruius eſt, & conſtat eum, ſed cauſa latendi
Diſcrepat, & dubium me quoque mentis habet.
Dum Dea furtiuos timidè profitetur amores,
Cœleſtémque homini concubuiſſe pudet.
Arſit enim magna correpta cupidine Regis,
Cæcaq; in hoc vno non fuit illa viro.
Nocte domum parua ſolita & intrare feneſtra,
Vnde feneſtralis nomina porta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos,
Oraq; ſunt multa Regia tecta toga.
An magis eſt verum, poſt Tulli funera plebem

Coofuſam placidi morte fuiſſe ducis?.
Nec modus vllus erat creſcebat imagine luctus,
Donec eum poſitis occuluere togis.
Tertia cauſa mihi ſpacio majore canenda eſt,
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia conjugio ſceleris mercede parato,
His ſolita eſt dictis extimulare virum.
Quid iuuat eſſe pares te noſtræ cæde ſororis,
Meq́ tui fratris, ſi pia jura placent?
Viuere debuerant,& vir meus, & tua conjunx,
Si nullum auſuri maius eramus opus.
Et caput & regnum factum eſt dotale parentis,
Si vir es, indictas erige dotis opes,
Regia res ſcelus eſt, ſocero cape regna necato,
Et noſtras patrio ſanguine tinge manus.
Talibus inſtructus, ſolio priuatus in alto
Sederat, attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor,& cædes, infirmáque vincitur ætas:
Sceptra gener ſocero rapta ſuperbus habet.
Ipſe ſub Exquilijs, vbi erat ſua regia, cæſus
Concidit in dura ſanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura Penates,
Ibat per medias alta, feroxq́; vias.
Corpus vt aſpexit, lachrymis auriga profuſis
Reſtitit, hunc tali corripit illa ſono.
Vadis? an expectas precium pietatis amarum?
Due, inquam, inuitas ipſa per ora rotas.
(Certa fides facti eſt) dictus ſceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea preſſa nota eſt.
Poſt tamen hæc cauſa eſt templum monimenta parentis
Tangere mira quidem, ſed tamen acta loquor.
Signum erat in ſolio reſidens ſub imagine Tulli,
Dicitur hoc oculis oppoſuiſſe manum.
Et vox audita eſt, Vultus abſcondite noſtros,
Ne natæ videant ora nefenda meæ.
Veſte data tegitur,vetat hanc fortuna moueri,
Et ſic è templo eſt illa locuta ſuo.
Ore reuelato cum primum luce patebit
Seruius, hæc poſiti prima pudoris erit.
Parcite matronæ vetitas attingere veſtes,
Solennes ſatis eſt voce mouere preces.
Sítque caput ſemper Romano tectus amictu
Qui Rex Romana ſextus in vrbe fuit
Arſerat hoc templum,ſigno tamen ille pepercit,
Ignis opem nato Mulciber ipſe tulit.

Hanc ædem Concordiæ poſtea Nero aureâ domo complexus eſt, quam à Palatio Exquilias vſque fecit, Suetonio teſte. Plinius de eo lib. 36. cap.22. ita ſcribit: Nerone Principe in Capadocia repertus eſt lapis, duricâ marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam qua parte fulua inciderant vena, ex argumento Phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiani appellatione dicebat, à Seruio Rege ſacratam aureâ domo complexus eſt. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.

Concordię Feſtum.

ÆDem Concordiæ *à Camillo votam & dedicatam, cuius dedicationis Feſtum* 17. *Calend. Februar. agi ſuprà diximus, Liuia Druſilla arâ & ſimulachro exornauit, & Tiberius Germanicus rurſus conſecrauit: cuius dedicationis Feſtum* 4. *Idus Iunias celebrat. Ouidius lib.6. Faſtorum innuere videtur: Sic enim canit:* Concordiæ Feſti origo.

Te quoque magnificâ Concordia dedicat æde
Liuia, quam charo præſtitit illa viro.
Diſce tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc eſt
Porticus, immenſæ tecta fuere domus.
Vrbis opus domus vna fuit, ſpaciumq́; tenebat,
Quo breuius muris oppida multa tenent,
Hæc æquata ſolo eſt nullo ſub crimine regni,
Sed quia luxuria viſa nocere ſua eſt.
Suſtinuit tantas operum ſubuertere moles,
Tòrque ſuas hæres perdere Cæſar opes.

Iouis inuicti Feſtum.

I*Dibus Iunijs celebrabatur* Iouis Inuicti *Feſtum, quòd tunc Deo huic templum conſecratum eſſet, quòd alij ad Auguſtum referunt, nonnulli ad Senatum, poſt tot Auguſti & Tiberij victorias. Ouidius lib.6 Faſt.* Iouis Inuicti Feſti dies origo.

Idibus Inuicto ſunt data templa Ioui.

Quin-

Quinquatres Minuſculæ.

Quinquatres minores quo die celebratæ.

I*Dibus Iunijs etiam celebrabantur* Quinquatres Minores, *quas* Minuſculas *appellat Varro: ſic enim inquit*: Quinquatres Minuſculæ dies, Iuniæ Idus, ab ſimilitudine majorum, quòd tibicines tum feriati per vrbem vagantur, & conveniunt ad ædem Mineruæ. *Feſtus*: Minuſculæ Quinquatrus appellabantur Idus Iuniæ, quod is dies feſtus erat tibicinum, qui Mineruam colebant.

Quinquatr. minorū origo.

De his Tibicinibus eorúmque die Feſto Valerius Maximus lib.2.de Inſtitutis antiquis cap. 5.ſic ſcribit: Tibicinum quoque collegium ſolebat in foro vulgi oculos in ſe conuertere, quum inter publicas priuatáſque ferias & actiones perſonis tecto capite, variáque veſte velatis, concentus edit: inde tractâ licentiâ, quondam veteri in æde Iouis, quod priſco more factitauerant, veſci, Tybur irati ſe contulerunt. Quorum miniſterio ſenatus deſerta ſacra non æquo animo ferens, per legatos à Tyburtibus petijt, vt eos gratiâ ſuâ Romanis templis reſtituerent: quos illi in propoſito perſeuerantes, interpoſitâ feſtæ epulationis ſimulatione, mero ſomnóque ſopitos plauſtris in vrbem devehendos curauerunt: quibus & honos priſtinus reſtitutus, & huiuſce luſus jus eſt datum. Perſonarum vſus pudorem circumventæ temulentiæ cauſam habet. *Et Liuius libro 9. ab vrbe condita*, Ejuſdem, *inquit*, anni rem dictu paruam prætertirem, niſi ad religionem viſa eſſet pertinere. Tibicines qui prohibiti à proximis Cenſoribus erant, in æde Iouis veſci, quod traditum antiquitus erat, ægrè paſſi, Tybur vno agmine abierunt, adeò vt nemo in vrbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret. Ejus rei Religio tenuit ſenatum, legatoſq; Tybur miſerunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis reſtituerentur. Tyburtini benignè polliciti, primùm accitos eos in curiam hortati ſunt, vt reuerterentur Romam. Poſtquam perpelli nequibant, conſilio haud abhorrente ab ingenijs hominum eos aggrediuntur. Die Feſto alij alios per ſpeciem celebrandarum cantu epularum cauſa inuitant, & vino, cujus auidum genus eſt, oneratos ſopiunt, atque ita in plauſtra vinctos conijciunt, ac Romam deportant. Nec prius ſenſere, quàm plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppreſſit. Tunc concurſus populi factus, impetratóque vt manerent, datum, vt triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac quæ nunc ſolennis eſt licentiâ, per vrbem vagarentur, Reſtitutúmque in æde veſcendi jus iis qui in ſacris præcinerent.

Eandem originem huius Feſti & luſûs recitat Ouidius lib.6. Faſtor. vbi aliam porrò cauſam indicat diſceſſûs tibicinum Roma. Sic enim canit:

Temporibus veterum tibicinis vſus auorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempúſque ſecutum eſt,
Quòd ſubitò gratæ frangeret artis opes.
Adde quòd ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos iuſſerat eſſe decem,
Exilio mutant vrbem, Tybúrque recedunt.
(Exilium quodam tempore Tybur erat.)
Quæritur in ſcena caua tibia, quæritur aris:
Ducit ſupremos nænia nulla choros.
Seruus erat quidam quantolibet ordine dignus
Tybure, ſed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille ſuo, turbámque canoram
Convocat, ad Feſtas cõvenit illa dapes.
Nox erat, & vinis oculíque animíque natabant
Cum præcompoſito nuncius ore venit.
Atque ita: Quid ceſſas conuiuas ſolvere? dixit,
Author vindictæ jam venit ille tuæ.
Nec mora, conuiuæ valido titubantia vino
Membra mouent, dubij ſtántq; labántque pedes.
At dominus, Diſcedite, ait: plauſtróque morantes
Suſtulit, in plauſtro ſcirpea lata fuit.
Alliciunt ſomnos tempus, motúſque, metúmque:
Potaq; ſe Tybur turba redire putat.
Iámque per Exquilias Romanam intrauerat vrbem,
Et manè in medio plauſtra fuere foro.
Claudius vt poſſet ſpecie numeróque Senatum
Fallere, perſonis imperat ora tegi.
Admiſcérque alios: & vt hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.
Sic reduces benè poſſe tegi, ne fortè notentur.

Digitized by Google

Contra collegæ juſſa rediſſe ſui.
Res placuit, culrúſque nouo licet Idibus vii,
Et canere ad veteres verba jocoſa modos.

Plutarchus emendatur.

Idē ferè à Plutarcho refertur Problemate 55. vbi tamen mendum videtur eſſe, vndecunque irrepſerit. Dicit enim, Idibus Ianuarij hoc Feſtum celebrari, *quum legi debeat, Idibus Iunij, authoritate Varronis & Ouidij. Quod mendum Plutarchi codicis etiam Alexandro de Alexand. lib. 3. cap. 18. & Lazio lib. 10. de Rep. cap. 9. impoſuit.*

Stercoris deportatio ex ęde Veſtæ.

Feſti huius dies.

EA die, quæ ſequitur noctem tertiam poſt Idus Iunias, hoc eſt, 17. Calend Iulias, fuit quadam ſolennitas, quâ ex æde Veſta ſtercus euertebatur, & in fluuium Tiberinum deijciebatur. Id Ouidius his verbis docet lib. 6. Faſt.

Tertia nox venier, quâ tu Dodoni Dione
Stabis Agenoreæ fronte videnda bouis.
Hæc eſt illa dies, quâ tu purgamina Veſtæ
Tibri per Hetruſcas in mare mittis aquas,

Varro author eſt, diem hunc vocari, Quando ſtercus delatum fas.

A Calendis Iunijs vſque in hunc diem infauſtum erat nubere, poſt eum verò licebat. Id Ouidius lib. 6. Faſt. his verſibus teſtatur:

Eſt mihi ſitque precor noſtris diuturnior annis
Filia, quâ felix ſoſpite ſemper ero.
Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cauenda forent.
Tunc mihi poſt Sacras monſtratur Iunius Idus,
Vtilis & nuptis, vtilis eſſe viris.
Primáque pars huius thalamis aliena reperta eſt.
Nam mihi ſic conjunx Sancta Dialis ait:
Donec ab Iliaca placidus purgamina Veſta
Detulerit flauis in mare Tibris aquis:
Non mihi detonſum crinem de pectore buxo,
Non vngues ferro ſubſecuiſſe licet.
Non tetigiſſe virum: &c. *Et mox:*
Tu quóque ne propera: melius tua filia nubet.
Ignea cum purâ veſte nitebit humus.

Palladis Feſtum.

Palladis feſti dies & origo.

DEcimoquarto Calendas Iulias Palladis Feſtum *celebratur: quòd hoc die ædes in Auentino ei dedicata, eáque ibi primo coli cœpta eſſet. Quod Ouidius his verſibus retulit:*

Iam ſex & totidem luces de menſe ſuperſunt,
Huic vnum numero tu tamen adde diem.
Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt,
Cœpit Auentina Pallas in arce coli.

Svmani Celebritas.

Sumani feſti dies & origo.

DEcimotertio Calend. Iulias Sumani Feſtum *agebatur, quòd eâ die templum ei dicatum fuiſſe Pyrrhi bello, qui Tarentinis aduerſus Romanos auxilio fuit. Hinc Ouidius lib. 6. Faſt. ſic cecinit:*

Iam tua Laomedon oritur nurus, ortáque noctem
Pellit & è pratis vda pruina fugit.
Reddita, quiſquis is eſt, Sumano templa feruntur,
Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Erat hæc ædes non longè ab æde Iuuentutis: inter has ſingulis annis canes viui cruci affixi circumferebantur, anſere puluino inſidente: quia Capitolio à Gallis obſeſſo, canes fuerant anſerum vigilià ſuperati. Plinius lib. 29. cap. 4. Dicitur autem Sumanus *vel* Summanus, *nam vtrunque legitur, quaſi* Summus Manium, *vt docet Capella. De hoc Deo ſic Plinius lib. 2. cap. 54.* Thuſcorum literæ nouem Deos emittere fulmina tradiderunt: eáque eſſe vndecim generum, & Iouem trina jaculari. Romani autem ex his duo tantùm ſeruauere, diurna attribuentes Ioui, nocturna Sumano. *Idem etiam de eo refert Feſtus. Nonnulli, ex quibus eſt Martianus Capella, eum Plutonem eſſe ſuſpicantur.* Romani veteres, *inquit Auguſtinus lib. 4 de Ciuit. Dei cap. 23.* neſcio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant coluerunt magis quàm Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed poſtquam Ioui templum inſigne & ſublime conſtructum eſt, propter ædis dignitatem ſic ad eam multitudo cōfluxit, vt vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire jam non poteſt, ſe ſaltem legiſſe meminerit. *Ex his verbis Auguſtini, & verſibus Ouidij ſuprà citatis apparet, non ſatis certum fuiſſe apud ipſos etiam Romanos, quis hic Deus eſſet. Non ignorabant vnum eſſe ex Dijs qui præeſſent nocti. ſed nomen eius proprium in obſcuro erat.*

Sumanus quis & vnde dictus.

Fuiſſe eius ſimulachrum aliquando in faſtigio

gio Opt. Max. templi, ex Cicerone intelligitur qui lib. 1. de Diuinatione, Nonne, *inquit*, cùm multa alia mirabili, tum illud in primis, quum Summanus in faſtigio Iouis Opt. Max. qui tum erat fictilis, cœlo ictus eſſet, nec vſquam eius ſimulachri caput inueniretur, aruſpices in Tiberim id depulſum eſſe dixerunt, *&c.*

Fortis Fortunę Feſtum.

Feſti huius dies & origo. OCtaua Calend. *Iulias* Fortis Fortunæ Feſtum *celebrabatur. Hoc enim die, vt Varro indicat lib.5. de Latina lingua, Seruius Tullius huic deæ templum dedicauit. Non autem id fuit, quod Rex hic in vrbe condidit, & quod Nero aureâ domo complexus eſt, de quo ſuprà diximus: ſed hoc, de quo nunc agimus, fuit extra vrbem, ſecundùm Tiberim, vel trans Tiberim, vt Donatus loquitur, quo & pedibus ire poterat per pontes, & per fluuium lyntribus vehi. Hoc feſto die ex plebe quarte aliquã viuebant, & ſerui in nauibus coronatus ſuper Tiberim conuiuia celebrârunt. Vnde ſic Ouidius lib. 6. Faſtorum:*

Feſti huius ritus.

Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores,
Poſt ſeptem luces Iunius actus erit.
Ite, Deam læti fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba:
Ne pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lyntres,
Multáque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Conuenit & ſeruis, ſeruâ quia Tullius ortus,
Conſtituit dubiæ templa propinqua Deæ.

Larivm Feſtum.

Larium Feſti dies & origo. QVinto Calend. *Iulias Feſtum alterum fuit* Larium, *quòd eo die eſſet eis conſecrata ædes in ea parte vrbis, vbi habitabant puellæ, quæ coronas texere conſueuerant. Auguſtus autem, Suetonio teſte, Compitales Lares ornare bis in anno inſtituit, vernis floribus & æſtiuis. Ouidius ſic cecit:*

Lucifero ſubeunte, Lares delubra tulerunt,
Hic vbi fit doctâ multâ coronâ manu.

Iouis Statoris Feſtum.

Feſti huius dies & origo. EAdem die, *hoc eſt, 27. Iunii fuit* Iouis Statoris Feſtum, *quòd eâ ſacrata eſſet huic Deo ædes, quam Romulus bello Sibinorum vouit, & condidit ad radices montis Palatini. Vnde Ouidius lib. 6. Faſt. cecinit:*

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Romulum enim, aduerſus Tatium pugnantem, quum ſuos fugientes conſpexiſſet, arma ad cœlum ſuſtuliſſe dixiſſéque Liuius tradit lib. 1. ab vrbe condita: At tu pater Deûm hominúmque hinc ſaltem arce hoſtes, deme terrorem Romanis, fugámque fœdam ſiſte: hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum ſit poſteris, tuâ præſenti ope ſeruatam vrbem eſſe, voueo. *Quibus verbis Liuius innuit, à ſiſtendo Statorem vocatum. D. Hieronymus verò lib. 2. contra Iouinianum, quòd nunquam otioſus ſederet, ſed ad ferendam omnibus opem paratus eſſet, dictum Statorem exiſtimat, Seneca autem lib. 4. de Beneficiis, quòd eius beneficio omnia ſtarent, Statoris ſibi nomen vſurpâſſe ſcribit. Liuius lib. 10. ab vrbe condita præterea refert, M. Attilium Conſulem quum aduerſus Samnites atrox bellum eſſet, ſimiliter manus ad cælum tuliſſe, & voce clarâ, ita vt exaudiretur, templum Ioui Statori vouiſſe, ſi conſtituiſſet à fuga Romana acies. Sed templum Deo huic à Romulo votum & conditum Neronis incendio totum periit, nec deinceps reſtitutum eſt, authore Marliano lib. 1. cap. 11.* *Iupiter unde Stator dictus.*

Qvirini Feſtum.

Quirini Feſti dies & origo. QVarto Calend. *Iulii Feſtum* Quirini, *hoc eſt, Romuli, cui eſt ædes hoc die dicata in monte Quirinali, cui à templo nomen datum multi exiſtimant, quod conſtitutum eſt, poſtquã Romulus adiiſſe ad Deos creditus eſt. Ouidius ſic:*

Tot reſtant de menſe dies, quot nomina Pareis,
Cùm data ſunt trabeæ templa Quirine tuæ.

Herculis & Muſarum Feſtum.

Feſti huius dies. VLtimo die *Iunii* Herculis *&* Muſarum *agitur* Celebritas: *quod Ouidius his verbis teſtatur.*

Tempus Iulæis etas eſt natale Calendis.

Senſus eſt: Feſtum Herculis & Muſarum, vbi ventum eſt ad diem Iunii menſis extremum hoc eſt, pridie Cal. Iul. celebrari: quo tempore dicere ſolemus, Cras Calendæ Iuliæ orientur: Horum Deorum ædes Romæ ſtructa eſt, vt inquit, Suetonius, à Martio Philippo, qui Auguſti Vitricus fuit. Vnde Ouidius in fine, lib. 6. Faſtorum:

Dicite Pierides, quis vos addixerit iſti,
Cui dedit inuictas victà nouerca manus.

Sic ego: ſic Clio, clari monimenta Philippi

Aſpicis, vnde trahit Martia caſta genus.

Celebatur autem Hercules in eadem æde cum Muſis, quia conſtat eum Saturni temporibus, uti Plutarchus & Macrobius referunt, primùm in Italia literas docuiſſe, quas poſtea Euandrum ab eo didiciſſe, Iuba tradidit: authore Plutarcho in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 59.

Capvt XIX.

Feſta quę menſe Ivlio à Gręcis ſunt Celebrata.

METAΓEITNIA.

Metagitniorũ origo.

METAΓEITNIA *Celebritas fuit apud Athenienſes, quæ nomen dedit* Μεταγειτνιῶνι *ſecundo Athenienſium menſi, in quo agebatur: ídque in honorem Apollinis* Μεταγειτνίου *Metageitnii, vt referunt Hyperides in Oratione pro Xenippo Lyſimachides in libro de Athenienſium menſibus, & Suidas Meminit huius feſti & Plutarchus in libello de exilio, vbi & cauſam, ob quam inſtitutum ſit indicare videtur. Sic enim ſcribit:* Ergóne tibi peregrini atque extortes videbuntur Athenienſes, qui ex Melita in Diomeam commigrauerunt? Illi verò & menſem Metageitnionẽ appellarunt, & ſacrificia Metageitnia peragunt, commigrationem in viciniam é ſuis ſedibus (vnde illis nomen) æquo hilaríque animo ferentes.

AΔΩNIA.

Adonia quando celebrata.

ADoniorum Sacra & Celebritatem *Adrianus Iunius in Faſtis ad Idus Iulias ponit. D. Hieronymus quoq; in caput 8. Ezechiolis menſe Thamuz, qui Iulio noſtro reſpondet, Adonia celebrari ſcribit, inquiens:* Thamuz, menſe Iunio amaſius Veneris pulcherrimus juuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur: eundem Iunium menſem eodem appellant nomine, & anniuerſariam ei celebrant ſolennitatem. *In eo tamen erat Hieronymus, quòd Thamuz Iunio confert, Niſan primum Hebræorum menſem Martio tribuendo: quum rectius Aprili deputetur, vbi lib. 1. oſtendimus, & tunc Thamuz Iulio reſpondebit.*

Adonis in cuius honorẽ celebrata. Alex. ab Alex. & Acciaioli error.

Celebrabantur autem in memoriam Adonidis, vt nomem ipſum indicat. Miror igitur cur Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 19. ſcribat, Adonia Cereris fuiſſe Sacra. Refert idem in Latina verſione Plutarchi Donatus Acciaiolus, qui in vita Alcibiadis ſic reddidit: Nuntiantibus cunctis Feſta Cereris, quæ appellãtur Adonia (eo enim tempore celebrabãtur) multa fœda horrendaq; portendere. *Sed hæc verba,* Feſta Cereris, *non habentur in Græco exemplari, in quo ſic legitur:* ὐ χρηςὰ πυρῶν, ὐδὲ τὰ τῆς ἑορτῆς: Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας καθεστηκότων, *&c. interpres igitur Cereris nomen de ſuo addidit.*

Adonis quis.

Fuit autem Adonis filius Cinyræ Cypriorum Regis, & Myrrhæ, quod multis verſibus indicat Ouidius lib. 10. Metamorph. quem ob formæ excellentiam Venus in deliciis habuit. Hic apri dente ſub inguine percuſſus, interfectúſque dicitur. Eum Venus defleuit, & Sacra ſolenniáque Feſta in eius honorem inſtituta ſunt, à diuerſiſque nationibus ac populis celebrata.

Adoniorum origo.

Quin & ipſum Dei populum diem hunc feſtum coluiſſe ex cap. 8. Ezechielis intelligitur. Indicat eo loco Dominus Prophetæ, populum ſuum atrociſſima quæque perpetrare, & inter alia quóque mulieres ad Ethnicorum prorſus imitationem plangere Thamuz. Vbi D. Hieronymus Thamuz Adonidem interpretatur, & annotat, Hebræos menſem Iunium (Iulium legendum) eodem nomine appellâſſe, & anniuerſariam in eo Solennitatem celebrâſſe.

Adonia à ſolis mulieribus celebrata.

Agebatur autem hoc Feſtum à mulieribus tantum magna cum mœſtitia & planctu, circum ſepulchra & paſſim, vt ſic referrent planctum & luctum Veneris ob Adonis mortem. Vnde ſic Ouidius lib. 10. Metamorph.

——— Vtque æthere vidit ab alto
Exanimem, inque ſuo iactantem ſanguine corpus,
Deſiluit, pariterque ſinum, pariterque capillos
Rupit, & indignis percuſſit pectora palmis.
Queſtáque cum Fatis: & non tamen omnia veſtri
Iuris erunt, dixit: luctus monimenta manebunt
Semper Adoni mei, repetitáque mortis imago
Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri.

Adoniorum ritus.

Vt autem ritus in hoc Feſto obſeruati rectius intelligantur, aliquot authorum loca adducam, in quibus eorum non obſcura ſit mentio. Lucianus igitur in Dialogo de Dea Syria copioſè eos ſacrorum ritus deſcribit, vel potius ſuo more deridet, ad hunc modum: εἶδον δὲ καὶ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱρὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης: ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια ἐς Ἄδωνιν ἐπιτελέουσι. ἐδάην δὲ καὶ τὰ ὄργια. Λέγουσι γὰρ δὴ ὦν τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς, ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος, τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι, καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι. καὶ σφίσι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε, καὶ ἀποκλαύσωνται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυϊ. Μετὰ δὲ, τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ, ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι, καὶ ἐς τὸν

ἠέρα

ἱερὰ πέμπουσι, καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι, ἀποθανόντος Ἄπιος. Γυναικῶν δὲ ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τήνδε ζημίην ἐκτελέουσι: ἐν μιῇ ἡμέρῃ ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἵστανται: ἡ δὲ ἀγορὴ, μούνοισι ξείνοισι παρακέαται. καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην, θυσίη γίγνεται. *Hoc eſt*, Dicunt in ſua regione contigiſſe, vt Adonis ab apro ictus fuerit: atque ad eius rei memoriam ſinguli quotannis ſe plectunt, & lamentantur, & diem celebrant, & magnus luctus in illa regione per id tempus exoritur. Vbi verò ſe percuſſerint & luxerint, primùm Adonidi inferias perſoluunt tanquam vitâ defuncto: deinde à tero die ipſum viuere inquiunt, & in cœlum mittunt, *&c. De Adonia Celebritate Plutarchus in vita Alcibiadis*, Adonia Sacra, *inquit*, in eos ipſos dies incidebant, quibus mulieres ſimulachra quaſi mortuorum cadauera frequentes efferebant, pro more Feſtiuitatis eius, funeráque & ſepulturas imitabantur, plangebántque, & feralia carmina concinebant. *Hunc locum citat etiam Alex. de Alexandro libro 6. capite 19. vbi Adoniorum mentionem facit. Alexandriæ Adonidis imago cum magna pompa in eius feſto ferebatur. Ammianus Marcellinus lib.* 22. Euenerat, *inquit*, iiſdem diebus annuo curſu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore ſectarum eſt indicium frugum, & viſum eſt triſte, quod amplam vrbem (*Anthiochiam*) primum domicilium introeunte Imperatore (*Iuliano*) & nunc primùm vlulabiles vndique planctus & lugubris ſonitus audiebantur *Lib. 19. de funere filii regis Cynomolgorum ſcribens, dicit:* Fœminæ miſerabili planctu in primæuo flore ſucciſam ſpem gentis, ſolitis fletibus conclamabant, vt lachrimare cultrices Venereæ ſæpè ſpectantur in ſolennibus Adonidis Sacris, &c. *Iulius Maternus Firmicus, in libro de Errore profanarum religionum*, In plurimis, *inquit*, Orientis ciuitatibus) licet hoc malum etiam ad nos tranſitum fecerit) Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, & Percuſſor eius vulnúſq; monſtratur circumſtantibus. Mars enim in porci ſyluestris ſpeciem formámque mutatus, vt ſibi primas in amore Veneris vendicaret, incautè contrà feruentem percutit iuuenem. *Addit*, nocte quadam ſimulachrum in lectica poni, & per numeros digeſtis fletibus plangi: deinde quum ſe fictâ lamentatione ſatiauerint, lumen infert: tunc à ſacerdote omnium qui fleuerant fauces vngi; quibus perunctis, Sacerdos hoc murmure ſuſurret: Θαῤῥεῖτε τοῦ θεοῦ, ἔστι γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία atque ita cum gaudio idolum de ſepultura proferri. *Cælius lib. 12. cap. 1. Antiq. Lect.* Adonia, *ait*, quum celebrarent Athenis mulieres paſſim vrbe tota exitabantur idola, in quorum ambitu etiam viſebantur ſepulchra, audiebantúrque muliebres planctus: qua re ſub claſſis profectionem contingente, Siculi belli exitialem ciuitati calamitatem conjectârunt nonnulli.

Natalis Comes lib. 5. Mytholog. cap. 16. indicat, Adonidem fluuium, qui per Libanum defertur, cruentum fluxiſſe, quo tempore Adonia agerentur.

ΑΣΙΝΑΡΙΑ.

Aſinariorum origo.

D*Euictis aliquoties Athenienſibus à Syracuſanis, tum verò reliquiis copiarum penitùs deletis ad flumen quod* Ἀσίναρον Aſinarum *vocant, Eurycles Syracuſanorum Prætor, totius populi, nec non & ſociorum aduocata concione, rogationem huiuſcemodi tulit:* Vt dies in quo Nicias ſuperatus eſſet, ſacer atquè ab omni opere immunis haberetur: vtque ſacra Diis immortalibus quotannis eius victoriæ gratia fierent: & celebritatem hanc à fluuii nomine Aſinariam nuncuparent. ἦν δὲ ἡμέρα τετρὰς φθίνοντος τοῦ Καρνείου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι Μεταγειτνιῶνα προσαγορεύουσιν: *id eſt*, Dies autem quartus is erat ſupra vigeſimum eius menſis, quem illi Carnium, Athenienſes autem quartus is erat ſupra vigeſimum eius menſis, quem illi Carnium, Athenienſes autem Matagitnionem vocant. *Plutarchus in vita Niciæ: meminit etiã Cælius lib. 30. cap. 21. L. A.*

ΟΦΘΑΛΜΩΝ ΩΡΟΥ γενεθλίον

Aſinariorum dies

P*Lutarchus in lib. de Oſiride indicat* τῇ τριακάδι *trigeſimâ die menſis Epiphi, qui Iulio noſtro aliqua ex parte reſpondet Sole & Lunâ in eadem linea coëuntibus, ferias agere Ægyptios* ὀφθαλμῶν Ὥρου γενέθλιον *Oculorum Hori natalitias: quippe non Lunam modò, ſed & Solem oculum lumênque Hori cenſentes.*

CAPVT XX.

De Feſtis & Sacris quę fiunt apud Romanos menſe IVLIO.

Cal. ĩdatum Iul. ritus.

P*Raterquam quòd omnes Calendæ Iunoni conſecrata erant, vt ſuprà monuimus, etiã annua domorum locationes, & commigrationes ex veteribus in alias fiebant Cal. Iul. Romæ: quòd hodiè in aliquibus locis Italia in feſto D. Michaëlis fieri ſolet, & apud nos Tigurinos die Falicis & Regula Thebea legionis Martyrum. Colligitur hoc non obſcurè ex Ciceronis epiſtola ad C. Memmium, qua eſt ſecunda*

dn lib. 13. vbi ita ſcribit: propter opera inſtituta multa multorum, ſubitum eſt ei remigrare Calend. Quintil. *in qua verba Paulus Manutius annotauit*: Calendæ, *inquit*, Quintiles. quo die domo tua, in quam venerat, excedendum eſt, nimis ſubitæ ſunt, & propius adſunt, quam vt ipſe poſſit operibus, quæ inſtruit, perfectis ſuo commodo diſcedere. *Hinc & epiſt. 3. lib. 2. ad Quintum fratrem*, Domus (*inquit*) tibi ad lucum Piſonis Liciniana conducta eſt: ſed, vt ſpero, paucis menſibus poſt Calend. Quintiles in tuam commigrabis. *Poſt calendas Quintiles dixit, id eſt, finito locationis tempore, demigrantibus iis, quibus eam locauerat. Suetonius autem in Tiberio*, Senatori, *inquit*, latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Calend. Iulii demigraſſe in hortos, quò vilius poſt diem ædes in vrbe conduceret. *Quòd igitur Euandro, quem ſtatuarium fuiſſe conijcimus, & pro quo Cicero apud Memmium intercesſerat, ſubitum erat, id eſt, propter breuitatem temporis incommodum remigrare Calend. Quintil, ad quam diem opera quæ multa multis inſtituiſſet, abſolui non poſſe intelligebat: quæ moueri loco, & aliò transferri, quum perfecta non eſſent, commodè non poterant: idcirco petis à Memmio Tullius, vt ei de habitatione accommodet, ne cogatur Calend. Quintil. vt moris erat, remigrare: quod ſine damno facere non poſſe videbatur.*

Fortunæ Muliebris Feſtum.

Fortunæ muliebris feſti dies & origo.

FOrtunæ muliebris *Feſtum agebatur Romæ pridie nonas Quintiles, quod eo die conſecratum eſſet ei templum, hac occaſione*: Quum anno 18. poſt libertatem adeptam, Coriolanus cognomento Martius exul, Romanis bellum intuliſſet, nec armis ei reſiſtere poſſent, nec precibus, mulierum tandem, & præſertim matris Veturiæ ac Volumniæ vxoris lachrymis ſupplicationibúſque placatus eſt. Senatus igitur matronis promptè nauatam Reipub. operam decreuit laudationem in æs inciſam referendam in ærarium ad perpetuam poſteritatis memoriam: præterea præmium ipſis quod foret gratiſſimum. Illæ verò de communi conſilio nihil aliud petierunt, quàm vt ſibi Senatûs permiſſu liceat templum Fortunæ muliebri ædificare, quo loco incolumitatem vrbis impetrauiſſent, eóque ad ſacrificium, redeunte die quo pax data eſſet, quotannis conuenire. Senatus autem populúſque Romanus decreuit locum emi pecuniâ publicâ qui dedicaretur Deæ, in eóque templum & ara ex præſcripto Pontificum: ſumptúque publico Sacrum anniuerſarium ibi fieri, cui præſit matrona quam ipſæ delegerint ad id miniſterium. Itáque prima creata eſt Sacerdos Valeria, Publicolę eius qui cum primis vrbem à tyrannide liberauerat ſoror, quæ mulieribus legationis author fuerat, & Martii matri perſuaſerat, vt ei legationi intereſſe ac præeſſe vellet. Quâ præeunte, primum ſacrificium mulieres peregerunt pro populo in ara recens facta, priúſquam abſolueretur templum aut Deæ ſimulachrum, Calendis Decembribus anni ſecuti proximè: nam eâ die bellum finitum fuit. Anno deinde ſequente hoc primum ſacrificium, ædes quæ publicè locata fuerat, dedicata eſt pridie nonas Quintiles à Conſule Proculo Virginio, iſque poſtea Feſtus fuit. *Refert hæc ferè Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8. Antiquit. Romanarum. Quocirca miror Gyraldum & Adrianum Iunium in Faſtis ſuis ad pridie Idus Quintiles, hoc eſt, ad 14. diem Iulii referre hoc Feſtum. Sic enim verba Dionyſii habent* ἐνιαυτῷ δ' ὕστερον ἑτέρῳ μάλιστα τὴν προτέραν θυσίαν ὁ νεὼς κατεσκευασθεὶς ἐκ τῶν δημοσίων χρημάτων τέλος συνετελέσθη τε καὶ καθιερώθη, κατὰ τὴν ἑβδόμην μάλιστα κατὰ σελήνην: αὕτη δ' ἐστὶ φθίνοντος ἡ προσαγορευομένη κοΐντιλίου. Νωνῶν ἡμέρα.

Giraldi & Iunii error.

Fertur quum ex Senatus conſulto publicè locatum eſſet Deæ templum & ſimulachrum ſeorſum ex collatitia matronarum pecunia locatam aliam effigiem: quùmque vtráque conſecraretur, eo ipſo die dedicationis eam quæ mulierum ſumptu parata fuerat, Latinè loquutam in mulierum præſentia, voce clarâ ac diſertâ. Ritè me matronæ dedicâſtis. *Quùmque vt ferè fit, in nouis & inopinatis vel vocibus vel viſionibus, multa dubitarent, ne fortè non ſimulachrum eſſe quod humanam vocem ediderat, præſertim quæ tum aliud agentes non ſatis attentè viderant loquentem effigiem, nec ſatis crederent iis quæ ſe etiam vidiſſe aiebant paulò pòſt iam referto templo, quum fortè fortuna maximum eſſet ſilentium, maiore voce iterum totidem verba, ſimulachrum edidit, vt nulla relinqueretur ambiguitas. His cognitis Senatus decreuit annua Sacra cæteriimque cultum ex Pontificum ſententia. Mulieres autem primæ Sacerdotis monitu inſtituerunt, ſimulachrum hoc nec à bis nuptis coronari debere, nec à viduis, ſed ſolis recèns nuptis tribui hoc honoris & miniſterii. Dionyſius vt ſuprà. Plutarchus in Coriolano, & libro de Fortuna Romanorum. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. Meminit & Lactantius lib. 2. diuin. Inſtitut. cap. 8. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 19. & Valerius Maximus lib. 1. de Miraculis. Liuius autem lib. 2. ab vrbe condita, Deæ huic templum ædificatum & dedicatum tantùm ſcribit, quod ſimulachrum eius loquutum ſit non habet.*

Feſtum muliebris fortunæ ... [illegible]

APOL-

Apollinares Ludi.

Apollinares ludi quando inſtituti Romæ.

Q*Vos Romani in ſecundo bello Punico inſtituerunt Apollini Sacros Ludos, hos Graci iam pridem habuerunt, & in Parnaſſo monte ſub nomine Pythiorum celebrârunt, quos à nomine perdomita ſerpentis nominatos fuiſſe, Ouidius lib.1. Metamorph. his verſibus teſtatur:*

Néne operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit Sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Apollinarium origo.

Originem eorum Liuius lib. 5. Decadis 3. in haecce verba refert. Religio noua obiecta eſt ex carminibus Martianis. Vates hic Martius illuſtris fuerat, & quum inquiſitio ex Senatus conſulto talium librorum fieret, in M. Æmilii Prætoris vrbis, qui eam rem agebat, manus venerant: is protinus nono Prætori Sullæ tradiderat. Ex huius Martii duobus carminibus alterius poſtea aucta declarato authoritas eventu, alteri quóque cuius nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine Cannenſis prædicta clades in hæc fermè verba erat: Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, nec te alienigenæ cogant in campo Diomedis conſerere manus: ſed néque credes tu mihi, donec compleris ſanguine campum, multáque millia occiſa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera piſcibus, atque auibus, feríſque quæ incolunt terras, iis fiat eſca caro tua. Nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Et Diomedis Argiui campos, & Cannam flumen qui militauerant, in iis locis iuxta atque ipſam cladem agnoſcebant. Tum alterùm carmen recitatum, non eo tantùm obſcurius, quia incertiora futura præteritis ſunt, ſed perplexius etiam ſcripturæ genere. Hoſtes Romani ſi expellere vultis, vomicámque quæ gentium venit longè, Apollini vouendos eſſe cenſeo Ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro ſe, ſuisq́; Iis ludis faciendis præerit Prætor is, qui ius populo plebíque dabit ſummum. Decemuiri Græco ritu hoſtiis Sacra faciant. Hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper, fietq́; res noſtra melior. Nam is Diuus extinguet perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcit placidè. Ad id carmen explanandum, diem vnum ſumpſerunt. Poſtero die Senatus conſultum factum eſt, vt Decemuiri libros de Ludis Apollini, réque Diuina facienda inſpicerent. Ea quum inſpecta, relatáque ad ſenatum eſſent cenſuerunt Patres Ludos Apollini vouendos, faciendóſque: & quando ludi facti eſſent, duodecim millia æris Prætori ad rem diuinam, & duas hoſtias majores dandas. Alterum Senatusconſultum factum eſt, vt Decemuiri Sacra Græco ritu facerent: iiſque hoſtiis Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ fœmina boue auratâ. Ludos Prætor in Circo maximo quum facturus eſſet, edixit, vt populus per eos ludos ſtipem Apollini, quantum commodum eſſet conferret. Hæc eſt origo Ludorum Apollinarium: factoſque populus ſpectauit coronatus matronæ ſupplicauere: vulgò apertis ianuis in propatulo epulati ſunt, pueri, quos manibus amplexati ſunt, hymnos Apollini catârunt, celebérque dies omni ceremoniarum genere fuit. *Refert etiam Polydorus de Inuent. lib. 4. cap. 14. Alexand. ab Alex. libro quinto capite vigeſimo ſexto.*

Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. narrat, quum hi ludi primò Romæ celebrarentur, repentino hoſtis aduentu plebem ad arma excitatam hoſti occurriſſe: eoq́; tempore nubem ſagittarum in aduerſos viſam ferri, & hoſtem fugâſſe, ac victores Romanos ad ſpectacula Dei ſoſpitalis reduxiſſe.

Apollinares ludi à quo primùm celebrati.

A quo autem primùm, & quando celebrati ſint hi ludi Liuius lib. 7. Decad. 3. his verbis indicat: Ludi Apollinares Q. Fuluio, & Appio Claudio Coſs. à P. Cornelio Sulla Prętore Vrbis primum facti erant, inde omnes deinde Prætores vrbani fecerunt: ſed in annum vnum vouebant, diéque incerto faciebant. Eo anno peſtilentia grauis incidit in vrbem & agros, quæ tamen magis in morbos longos, quàm in perniciales euaſit: *eius igitur peſtilentia cauſa & ſupplicatum per compita*, totâ vrbe. & P. Licinius Varus Prætor vrbis *legem ferre ad populum iuſſus, vt hi ludi in* perpetuum in ſtatum diem vouerentur: *ideóq́; ipſe primus ita vouit, fecitque ante (vel juxta alia exemplaria AD)* diem tertium Non. Quintil, qui dies deinde ſolennis ſeruatus fuit. *Ex his omnibus duo colligimus: primò, victoriæ quidem cauſâ ab initio hos ludos inſtitutos, hoc enim Liuius apertè teſtatur: poſtea verò peſtilentia ergò certo diei quotannis deſtinatos: ſecundo, quarto die Iulii celebratos eſſe. Volunt aliqui ad quintum Idus Quintiles factos, idque ex Liuio probare conantur, qui Decade quarta libri ſeptimi ita ſcribit:* Per eos dies quibus profectus eſt ad bellum Conſul, Ludis Apollinaribus, ad 5. Idus Quintilis cœlo ſereno, interdiu obſcurata lux eſt, cum luna ſub orbem Solis ſubiſſet. *Sed hæ ſententiæ facilè conciliariari poſſunt, ſi verum eſt, quod Adrianus Iunius in Feſtis ſuis dicit, à P. Licinio*

Liuii locus explicatur.

Varro

Varro Ludos Apollinares per octo dies inſtitutos: nam hoc pacto vltimus horum ludorum dies in 5. Id. Quintil. incideret.

Ludos Apollinares populus laureatus ſpectauit.

Sex. Pompeius Feſtus docet, Apollinares ludos populum laureatum ſpectâſſe, ſtipe datâ pro cuiusq; copia. Refert etiam in iiſdem ludis Paraſitos Apollinis, qui ita apellabantur quòd ridiculi eſſent, in ſcena dicere conſueuiſſe: Salua res eſt, ſaltat ſenex; eiúsque moris hanc ex Verrio Flacco cauſam affert: Quòd P. Sulpirio. Cn. Fuluio Coſs. *inquit*, M. Capurnio Piſone, Prætore vrbis faciente ludos, cùm Romani ſubitò ad arma exiiſſent, nuntiato aduentu hoſtium, victoréſq; in theatrum rediiſſent ſolliciti, ne intermiſſi religionem adferrent, inſtaurandíque eſſent, inuentus ibi ſit C. Pomponius libertinus, minus magno natu, qui ad tibicinem ſaltaret. Qua de cauſâ gaudio non interruptæ religionis, editâ voce, poſtea quóque celebrata ſit. *Seruius in 3. Æneid. paulò aliter de eo more ſcribit, cuius hæc ſunt verba:* Cùm, *inquit*, iracundia Matris Deûm Romani laborarent, & eam nec ſacrificiis, nec ludis placare poſſent, quidam ſenex ſtatutis ludis Circenſibus ſaltauit, quæ ſola fuit cauſa placavit, vnde & natum prouerbium, Omnia ſecunda, ſaltat ſenex.

Apollinares ludi vbi Romæ celebrati.

Hos autem ludos, ſiquando Circus maximus Tiberis alluuione inundâſſet, extra portam Collinam ad ædem Veneris Erycinæ celebrârunt, quod Liuius lib. 10. *Decadis eiuſdem his verbis indicat*, inter quæ, *inquit*, etiam aquarum inſolita magnitudo in religionem verſa. Nam ita abundauit Tiberis, vt Ludi Apollinares Circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati ſint. Cæterum ludorum ipſo die ſerenitate ſubitâ ortâ, pompa duci cœpta ad portam Collinam, reuocata deductáque in Circum eſt, quum deceſſiſſe inde aquam nunciatum eſſet, lætitiámque populo & ludis celebritatem addidit, ſedes ſuo ſolenni ſpectaculo reddita.

Atqui nec illud nobis ſilentio prætereundum eſt, Ludis Apollinaribus Lentulum Spinterum Carbaſina vela proximùm duxiſſe. At euitandum námque Solis æſtum in omnibus ludis & ſpectaculis, etiam in foro, vela à parte ſuperna ducebantur.

Hæc poſtea à Pontificiis in ſuam, hoc eſt, Papiſticam Religionem tranſlatum eſt, quando in Corporis Chriſti feſto, ſub velo portatili triticeum ſuum Deum circumferunt.

Quin Blondus apertè fatetur lib. 2. de Roma triumphante pag. 47. totos hos ludos in Chriſtianam religionem translatos eſſe, & per extremos Carniſpriui dies, in Circo Flaminio, vbi nunc Agonis eſt appellatio, quotannis fieri: & vt aliquid Appollinarium appellationis ipſi ludo remaneret, propè S. Apollinaris Eccleſiam, eâ etiam ratione inſtitutis locum ludis eſſe re[illegible]tum: hoſtiarum quóque loco omiſſarum, retinere conſuetudinem aliquod victoriæ Simulachrũ faciendi, ſicut eos victoriæ cauſâ inchoatos Liuius aſſeruerit: Quale, *inquit*, proximis diebus fuit ſpectaculum, cùm in eodem Circi Flaminii Agone prælii ſimilitudo quędam fuit, quod pręclariſſimum æternáque dignum memoriâ æſtate proximâ geſtum eſt ad Danubium quâ fluuius influit Sauus: cùm Mahomet Turcarum Imp. ſupra centum millia in exercitu habens, ad Bellogradum oppidum aliquandiu oppugnatum, machiniſq; & bombardis propè ſolo æquatum fuſus, & ſuis quibuſq; melioribus ad ſexdecim millia occiſis fugatus, bõbardas & vim penè infinitam machinamentorum ac armorum amni terráq; amiſit. Lætum quippe nobis & dulciſſimum fuit inſpicere perſonatum quendam Ioannem Caruaial Hiſpanum Cardinalem S. Angeli indumento & ornamentis referentem, Chriſtianorum & Romani Pontificis exercitui in illam ducendo barbariem præeſſe. Sed lętius erat videre alia in perſona Ioannem Capiſtraneum Ordinis S. Franciſci fratrem, qui multis continuatâ annis opinione ſanctitatis tanto impletâ miraculo, milites adduxerit Ieſu Chriſti vexilla ſequutos; qui celeberrimo Iohanne Huniade Vuayuodâ Tranſſiluano duce, pauca hominum millia ſupradictam in Barbaris cædem edidere: fuerúntque ad id Circi Agonis ſpectaculum ex noſtratibus, ingenio, & doctrinâ cultiores nonnulli, quibus eâ die Romanam rem laceſſitos adhuc mouere, Romanum celebrari nomen apparuit, cùm tantas adhuc res aduerſus Scythas Tanais olim & Ripheorum mentium accolas Turcas, maximæ partis Aſiæ & Europæ Dominatores ſub Romanis ſignis Romaníque Legati nomine geri, non magis ob ſpectaculi, quóque ante oculos erat oſtenſionem, quàm ob recentis victoriæ refricatam memoriam videretur. Equidem his in ludis Apollinaribus ſuffectis etiam quod habet Liuius propemodum ſeruatur, vt vulgò apertis ianuis epulentur. Námque die illâ vrbaniores quíque Romani, aut conuiuia celebrant, aut cibaria in id conſuetudine introductâ vicinis amicíſque miſſitant: cùm tamen plebs infima ad tabernas vinarias in propatulo comedant: iſque cibus eſt pulte caſto aromatibus confectus. *Idem lib. 3. inſtaurata Roma de eodem ſic ſcribit:* Quâ ratione vel coniecturâ ducti affirmauerimus,

eſſe

eſſe ludorum Apollinatium ſimilitudinem, quæ nunc etiam ſeruatur, libet oſtendere. Vidimus ex T. Liuij tertio Senatum fuiſſe advocatum in prata Flaminia, vbi poſtea fuit ædes Apollinis, & jam tum Apollinarem appellebant. Pandulphus autem Lateranenſis Eccleſiæ Oſtiarius, quod Petrus omiſerat Bibliothecarius, habet: Adrianum Pontificem Rom. ædificâſſe S. Apollinaris Eccleſiam, vbi prius Apollinis ædes fuit. Quod quidem nullâ aliâ ratione factum, videtur, quàm vt celebri tunc in vrbe loco Apollinaris & loci & ædis appellatio à ritu Gentilium celebris tractu temporis in S. Appollinaris Præſulis Rauennatis memoriam verteretur.

Caprotinæ nonę, quę & turbę ſeu Populifugia, ac Ancillarum Feſtum dicuntur.

Feſti huius origo & ritus

HVius ſolennitatis duplex origo affertur. Sunt enim qui ad Romuli caſum referant. Nam quum is ad exercitum recenſendum concionem in cāpo ad Capreæ paludem haberet, repentè exorta eſt tempeſtas ſæuiſſima cum tonitribus, ac ingenti ventorū fragore terram vndiq; grandine operuit, ſed quoq; velut intempeſtâ nocte defecit. Interea populus omnis fugâ elapſus, & præ nimio metu in varia loca diſſipatus eſt. Poſtea verò quam ſedata tempeſtas ac lux reddita eſt, coacta rurſus in vnum multitudo ſollicita regis deſiderio ſcrutari omnia cœpit, ſed nuſquam eum inuenit, ac raptum eum à patre Marte in tempeſtate illa credidit: vt Plutarchus in Romulo & Liuius indicant Dionyſius tamē hos fabuloſa tradidiſſe affirmat. Vt igitur populo hæc in memoriam reuocarentur, Nonis Quintilibus, quibus iſta accidiſſe memorant, exeuntes ex vrbe ad Capreæ paludem ſacrificia ſolennia peragunt. Exeuntes autem multa ex patriis nominibus, vt Marcelli & Caij, cum clamore recitant, Plutarcho eodem in loco authore.

Feſti huius etymon.

Ob fugam autem populi ſeu turbæ in raptu Romuli facta dicitur, dies hic Populi vel Turbæ fugia appellabatur. Et quia Nonis Iuliis ad Capreæ paludem ſacrificabatur: Caprotinæ vel Capratinæ nonæ etiam dicebatur. Varro autem Populifugia ad menſem Iunium refert: Iunio; inquit, menſe dies Populifugia videtur denominatus, quòd eo die repentè tumultu fugerit populus, &c.

Feſti huius origo & nominis ratio alia.

Huic ſententiæ Plutarchus in Romulo & Camillo aliam, & quidem probabiliorem ſubnectit. Nam poſt vrbem captam à Gallis, ſed inde rurſum à Camillo pulſis fugatiſque, quum Reſpublica ad tenue deducta eſſet, Latini finitimi, ſiue in ſpeciem vt occaſionem belli quærerēt, ſiue reipsâ, vt de integro inter vtranque gentē affinitas contraheretur, legatos miſerunt, qui ingenuarū puellarum à Romanis pudica poſcerent connubia. Macrobius lib.1. Saturnal. refert, Latinos, ex tenui fortuna Romanorū, opportunitatem inuadendi eos aucupatos, mādatis ad ſenatum miſſis poſtulâſſe, vt ſi vellent reliquias ſuæ ciuitatis manere, matresfamiliâs & virgines ſibi dederentur. Cùm igitur Patres in ancipiti deliberatione eſſent ſuſpenſi, quod nōdum cruentum bellum ſuſcipere auderent, neq; enim vires recuperârant: timerêntque ne Latini, dum Romana connubia peterent, obſides per inſidias quærerent, ancilla nomine Tutela, vel; vt alij dicūt, Philotis, Patribus ſuaſit, ſecum vt mitterent ancillas quæ ætate florenti, & liberali eſſent formâ: in virginum ingenuarum formam morem excultas, reliqua ſibi curæ fore. Patres probato conſilio, delegerunt ex ancillis, quas ad eam rem probâſſet illa, eaſq; auro & veſte ornatas Latinis, qui ſtatiua non procul ab vrbe habebant, tradiderunt. Eæ quū à Liuio Poſthumio in caſtris diſtributæ fuiſſent, viros plurimo vino prouocauerunt, diem Feſtum apud ſe eſſe ſimulātes. Quibus ſoporatis, nocte cætera gladios hoſtibus ſubtraxerunt: Tutela verò, vel Philotis conſcenſa edita caprifico, & ſtola aduerſus caſtra obtenſa, facem Romam verſus ſuſtulit: quod ei cum Patribus ſignum aliis inſciis ciuibus conuenerat. Quapropter tumultuariè à ciuibus excurſum fuit, cùm inſtarent duces ſeſe mutuò appellantibus, vix vt inſtrui poſſent in aciem. Vallum, nec opinantibus hoſtibus ſopitiſq;, adorti cœperunt, caſtráq; expugnârūt; atq; maxima ex parte hoſtes obtruncârunt nonis Quintilibus, quas nunc vocant Iulias. Memor beneficij ſenatus, omnes ancillas iuſſit manu emitti, dotemq; eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant vſæ, geſtare conceſſit. In rei quoq; huius memoriam Feſtū agi, & ſacrificium annuâ ſolennitate celebrari ſtatuit ſenatus, cui lac, quod ex caprifico manat, propter præcedentis facti memoriam, adhibetur. In die Feſto etiam primùm agmine erumpentes nomina plurima patria & vulgaria cient, Caium, Marcum, Lucium, & his ſimilia: referentes mutuam illam in properando compellationem. Deinde ſplendidè compta vrbem circumeunt ancillæ, dicteria in obuium quemq; iacientes. Pugnam quoq; inter ſe conſerunt, vt quæ etiam tum in prælio cum Latinis inito, ſuam nauauerint operam. Ad epulum conſident ficulneis inumbratæ ramis. Eum diem, Nonas Capratinas à caprifico, vt arbitrantur, ex qua facem edidiſſe ferunt ancillam illam, nominant.

D. Auguſtinus lib.2. de Ciuit. Dei cap.6. hoc Feſtum FVGALIA appellâſſe videtur. Non obſcurè etiam indicat, populum in hoc Feſto in omnem licentiam ſolutiſſimum atque effuſiſſimum fuiſſe. Dicit enim, Verè Fugalia, ſed honeſtatis & pudicitiæ.

Fuit autem dies hic Iunonis ſacer, unde &

Caprotina Iuno *dicta eſt. Plinius tamen lib. 11.cap. 15. initium Caprificiorum Vulcano Sacrum fuiſſe ait, ita ſcribens:* Vindemiæ mellis Attici ſignum dedere Caprificiorũ diem, Vulcano Sacrum. *Plerique putant Caniculares dies Caprifici dies eſſe: Gyraldus de Diis gentium Syntag.*17.

Vitulę Deę Feſtum.

Vitulationis dies & origo. Vitulatio quæ.

POſtridie nonas Iulias re benè geſtâ, quum pridie populus in fugam verſus eſſet, poſt victoriam certis ſacrificiis agebatur feſtus dies, & fiebat Vitulatio. *Hoc nomen, ſicut & verbum* vitulari *primo Pontificij juris libro apud Pictorem inuenitur. De cuius verbi ſignificatione Titius ita retulit,* Vitulari eſt voce lætari. *Varro etiam lib.*15. *rerum diuinarum ita refert,* quòd Pontifex in quibuſdam Sacris vitulari ſoleat, quod Græci παιανίζειν vocant. *Hyllus in libro quem de Diis compoſuit, ait,* Vitulam vocari Deam, quæ lætitiæ præſit, eamq́ue ob cauſam magno cultu ſemper habuiſſe Romanos hanc Deam, *vt Alex. ab Alex. lib.*1.*cap.*13. *ſcribit. Piſo autem dicit,* Vitulam victoriam nominari, *cuius rei argumẽtum profert quod poſtridie Non. Iunias, re benè geſtâ, quum pridie populus à Thuſcis in fugam verſus ſit. Quidam nomen eius interpretantur, quod potens ſit vita toleranda. Ideò huic Deæ pro frugibus Sacra fieri dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Vnde hoc eſſe animaduertimus quod Vergilius ait:*

Vitula dea quæ

Cùm faciam Vitulà pro frugibus ipſe venito.

*Vt vitula dixerit pro vitulatione, quod nomen eſſe ſacrificij ob lætitiam facti ſuperius expreſſimus. Meminerimus tamen ſic per Ablatiuum legendum, Cùm faciam vitulâ pro frugibus, id eſt, cum faciam rem diuinam, non oue, non caprâ, ſed vitulâ: ac ſi dicat quum vitulam pro frugibus ſacrificauero: quod eſt, quum vitulâ rem diuinam fecero: vt docet Macrobius lib.*3.*Saturnaliorum, & ex Macrobio Gyraldus de Diis gentium Syntagmate* 10.

Iulii Cęſaris Feſtum.

Feſti huius dies & origo.

DVodecimus dies Iulij Natalis eſt Iulij Cæſaris, Adriano Iunio & Gyraldo in Faſtis teſtibus. Decretum autem eſt à ſenatu, vt is dies propterea feſtus haberetur vniuerſo populo, vtque laureas geſtarent, diraq́ue imprecatus eſt omnibus diem negligentibus.

Caſtoris & Pollucis Feſtum: ac Ludi qui in eo celebrabantur.

Feſti huius dies & origo.

IDibus Quintilibus in honorem Caſtoris *&* Pollucis Feſtum *agebatur, ob dedicatum eis hoc die templum, idque hac occaſione: In ancipiti illo prælio quod A. Poſthumius cum Latinis commiſit, qui Tarquinium Superbum in regnum reducere conabantur, Poſthumianis equitibus apparuiſſe dicuntur duo primæ lanuginis iuuenes præſtantiore ſtaturâ & formâ, quàm quæ videri poſſet mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hoſtemq́ hastis ferientes cominus, & in fugam agentes. Ac rurſum poſt fuſos fugatóſque Latinos & caſtra eorum capta, ferè jam finito prælio in Romano foro viſos eſſe adoleſcentes duos militari cultu proceriſſimos & pulcherrimos, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant ſpeciem, & equis ſudore madentibus. Cumq́ de equis deſcendiſſent ambo, lauiſſentq́ fontanâ quæ ad ædem Veſtæ profluens paruam, ſed profundam facit lacunã, multis eos circumſiſtentibus, rogantibuſq́ ecquid ab exercitu noui afferant? pugnam indicâſſe & victoriam: digreſſóſque è foro nuſquam cõparauiſſe poſtea, quàmuis anxiè à præfecto vrbis quæſitos. Poſtero die quum Senatus ex Dictatoris literis inter cætera eius prælij memorabilia cognouiſſet de hac quoq́ viſione, ratus vtrobiq; eorundẽ ſpectra obuerſato oculis, veriſimili conjecturâ credidit Caſtorum eas fuiſſe imagines: Dionyſius lib.*6. *& Valerius Max. lib.*1. *cap.*98. *In memoriam rei huius mirificæ, in foro templum Caſtorum publicè à Senatu ædificari iuſſum, dedicatúmque eſt Idibus Iuliis ab A. Poſthumij filio Duumuiro ad id creato, vt placet nonnullis. Liuius lib.* 2. *ab vrbe condita ædem vouiſſe Poſthumium ſcribit: Dionyſius autem non ædis, ſed ludorum meminit quos vouerit Dictator ille:* Tum, *inquit,* Poſthumius laudatâ eorum alacritate, votiſq́ factis, ſi felix pugnam ſequatur exitus, ſacra ſe Diis facturum magnificè, & anniuerſarios ludos inſtituturum ſplendidè, dimiſit militem ad ſuos ordines, *&c.* Ad hunc modum quum ſe voti reum feciſſet, ſenatus ob rem feliciter geſtâ, ſacrificium magnificum Diis inſtituit, quod quotannis populus Romanus per primarios equeſtris ordinis Idibus Quintilibus peregit, qua die victoria hæc illi contigit. *Hæc Dionyſius lib.*6. *vbi & ludos, quos Dictator vouerat, ſic paucis perſtringit:* Præter omnia, *inquit,* poſt ſacrificium tranſuectio eorum qui equos habent ex publico, qui per tribus & centurias diſtincti, ordine in equis vehuntur omnes quaſi è pugna redeant, coronati fronde oleaginâ, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto ab æde Martis quæ extra vrbem ſita eſt, & pertranſeuntes cùm cæteras vrbis partes, tum forum ædemq́ Caſtorum, nonnunquam quinq́ virorum millia, gerẽtes quicquid donorum militarium acceperunt à ducibus, egregium ſanè ſpectaculum, digniſſimumq́ imperii magnitudine.

Caſtoris & Pollucis ludorum ritus.

In fine

Digitized by Google

In fine autem libri ſeptimi idem authar pluribus hos Ludos, qui dia hac agebantur, deſcribit ad hunc ferè madum : Ludos, *inquit*, hos decreuit Senatus Romanus, vt ſuprà quoq; dictum eſt, bello Latino votos à dictatore A Poſthumio, priuſquam ſigna conferret cum Latinis populis, qui violato fœdere deſciuerant, volebantq; Tarquinium in regnum reducere. In horum ſimul ſacrificiorum impenſas aſſignatæ fuere quingentæ argenti minæ annuæ, quod obſeruatum eſt vſque ad bellum Punicum. Per eos dies agebantur multa more Græcanico circa mercatus, & excipiendos hoſpites communéſque inducias, quæ operoſum eſſet commemorare.

Pompa autem, ſacratáque, ex quibus licet æſtimare reliqua, habebant ſe hoc modo: Priuſquam ſpectaculum committeretur, viri poteſtate ac dignitate præminentes pompam ducebant Diis à Capitolio per forum in Circum maximum, in qua primi erant eorum filij pubertati proximi, qui jam per ætatem intereſſe poſſent, equis invecti, quorum patres erant Romani equites, cæteri pedites in pedeſtrem accenſendi militiam, diſtincti per alas & centurias, claſſiumq; ordines, ac ſi ludum literarium peterent, vt appareret hoſpitibus futura juuentus vrbana, quàm eſſet egregiâ formâ & numero. Hos ſequebantur quadrigarij, bigarij, ſingulorúmque equorum agitatores, póſt quos Athletæ grauiorum leuiorúmque certaminum, nudi cætera, pudenda tantùm tecti ſubligaribus campeſtribus, curſu, palæſtrâ, cœſtibus certaturi. Athletas ſequebantur ſaltatorum chori triſariam diuiſi: primò virorum, deinceps imberbium, poſtremò puerorum: poſt quos tibicines inflantes antiqui moris breues tibias, citharistæque lyras ſeptichordes eburneas, & quæ barbira nuncupata ſunt habentes. Saltatorum habitus erat, tunicæ puniceæ baltheis æreis ſtrictæ, enſes lateribus pendentes: geſtabántque tela breuiora viris: viri verò etiam æreas galeas criſtis pinnatis inſignes. Præibant choris viri ſinguli ſaltationis & tripudij modum præmonſtrantes, bellicos motus atque vehementes proceleumaticis & rhythmis imitantes. Id genus exercitij apud Græcos olim cumprimis erat celebre, armata nimirum ſaltatio, quæ pyrrhica vocatur, à Pallade, vt creditur, reperta: alij Curetas eius ſaltationis authores arbitrati ſunt. Armatos ſaltatores, Satyricorum cœtus ponè ſequebatur, ſicinnem referentes Græcanicam. Habitus horum Silenos repræſentantium erant hirſutæ tunicæ, quas quidem appellant ſcorteas, amiculáque conſerta ex omni florum genere: alius item Satyrorum, ex hircinis tergoribus campeſtria, ſetæque horrentes in vertice, & alia his ſimilia: hi ſerias illas ſaltationes ridiculè imitabantur. Atque hunc demùm ordinem tibicines alij & citharœdi vario ſequebantur concentu. Poſt hos omnis generis Pontifices, Sacerdotes, Flamines, ſodales ac augures geſtantes acerras argenteas aureaſq; tam ſacras quàm publicas, ſuffitúmque facientes. Extremum agmen claudebant ſimulachrorum bajuli, habentium quales apud Græcos finguntur effigies, eundem habitum, eadémque inſignia & munera quorum inuentores & donatores traduntur: nec ſolùm Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni aliorúmque quos Græci inter 12. numerant, ſed antiquiorum etiam quorũ duodecim illi ſunt progenies, Saturni, Themidis, Latonæ, Parcarum, Memoriæ: adhæc Proſerpinæ, Lucinæ, Nympharum, Muſarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, Semideorúmque, Herculis, Æſculapij, Caſtorum, Helenæ, Panis, & aliorum innumerorum *Quæ omnia à Chriſtianis poſtaa per κακοζηλίαν in ſolennitatem Feſti Corporis Chriſti tranſlata ſunt.* Peractâ pompâ hac confeſtim ſacrificabant Conſules ſacerdotéſque quibus fas erat, & victimarii lotíſque manibus, & luſtratis aquâ purà victimis, moláque conſperſis earum capitibus, votíſque nuncupatis, tum miniſtros eas mactare jubebant: quorum alij ſtantem etiam tum hoſtiam vecte feriebant in tempora, alij cadentem cultris excipiebant, ac mox direpto tergore concidebant membratim, delibatáſque ex ſingulis extis aliíſque membris primitias farre obuolutas in caniſtris offerebant Sacrificantibus: qui aris impoſitas ſuccendebant, & vinum affundebant inſuper: *quæ ſingula quaque in ſacrificiis Græcorum factitari ſolita apud Hamerum videre eſt.*

Superſunt pauca de certaminibus dicenda, quæ à peracta pompa ſpectabantur. Primus erat quadrigarum, bigarum, ſingularumq; equarum curſus, ſicut alim in Olympia. In his equeſtribus certaminibus, duo quadam priſcorum inſtituta ſaruabantur à Romanis, alterum, trigariorum, quad defacit in Græcia, vſitatum heroum temporibus, vt Hamerus teſtatur, deſcribens earum prælia: quo duobus equis bigarum in more junctis adjungebatur tertius funalis loramentis adnexus, quem inde παρήορον Græci vacabāt: alterum, vectorum curſus, finita enim equorum certamine, viri qui prius cum aurigis eodem curru vehebantur, quos poëta Parabatas, Athenienſes Apobatas nominant, deſilientes in *Certamina in his ludis*

pedes curſu certant in ſtadio. Poſt equorũ curſũ Athleta inducebãtur, curſores, luctatores, pugiles. Caterùm medio inter certamina tempore benè de Repub. meriti coronabantur, vocéq; praconis celebrabãtur ex more Gracorum audatiſſimo, ſicut Athenis per Liberalia factitatum eſt: & oſtentabantur ſpectatoribus relata ex hoſte ſpolia. Dionyſius Halicarnaſſ in fine lib.7. Cornelius Tacitus lib.2. Sabellicus lib.9. Enne.2.

Meminit horum ludorum, eorumq́; ritus paulò aliter Valerius Max. lib.2.c.154. & Liuius in hanc ſententiam: Fabius Rullanus primus inſtituit, vt Equites Rom. Idibus Quintilibus ab ade Honoris, equis inſidentes in Capitolium tranſirẽt. Meminit etiam Aurelius Victor. Hinc perſpicuum eſt, Equitum tranſvectionem quandam, qua ſingulis Id. Quintilibus Ordinis totius equeſtris recognoſcendi probandíque gratiâ, ab hoc Q. Fabio inſtitutam eſſe. De eodem Plinius lib.15.c.4. ſic ſcribit: Oleæ honorem Romana maieſtas magnum præbuit, turmas Equitum Idibus Iuliis ex ea coronando. *Huius tranſuectionis Equitum meminit etiam Suetonius in Auguſto his verbis:* Equidem turmas frequenter recognouit, poſt longam intercapedinem reducto more tranſvectionis: ſed neque detrahi quenquam in tranſvehendo ab accuſatore paſſus eſt, quod fieri ſolebat, &c.

Cœnæ Pontificalis Celebritas.

Cœnæ Pontif. dies eius quo ritu.

COEnam Pontificalem *magna cum Solennitate bis in anno dari ſolitam fuiſſe legimus, nimirum nono Calend. Auguſti, & decimo tertio Calend. Nouemb. teſte Lazio. Extat autem Cœna Pontificalis vetuſtiſſima, omnique lautitiarum genere inſtructiſſima deſcriptio apud Macrobium lib.3. Saturnal. cap.13. ex indice quarto Metelli Pontificis Maximi in hac verba:* Ante diem nonum Calend. Septemb. quo die Lentulus Flamen Martialis inaugutatus eſt, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt. Duobus tricliniis Pontifices cubuerunt, Q. Catulus, M. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæſar Rex ſacrorum, P. Scæuola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus, & L. Iulius Cæſar augur, qui eum inaugurauit. In tertio triclinio Popilia, Perpenia, Licinia, Aruncia Veſtales virgines, & ipſius vxor Publicia, Flaminica & Sempronia ſocrus ejus. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, oſtreas crudas quantum vellent, peloridas, ſpondylos, turdum aſparagos, ſubtus gallinam altilem, patinam oſtrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum ſpondylos, glycomaridas, vrticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina inuolota, ficedulas, murices & purpuras. In cœna, ſumina ſinciput aprugnum, patinam piſcium, patinam ſuminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amylum, panes picentes. *Vt non immeritò ha cœna Pontificales prouerbij loco pro quibuſuis luxurioſis & magnificis cœnis συνεκδοχικῶς crebrò apud auctores vſurpentur. Sic enim Horatius Ode 14.*

Abſumet hæres Cœcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimento ſuperbo
Pontificum potiore Cœnis.

Lautiſſimis his cœnis Pontifices Romani adhuc hodiè certo die quotannis, tum verò maximè in ſua inauguratione vtuntur, vt in Tractatu noſtro de Feſtis Chriſtianorum Feria quinta [illegible]*gna Hebdomada ante Paſcha indicabitur.*

Opigenę Deę Sacrum.

A*Drianus Iunius in Faſtis ſuis indicat, die 23. menſis Iulij mulieres pragnantes* Opigenæ *Dea cereas imagines obtuliſſe auxilium in partu deprecantes. Item, die 28. Cereri lacte, vino, & melle ſacrificâſſe. Ad hunc etiam diem vetus Calendarium Neptunalia refert.*

Canarium Augurium.

G*Yraldus refert, eodem menſe, non tamen die adnotato, Neptunalia celebrata, & rutilas canes canicula ſacrificatas. De quo Alex. de Alexandro lib.3. cap.12.* Ad placandum, *ait,* Caniculæ ſidus, frugibus inimicum, etiam canes mactabantur: quas ſi rufæ non eſſent, putas non putârunt: idque Sacrum Canarium augurium nuncupârunt.

CAPVT XXI.

Feſta quę menſe AVGVSTO à Gręcis ſunt celebrata.

BOHΔPOMIA.

BOηδρομία Boedromia Feſtum *quoddam fuit Athenienſium, cuius duplex origo affertur ab Authoribus. Philochorus enim & Harpocration in Ionem (non Iouem, vt in Gyraldi de Annis & menſibus exemplari habetur) Xuthi filium hoc referunt, quòd is multo ſtudio opem Athenienſibus tulerit, quo tempore ſub Erechtheo Rege ab Eumolpo Neptuni filio oppugnabantur. Suidas id Xutho ipſi, non eius filio tribuit. Sic enim ſcribit:* Βοηδρομία ἐστὶ ἑορτή τις Ἀθήνησι καλουμένη, καθ' ἣν ἡμέραν ἐβοήθησεν ὁ Ξοῦθος πολλῇ στρατιᾷ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος. *Graci Grammatici, vt refert Gyraldus Syntagm. 7. in Apolline, tradunt, Athenienſes, ob hanc victoriam Ionis operâ partam,*

Boedromiorum origo.

tam, Apollinem, de voce currentis ad vrbem exercitûs, βοηδρόμιον *dixiſſe, & ſolennitatem* βοηδρόμια, *& menſem* βοηδρομιῶνα. *Sed enim Apollinis Boedromij meminit & Callimachus in hymno:*

ὦ πόλλων, πολλοί σε βοηδρόμιον καλέουσι:

id eſt,

Phœbe Boedromion multi te nomine dicunt.

Alij ex Plutarcho indicant, hoc Feſtum Athenis celebrari ſolitum ob prælium à Theſeo adverſus Amazones feliciter geſtum: vnde & nomen menſi, in quo illud geſſit, inditum. Plutarchi tamen verba ſunt hæc in Theſeo: ἡ μὲν οὖν μάχη βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνὸς ἐφ᾽ ἧ τὰ βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θύουσι. *Id eſt,* Pugna hæc facta eſt Boedromione menſe quo Boedromia vſque nunc Athenienſes celebrant. *Lalamantius verò poſterius membrum ſic reddidit:* Cujus pugnæ cauſa in hũc vſque diem Arhenienſes Sacra Boedromia peragunt.

Boedromiorum ritus.

Erat autem hæc celebritas cuidam veluti excurſioni ſimilis, quæ cum exclamatione fieret: vnde & vocabulum deflexum videtur, à voce ſcilicet & curſu. Vnde Suidas ait, βοηδρομεῖν ἐστι μετὰ βοῆς ἐπὶ μάχην δραμεῖν.

ΔΕΥΤΕΡΑ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ
βοηδρομιῶνος.

D*E ſecunda Boedromianis menſis die Plutarchus in libella De fraterno amore ſic ſcribit:* Athenienſes, quanquam fabulam de Deorum contentione abſurdè finxerunt, inſeruerunt tamen iſtius abſurditatis correctionem minimè ineptam: Τὴν γὰρ δευτέραν ἐξαιροῦσιν ἀεὶ τοῦ βοηδρομιῶνος, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῷ Ποσειδῶνι πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν γενομένης τῆς διαφορᾶς: *hoc eſt,* Secundam enim diem menſis Boedromionis ſemper eximunt: quòd eâ die cum Minerua Neptuno fuerit contentio. *Id deinde moraliter explicans.* Quid ergo obſtat, *inquit*, quo minus & nos aliquandò cum domeſticis, cognatiſq; altercati, iſtum diem obliuioni conſecremus, ac pro atro cenſeamus?

ΤΕΤΑΡΤΗ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ
βοηδρομιῶνος.

Feſti huius origo.

I*N genti Perſarum exercitu, quem poſt fugam Xerxis in Boeotia ad ſubigendam Græciam retinuerat Mardonius victo ac fœdâ ſtrage cæſo ad Platæas duce Pauſaniâ quartâ die Boedromionis, quotannis deinceps totius Græciæ Concilium ea die celebratum fuit, eóq; nomine is dies ſolennis habitus. Sic enim Plutarchus in Ariſtide:* Ταύτην τὴν μάχην ἐμαχέσαντο τῇ τετράδι τοῦ βοηδρομιῶνος ἱσταμένου κατ᾽ Ἀθηναίους, κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος, ᾗ καὶ νῦν ἔτι τὸ Ἑλληνικὸν ἐν Πλαταιαῖς ἀθροίζεται συνέδριον, καὶ θύουσι τῷ Ἐλευθερίῳ Διῒ Πλαταιεῖς ὑπὲρ τῆς νίκης: *In libello autem de Gloria Athenienſium hoc Feſtum ad tertiam diem menſis huius refert. Sic enim verba eo loco habent:* Τρίτῃ δὲ ἱσταμένου ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἐνίκων.

ΕΚΤΗ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ
βοηδρομιῶνος.

Feſti huius origo.

S*Extam diem Boedromionis Athenienſes Feſtam celebrâſſe, Plutarchus teſtatur in libello, cui titulus, Bellóne an Pace clariores extiterint Athenienſes: quòd eâ Medorum exercitus maximus, quem exul Athenienſis Hippias Piſiſtrati tyranni filius in Atticam adduxerat, ab exiguis Athenienſium copiis ad Marathonem Duce Miltiade fuſus fugatuſq; eſſet. Sic enim ſcribit:* Ἕκτῃ ἱσταμένου βοηδρομιῶνος, ἐν ᾗ ἔτι νῦν τὴν ἐν Μαραθῶνι νίκην ἡ πόλις ἑορτάζει. *Refert idem in Camilli vita.*

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ.

Feſti huius origo.

D*Vodecima Boedromionis ſolennis Athenienſibus fuit quòd eâ gratiarum agendarum causâ ob receptam libertatem ſacrificarent: tunc enim à Phyla in vrbem redierunt; Plutarcho teſte in lib. Bellóne an pace clariores fuerint Athenienſes.*

NEMEI Ludi.

Nemeorum etymon & origo.

NEMEI *Ludi à Nemea regione & ſylua, inter Phlyuntem & Cleonas Achaiæ ciuitates ſita, dicti ſunt. In ea, quum Argiui Thebas peterent, ſiti fatigatus exercitus, Hypſipylen habuit obuiam Lemni Reginam, geſtantem Opheltem puellum, Eurydice & Lycurgo ſatum, qui Iouis Nemæi filius, & flamen Dialis erat: quanquam Ophelten alij Creuſa & Eupheti prodidere filium. Hypſipyles ductu atque indicio inuentis aquis dum ſoluunt ad fõtem ſitim, relictum ob ea in pratis infantem Draco necat. Illi reuerſi belluam interficiunt: & certamen ad Hypſipylæ cõſolationem inducunt funebre triennale, quod* Nemea *appellârunt, à loco, qui ſic appellabatur, ſicut diximus, vel à Luna & Ioue, vel ab armentis Iunoni ſacris, quæ ibi paſcerentur, quod eſt* νέμειν: *vel quòd regionem ſortiti eſſent Danai filij, id enim Græcis dicitur* νενεμῆσθαι. *Ophelten autem fatali nomine appellauit Archemoron vates Amphiaraus. Alij eueniſſe hoc Talao Adraſti Regis qui exercitum ductabat fratri, prodidêre. Æſchylus putauit Archemorum fuiſſe Nemea ſitum, qui hunc ad modum vitâ functus ſit, certaménq; illud Thebano bello fuiſſe longè vetuſtius. Quidam ab Hercule, aut à Molorcho, qui Herculem ſuſcepit hoſpitio, cuius filius à leone Nemæo interfectus fuerat, originem habuiſſe docent. Non deſunt,*

qui in honorem Archemori Lycurgi filij primùm inſtituta fuiſſe concedunt Nemea, quòd in illa ſylua à ſerpente morſus interiiſſet, ſed ab Hercule fuiſſe in melius correcta, quum leonem Nemeum occidiſſet, qui illa poſtea Ioui conſecrârit, & poſt trienniũ tempus peragendis ſtatuerit diem duodecim eius menſis: qui Πάνεμ@ *à Corinthiis, ab Athenienſibus autem* Βοηδρομιὼν *dicebatur, quia eo menſe Theſeus Amazonas debellauit. Alexander Sardus verò lib. 3. ſcribit, hos ludos circa bruma dies factas.*

Nemeorum ritus. *In his ludis Maiorum imagines ſicut in funebri pompa, longo ordine repreſentabant, atque equorum curſu, ſimul Diſco, Ceſtu & Paleſtrâ dimicabant. Primùm autem ſoli certabant milites & militum filij: deinde etiam populus admiſſus. Ac falsò negarunt quidam, vel curru, vel equo ſingulari hos ludos celebratos: curru inquam* δίφρῳ: *nam altero currûs genere, quod appellant* ἅρμα, *non negant: in illo ſella erat, in hoc non erat. Pindarus meminit in Nemeis expreſſe pancratij, & quinquertij, & ſtadij, &* ἅρματ@.

Nemeorũ præſides. *Certamini præſidebant Corinthii, Argiui & Cleonæi demùm: Cretenſes ſunt judices electi.*

Victoris in Nemeis præmiũ. *Per initia ex ôlea coronam factam & victori datam tradunt: duraſſeq́ hunc morem ad Medici belli tempora vſque. Deinde oleam cum apio viridi commutatam: quòd ſuper hanc herbã reptantem puerum Ophelten à dracone interemptum exiſtimarẽt, eámq; funeribus conuenire putarent, in honorem quoque eorum qui Medico bello occubuerant. Icčirca judices pullati ſedebãt, ſtolis circumamicti phæis. Inde fuit Græcis in vniuerſum apij corona funeralis, majorumq́ ſepulchris ex apio coronas appani, illóq; ornari & tegi ſeruatum eſt, quæ ſepulchrales dicta. Qui præparabant etiam infantes ad hoc certamen, ſtatim natos in apio, quo extremus hortorũ ambitus conſeritur, collocabant. Referunt hæc quæ hucuſq́ de ludis Nemeis diximus, Polybius lib. 2. Strabo lib. 8 Cœlius Rhodig. lib. 23. cap. 8. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Natalis. Comes Mythologia lib. 5. cap. 3.*

ΔΙΟΝΥΣΙΑ, ſeu ΜΥΣΤΗΡΙΑ Μεγάλα Διονύσυ.

Myſteria M. Bacchi quando celebrata. Διονύσια, *quæ* Bacchi Myſteria Magna *appellârunt, quæque ab Orpheo in Græciam primò introducta fuerunt, Natali Comite teſte libro ſeptimo Mythol. cap. 14. menſe Boedromione celebrata eſſe, Plutarchus teſtatur in Demetrio, his verbis:* Τὰ μικρὰ Μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶν@ ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶν@. *Et Demoſthenes Olynthia. 3. de Boedromione loquens:* Τούτου τοῦ μηνὸς μέγιστα Μυστήρια δῆμος ἡμῖν ἀπέστειλαν. *Rurſus Plutarchus in Alexandri vita ſic ſcribit:* ἡ μὲν οὖν σελήνη τοῦ Βοηδρομιῶν@ ἐξέλειπε, περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν: *id eſt,* Luna menſe Boedromione defecit, circa Athenienſium myſteriorum initium. *Quæ ſimul indicant, non vna tantùm, ſed pluribus diebus acta fuiſſe. A ſextâ decimâ autem die Boedromionis vſq́ ad vigeſimã celebrata hac Solennia, ex Plutarcho rurſus probatur, qui de victoria nauali, ab Athenienſibus circa Naxum parta, in Phocionis vita ſic ſcribit:* ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα, Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα Βοηδρομιῶν@: *id eſt,* Vicerunt magnis myſteriis, & dedit vini effuſionem Chabrias Athenienſibus quotannis decimâ ſextâ die Boedromionis. *Quâ de re ſic etiam ſcribit in libro, Vtrum bello an pace clariores fuerint Athenienſes:* Sexta vltra decimam Boedromionis vinum funditur ob victoriam naualem Chabriæ apud Naxum eâ die partam. *Adhac idem author in Alexandro refert, eclipſin illam, quæ acciderit circa myſteriorum initium menſe Boedromione, vndecim dies cladem Perſarum, in Gangamelis acceptam, anteceſſiſſe. Conſtat autem ex Plutarchi Camillo, Perſas victos die 26. Boedromionis: ſic enim inquit:* Πέρσαι ἡττήθησαν πέμπτῃ τοῦ φθίνοντ@ Βοηδρομιῶν@ ἐν Ἀρβήλοις.

Plutarchi error. *Vbi abiter error Plutarchi deprehenditur: nam quod hic dixit, victos Perſas in Arbelis, id in Alexandro falſum eſſe dicit, factumq́ in Gangamelis. Verba eius hæc ſunt:* Τὴν μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον, οὐκ ἐν Ἀρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσεν. *Apparet igitur hinc Eclipſin hanc factam decimâ quintâ die Boedromionis, quod tempus initium Myſteriorum eſſe dicit. De vigeſima autem die idem author in Camillo ſic ſcribit:* Οὐκ ἀγνοῶ δὲ ὅτι περὶ τὸν τῶν Μυστηρίων καιρὸν αὖθις Θῆβαι κατεσκάφησαν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου: καὶ μετὰ ταῦτα φρουρὰν Ἀθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶν@, ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσι: *hoc eſt,* Non me fugit per ea tempora quibus Myſteria agebantur, Thebas rurſum ab Alexandro dirutas eſſe: & poſt hæc præſidium Athenienſes Macedonum receperunt circa eandem vigeſimam diem Boedromionis, quo myſticum Bacchum educunt. *Et in vita Phocionis ita habet:* Οὐ μικρὸν δὲ τῷ πάθει προσέθηκεν ὁ καιρός. εἰκάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶν@ εἰσήχθη, Μυστηρίων ὄντων, ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστε@ Ἐλευσῖνα δὲ πέμπουσιν: *id eſt,* Auxit autem non parùm luctum & mœrorem tempus ipſum: nam vigeſimâ die Boedromionis introductum eſt præſidium, quâ Myſteria agebantur, & Bacchus ex vrbe in Eleuſinam mittebatur.

Myſteriorum M. Bacchi ritus. *Horum ſacrificiorum & feſtorum tempus, inſtrumenta, & habitum Baccharum demonſtrauit*

ſtrauit ferè totum Ouidius lib. 6. Matamorph. ita canens:

Tempus erat, quo Sacra ſolent trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrate nurus, nox conſcia ſacri.
Nocte ſunat Rhodope tinnitibus æris acuti.
Nocte ſoa eſt egreſſa domo Regina: Deique
Ritibus inſtruitur, furialiáque accipit arma.
Vite caput tegitur: lateri ceruina ſiniſtro
Vellera dependent, humero leuis incubat haſta.

Nam his armis inſtructæ cum vociferatione diſcurrentes crinibus paſsis diuinare, ac res futuras prædicere credebantur.

Solebant etiam comici, tragici, eorúmque, hiſtriones, tibicines in his Myſteriis & Ludis Bacchanalibus certare carminibus in Bacchi laudem canendis, & eam ob cauſam finita ſolennitate eligebatur continuò ex ſingulis tribubus ædilis, qui cœtus puerorum & virorum aleret, & ad eam rem pecunia ei ex publico dabatur. Feſto igitur præſente certabant & contendebant inter ſe ædiles, quiſque cum ſuo cœtu tragicorum, comicorum & tibicinum: vt author argumenti Orationis Demoſthenis contra Mediam indicat. Vnde etiam Plutarchus in Alexandri vita de Athenodoro hiſtrione ſcribit, quòd ab Athenienſibus mulctatus ſit, quia Dionyſiorum certamini non interfuiſſet: Ζημιωθεὶς, *inquit,* ὑπὸ Ἀθηναίων ὅτι πρὸς τὸν ἀγῶνα τῶν Διονυσίων οὐκ ἀπήντησε. *Apud eundem quidam Menandro Comico dicit,* ἐγγὺς τὰ Διονύσια, καὶ σὺ τὴν κωμῳδίαν ὑποπεποίηκας: Propè ſunt Dionyſia, & tu Comœdiam nondum feciſti.

Scribit Athenæus lib. 11. cap. 3. vbi certamen hoc adfuiſſet, Athenienſes primùm quidem pranſos: poſtea verò acceſsiſſe ad ſpectaculum, coronatóſque ſpectâſſe: atque per totum certaminis ſpatium vinum infuſum, allatáque bellaria, chorisque ingredientibus potum datum: ac rurſus poſt certamen id factitatum. Philochorus ex Pherecrate Comico refert, ad ſua vſque tempora non fuiſſe in his ſpectaculis ſine cibo ſpectatores.

Victori tripos præmium erat.

Certamina Myſteriorum M. vbi celebrata.

Λίμναι *Limna locus fuit Athenis, & in eo templum, in quo colebatur Dionyſius ſeu Bacchus, vt Harpocration teſtatur, vnde &* Limnæus *cognominatus fuit, ſic enim Callimachus,* Λιμναίῳ χοροστάδ' ας ἤγον ἑορτάς, *id eſt,* Limnæo Solennia peregebant Sacra. *Apud hoc templum, vt Phanodemus ſcribit, Athenienſes in his etiam Myſteriis muſtum ferentes Deo, miſcnerunt ex vaſculis, ipſique poſtea biberunt. Scribit Heſychius Lenæum, id eſt, Bacchum ambitum ſeu circuitum, id eſt,* περίβολον *magnum Athenis habuiſſe, in ipſo fuiſſe templum, in quo certamina hæc peracta fuerint, antequam theatrum conſtructum eſſet.*

Iacchus Eleuſinã portatus.

Vigeſimâ autem die menſis Boëdromionis, Iacchum, hoc eſt, Bacchum ex vrbe Eleuſinem portabant, vt ex Plutarchi teſtimoniis, ex Camilli & Phocionis vitis citatis ſuprà, intelligitur. Hinc ſcribit Heſychius, non ſolùm Iacchi nomine Bacchum vocari, ſed & eam myſteriorum diem, in qua in myſteriis Iacchum exportârint. Fiebat autem hoc ingenti cum ſolennitate, quin magna & execrabili cum inſania. Incedebant mulieres virique ornati hederâ, crine fluxo, cum thyrſis & tympanis, velut inſanientes, & obuios quóſque furore afflati ferientes: aderant Sileni & Satyri: cantus vlulatúſque audiebatur. Sed hanc pompam egregiè deſcribit Ouidius, ſic canens:

Liber adeſt, feſtíſque fremunt vlularibus agri.
Turba ruit, mixtæque viris matréſque nurúſque.
Et vulgus, Proceréſque ignota ad Sacra feruntur. *lib. 3. Metamorph.*

Rurſus ab initio lib. 4.

——— Feſtum celebrare Sacerdos
Immunes operum famulas, domináſque ſuorum
Pectora pelle tegi, crinales ſoluere vittas,
Serta comis, manibus frondes ſumere thyrſos
Iuſſerat, & ſæuam læſi fore Numinis irá
Vaticinatus erat. Parent matréſque nurúſque
Telas, & calathos, infectáque penſa reponunt,
Thuráque dant: Baccúmque vocant, Bromiúmque Lyæum,
Ignigenámque, ſatúmque iterum, ſolúmque bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonúſque Thyoneus,
Et cum Lenæo genealis conſitor vuæ,
Nyctileúſque Elelúſque parens, & Iacchus & Evan
Et quæ præterea per Graias plurime gentes
Nomina liber habes: tibi enim inconſumpta iuuenta,
Tu Puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cœlo: tibi, cùm ſine cornibus aſtas,
Virgineum caput eſt. Oriens tibi victus adúſque
Decolor extremo quâ cingitur India Gange.
Penthea tu venerande, bipenniferúmque Lycurgum
Sacrilegos mactas, Tyrrhenáque mittis in æquor

Corpora: tu biiugum pictiſque inſignia frenis
Colla premis Lyncum: Bacchæ, Satyríque ſequuntur,
Quique ſenex ferulâ titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.
Quacúnque ingrederis clamor iuuenilis & vnà
Fœmineæ voces, impulſáque tympana palmis
Concauáque æra ſonant, longóque foramine buxus.

Myſteria Magna Bacchi celebrata à Ptolemæo Philadelpho.

Libet hoc loco adſcribere ex Athenæi libro 5. pompam magnificentiſſimam, quâ Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ hoc Dionyſii feſtum celebrauit. Is igitur ex Callixeni Rhodii lib. 4. In pompa, *inquit*, Dionyſiaca alii purpureis amiculis præibant, alii purpureis ſuperindumentis ind ui multitudinem ſummouebant. Succedebant his Satyri in ſingulis partibus ſpacii viginti aureas lampadas in hederarum folia inciſas ferentes. Poſt hos victoriæ aureas alas habentes collocabantur, ferebántque ſex cubitorum thuribula aureis hederaceis columellis ornata, quæ veſtibus variis animalibus intextis erant indutæ, atque multum ornatum aureum ſe circumcompoſuerat. Has ſex cubitalis ara duplex, hederaceiſque ramis aureis ornata ſequebatur, viteam coronam auream mitris ſemialbis complexam habens, quam centum & viginti pueri ſagulis purpureis induti, thus, myrrham & crocum aureis mazonomis ferentes comitabantur. Poſt hos quadraginta erant Satyri, quadraginta aureis coronis in hederarum formam elaboratis coronati. Quorum corpora aliorum quidem Conchylio, aliorum autem minio, aliiſque coloribus picta fuerant. Ferebant hi prætereà coronam auream ex vite & auro elaboratam, quos Sileni duo chlamyde purpureâ induti, crepidiſque albis ſequebantur: horum alter petaſum & aureum caduceum, alter lituum habebat. Medius inter hos vir quatuor cubitis etiam maior tragico ornatu ac perſona incedebat, qui aureum Amaltheæ cornu ferens Annus vocabatur. Huic mulier formoſiſſima eiuſdem magnitudinis multo auro mundóque muliebri ornata ſuccedebat: alterâ manuum coronam Perſeæ ferens, alterâ palmæ ramû, quæ appellabatur Quinquennium. Subſequebantur hanc Horæ quatuor ornatæ, ſingulæ ſuos priuatim fructus tanquam θυμιατήρια afferentes: duóque vaſa hederacea aurea ſex cubitorum, atque inter hæc ara quadrata aurea, ruſúſque Satyri coronas hederaceas aureas habêtes, veſteſque purpureas circomiectas, quorum alii chalcheſium ferebant. Hos Philiſcus Poëta Dionyſi Sacerdos, omneſque Dionyſii artifices, ſequebantur: tum ferebantur Delphici tripodes qui eſſent eorum præmia qui Athletarum impenſas ſuppeditarent, puerorum quidem nouem cubitorum altitudinis, at virorum duodecim. Currus poſtea quatuor rotarum quatuordecim cubitorum altitudinis, at uirorum duodecim. Currus poſtea quatuor rotarum quatuordecim cubitorum, habens latitudinem octo, qui à centum & octoginta viris trahebatur, ſuper quem Dionyſii erat imago decem cubitorum libans, ex aureo carcheſio, ſagum habens purpureum vſque ad talos, atque in ipſo χιτῶνα διάφανῆ crocotam pellucidam. Circumiecerat autem veſtem purpuream, auróque variegatam. His crater aureus Laconicus metretarum quindecim capax propinquus iacebat, tripóſque aureus, ſuper quo aderat aurea acerra, duæque phialæ aureæ pleoæ croci & caſiæ. Circumponebatur illi vmbraculum hederâ, vite reliquiſque arboribus ornatum, cui coronæ, vittæ, thyrſi, tympana, mitræ, & comicæ tragicæq; ac Satyricæ perſonæ appendebantur. At io ipſo curru Sacerdores erât, & Sacrificantes fœminæ, Perſæque ceremoniæ varii thiaſi, quæque vannos ferrent. Sequebantur hæc pugnaces fœminæ, quæ mimallones dicebantur, & Baſſatæ, & Lydæ ſparſis capillis, atque aliæ ſerpentibus, aliæ ſmilace, pampinis & hederâ coronatæ. Habebant io manibus hæ enchiridia, illæ ſerpentes. Currus deinde quatuor rotarum latitudinis octo cubitorum à viris ſexaginta trahebatur, in quo Nyſſæ imago octo cubitorum erat, quæ tapſino ſago & auro intexto induta ſedebat, ac amiculo Laconico veſtiebatur. Surgebat arte quadam hæc ſtatua nullo ei manum porrigente: poſtea lac ex aurea phiala libans ruſus conſidebat. Tenebat in ſiniſtra manu thyrſum mittis coronatum, atque ipſa hederaceo auro coronabatur, racemiſque ſumptuoſiſſimis lapillis ornatis. Aderat etiam vmbraculum, atque in quatuor angulis ipſius currus lampades erant inauratæ. Sequebatur alius currus quatuor rotarum vuæ plenus, cuius longitudo erat cubitorum viginti quatuor, latitudo quindecim. Incedebant vnà Satyri ſexaginta, caotum epilenium ad tibia canentes, inter quos erat Silenus, atque per totum iter muſtum in terram deſfluebat. Ductus deinde fuit cur-

curtus totidem rotarum, cuius longitudo erat cubitorum vigintiquinque latitudo quatuordecim, quem viri ſexcenti trahebant: ſuper quo vtris erat capax trium millium metretarum ex pardorum pellibus conſutus fluebat & hoc vinum per totam viam paulatim dimiſſum. Hunc currum Satyri Silenique centum & viginti coronati ſequebantur, quorum hi gutturnia, illi phialas, alii pocula Thericlea magna, omnia tamen aurea geſtabant.

Continuato ordine crater argenteus ſexcentrarum metretarum capax in curru quatuor rotarum à ſexcentis viris tracto ſubſequebatur, qui ſub labris & auribus ac baſe animalia torno laborata habebat, atque coronabatur auro per medium, gemmato. Portabantur poſt hæc duo calices argentei duodecim cubitorum, quorum ad ſex cubitos erat altitudo, qui pinnacula in ſuperiore parte, & in aluo in circulum habebat, in pedibus tria animalia: ſemicubitalia verò, & cubitalia multitudine complura. Pelues decem prægrandes, & duodecim crateres, quorum majores metretas triginta, minores quinque continebant. Lebetes ſex, monticuli viginti & quatuor in quinque thecis, duo argentea torcularia, in quibus viginti quatuor erant dolia, menſa duodecim cubitorum tota ex argento, aliæque ſex cubitorum triginta. Accedebant his quatuor tripodes, quorum vnius, quum totus eſſet argenteus, circumferentia ſexdecim cubitorum ſpatium amplectebatur, at reliqui tres minores variis gemmis per medium erant diſtincti. Allati fuerunt poſt hos Delphicos tripodes argentei numero octoginta, multò prædictis minores, quorum anguli erant quadrati, hydriæ viginti & ſex, amphoræ Panathenaicæ ſexdecim, vaſa refrigerando apta centum & ſexaginta, inter quæ maximum metretarum ſex minimùm duarum erat capax: quæ omnia erant argentea. Succedebant his illi, qui aurea vaſa geſtabant, crateres quatuor Laeonicos viteis coronis gerentis, aliique quatuor metretarum capaces: duo erant Corinthiaca arte elaborati, qui eximia ſuper impoſitâ animalia torno formata habebant, atque in collo & in ventre ſculpturas præclarè factas, quorum ſinguli metretas octo continebant, atque erant in arculis. Aderat & torcular, in quo decem erant dolia, pelueſque duę, quarum vtráque metretas quinque capiebat, duóque pocula metretarum capacia. Refrigeratoria vaſa vinginti & duo, quorum maximum triginta metretas, at vnam minimùm capiebat.

Proceſſerunt in pompam & tripodes aurei quatuor magni vaſorúmque aureorum arca aurea decem cubitorum multis lapillis diſtincta, quæ altitudinem habebat ſex graduum, in quibus & animalia complura quatuor palmorum erant mirâ quadam arte laborata, duóque calices, & duo vitrei inaurati. Duæ aureæ arcæ quatuor cubitorum, aliæ tres minores. Hydriæ duodecim, ara tricubitalis, Mazonomiæ viginti & quinque. Incedebant poſt hæc pueri mille & ſexcenti ſagulis albis induti, quorum alii hederâ, alii pino erant coronati. Ducenti eorum & quinquaginta choas habebant aureas, quadringentíque argenteas. Alii trecenti & viginti vaſa refrigeratoria aurea portabant, alii argentea. Poſt quos alii pueri fictilia geſtabant ad rerum dulcium vſum, quorum viginti erant aurea, quinquaginta argentea, & trecenta inuſta variis coloribus picta. Poſtea quum miſta fuiſſent in hydriis & vaſis, omnes qui erant in ſtadio dulcedine capti ſunt. Poſt hæc huiuſmodi menſas quatuor cubitorum connumerat, ſuper quibus multa erant conſideratione digna, multáque ſpectacula magnificè laborata ferebantur, inter quę Semeles erat thalamus, in quo quidam erant ſagulis auro lapilliſque pretioſiſſimis intextis, induti.

Nec profectò dignum viſum eſt, vt currum quatuor rotarum ſilentio prætereamus cuius longitudo erat duorum & viginti cubitorum, latitudo quatuordecim, atque à viris quingentis trahebatur: in quo erat antrum eximiæ profunditatis hederâ & minio ornatum, ex quo columbæ, palumbæ & turtures corymbis pedes vinctos habentes per totam viam euolabant, vt facilè ab iis qui ſpectabant, caperentur. Scaturiebant ex ipſo binæ ſcaturigines, hæc aquæ, illa vini: omnéſque Nymphæ, quæ circumſtabant, coronas habebant aureas. Tenebat Mercurius aureum caduceum, veſtéſque habebat magnificas. At in alio curru qui Dionyſii peregrinationem ex India continebat, erat Dionyſius duodecim cubitorum, qui veſte purpureâ indutus ſuper elephanto conſidebat, coronámque habebat ex hedera & pampinis auream: cuius manu haſta aurea viteis frondibus veſtita poſita fuerat, ſubligabantúrque aurea calceamenta. In collo autem elephanti Satyrus quindecim cubitorum aureâ pini coronâ coronatus,

conſidebat, dextráque manu aureo capræ cornu ſignificabat. Elephas ipſe ornamentum habebat aureum, coronámque auream hederaceam circa collum: hunc puellæ quingentæ purpureis veſtibus auróque præcinctæ ſequebantur. Coronabantur primæ centum & viginti aureis pineis coronis, quas Satyri centum & viginti ſequebantur, alii quidem argentum, alii autem æreum armorum apparatum habentes. Hos quinque aſinorum alæ ſequebantur, ſuper quibus Satyri erant coronati, & Sileni. Ex aſinis alii argenteos frontis apparatus, ornatúmque babebant, alii aureos. Succedebant his elephantum currus viginti & quatuor, bigæque hircorum ſexaginta, aprorum duodecim, orygum ſeptem, bubalorum quindecim, ſtruthorum bigæ octo, ceruorem ſeptem, aſinorum agreſtium bigæ quatuor, quatuórque currus, in quibus aurigarum ſagula petaſóſque habentes pueruli incedebant, iuxta quos alii rurſus pueri paruis peltis, haſtíſque frondibus veſtitis ornati tum veſtibus aureis induti, ſequebantur: Coronabantur pueruli aurigæ, pino: at pueri ſequentes hederâ. Aderant camelorum bigæ tres ex vtráque parte, quas plauſtra à multis tracta ſequebantur ſcenas barbaricas habentia, quibus Indæ mulieres, & aliæ velut captiuæ ornatæ, vehebantur. At cameli trecentas thuris minas ferebant, croci autem, & caſiæ, cinamomi, iridis, aliorúmque aromatum, ducentas. His coniungebantur ſatellites Æthiopes, ex quibus alii ſexcentos dentes ferebant, alii tria millia truncorum ebeni, alii ſexaginta cratetes aureos, & árgenteos, refrigerandíque vaſa aurea.

Proceſſerunt in pompam poſt hos duo venatores auratas haſtas habentes, atque canes quadrigentos vltra duo millia poſt ſe habebant, quorum alii erant Indi, alii Hyrcani, aut Moloſſi, aliorúmque generum complurium. Viri poſtea centum & quinquaginta accedebant arbores ferentes, quibus ferarum auiúmque multipliciũ genus ſuſpendebatur. Portabantur in caueis etiam pſitaci, meleagrides ſiue Numidicę gallinæ, pauones, phaſiani, & aliæ aues Æthiopicæ complures. Atque cùm alia multa, tum animalium greges ſimul connumerauit. Oues Æthiopicas centum & triginta, trecentas Arabicas, Euboicas viginti, viginti & ſex boues Indicos, alba membra habentes, octo Æthiopicos, quos vna alba vrſa ſequebatur. Quatuor pardales, ſexdecimq; aderant pantheræ, quatuor paruæ lynces, vrſi tres, vna camelopardalis, vnuſque Æthiopicus Rhinoceros. In curru poſtea quatuor rotarum Dionyſius erat, qui ad aram Rheæ confugerat, vbi eum Iuno inſectabatur, habebátque auream coronam; cui Priapus auro hederaceo coronatus aſſiſtebat. Iunonis autem imago coronam habebat auream. Alexandri deinde & Ptolemæi ſtátuæ hederaceis coronis aureis coronabantur. At Virtutis ſimulachrum, quod erat Ptolemæo propinquum, coronam auream habebat in oliuæ folia inciſam. Aderat illis Priapus coronam habens hederaceam auream. Corinthus ciuitas Ptolemæo aſſiſtebat aureo diademate coronata: quibus omnibus calix rerum aurearum plenus adiacebat: cratérque aureus quinque metretarum capax. Hunc currum mulieres mundũ muliebrem, ſumptuoſaſque veſtes habentes, ſequebantur, quæ nominabantur Ciuitates in Ionia & reliqua Græcia exiſtentes, quæque in Aſia & in inſulis conditæ ſub Perſarũ imperiũ deuenerunt, quæ omnes aureas coronas geſtabant. In alio curru thyrſus aureus nonaginta cubitorum ferebatur, & haſta argentea cubitorum ſexaginta. In alio curru Phallus aureus pictus, atque coronis aureis ligatus cubitorum centum & viginti, cuius in ſumma parte ſtella aurea collocabatur, cujus erat ambitus ſex cubitális. Sed quum multa variáque in his pompis ſint connumerata, ea ſolùm elegimus in quibus aurum & argentum, cum multa tamen eſſent & alia digna quę audiantur, &c.

Celebrabantur autem magna hac myſteria apud Gracos tertio quoque anno: quod Ouidius lib. 1. *Faſtorum his verbis etiam atteſtatur:* *Myſteria M. Bacchi triennalia fuerunt.*

Feſta Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ ſolito tempore bruma refert.

Vbi per brumam annum, συνεκδοχικῶς *partem pro toto intelligit. Vnde &* Τριετηρικὰ *Trieterica, hoc eſt, triennalia appellantur à Vergilio lib.* 4. *Æneid.*

qualis commotis excita ſacris
Thyas, vbi audio ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia, &c.

Referebant autem Graci hac celebritate, qua apud eos maior & ſumptuoſior annuis extitit, id tempus, quod Bacchus, dum ex India victor rediret in patriam, in peregrinatione conſumpſiſſe dicitur.

Miſteriorum cel. Bacchi author. Author horum Orgiorum Dionyſius, & Bacchus, fuit. Sic eum Deodorus Siculus lib. 4. ſcribit: Tharopi Thracum imperium conceſſit Dionyſius, tradito ei Orgia celebrandi modo. Huic Agrus filius ſuccedens, & regnum, & ceremonias, myſteriáque ſuſcepit. Quibus poſtmodum ab Orpheo ingenio & eruditione præſtanti, perceptis, quum nonnulla ad Orgia addidiſſet, repertas a Dionyſio ceremonias, ORPHEA poſteri appellârunt. *Et paulò poſt:* Dionyſius ex India Thebas, elephanto vectus, peruenit: à triennio verò iis peregrinationibus exacto, Græcos inſtituiſſe Τριετηρίδας tradunt. *Idem libro 5 hæc refert:* Boëotii, cæterique Græci, Thraces quóque in memoriam Indicæ expeditionis, ſacra Τριετηρίδας ſibi inſtituerunt. Vnde & in multis Græciæ vrbibus, triennio Bacchides mulieres conueniunt: apud quas de more virgines thyrſum ferunt, in honorem Dei bacchantes, eique per cœtus ſacrificantes. Poſtremò memoriam Menadum, quæ feruntur illi Deo aſtitiſſe, hymnis & cantu renouant. *Hæc Diodorus. Thyrſum autem ferebant in hoc Sacro mulieres, quòd in expeditione Indica mulierum copiam ſecum circumduxiſſet armatam haſtis thyrſo inuolutis.*

Dionyſia in agris. *In agris autem ſacrificia, certamen & cantilena celebrabantur tempore vindemiæ quotannis ἐν ταῖς Ληνοῖς in torcularibus, quum ea vuis exprimendis inuenta eſſent apud Athenienses, vt ait enarrator Ariſtophanis, quæ Ληναία & ἐπιλήναια Lenæa & Epilenæa dicebantur. Nam certabant inter calcandas vuas, quis citius plus muſti exprimeret, & Bacchi laudes canebant inter calcandū, rogabántque vt quàm ſuauiſſima muſta defluerent: Natali Comite referente lib. 5. Mythol. cap. 13.*

SACEAS Feſtum.

Saceas Feſtum quale. **B***Eroſus lib. 1. Rerum Babylonicarum prodidit, die ſextâ ſuprà decimam menſis Loi, qui Auguſto noſtro reſpondet, agi Feſtum conſueſſe* SACEAS *nomine apud Babylonem diebus quinque (ſimile Saturnalibus Romanorum) quo dominis imperitârint ſerui, quorum vnus è domo eductus Stolam ſumpſerit regiam, vocatúſque ſit* Zoganes, *vt Athenæus lib. 14. cap. 17. ex Cteſia lib. 2. rerum Perſicarum indicat. Referunt etiam Cœlius Antiq. Lect. lib. 13. cap. 23. Zuingerus parte 2. Theatri Col. 1985. Adrianus Iunius ad 16. diem Iunii ponit, per Loum falsò Iunium intelligens.*

Schacha vel Sacea quid. *Fuit autem* Schacha, *vel* Sacea *Dea Babyloniorum eadem qua Terra, quam Romani etiam Telluris vel Opis nomine coluerunt. Hoc feſtum celebrârunt fortaſſe Babylonii cùm vrbs eorum occuparetur. In qua ſententia ii ſunt, qui Dan. 5. v. 2. vocem Hebraam* IN GVSTV VINI, *vertunt,* In guſtu Agaſonis; *Hatuúntque Agaſonem quemdam in ea feſtiuitate Zoganem fuiſſe, ex cuius placito omnia adminiſtrari oportuerit, & cuius arbitrio conſilióque vaſa templi Hieroſolymitani allata ſint. Bibiſſe autem, & laſciuis carminibus, ſaltationibúſque huius feſti celebratione Babylonios noctes diéſque indulſiſſe Xenophon lib. 7. teſtatur.*

Sacarū Feſtum. *Non diuerſum ab hoc arbitror eſſe* Sacarum Feſtum, *&* diem Sacam *Anaitidi Perſarum, Medorum & Armeniorum Deæ celeberrimâ Sacram, cuius Cœlius meminit lib. 18. Antiq. Lect. cap. 29. In eo enim turba virorum juxtà & mulierem miſcellanea largius vina ingurgitare aſſueuerat, vel vſque ad ſtuporem. Celebritatis ratio ex hiſtoria eſt, quòd Cyrus per temulentiam Sacarum copias ad internecionem deleuiſſet in caſtris, quæ differta vino, ſimulatâ fugâ, reliquiſſet ipſe.* *Feſti huius origo.*

ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ.

Chelidoniorū ritus. **H***Irundinum quoddam Feſtum ſeu ludicrum agebant Rhodii menſe Boëdromione, Athenæo authore lib. 8. cap. 10. in quo hirundinibus ſtipem colligebant, circumeundo oppidanorum ædes, & cantando cantilenam quandam de hirundinum aduentu: idque* χελιδονίζειν, *dixere, quod eſt* χελιδόνι ἀγείρειν. *Athenæus citato loco apud Rhodios ſcribit* Χελιδονίζειν *nominari,* ἀγυρμὸν *quendam afferens ex Theognidis lib. 2. De Rhodiorum ſacrificiis hæc verba:* εἶδός τι τοῦ ἀγείρειν χελιδονίζειν Ῥόδιοι καλοῦσι. *Dici verò ait* χελιδονίζειν, *quòd in iſto ludicro ſeu feſto huic* ἀγυρμῷ *ſoleret acclamari hæc cantilena.*

Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ
καλοὺς ἐνιαυτούς.
Ἐπὶ γαστέρα λευκά, κἀπὶ νῶτα μέλαινα.
Παλάθαν οὐ προκυκλεῖς ἐκ πίονος οἴκου,
Οἴνου τε δέπαστρον, τυροῦ τε κάνυστρον καὶ πυ-
ρῶν,
Ἁ χελιδὼν καὶ λεκιθίταν οὐκ ἀπωθεῖται, πότερ'
ἀπίωμες ἢ λαβώμεθα,
Εἰ μέν τι δώσεις· εἰ δὲ μή, οὐκ ἐάσομεν·
Ἢ τὰν θύραν φέρωμες ἢ τὸ ὑπέρθυρον,
Ἢ τὰν γυναῖκα τὰν ἔσω καθημέναν,
Μικρὰ μέν ἐστι, ῥαδίως μιν οἴσομεν.
Ἂν δὴ φέρῃς τι, μέγα δή τι καὶ φέροις.
Ἄνοιγ' ἄνοιγε τὰν θύραν χελιδόνι,
Οὐ γὰρ γέροντές ἐσμεν, ἀλλὰ παιδία.

Veni veni Hirundo pulchros dies agens,
& pulchros annos:
Ventrem habens album, dorſúmque nigrum.
Maſſam caricarum non deuoluis ex pingui domo:

Vini-

Viníque poculum, & caſei caniſtrum, & frumenti.
Hirundo etiam non reſpuit, an abeamus.
Vel capiamus ſi quid dabis, ſin autem ſinemus.
Vel fores ſeramus aut ſuperliminare.
Aut mulierem extra ſedentem,
Parua quidem eſt, facilè ipſam feremus.
Si quid attuleris, magnũ aliquid ferres.
Aperi aperi ianuam hirundini,
Non enim ſenes ſumus, ſed pueri.

Hunc colligendi modum primus Cleobulus Lindius demonſtrauit in Lindo, cùm penuria nummorum inuaſiſſet, Athenæo teſte eodem libro cap. 10. Quia verò hirundines non Auguſto menſe demùm, ſed vel in Maio vel Iunio adueniunt, fortaſſe hoc Feſtum ad horum menſium aliquem non ad Auguſtum referendum.

HARPOCRATIS Feſtum.

M*Enſe Ægyptiorum Meſori, qui maximam partem Auguſti noſtri comprehendit, celebrabatur ab Ægyptiis feſtum Harpocratis: de quo Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride ſcribit, quod ſit præſes atque corrector imperfecta & imcompoſita hominum de Diis ſententia: itáque & digitum ori impoſitum tenere, argumentũ taciturnitatis & ſilentii, & in ipſa celebritate offerentes ei legumina, canere,* γλῶσσα τυχὴ, γλῶσσα δαίμων, *hoc eſt*, Lingua eſt fortuna, Lingua genius. *In Calendario Gyraldi Attico & Romano, ab Elia Reuſnero aucto, ponitur ad 4. Calend. Septemb.*

CAPVT XXII.

De Feſtum & Sacris quę menſe AVGVSTO apud Romanos fiebant.

CALENDÆ AVGVSTÆ.

Spei feſti dies & origo. S Pei Feſtum *celebratum fuit Calen. Auguſti menſis, ob dedicatum ei hoc die templum Romæ in foro Olitorio, Gyraldo ex veteri Calendario, & Iunio teſtibus. Id fulmine ictum, & incendio conſumptum, Liuio authore lib. 1. de Bello ſecundo Punico, ſequenti anno refectum fuit, eodem teſte lib. 5. de Bello ſecundo Punico. Non ſolùm enim templo, ac feſto die, ſed & multis ſacris* Spem *venerabantur Romani, vt ciues periculoſis temporibus certâ ſpe potiundæ victoriæ, & recuperandæ libertatis rerúmque optimarum exſpectatione incitati, Rempublicam aduerſus malorum hominum impios conatus, & hoſtiles impetus fortiter propugnarent.*

MARTIALES Ludi.

C*Elebrabantur etiam Ludi Martis Calendis Aug. in quibus certamina equeſtria exhibebantur. Eorum his verbis meminit Dio lib. 60.* Quæ, *inquit*, equeſtria certamina Calendis Aug. inſtituta ſunt propterea, quòd eâ die Martis ædes conſecrata *extra portam Capenam*) fuit.

Alexandria in Ægypto etiam Calendis Auguſt. Feſtum celebratum fuit in honorem Auguſti Cæſaris, propter triumphum de Cleopatra Regina Ægypti, vt Antonio habitum: ſi verum eſt quod Durandus refert in ſuo Rationali lib. 7. c. 19. ex Beda.

C. IVL. CÆSARIS Feſtum.

Q*Varto Non. Aug feriæ erant, ob Hiſpaniam à Ca. Iul. Cæſare deuictam & occupatam. De hac victoria & feriis in eius memoriam celebratis Dio lib. 43. Suetonius in Cæſare cap. 36. Carolus Sigonius in Faſtorum Comment. ad annum* 708.

SALVTIS Feſtum.

S Alus Dea *à Romanis Nonis Auguſtis culta fuit, vt Gyraldus ex veteri Calẽdario & Iunius in Faſtis referunt. Quin & Macrobius teſtatur, ferias antiquitùs fuiſſe, quoties, quis Salutem Deam nomináſſet, tum etiam Semoniam, Segetiam, & cæteras, quas Apuleius Salutigeras Deas, Græci* σωτῆρας *appellant. Ædem Salutis quam C. Iunius Bubulcus bello Samnitum Conſul vouerat, Cenſor locauerat, Dictator hoc die dedicauit, Liuio authore libro* 10. *ab vrbe condita. Eam ædem à Fabio Pictore depictam legimus, quam & P. Victor in ſexta vrbis regione, hoc eſt, in Quirinali ſtatuit.* *Salutis Feſtum*

SOLIS INDIGETIS Feſtum.

O*Ctauo die Auguſti*, Solis Indigetis Feſtum *in Calle Quirinali celebratur, vt Gyraldus ex veteri Calendario, & Adr. Iunius in Faſtis referunt.*

ARÆ, OPIS & CERERIS Feſtum.

D*Ecimo die Auguſti* Aræ, Opis *&* Cereris Feſtum *agebatur in vico Iugario Romæ, iiſdem in Faſtis ſuis teſtibus.*

LIGNAPESIA.

D*Vodecimo die Auguſti* Lignapeſia *Feſtum fuit* Herculis magni Cuſtodis, *ob ædem ei hoc die in Circo Flaminio conſecratam. Gyraldus Syntagm. 10. & in Faſtis ex veteri Calendario,*

Iduum Auguſti Celebritas.

I*Dus Auguſti ſerui & mancipia, atq; omnis famulatus Feſtas obſeruârunt, quod Seruius Tullius Romanorum Rex ancillâ genitus in lucem hoc die editus fuiſſet. Conniuebantur autem & ludebant hoc die ſerui & ancillæ cum dominis æquato iure, & nullo diſcrimine liber an* *Idus Aug. unde Feſta, & earũ ritus*

ſer-

ſeruus eſſet. Quo tempore etiam vxoribus caput lauare felix fauſtumq́; putabatur: ſicut apud Indos, quum Rex capillos abluit, feſtum celebrant diem donáque Romanæ mulieres inuicem miſtitabant, & diuitias quaſq́; ſuas oſtentabant. Plutarchus in Quæſt. Rom quæſtione 100. *& Alex. ab Alex. lib.* 3. *cap.* 18.

Feſtum nemorale Dianæ, eiúſque ritus.

Eodem quoque die Sacrum *fiebat* Nemorale Dianæ: *vt teſtatur Martialis Epigram.* 68. *lib.* 12.

Maiæ Mercurium creâſtis Idus,
Auguſtis redit Idibus Diana.

Quam ob cauſam Hecateias has Idus vocat Statius lib. 3. *Syluarum: & Auſonius dicit,* Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus: *His feriis ex Vrbe facibus accenſis in nemus Aricinum, vbi templum Dianaà Seruio Tullio ædificatum erat, vt Liuius libro* 1. *ab vrbe condita teſtatur, diſcurrebant mulieres. Vide Propertius in ſecundo Eleg.* 33.

Sed tibi me credere turba vetato.
Cùm videt accenſis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.

Et Ouid. in Faſt.

Sæpè potens voti frontem redimita coronis
Fœminæ lucẽtes portabat ab vrbe faces.

De eadem quoque Papinius in Syluis ita cecinit:

Iamq́; dies aderat, profugis cum Regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conſcius Hyppolytæ ſplendet lacus, &c.

Tiberinalia.

Huc etiam referunt Tiberinalia *vetus quoddam Calendarium à Gundelio æditum, & Adr. Iunius in Faſtis.*

Portunalia.

Portunnus quis.

POrtunus *vel iuxta alios* Portumnus, *Deus fuit marinus, vt Seruius teſtatur, & portubus præfuit. Feſtus Deum portarum eum dicit eſſe, & propterea clauem in manu tenere. Nota eſt de hoc Deo fabula. Ino Cadmi filia quum fugeret maritum in furorem verſa ſe cum filio Melicerta in mare præcipitauit. Sed ex Deorum commiſeratione in Deos conuerſi marinos, Ino Leucothea, hoc eſt alba dea, Melicerta autem Palæmonis nomen accepit, quem Latini Portunum appellant. In regione* 11. *vrbis Romæ, id eſt in Circo maximo, qui Conſo, hoc eſt Neptuno equeſtri dicatus fuerat, duæ ædes Portuno conſecratæ fuerunt, vt P. Victor indicat: altera inter Apollinem Cœliſpicem & Herculem Oliuarium: altera ad pontem Æmilii, olim Sublicii appellati: ad hanc ædem ſacrum huic deo & Feſtum celebrabatur die* 17. *Auguſti, vt Gyraldus ex veteri Calendario & Iunius indicant in Faſtis.*

Iani ſacrum.

Iano etiam ad theatrum Marcelli Sacrum eodem die celebrabatur, Gyraldo & Iunio iiſdem in locis teſtibus.

Conſualia, eorúmque Ludi.

Conſualiorum dies.

COnſualia 14. *vel iuxta alios* 12. *Calend. Septembr. celebrabantur, Plutarcho teſte in Romulo: & Fabius Pictor refert, quarto poſt conditam vrbem menſe celebrata. Agebantur autem in honorem Conſi. Sic enim Pompeius inquit:* Conſualia Ludi dicebantur, quos in honorem Conſi faciebant. *Et Varro,* Conſualia, *inquit,* dicta ſunt à Conſo, quòd tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram eius à Sacerdotibus fiant ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.

Conſus quis.

Eſt autem Conſus Romanis conſiliorum Deus. Græcis Neptunus. Sic enim Dionyſius libro 1. *Antiquit. Roman.* Deus in cuius honorem iſta fiunt, Conſus à Romanis vocatur, quem quidem interpretantes in linguam Græcam *Ποσειδῶνα & Σεισίχθονα*, hoc eſt, Nepruaum & Terriquaſſatorem appellant: ideóque aram ei ſacratam ſubterraneam. quòd hic Deus terram habeat, & quòd Conſilium non modò ſacra res ſit, vt ait Plato, ſed occulta quoque eſſe debeat. Ego verò *ſubiicit idem author*, & alium ſermonem audiui, quòd hi quidem dies feſti Neptuno agantur, quódque curſus & equites etiam huic Deo fiât: ara verò poſtea genio cuidam arcano conſtructa fuerit, occultorum conſiliorum duci atque cuſtodi. Neptuno enim occultam aram nuſquam terrarum ſacratam eſſe, nec apud Græcos, nec apud barbaros reperio. *Ex quibus Dionyſii verbis quidam Conſum à Neptuno diſtinguunt, quòd ara quidem Conſo dicata fuerit, Neptuno autem templum. Conſum autem à conſilio dando denominatum Auguſtinus quoque teſtatur lib.* 4. *de Ciuit. Dei. Et Cyprianus,* Conſus, *inquit,* quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum coli Romulus voluit, &c. *Arnobius quoque in tertio, Conſum dictum putat,* quòd ſalutaria & fida conſilia noſtris ſuggerat cogitationibus.

Conſualiorum origo.

Huic Deo feſtum & ludos vouit inſtituitq́; Romulus, quum rapere Sabinis vxores & virgines inſtituiſſet. Famam enim per finitimas ciuitates ſpargit, quòd ſacram cuiuſdam dei aram in ſubterraneo ſpecu abditam offenderit, eiq́; ſacra ſolennéſque ludos ſe facturum ſimulat, vt Plutarchus in eius vita teſtatur. De quo Dionyſius paulò aliter li[illegible] Quum enim conſilii de rapiendis virginibus meminiſſet, ita ſubiicit: Primùm Deo arcanarum conſultationum Duci, ſi dolus ſibi ex ſententia eueniret, Sacrificium quotaanis, & ferias agendas vouit. Poſtea verò ſenatui rem aperiens, vbi ipſis etiam conſilium illud placuit,

Digitized by Google

cuit, diem Feſtum & Ludos indicens Neptuno agendos, circummiſit in vrbes proximas, euocans quicunque vellent & certaminum & mercatus eſſe participes, &c. *Et paulò poſt*; Feſtum quod tunc conſecrauit Romulus, etiam noſtrâ ætate Romani agitant nomine Conſualium.

Hippocratia.

Romulum itaque Feſtum & Ludos hos primùm Romæ inſtituiſſe credendum eſt: ſed diu ante eum ſimile quid ab Euandro Arcade in Latio inſtitutum ex Dionyſio intelligitur, qui libro 1. Neptuno, *inquit*, Hippio Feſtum inſtituit, Hippocratia dictum Arcadibus. Romanis verò Conſualia. *Vbi notandum obiter, quod Feſtus docet, Neptunum* Hippium *vel* Equeſtrem *propterea dictum, vel quòd Pegaſus ex eo natus ſit: vel quòd equus loco eius ſuppoſitus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuorauit: vel quòd tridentis ictu terra equum exciuerit, cui ob hoc in Illyrico nono quoque anno quaternos equos in mare iaciebant: vel denique, quod Neptunus equos primùm domuit, & equitandi artem inuenit, vt Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 26. addit.*

Neptunus cur Hippius ſeu Equeſter dictus.

Conſualiorum ritus.

In hac ſolennitate ara ſubterranea ſita propè Circa maximum, refoſſâ terrâ ſacrificiis igneis honoratur & libaminibus, equorum etiam & quadrigarum committuntur certamina: Dionyſio teſte lib. 2. Hanc aram quum ludos celebrabant, omnibus adire fas erat, reliquo anni tempore non licitum fuit, Alex. ab Alex. authore lib. 5. cap. 26. Sic autem Plutarchus: ὁ βωμὸς ἐν τῷ μείζονι τῷ ἱπποδρόμῳ ἐστὶν ἀφανὴς τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ τοῖς ἱππικοῖς ἀγῶσιν ἀνακαλυπτόμενος.

In ipſis autem Sacris victima erat Mulus, quoniam id genus quadrupedum primum vehiculo iunctum fuiſſe crediderunt.

Equos etiam & aſinos coronis ſertiſq; exornare, & feriari, nec illos labori admittere mos in eodem feſto fuit. Dionyſio lib. 1. Plutarcho in Problematibus, & Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. authoribus: ſiue quòd Neptuno equeſtri diem feſtum agebant, & aſinus propter equum pari fruebatur honore: ſiue quòd inſtitutâ nauigatione, quum multa nauibus veherentur, otium quoddam ac quies iumentis his data eſt, vt Plutarchus Problemat. 48. indicat: vel etiam, quòd equos primùm Neptunus domuit, & equitandi artem inuenit, vt Alex. ab Alex. citato loco addit.

Ludi Romani, qui & Magni & Circenſes dicti.

Ludi Romani, qui.

LVdi *qui ab initio dicti fuere* Conſuales, *de quibus modò egimus, progreſſu temporis* Romani Magni, *&* Circenſes *quoque appellati ſunt, Teſtem habeo Aſconium Padianum qui Actione 1. in Verrem ſic ſcribit:* Romani Ludi ſub Regibus inſtituti ſunt, Magniq; appellati, quòd magnis impenſis dati ſunt: tunc enim primùm Ludis impenſa ſunt ducenta millia nummûm. Alij verò Magnos ludos dictos putant, quod Conſo, Conſiliorum Deo, id eſt, Neptuno Latium Regi, & rerum conditarum, & Diis magnis, id eſt, Laribus vrbis Romæ, dati ſunt: quibus aiunt raptas Sabinas eſſe, vt videatur propter hoc dicere Vergilius: Magnis Circenſibus actis. Nam & Magni & Circenſes iidem ſunt. *Liuius etiam lib. 1. ab Vrbe condita, in hiſtoria Tarquinii Priſci quinti Romanorum Regis, ad hos Ludos reſpiciens ſic ſcribit:* Bellum primum cum Latinis geſſit Tarquinius, & oppidum ibi Apiolas vi cœpit, prædáque inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat, reuecta, ludos opulentius inſtructiúſque, quàm priores Reges, fecit. Tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus eſt locus, loca diuiſa Patribus, Equitibúſque, vbi ſpectacula ſibi quiſque facerent, fori appellati, ſpectauêre furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes, ludicrum fuit, equi pugiléſque ex Hetturia maximè acciti: ſolennes deinde annui manſere ludi Romani, Magni, variéque appellati. *Valerius Maximus lib°2. cap. 162.* Ad id, *inquit*, tempus Circenſi ſpectaculo contenta erat ciuitas noſtra, quod primus Romulus raptis virginibus Sabinis Conſualium nomine celebrauit. *Ludouicus Vives quoque in ſuis ad cap. 17. lib. 2. de Ciuit. Dei D. Auguſt. Annotationibus hac ſcribit:* Ludi quotannis Neptuno equeſtri celebrabantur, variè nominati: Circenſes, Magni, Romani, apud Priſcos Conſualia, &c. *Alexander etiam Sardus lib. 3. de Moribus gentium*, Sequebantur, *inquit*, ludi Romani à regibus inſtituti, & Romulo ipſo, his enim ludis raptæ creduntur Sabinæ, &c.

Cur autem Romani *dicti ſint non inuenio.* Circenſes *verò, quaſi circum enſes. Nam, vt Seruius tradit in lib. 3. Georg quum rudis vetuſtas nondum loca huiuſcemodi ludis apta ædificâſſet, inter enſes & flumina eos celebrabat, vt ab vtraq; parte ignauis præſens eſſet periculum, & locum ipſum* Circum *appellabat. Exin locus muris ſeptus, in quo ludi fiebant, nomen* Circi *retinuit. Quamuis Varro* Circum *inde nominatum velit*, quòd ibi Circum meras equi currerent. *Liuius autem refert, vt paulò antè indicauimus, Tarquinium Priſcum Circo maximo primum deſignâſſe locum, &c. Plinius verò author eſt lib. 36. cap. 15. Circum hunc maximum à Cæſare Dictatore extructum, longitudine trium ſtadiorum, latitudine vnius, ſed cum ædificiis iugerum quaternûm, ad ſedem ducen-*

Ludi hi cur Romani, Magni & Circenſes dicti.

ducentorum millium & ſexaginta.

Edebantur autem hi Ludi primùm à Regibus, deinde à Conſulibus eorum ſucceſſoribus, inde ab Ædilibus Plebeis, tandem à Curulibus, cùm deſignati eſſent in trium magnorum Deorum honorem, Iouis, Iunonis & Mineruæ. Colligitur hoc non obſcurè ex Cicerone, qui lib. 1. Actionis 2. in Verrem, Nunc, *inquit,* ſum deſignatus Ædilis: habeo rationem quid à populo Romano acceperim, mihi ludos ſanctiſſimos, maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos, mihi Floram matrem populo plebique Romanæ ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani appellati ſunt, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæq; eſſe faciendos.

Ludi Romani quando celebrati. *Etſi verò Tarquinius eos annuos fecerit, vt Liuius teſtatur, tamen poſterioribus ſeculis nullum certum & definitum in anno tempus habuerunt: ſed vel ad bellum ituri Conſules eos ſæpè vouerunt: Feciſſe hoc primus omnium M. Furius Camillus Dictator legitur. Sic enim Liuius lib. 5. ab vrbe condita:* Latini, Hernicique operam ſuam pollicentes, ad id bellum venere: quibus quum gratias in Senatu egiſſet Dictator, ſatis iam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex Senatuſconſulto Veiis captis ſe facturum vouit. *Idem in Punico bello refert, Decemuiros retuliſſe ad Senatum: ludos magnos vouendos eſſe, ſi bellatum eſſet proſperè aduerſus Annibalem, Reſq; publica in eo quo erat antea ſtatu permanſiſſet. Vel ſi quando Reſpublica laborabat & afflicta erat, Senatus aut Imperator hos ludos decreuit. Hinc Suetonius in Auguſto, quum magnitudinem Varianæ cladis expoſuiſſet.* Vouit, *inquit,* & magnos ludos Ioui Opt. Max. ſi Rempublicam in meliorem ſtatum vertiſſet. *Fuerunt etiam in Natalitiis Cæſarum celebrati, vt eſt videre apud Iulium Capitolinum in Imp. Pertinace. Reperitur & in adoptione tales ludos à Cæſaribus editos, vt intelligitur ex Spartiani Adriano. Sic quoque in publicis victoriis & triumphis celebrabantur.*

Cùmque primùm vno die, inde biduo, itemq; triduo agerentur, tandem plures dies iis attributi ſunt. Faſti nonnulli veteres nouem continuos dies à prid. Non. Septembris, vſque ad prid. Idus celebratos eos fuiſſe perhibent: poſt quos biduo interiectos, alios ludos Romanos in Circo per quinque dies habitos, iidem referunt. Hos tamen Paulus Manutius Comment. in Actionem 1. Verrinam, inſtitutos eſſe putat poſt illud tempus, quo Verres à Cicerone accuſatus fuit.

Circenſes & iam ab initio hi Ludi erant, vt ex Liuio manifeſtum eſt. tamen progreſſu temporis Scenici etiam facti ſunt, quod idem Liuius teſtatur lib. 31. his verbis Ludi Romani Scenici eo anno magnificè apparatéque facti ab Ædilibus Curulibus L. Valerio Flacco, & L. Quinctio Flaminio biduum inſtaurati ſunt.

Ludorū Rom. ritus. *Meridie autem celebratos hos Ludos ex Auguſtino colligitur, qui lib. 8. Confeſſ. Circenſium ſpectaculum* Pomeridianum *vocat. Huc etiam facit quòd Suetonius in Claudio ſcribit:* Beſtiariis, meridianiſque adeò delectabatur, &c.

Ab initio autem magna cum ſimplicitate acti ſunt hi ludi: paulò poſt Tarquinius Priſcus opulentius inſtructiùſque eos celebrauit, & equos pugileſq; ex Hetruria accerſiuit, vt Liuius teſtatur: ſequentibus verò ſeculis creſcente potentiâ Romanâ, profuſis ſumptibus facti ſunt. Primò enim, omnis generis Pontifices, ſacerdotes: flamines, ſodales, augureſq; in Circenſi pompa ordine inceſſiſſe Tacitus libro 3. indicat: Tum, *inquit,* ſupplicia diis, ludique Magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices & Augures, & Quindecemuiri, Septemuiris ſimul & ſodalibus Auguſtalibus ederent. *Hic mos à Chriſtianis poſtea in ſolennitatem feſti corporis Chriſti tranſlatus eſt. Deinde, hanc proceſſionem ſeu pompam præiuerunt qui ſimulachra & imagines Deo portarent. Sic enim Tacitus ſcribit libro 2.* Honores vt quiſque amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti, decretique: vt Ludos Circenſes eburnea effigies præiret, &c. *Suetonius etiam in Tito,* Quorum, *inquit,* omnium immemor, ſtatuam ei auream in palatio poſuit: & alteram ex ebore equeſtrem, quæ Circenſi pompâ hodie quoque præfertur dedicauit. *Tertiò, bigis & quadrigis cucurriſſe in Circenſibus, non ſolùm Suetonius oſtendit in Dictatoris hiſtoria, & Herodianus lib. 4. in vita Caracallæ, ſed etiam in veteribus numiſmatibus repræſentatur.*

Erant verò carceres & metæ conſtitutæ, ad quas certi miſſus equorum certando procurrebant: ita emiſſiones equorum vocabantur in ea ſolennitate. Liuius lib. 7. ab vrbe condita huius rei meminiſſe videtur. Et Tranquillus in Claudio teſtatur, Circum maximum marmoreis carceribus, auratiſq; metis, quæ vtraque & tophina & lignea antea fuerint, exultũ fuiſſe à Claudio.

In his præterea fuerunt Solennia curricula ſeptem: nam ſepteno circuitu currebant aurigæ, & 25. miſſus, quæ Domitianus ad quina ſpacia contraxit: & miſſus ad centenos propagauit, eodem Tranquillo authore. Vltimus equorum miſſus vocabatur Ærarius, proprio vocabulo, & ſeorſim ex eo quòd de collatione populi exhibebatur. Erant etiam in his ludis Deſultores, *non equi, ſed homines illita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui miſſus equorum denunciabant exituros.*

In iiſdem quoque quatuor factiones, videlicet

Ludorum Rom factiones.

Veneta, quæ carnlæo: Praſſina, quæ viridis dicta fuit: Alba & Roſea, coli celebraríque ſolita fuerunt: quibus addidit duas Domitianus Imp. Purpuream & Aurati Panni. Sic enim Tranquillus in Domitiano, Duas, inquit, Circenſibus gregum factiones, aurati, purpureíque panni ad quatuor priſtinas addidit. Pannóque verſicolore per ſingulas factiones certabatur: in quibus ſpectantium fauor, & aura popularis gratiáque & ſtudium ad victoriam multum loci dedit. Nam tanto fauentium ſtudio hinc inde certabatur, quum ſuos quiſq. clamore & plauſu foueret, vt magis ſtudio & colore panni, & fauore quo affecti erant, quàm verâ virtute niterentur, iiq. popularis fauor & gratia non dubiam pleruníq. victoriam dedit: adeò vt non populus modò, ſed & Principes ingenti ſtudio & gratiâ factionum contenderent. Siquidem Vitellius Venetæ factioni ita addictus erat, vt eos per æqua & iniqua amplo fauore proſequeretur, adeò vt quoſdam, qui clarè maledixerant, occidi iuberet. Sicut Praſſinæ deditus erat Caligula & Nero Impp. Fertur autem Verus Antoninus à Venetæ factionis hominibus, quam odio execrabili proſequebatur, intoleranda probra & contumelias tuliſſe, quòd contra eos Praſſinæ ſtuderet.

Conſul etiam Romæ, Importunus nomine, anno Domini 509. in conſuetorum exhibitione munerum, & editione Circenſium, fauens Venetæ factioni, in Praſſinos ſe parum æquum exhibuit, dum vnus ex iis, annuente Conſule, interficeretur, vt apparet ex Epiſtola Theodorici Regis Italiæ ad Specioſum ſcripta, vt eſt videre apud Caſſiodorum lib. 1. epiſt. 27.

Ludorum Rom. ſignum.

Præualuit etiam mos, vt Prætor, aliúſve Magiſtratus, qui Ludis præerat, Mappam aurigis mitteret, & curſus ſignum daret, quod erat futurorum Circenſium initium. Id à Nerone tali caſu fluxiſſe in morem Caſſiodorus teſtatur: Cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem auidus ſpectandi populus flagitaret, ille mappam, quâ tergendis manibus vtebatur, iuſſit abiici per feneſtram, vt ſciret populus prandium finitum.

In Ludis Rom. feræ exhibitæ.

Feræ denique, & præcipuè inſolitæ populo in Circenſibus ab Auguſtis exhibebantur: quæ partim à venatoribus, partim à condemnatis conficiebantur. Sic enim Suetonius in Auguſto, cap. de Spectaculis ſcribit: In Circo aurigas, curſoréſque & confectores ferarum, & nonnunquam ex Nobiliſſima iuuentute produxit. Appellabantur autem tales confectores à beſtiis, quas cogebantur conficere Beſtiarii. De huiuſcemodi ludis loquitur Liuius lib. 9. Dec. 4. Appararos, ait, ludos M. Fuluius, quos vouerat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant, honoris eius causâ. Athletarum quoque certamen primo Romanis ſpectaculo fuit, & venatio data leonum & pantherarum, & propè huius ſeculi copiâ ac varietate ludicrum celebratum eſt.

Harum verò productionum beſtiarum in ſpectaculum, ſubinde meminere procedentis imperii authores. Plinius enim ſcribit, Elephantes in Circo pugnârunt Claudii Pulchri ædilitate Curruli, aduerſus tauros. Pugnauere & Cæſari Dictatori tertio Conſulatu viginti contra pedites quingentos. Iterúmque totidem turriti cum ſexagenis propugnatoribus eodem quo priore numero peditum, & pari equitum ex aduerſo dimicante. Leonum ſimul pugnam Romæ primus dedit Scæuola Præfectus in Curruli ædilitate: Pompeius M. in Circo iubatos 315. Cæſar Dictator 400. Senatus Conſultum fuit vetus, ne liceret Africanas Pantheras in Italiam traducere. Contra hoc tulit ad plebem Cn. Aufidius tribunus plebis, permiſitq. Circenſium gratiâ importari. Scaurus ædilitate ſuâ primus varias miſit. Cn. Pompeius deinde 410. Auguſtus 420. Idem poſtea in theatro Romæ oſtendit tigrim manſuefactam in cauea. Claudius Nero quatuor pariter manſuefactas. Camelum equo ſimilem collo, pedibus & cruribus boui, camelo capite, albis maculis, rutilum colorem diſtinguentibus, Cæſar ludis Circenſibus primum dedit. Pompeius ludis oſtendit primus Chaum Calliraphium, quem vocant, effigie lupi, pardorum maculis. Idem Cephos ex Æthiopia, quorum pedes poſteriores humanis cruribus, priores manibus fuere ſimiles. Hippopotamum & crocodillos quatuor M. Scaurus ædilitate ſuâ temperario theatro dedit. Domitius Ænobarbus ædilis Curulis vrſos Numidicos centum & totidem venatores Æthiopes in Circo. Claudius exhibuit Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpacia Circi agebant, inſiliebántque defeſſos & ad terram cornibus detrahebant. Titus Veſpaſianus munus edidit appariſiſſimum largiſſimúmque: Gladiatores atque vno die quinque millia omnis generis ferarum. Domitianus in Circo præter ſolennes bigarum & quadrigarum, curſus prælium etiam duplex equeſtre & pedeſtre commiſit. Adrianus in Circo multas feras & ſæpè centum leones interfecit. Antoninus pius munera dedit, in quibus elephanti, crocutæ Rhinoceroſes, crocodilli atque hippopotami, & omnia ex omni orbe terrarum animalia etiam tigres fuere: Centum quoque bores vnâ miſſione dati. Gordianus verò duodecim populo Romano ſpectacula per ſingulos duodecim dies dedit ædilitatis ſuæ tempore: ita vt gladiatorum nonnunquam quingenta paria, & nunquam minus centum quinquaginta, feras Libycas vno die quondoque ediderit. Erat ei ſylua in qua habuit ceruos ducentos: Britannos equos feros triginta: oues feras mille albas: decem auereas capreas, quas ſcilicet ipſe inaurari fecerat: Struthiones Mauros miniatos trecentos: onagros triginta: apros centum quinquaginta: ibices ducentas: damas ducentas. Hæc omnia

populo

populo diripienda conceſſit, die muneris quod ſextum edebat. Philippus primus Imperator Chriſtianus, cùm milleſimus annus ab vrbe condita in ſuum & filii Conſulatum incidiſſet, Seculares ludos & munera edidit Circenſia. In quibus feræ ſunt datæ, quas Gordianus in triumphum Perſicum parauerat: elephanti duo & triginta: tygres 20. leones manſueti 60. leopardi manſueti 30. belbi, id eſt hyenæ 10. gladiatores fiſcales paria mille: Rhinoceros vnus: archoleontes 10. Camelopardali 10. equi feri 40. Flauius Vopiſcus in Probi hiſtoria.

Acclamationes denique benè compoſitæ more maiorum in Circenſibus ſpectaculis fiebant: Eæ verò progreſſu temporis ſtudio partium & factionum iurgiis & contumeliis, quin etiam cædibus interdum miſcebantur, vt ex dicta epiſtola Theodorici Regis intelligitur: Soletis, *inquit*, aëra ipſa mellifluis implere clamoribus, & vno ſono dicere quod ipſas quoque belluas delectet audire profertis voces organo dulciores: & ita ſub quadam harmonia, citharæ concauum, theatrum per vos reſonat, vt ſonos poſſet quilibet credere, quàm clamores. Num quid inter iſta rixæ decent, aut inflammata contentio? Abiicite furorem læſi, iram gaudentes excludite, &c. *Hæc autem non tantum in Romanis Ludis, ſed in Circenſibus omnibus ſpectaculis edebantur.*

Circenſia ſpectacula improbata ab ipſis Ethnicis.

Non probauit autem Cicero hæc Circenſia ſpectacula, & venationes, pugnas & cædes hominum atque ferarum in iis factas. Sic enim ad Caluiſium ſcribit: Circenſes erant, quo genere ſpectaculi ne leuiſſimè quidem teneor, nihil nouum, nihil varium, nihil quod non ſemel ſpectâſſe ſufficiat. *Rurſus ad M. Marium idem*, Omninò ſi quæris ludi apparatiſſimi, ſed non tui ſtomachi. Apparatûs ſpectatio tollebat omnem hilaritatem: Quid enim delectationis habent ſexcenti muli in Clitemneſtra, aut in equo Troiano craterarum tria millia: aut armatura varia peditatûs & equitatûs in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attuliſſent. Non enim te credo Græcos & Oſcos ludos deſiderare. Reliquæ ſunt venationes binæ per ſingulos dies magnificæ: nemo negat: : ſed quæ poteſt eſſe homini politico delectatio? cùm aut homo imbecillus à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo tranſuerberatur? Extremus Elephantorem dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla exſtitit: quin etiam miſericordia quędam conſequuta eſt atque opinio huiuſmodi, eſſe quandam illi belluæ cum genere humano ſocietatem. *Hæc omnia Cicero Ethnicus de Circenſibus Ludis.*

Circenſia ſpectacula damnata à Chriſtianis Doctoribus.

Cùm verò iidem Ludi ſub Chriſtianis Imperatoribus quoque Romæ retinerentur & ederentur, atque etiam aliis in locis multis ſimilia Spectacula celebrarentur, Omnes vbique locorum, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente, Sanctiſſimi Patres quoque ſuis in concionibus atque etiam ſcriptis magno zelo ac ſtudio declamârunt aduerſus Chriſtianos ſpectacula eiuſmodi frequentantes, atque etiam interdum edentes. Imò adeò ea deteſtatos eſſe Saluianus author eſt, vt non ſinerent tingi quemquam ſacro baptiſmate, niſi ſolenni ritu abrenuncians Satanæ & pompis eius, ſpectaculis pariter diſertis verbis ſe renunciare profiteretur. At vindex periurii Deus, & præuaricationis Vltor, quum nec per Viſigothos, Vuandalos, Erulos & Oſtrogothos Romanam vrbem inuadentes, eiuſmodi ſpectacula è gentilitia ſuperſtitione manantia aboleri potuiſſe conſpiceret, poſtea Longobardis aperuit muros & portas Vrbis, qui eiuſmodi dæmonum officinas opificibus vacuas penitus redderent, vt non eſſent amplius qui huiuſmodi diabolicas ludinas frequẽtarent.

Circẽſia ſpectacula improbauit etiam Theodoricus Italiæ Rex.

Non probauit etiam hæc Circenſia & ſimilia Spectacula Theodoricus Oſt Gothus Italiæ Rex Nam in epiſtola ad Specioſum de Circenſibus ita ſcribit: Spectaculum expellens grauiſſimos mores, inuitans leuiſſimas contentiones, euacuator honeſtatis, fons irriguus iurgiorum, quod vetuſtas quidem habuit Sacrum, ſed contentioſa poſteritas fecit ludibrium, *&c. Deteſtatur Rex barbarus, quod tamen præſtare cogebatur inuitus. Nam ad finem epiſtolæ*, Hæc, *inquit*, nos fouemus neceſſitate populorum imminentium, quibus votum eſt ad talia conuenire, dum cogitationes ſerias delectantur abiicere. *Et in fine:* Expedit interdum deſipere, vt populi poſſimus deſiderata gaudia continere. *Hæc ipſe quidem, poſtquam eâdem epiſtolâ Circi & Circenſium ludorum gentilitia ſacra pandit, prorſus indigna quæ à Chriſtianis frequentarentur. Flauius Vopiſcus in Probi hiſtoria*, Venationem, *inquit*, in Circo ampliſſimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitùs euulſæ connexis latè longéque trabibus affixæ ſunt, terrâ deinde ſuperiectâ, totúſque Circus ad ſyluæ conſitus ſpeciem, gratia noui viroris effronduit. Immiſſi deinde per omnes aditus ſtruthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immiſſi deinde populares, rapuit quíſque quid voluit. *Spartianus in vita Adriani Imp.* In Circo *ait*, multas feras, & ſæpè centum leones interfecit, militares Pyrrhicas populo

Digitized by Google

frequenter exhibuit. *Hoc verò ante conſti tutum imperium moris non fuit. Vnde Liuius lib.4. Dec.5. in Macedonici belli deſcriptione*, Iuuenes, *ait*, quidam Romani ludicro Circenſi cum vſu belli verſo patrem humillimam muri cœperunt: mos erat tum, nondum hac effuſione inductâ, beſtiis omnium gentium Circum complendi, varia ſpectaculorum conquirere genera.

Vinalia Altera, quę & Ruſtica dicebantur.

VInalia Altera *celebrabantur* 13. *Calend. Septemb Plinio authore lib.18.c.29. quidam ad* 12. *Cal. Septemb. referunt ex Varranis authoritate. Sic enim Varro lib.5. de lingua Latina: Vinalia Ruſtica dicuntur, ante diem* 12 *Calend. Septembr. Illis Flamen Dialis vindemiam auſpicatus maturis vuis, vinum legere, & vindemiam fieri iubebat: tum agnam Ioui immolabat, inter cuius exta caſa & proiecta Flamen vinum legit. Apud Thuſculanas enim lege cantum erat, ne quis vinum nouum, antequam Vinalia calentur, in vrbem inueheret: apud Laurentes, ne quis poma ex alieno legeret, quæ humeris vectarentur: apud Græcos, ante vernum æquinoctium ne quis vitem incideret, neque vuam ante autumnale æquinoctium guſtaret: apud Romanos verò, Vina & noui frugibus, antequam Flamen primitias libâſſet, nulli veſci licuit. Alexander ab Alex. lib.6. cap 8. ex Varronis lib. 5. de Latina lingua.*

Celebrata autem videntur hæc Vinalia ceu Bacchanalia quædam, priuatim quaque per ſingulas domos veluti Sacrum quoddam, potu vini vberiori, & omnis generis laſciuiâ. Id non obſcurè colligi poſſe arbitror ex Taciti lib.11. vbi Meſſalinam, Claudio Cæſare marito abſente, introducit ludicrum tale, vt tegeret adulterium, celebraſſe: At Meſſalina, *inquit*, non aliàs ſolutior luxu, adulto autumno ſimulachrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri præla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant, ut ſacrificantes vel inſanientes Bacchæ. Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens, iuxtáque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, ſtrepente circum procaci choro.

Venatorum Feſtum.

CElebrabatur 13. *Cal. Sept. Romæ quoque feſtum* Venatorum, *vt P. Eberus teſtatur in ſuo Calendario hiſtarico.*

Vulcanalia.

Vulcanaliorum dies, Ludi eorúmque ritus.

VVlcanalia *vetus Calendarium refert ad diem* 23. *Auguſti: Feſtus autem ad diem* 29. *eiuſdem menſis. Celebrabantur autem in honorem Vulcani, & ludi fiebant in Circo Flaminio; quo die etiam populus pro ſe animalia in ignem mittebat, Gyraldo teſte de Diis gentium Syntagmate* 13. *Vide etiam Epigrammata vrbis Romæ folia* 165. *Alia ſunt ab his quæ menſe Maio fieri ſuprà diximus.*

Vulcani templum cur extra Romam.

Templum Vulcani à Romulo extra muros vrbis fuit poſitum: vel quòd filius Martis cum exiſtimaretur, propter fabuloſam illam Vulcani aduerſus Martem Veneris cauſa ſimultatem, Vulcanum in eadem vrbe eadémque cum Marte domicilia eſſe noluit. Aut templum illud iam inde ab initio ædificatum à Romulo fuit, vt ibi vnà cum Collega ſua Tatio curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum ſenatu nemine interueniente quietè poſſet conſultare. Vel, quòd veriſimillimum eſt quum Roma ab incendiis ſtatim à primis temporibus multum eſſet periculi, colendum quidem Deum igni præfectum, ſed extra vrbem locum ei aſsignandum ſtatuerunt, vt Plutarchus refert in Quæſt. Rom quæſt. 47.

Opis Conſiuæ Feſtum.

Ops Conſiua vnde dicta.

OPis Conſiuæ Feſtum & Sacrum *in Capitolia celebrabatur* 25. *die Auguſti, vt eſt videre in veteri Calendario, & in Gyraldi ac Iunij Faſtis. Dicta eſt autem Ops Conſiua à ſatu, nam terra exiſtimabatur eſſe. De hac verò Dea eiúſque feſta Varro de Latina lingua ſic ſcribit:* Opi Conſiua dies, *inquit*, à Dea Ope Conſiua, cuius in Regia ſacrarium: quod ideò actum, vt eò præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introeat nemo: is quum eat, ſuffibulum haud habeat.

Furinalia.

Furinalia. & Dea Furina quæ.

FEria *quæ* Furinalia *dicuntur in honorem Furinæ Deæ inſtituta fuerunt, de qua tamen Varro teſtatur, quòd vix ſuo tempore nota fuerit: ei tamen flamen etiam Furinalis attributus fuit. Deæ huius Furinæ meminit & Martianus in ſecundo, ac Cicero in tertio de Natura Deorum, Eumenidas commemorans.* Quæ, *inquit*, ſi Deæ ſunt, quarum & Athenis fanum eſt, & apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinæ, Furiæ Deæ ſunt ſpeculatrices (credo) & vindices facinorum & ſceleris. *Gyraldus de Diis celebrata ait Furinalia* 6. *Cal. Septembr. In Calendario veteri referuntur ad* 8. *Cal. Sextil.*

ΦΑΛΛΑΓΩΓΙΑ.

Auguſto M. membrum virile Romæ cultum.

MEnſe *etiam Auguſto res Celebrata ſermanibus proditur, vt matronæ Romanæ membri virilis figuram Diuinis colerent honoribus: quam extra portam Collinam ad ædem Veneris*

Veneris cum pompa ſacrorum deferebant, Ægyptiorum more: mox à caſtiſſima & ſpectata pudicitiæ matrona, præter tamen matronale decus, in ſinu Veneris locaretur: vt refert Alexander ab Alexand. lib. 3. cap. 18. & Adrianus Iunius in ſuis Faſtis, vbi ad diem 26. Auguſti hoc feſtum ponit, & φαλλαγωγίαν à Græcis vocari dicit, quod etiam Theodoretus & Phurnutus teſtantur: à φαλλῷ, quod Priapum ſignificat. Mutuati ſunt Romani morem hunc turpiſſimum fœdiſſimúmque à Græcis, quibus Melampus eum ex Ægypto attulit, vt Herodotus lib. 2. indicat. Ad hæc feſtum Priapi Prudentius alludit contra Symmachum, quum de Diis Gentilium tractat, ſic canens:

Hic Deus è patrio prænobilis Helleſponto,
Venit adúſque Italos, Sacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, & ruris ſeruat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo,

Canum Feſtum.

Canum Feſti dies & origo.

C*ælius lib. 17. cap. 28. ex Græcis authoribus indicat*, Panagyrin. Canum *menſe Auguſto à Romanis ſolitam celebrari, in memoriam vrbis captæ à Gallis, & quòd Capitolio ab iiſdem obſeſſo, canes anſerum vigiliâ ſuperati fuerant: ac propterea in hoc feſto canes cruci affigebantur, anſere puluino inſidente. Hoc ipſum arbitror à Plinio quoque ſignificatum lib. 29. cap. 4. vbi canes ait annua pendere ſupplicia inter ædem Iuuentutis & Summani, in furca viuos arbore fixos ſambuceæ. Meminit etiam Alex. de Alex. lib. 3. cap. 12. vbi porrò addit, niſi crux ſeu furca illa ex ſambuco facta eſſet, ſacrum ritè fieri minimè putâſſe.*

CAPVT XXIII.

Feſta & Sacra quæ menſe Septembri à Græcis ſunt Celebrata.

MAIMAKTHPIA.

Mamacteria cur inſtitut.

M Αιμακτήρια *Feſtum fuit Athenienſium à quo nomen habet menſis* Μαιμακτηριὼν, *in quo celebrabatur, quiq; Septembri noſtro maxima ex parte reſpondet. Feſtum etiam ipſum ſic dictum fuit à Ioue* Μαιμάκτῃ, *hoc eſt, furore percito, turbido & impetuoſo, quòd in eo ſacra fierent ad Iouialium im[illegible] impetum ſedandum: nam hyems hoc m[illegible] [illegible] aër turbari incipit: vt Lyſimachides [illegible] enſibus Athenienſium teſtatur: hinc & Vlpianus in Demoſthenis Olynth. 3. hunc hyemis & pluuiarum menſem vocat.*

Ariadnæ Feſtum.

Feſtiui eius origo.

A Mathuſij *in Cypro Sacrum faciebant* Ariadnæ, *Feſtúmque celebrabant, ex inſtituto Theſei. Plutarchus enim in eius vita refert, mortuâ in partu Ariadna*, ἐπελθόντα τὸν Θησέα, καὶ περίλυπον γενόμενον, τοῖς μὲν ἐγχωρίοις ἀπολιπεῖν χρήματα συντάξαντα θύειν τῇ Ἀριάδνῃ, δύο δὲ μικροὺς ἀνδριαντίσκους ἱδρύσασθαι, τὸν μὲν ἀργυροῦν, τὸν δὲ χαλκοῦν. Ἐν δὲ τῇ θυσίᾳ τοῦ Γορπιαίου μηνὸς ἱσταμένου δευτέρᾳ κατακλινόμενον τινὰ τῶν νεανίσκων, φθέγγεσθαι καὶ ποιεῖν ἅπερ ὠδίνουσαι γυναῖκες: *Hoc eſt*, Aduenientem Theſeum, doloréque confectum, incolis reliquiſſe pecunias, quæ in Adriadnæ ſacrificium erogarentur. Duo præterea exigua ſtatuiſſe ſimulachra, alterum argenteum, æneum alterum. In ſacrificio autem, quod fit die ſecundâ Gorpiæi menſis (*qui Septembri noſtro reſpondet*) adoleſcentem in lecto iacentem vociferare, cæteráque facere, quæ à parturientibus mulieribus fieri ſolent. *Ibidem Plutarchus indicat, Naxios quoſdam ſcriptores referre, duas fuiſſe Adriadnas: earum alteram in Naxo nuptam fuiſſe Dionyſio, Staphylúmque peperiſſe: Iuniorem verò à Theſeo raptam, ab eodem verò repudiatam in Naxum acceſſiſſe, nutricemq; cum ea Corynnã nomine, cuius demonſtretur ſepulchrum. Defunctam verò ibi Adriadnen, honores iis quos diximus non ſimiles aſſequutam: nam illius celebritatem ludis lætitiáque agitari: quâ autem in huius honorem fiant ſacrificia, mœrore omnia ac luctu eſſe referta.*

Feſtum Parentationis eorum qui ad Platæas in pugna aduerſus Perſas occubuerunt.

Solennitatis huius dies; origo & ritus.

P*Latæenſes decimo ſextô die* Μαιμακτηριῶνος *quotannis maximâ Solennitate Sacra fecerunt & Feſtum celebrârunt eorum Manibus, qui contra Perſas fortiter prœliantes Duce Panſaniâ, ad Plateas occubuerant, & ibidem ſepulti erant, authore Plutarcho in Ariſtide, vbi & pompam ac ceremonias eius luculenter his verbis deſcribit:* ἐκ τούτου γενομένης ἐκκλησίας κοινῆς τῶν ἑλλήνων, ἔγραψεν Ἀριστείδης ψήφισμα συνιέναι μὲν εἰς Πλαταιὰς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τοὺς ἀπὸ τῆς ἑλλάδος προβούλους καὶ θεωροὺς, ἄγεσθαι δὲ πενταετηρικὸν ἀγῶνα τῶν ἐλευθερίων: εἶναι δὲ σύνταξιν ἑλληνικὴν; μυρίας μὲν ἀσπίδας, χιλίους δὲ ἵππους, ναῦς δ' ἑκατὸν, ἐπὶ τὸν πρὸς βαρβάρους πόλεμον, Πλαταιεῖς δὲ ἀσύλους καὶ ἱεροὺς ἀφεῖσθαι τῷ θεῷ θύοντας ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος: Κυρωθέντων δὲ τούτων, οἱ Πλαταιεῖς ὑπεδέξαντο τοῖς πεσοῦσι καὶ κειμένοις αὐτόθι τῶν ἑλλήνων, ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ τοῦτο μέχρι νῦν δρῶσι

ctionem ab Horatio Conſule Idibus Septembr. ſolenni ritu dedicatum eſt Ioui, eiúſque dedicationis memoria quotannis hoc die repetita fuit, ut refert Plutarchus in Publicola, & Liuius.

Claui Figendi Solennitas.

Claui figendi qualis ſolennitas.

EOdem quoque die *Prætor maximus clauum figit. Quæ autem* CLAVI FIGENDI *Solennitas fuerit Liuius docet lib. 7. Dec.* 1. Cùm fortè, *inquit*, ludos Circus Tiberi ſuperfuſo irrigatus impediiſſet, id verò veluti auerſis iam diis, aſpernantibúſque placamina iræ terrorem ingentem fecit. Itaque C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco ſecundum Coss. cum piaculorum magis conquiſitio animos, quàm corpora morbi afficerent: repetitum ex ſeniorum memoria dicitur, peſtilentiam quondam clauo à dictatore fixo ſedatam. Eâ religione adductus ſenatus, Dictatorem claui figendi causâ dici iuſſit: dictus L. Manilius Imperioſus, is Pinarium magiſtrum equitum dixit. Lex vetuſta eſt: priſcis literis, verbíſque ſcripta: vt qui Prætor Maximus ſit, Idibus Sept. clauum pangat. Ficus fuit dextro lateri ædis Iouis Optimi Maximi, eâ parte quâ Mineruæ templum eſt: cum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum ſit. Volſiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Deæ Hetruſcæ comparere, diligens talium monumentorum author Cincius affirmat. M. Horatius Conſul ex lege templum Iouis Opt. Max. dedicauit, anno poſt exactos Reges. A Conſulibus poſtea ad Dictatores, quia maius imperium erat, ſolenne Claui figendi tranſlatum eſt. *Meminit huiuſmodi ſolennitatis idem lib. 8. Dec. 1. quum ob veneficia mulierum Romanarum talem repetitam Solennitatem ſcriberet, his verbis:* Itaque memoriâ ex annalibus repetitâ, in ſeceſſionibus quondam plebis clauum ab Dictatore fixum, alienatáſque diſcordiâ mentes hominum, eo piaculo compotes ſui feciſſe, Dictatorem Claui figendi causâ creari placuit: creatus Cneus Quintilius, magiſtrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo clauo magiſtratu ſe abdicauit. *Et iterum lib. 9. Decad.* 1. Amplexus regni nomen, ut qui optimo iure Rex Romæ creatus ſit, creatumſit, creatum ſe dicet, quem ſemeſtri dictaturâ, quem interregno quinque diebus contentum ſore putes? quem Claui figendi, aut Ludorum causâ dictatorem audacter Crees. *Huc alludit monumentum Romæ inuentum:* M. HORATIVS CONSVL EX LEGE TEMPLVM IOVIS OPT. MAX. DEDICAVIT ANNO POST EXACTOS REGES A CONSVLIBVS. POSTEA AD DICTATORES, QVI MAIVS IMPERIVM ERAT, SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSLATVM EST.

Natalitii Ludi.

Dies 23. ſolennis Romæ, eiúſque ritus. Ludi Natalitii.

VIgeſimus tertius dies menſis Septembris *Natalis fuit Auguſti Cæſaris, ut Suetonius in eius vita refert. Hunc diem Equites Romani ſponte atque conſenſu biduo ſemper celebrârunt, eodem authore. Curſus etiam equorum hoc die in ſempiternum inſtituti, Dione teſte. Ludi enim in Natalibus Magnorum virorum apud veteres edebantur, qui* Natalitii *dicebantur. Sic Natalitii Alexandri Magni 8. Idus Februarii: 4. Cal. Febr. Conſtantini M. & Iunioris 7. Id. Auguſti: Cal. April. Antonini: 3. Id. April. Veri Impp. 4. Id. Iulias Cæſaris Dictatoris: 6. Cal. Nou. Adriani: 4. Cal. Decemb. Neruæ: 18. Cal. Decemb. Septimiani: 13. Cal. Ian. Gordiani: 9. Cal. Ian. Titi Cæſaris celebrabantur. Et de his accipienda ſunt authorum loca: Capitolini in Pio:* Circenſes Natali ſuo dicatos non reſpuit. *Æl. Spartiani in Adriano:* Gladiatorum munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras natali ſuo edidit. Optimos quóſque de Senatu, in contubernium Imperatoriæ maieſtatis aſciuit, ludos Circenſes præter natalitios decretos ſibi reſpuit. *Hæc verò Natalitia Pontificii progreſſu temporis ſanctis mortuis accommodârunt.*

Meditrinalia.

Meditrinaliorum ritus.

MEditrinalia *ſolennitas fuerunt pridie Cal. Octob. vt eſt in veteri Calendario in honorem* Miditrinæ *deæ celebrata, ſic à Medendo dicta.* Mos autem erat, *vt ait Feſtus*, Latinis populis, quo die quis primùm guſtaret muſtum, dicere ominis gratiâ Vetus nouum vinum bibo: veteri nouo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen acceperunt, eiúſque Sacra Meditrinalia dicta ſunt. *Varro de Latina lingua libro 5. ait*, Meditrinalia, dies dictus eſt à medendo: *quod, vt ait Flaccus*, Flamen Martialis dicebat hoc die ſolitum vinum nouum & vetus libari, & deguſtari medicamenti causâ: quod facere ſolent etiam nunc multi, quum dicant: Nouum vetus vinum bibo: nouo veteri morbo medeor: ſicut ad primitias pomorum noua eſſe dicebant vetera, & alia exoprabant noua, ominis causâ: *Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 9. in alio tamen Calendario ad 5. Idus Octobr. celebritas refertur.*

Eodem

Epulum Mineruæ.

Eodem quoque die Epulum Mineruæ *fuit, vt in veteri Calendario annotatum eſt: ſunt tamen qui 4. Calend. Octobr. tribuant.*

CAPVT XXV.

Feſta quæ menſe Octobri à Græcis ſunt Celebrata.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ.

Feſti huius nomina.

Πυανέψια Pyanepſia *Athenienſium feſtum fuit, menſéque* Πυανεψιῶνι, *qui Octobri noſtro reſpondet, & nomen à Feſto quòd in eo agitur habet, celebratum fuit. Alii Græci hanc Celebritatem vocârunt etiam* Πυανοψίαν *&* Πανοψίαν. *Sic enim Harpocration ex Apollonio & iis qui de feſtis Athenienſium ſcripſerunt, refert.* καὶ ἡμεῖς, *inquit,* πυανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν· οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. *Notandum etiam, pro* πυανοψία *(vt apud Suidam ſcribitur) apud Harpocrationem ſcriptum eſſe* πυανοψία, *& quidem bis. Sed Apollonius apud Harpocrationem indicat,* δεῖ λέγειν πυανέψια, καὶ τὸν μῆνα πυανεψιῶνα, dici oportere Pyanepſia, & menſem Pyanepſiona.

Pyanepſia vnde dicta.

Nomen habet hoc Feſtum à fabis, quæ in eo coquebantur in honorem Apollinis. Vnde Apollonius apud Harpocrationem reddens rationem, cur non Pyanopſia ſeu Panopſia, ſed Pyanepſia dici debeat, hæc ſubiungit: πυανά γὰρ ἕψουσιν ἐν αὐτῇ τῇ ἑορτῇ, *id eſt,* Fabas coquunt in hoc Feſto. *Et quia fabæ flatus ventris excitant,* πυανέψια ποδὴ ἑορτὴ *apud Athenæum lib. 9. cap. 27. dicitur.*

Pyanepſiorum origo.

Authorem eius alii alium faciunt: pleríque tamen ad Theſeum referunt, qui hoc Feſtum & Sacrum inſtituiſſe & Apollini vouiſſe dicitur, in memoriam felicis ſui reditûs: quòd interfecto Minotauro in inſula Creta, & liberatis Athenis à difficili tributo, ſecum ex Creta obſides Athenienſium liberos reducens, hoc die vrbem ingreſſus ſit.

Pyanepſia quo die celebrata.

Harpocration autem ex Apollonio refert, πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ τὰ πυανέψια ἄγεσθαι, *hoc eſt,* ſeptimâ Pyanepſionis celebrata Pyanepſia: *quod etiam Suidas teſtatur, & Plutarchus in Theſeo. Quocirca hallucinari videtur eius loci interpres Lapus, qui* ἑβδόμην πυανεψιῶνος *Nonas Iulii reddidit.*

Pyanepſiorum ritus.

Plutarchus eodem loco originem, ritus ac ceremonias, huius ſolennitatis, his verbis deſcribit: καταπλεύσας ὁ Θησεὺς, ἔθυε μὲν αὐτὸς ἃς ἐκπλέων θυσίας ηὔξατο τοῖς θεοῖς Φαλήροι· κήρυκα δ' ἀπέστειλε τῆς σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄστυ. Οὗτος ἐνέτυχεν ὀδυρομένοις τε πολλοῖς τὴν τοῦ βασιλέως Αἰγέως τελευτὴν, καὶ χαίρουσιν ὡς εἰκὸς ἑτέροις, καὶ φιλοφρονουμένοις καὶ στεφανοῦν αὐτὸν ἐπὶ τῇ σωτηρείᾳ προθύμοις οὖσι. Τοὺς μὲν οὖν στεφάνους δεχόμενος, τὸ κηρύκειον ἀνέστεφεν, ἐπανελθὼν δὲ ἐπὶ θάλασσαν, οὔπω πεποιημένου σπονδὰς τοῦ Θησέως, ἔξω περιέμενεν, οὐ βουλόμενος τὴν θυσίαν ταράξαι. Γενομένων δὲ τῶν σπονδῶν, ἀπήγγειλε τὴν τοῦ Αἰγέως τελευτήν. Οἱ δὲ σὺν κλαυθμῷ καὶ θορύβῳ σπεύδοντες ἀνέβαινον εἰς τὴν πόλιν, ὅθεν καὶ νῦν ἐν τοῖς ὠσχοφορίοις, στεφανοῦσθαι μὲν οὐ τὸν κήρυκα λέγουσι, ἀλλὰ τὸ κηρύκειον, ἐπιφωνεῖν δὲ ταῖς σπονδαῖς, ἐλελεῦ εἶα αὖ, τοὺς παρόντας, ὧν τὸ μὲν σπεύδοντες ἀναφωνεῖν καὶ παιωνίζοντες εἰώθασι, τὸ δὲ ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστι. Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. Ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. ἡ μὲν οὖν ἕψησις τῶν ὀσπρίων λέγεται γίνεσθαι, διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταυτὸ συμμίξαι τὰ περιόντα τῶν σιτίων, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντας, συνεστιαθῆναι καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. καὶ τοιαῦτα τινὲς ἐπὶ τοῖς ἡρακλείδαις γίνεσθαι λέγουσιν οὕτως διατρεφομένοις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων· οἱ δὲ πλείονες ὡς προείρηται. *Hoc eſt,* Naue eò aduectus Theſeus, Solennia ſacra quæ in diſceſſu vouerat, Diis immortalibus peregit. De incolumitate etiam nuntium in vrbem miſit. Is multos ob Regis Ægei interitum in ſqualore & lachrymis mœſtos inuenit: alios etiam, vt credibile eſt & æquum ob eius ſalutem, lætitiâ exultantes, & illum certatim cum plauſu & coronis excipientes. Acceptis igitur coronis caduceum coronauit. Reuerſus autem ad mare, nondum peractis à Theſeo libationibus, extra ſpectauit, quod ſacrificium turbare nollet: quo abſoluto, nuntiauit Ægei mortem. Illi magno luctu, tumultu & trepidatione ſe in vrbem receperunt: vnde hodiéque conſuetudo manet, vt in Oſchophoriis non nuntius ipſe, ſed caduceum coronetur: & poſt libationes huiuſmodi qui interſunt, emittant voces, Eia, heu: quorum altero in feſtinatione, ac bellicis Pæanibus vti ſolent: alterum conſternationis ac turbationis eſt. Patre igitur ſepulto, Apollini votum perſoluit ſeptimâ die Octobris: ea enim in vrbem ſe incolumes receperunt. Vnde & legumina ob eam cauſam coqui aiunt, quòd ſeruari allata ſibi cibaria in vnum confuderint, & communi ad coquendum ollâ adhibitâ congreſſi inuicem atque epulati ſint. Quæ Sacra Herculis liberis exhiberi quidam aiunt, vt qui hoc modo ab Athenienſibus enutriti ſint: ſed plures ſuperiorib. magis aſſentiri videntur.

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ.

Oſchophoria quo menſe & die celebrata.

Eodem menſe quo Pyanepſia, Oſchophoria *quoque fuiſſe celebrata, ex his Plutarchi verbis, quæ de Pyanepſiis ſcribit, non obſcurè colligi*

colligi poſſe videtur. Nonis Iulii Alex. de Alexand.lib.5.cap.18. peractam fuiſſe hanc Solennitatem teſtatur per Πυανεψιῶνα male Iulium intelligens. Ego Plutarchum in fine vitæ Theſei de hoc feſto & ſacro loqui arbitror: id ſi ſit, octauo huius menſis celebratum eſt. Sic enim verba eius habent : θυσίαν ποιοῦσι Θησεῖ τὴν μεγίστην, ὀγδόῃ Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἐκ Κρήτης ἐπανῆλθεν, *id eſt*, Sacrificium maximum Theſeo faciunt octauo Pyanepſionis, quo cum iuuenibus ex Creta reuerſus eſt.

Oſchophoriorum ritus.

In hoc feſto circumferebatur Εἰρεσιώνη, *hoc eſt, ramus oleaginus, lanâ obuolutus, onuſtus vuis, ficis, & aliis arborum fructibus. Ferebatur autem à duobus locupletibus & ingenuis pueris, ad id ſorte delectis, vnde &* ὀσχοφόροι *dicti ſunt. Sic enim Harpocration ex Philochoro ſcribit:* ἕνεκα τῆς κοινῆς σωτηρίας νομίζουσι τοὺς καλουμένους ὀσχοφόρους καταλέγειν δύο τῶν γένει καὶ πλούτῳ προεχόντων, *id eſt*, Communis ſalutis causâ arbitrantur electos duos, quos Oſchophoros nominant, genere & diuitiis, præſtantes. *Sic etiam in Nicandri Alexiph. Scholiaſtes inquit:* Ὀσχοφόροι λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. *Hoc etiam pueros mulieribus* στολαῖς *indui ſolitos Plutarchus & Etymologus referunt. Ex Scholiaſtis autem Nicandri teſtimonio intelligimus, hos ramuſculis pueros iſtos cum precibus ex Bacchi templo in ædem Mineruæ Scirradis tributim cucurriſſe, quod etiam ex Athenæ intelligitur lib. 11. cap. 15. vbi addit, qui in hoc certamine viciſſet, calicem cepiſſe Pentaploum vocatum & ſaltando genio indulſiſſe. Sed & ante ianuas ædium, præſertim verò diuitum eos ſuſpendere ſolebant, ad famem arcendam ex oraculi cuiuſdam præcepto, quod fuſius tradit Scholiaſtes Ariſtophanis, & ex eo Suidas. Plutarchus in Theſeo rationem huius ceremoniæ reddit, & ſimul verſus recitat quos in circumgeſtatione ramorum iſtorum cecinerint, vt* ἀφορίαν *ſeu ſterilitatem & penuriam hoc pacto deprecarentur. Sic enim ſcribit :* τὴν δὲ εἰρεσιώνην ἐκφέρουσι κλάδον ἐλαίας, ἐρίῳ μὲν ἀνεστεμμένον, ὥσπερ τότε τὴν ἱκετηρίαν, παντοδαπῶν δὲ ἀνάπλεον καταργμάτων, διὰ τὸ λῆξαι τὴν ἀφορίαν ἐπᾴδοντες:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Hoc eſt,

Eireſione ficos ferat, & ſolidos panes,
Et mel in cadis, & oleum fricet,
Et poculum vino mero plenum, veluti temulentum dormiat.

Eberus in Calendario hiſtorico addit, ὀσχοφόρους *iſtos cum iis, qui in pompa ſequebantur, ante ianuas diuitũ petiiſſe ſibi dari munuſcula, vt propemodum mos eſt circa Natalem Chriſti & Calendas Ianuarias pueris apud Chriſtianos. Et extat carmen belliſſimum, quod canere ſunt ſoliti ad ædes diuitum pueri, apud Herodotum in vita Homeri, quod vocatur ſimiliter* Εἰρεσιώνη, *& congruit ferè cum noſtratium puerorum cantionibus. Nec crediderim ramos iſtos in Pyanepſiis circum portâſſe. Plutarchus enim expreſſe dicit, caduceum, cuius in Pyanepſiis mentionem feceras, in Oſchophoriis coronatum.*

Idem author eodem loco Oſchophoriorum Celebritatem ſic deſcribit : Ἄγουσι δὲ καὶ τὴν τῶν ὠσχοφορίων ἑορτὴν, Θησέως καταστησαμένου· οὐ γὰρ ἁπάσας αὐτὸν ἐξαγαγεῖν τὰς λαχούσας τότε παρθένους, ἀλλὰ τῶν συνήθων νεανίσκων δύο θηλυφανεῖς μὲν ὀφθῆναι καὶ νεαροὺς, ἀνδρώδεις δὲ ταῖς ψυχαῖς καὶ προθύμους, λουτροῖς τε θερμοῖς, καὶ σκιατροφίαις, καὶ ταῖς περὶ τὴν κόμην καὶ λειότητας καὶ χροιὰν ἀλοιφαῖς καὶ κοσμήσεσιν ὡς ἐστὶ, ἐξαλλάξαντα κομιδῇ, καὶ διδάξαντα φωνὴν καὶ σχῆμα καὶ βάδισιν, ὡς ἔνι μάλιστα παρθένοις ὁμοιοῦσθαι, καὶ μηδὲν φαίνεσθαι διαφέροντας, ἐμβαλεῖν εἰς τὸν τῶν παρθένων ἀριθμὸν καὶ διαλαθεῖν ἅπαντας, ἐπεὶ δὲ ἐπανῆλθεν αὐτόν τε πομπεῦσαι καὶ τοὺς νεανίσκους, οὕτως ἀμπεχομένους ὡς νῦν ἀμπέχονται τοὺς ὀσχοὺς φέροντας, φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένων ὀπώρας ἐπανῆλθον· αἱ δὲ δειπνοφόροι παραλαμβάνονται καὶ κοινωνοῦσι τῆς θυσίας ἀπομιμούμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων, ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς ὄψα καὶ σιτία κομίζουσαι, καὶ μῦθοι λέγονται διὰ τὸ κἀκείνας εὐθυμίας ἕνεκεν καὶ παρηγορίας, μύθους διεξιέναι τοῖς παισίν. *Id eſt:* Oſchophoriorum etiam Celebritatem agitant, à Theſeo conſtitutam. Non enim omnes virgines ſorte lectas ipſum eduxiſſe tradunt, verùm ex æqualibus & familiaribus adoleſcentibus duos aſpectu quidem pueriles ac muliebres, ſed animis fortes & ſtrenuos, quum balneis calidis, & vmbratili educatione, vnguentis quoque quæ ad comam & læuitatem corporis colorémque conducunt, reliquiſque ornamentis pro facultate immutâſſet: vocem etiam & geſtum atque inceſſum edocuiſſet, & quàm ſimiles potuiſſet virginibus reddidiſſet, in virginum numerum, celatis ea de re omnibus, coniecisſe. Poſtea igitur quàm reuerſus eſt, pompas ac dies Feſtos cum impuberibus, ita vt nunc quoque ramos ferentes videmus, indutis agitâſſe. Ferunt autem ramos ad Dionyſii & Ariadnæ gratiam: admoniti fabulâ: vel potius, quòd tum, quum redierunt pompa importabantur. Quæ verò mulieres cœnam ferunt, adhibentur, & ſacrorum participes fiunt, matres lectarum virginum referentes. Etiam ad filias accedentes illæ, cibos & opſonia attulerunt. Fabulæ etiam narrantur, quod hæ quoque

recreandi

recreandi ſolandíque gratiâ pueris fabulas enarrâſſent. *Hæc Plutarchus ex quodam Demone.*

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

Theſmophoria unde dicta. Θεσμοφόρεια *Sacra & Feſta à Cerere ſic dicta ſunt, in cuius honorem celebrabantur.* Θεσμοφόρος *enim propriè Cereris epitheton eſt, quòd ea prima leges inueniſſe & dediſſe mortalibus ab Ethnicis creditum ſit, vt qui ante inuentum frumentum ſine lege vagarentur. Vnde & Vergilius ſic cecinit.*

Prima Ceres vnco terram dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges : Cereris ſunt omnia
munus.

Et alibi:

———mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri.

Meminit etiam huius θεσμοφόρη Δημήτρας *Orpheus in Argon. Herodotus, & Pauſanias in Baot. Et Plutarchus* περὶ σαρκοφαγίας *lib.2. inquit,* τὴν θεσμοφόρον ἀσεβεῖτε Δήμητραν *Bœotij eandem celebritatem agentes* ἐπάχθη *vocârunt, hoc eſt, querulam & gemebundam, ceu tunc Cerere ob raptum Proſerpinæ in luctu agente.*

Theſmophoriorum origo. *Eorum originem Arnobius commemorat. lib. 5. contra gentes, cuius verba adſcribam.* Conſideremus, *inquit*, myſteria, & illa diuina, quæ Theſmophoria nominantur à Græcis: quibus gente ab Attica ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graues. Videamus quas origines habeant, quáſve cauſas, vt Athenas etiam probemus ipſas, humanitatis artibus ſtudiiſq; pollentes, tam in Deos dicere contumelioſa, quàm dictent alii: nec minora ab his probra, quàm cæteris obiiciantur à vobis, Religionis ſub ſpecie publicari. Quodam (*inquiunt*) tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhue virgo Proſerpina: cumque illam per floream meſſem huc atque illuc paſſim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis ſpeluncam Rex proſiliens manium, raptam virginem ſecum vehit, & terrarum abſconditur ſucceſſibus rurſus. Quod cùm factum neſciret Ceres, nec filia vbinam eſſet gentium, ſuſpicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: ſumit faces geminas flammis comprehenſas Æthneis, quibus ſibi prælucens, pergit ire quæſitum terrarum in regionibus cunctis. In iſtius conquiſitionis errore Eleuſinos etiam peruehitur fines: pagi iſtud nomen eſt regione in Attica conſtituti. Qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, capellarum Dyſaules cuſtos, Eubolcus porcorum, gregis lanitii Eumolpus: à quo & gens fuit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruerunt caduceatores; hierophantæ, atque præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleuſini fuiſſe pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hoſpitio Cererem: adulatur obſequiis mitibus: reficiendi corporis rogat curam vt habeat: ſitienti ardori oggerit potionem cynum, cyceonem, quam nuncupat Græcia: auerſatur, & reſpuit humanitatis officia mœrens dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminiſſe communis. Rogat illa, atque hortatur contrà (ſicut mos eſt in huiuſmodi caſibus) ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat: obſtinatiſſimè durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cùm ſæpius fieret, neque vllis quiret obſequiis ineluctabile propoſitum fatigari, vertit Baubo artes, & quam ſeriò non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis. Partem illam corporis, per quam ſexus fœmineus & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat: facit ſumere habitum puriorem & in ſpeciem leuigari nondum duri atque ſtriculi puſionis: redit ad Deam triſtem, & inter illa communia, quibus moris eſt frangere ac temperare mœrores, retegit ſeipſam: atque omnia illa pudoris loca reuelatis monſtra inguinibus: atque pubi affigit oculos diua & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur: tum diffuſior facta per riſum aſpernatam ſumit atque ebibit potionem: & quod diu nequiuit verecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcœnitas. Calumniari nos improbè ſi quis fortè hominum ſuſpicatur, libros ſumat Threicii vatis, quos antiquitatis memoratis eſſe Diuinæ, & inuenietis, nos nihil neque callidè fingere, neque quo ſint riſui Deûm quærere atque efficere ſanctitates: ipſos námque in medio ponemus verſus, quos Calliopes filius ore edidit Græco, & cantando per ſecula iuri publicauit humano:

Sic effata, ſimul veſtem contraxit ab imo,
Obiecítque oculis formatas inguibus res,
Quas caua ſuccutiens Baubo manu, nam
pueriſis
Olli vultus erat, plaudit, contrectat amicè,
Tum Dea defigens auguſti luminis orbes,
Triſtitias animi paulum mollita reponit:
Inde manu poclum ſumit, riſúque ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Hæc Sacrificia, vt ſcribit Natalis Comes Mythologia lib.5.c.14. cùm prius Eleuſi celebrarent, *Theſmophoria quando Athenas tranſlata.*
primus

primus Eumolpus Deiopes & Triptolemi filius ad Athenienſes detulit : vel, vt alii ſunt arbitrati, inter quos Aceſodorus, quintus ab illo Eumolpus, vt patet ex his Aceſodori verbis: κατοικῆσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι, πρώτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾶκας, τοὺς μὲν Εὐμόλπῳ παραγενομένους πρὸς βοήθειαν, εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον, τινὲς δὲ φασι καὶ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν τὴν συντελουμένην κατ' ἐνιαυτὸν ἐν Ἐλευσῖνι Δήμητρι καὶ Κόρῃ: Condidiſſe Eleuſinem ciuitatem memorant, primùm quidem indigenas, poſtea Thraces eos qui cum Eumolpo ſuppetias ferentes acceſſerunt ad id bellum, quod aduerſus Erechtheum exarſit. Alii verò dicunt, Eumolpum ritum illum ſacrificiorum inueniſſe, quæ quotannis apud Eleuſinos agebantur in honorem Cereris & Proſerpinæ. *Sic etiam Androtion lib. 2. de ſacrificiis,* Εὐμόλπου δὲ, *inquit,* γίνεται Κήρυκα, τοῦ δὲ Ἀντίφημος, τοῦ δὲ Μουσαῖος τὸν ποιητὴν, τοῦ δὲ Εὔμολπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύησιν, καὶ ἱεροφάντην γεγονότα, Nam Eumolpum fuiſſe Præconem, ex quo naſcitur Eumolpus, ex hoc Antiphemus, ex hoc Muſæus Poëta, ex hoc Eumolpus, qui ritum Sacrorum demonſtrauit, & functus fuit ſacerdotio.

Theſmophoria quando celebrata. *Celebrabantur autem Athenis decimo ſexto die* Πυανεψιῶνος, *quod ex Plutarcho intelligitur, cui in fine vitæ Demoſthenis ſic ſcribit de Demoſthene :* κατέστρεψε ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην τῶν Θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγουσαι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες. *Hæc eſt,* Rediit decimâ ſextâ Πυανεψιῶνος quâ omnium mœſtiſſimam & luctuoſiſſimam agentes Theſmophoriorum diem, apud Deam ieiunant mulieres. *Interpres hoc loco* Πυανεψιῶνα *reddidit ineptè Iulium, nam Octobri reſpondet : quod ex Plutarchi loco in Iſide colligitur, vbi ſic ſcribit de menſe in quo Theſmophoria celebrata fuerunt:* ἐπὶ δὲ ὁμοίως ἦν τὸ περὶ πλειάδα σπόριμος, ὃν Ἀθὺρ Αἰγύπτιοι, Πυανεψιῶνα δ' Ἀθηναῖοι, Βοιωτοὶ Δαμάτριον καλοῦσιν. *Id eſt:* Eſt autem menſis hic circa Pleiadas ſementi dicatus, quem Ægyptii Athyr, Athenienſes Pyanepſionem, Bœoti Damatrion vocant. *Dixerunt autem Bœoti hunc menſem* Δαμάτριον, *quaſi tu dicas Cerealem, inde dubio procul, quòd hac Cereris ſolennia in eo agerentur.*

Theſmophoriorum ritus. *Agebantur verò quotannis magna cum religione à ſolis mulieribus albis veſtibus per triduum, quum prius nouem diebus & noctibus ad ea ſe præparâſſent, à Venere & cibo abſtinentes. Colligimus hæc ex lib.* 10. *Metamorph. Ouidii, vbi ſic canit:*

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niuea velata corpora veſte
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.
Perque nouem noctes Venerem, tactúſque viriles
In vetitis numerant. Turba Cinyreïs in illa
Regis adeſt coniunx, arcanáque Sacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum coniuge lectus, &c.

Vbi tamen Poëta Theſmophoria cum Eleuſiniis Cereris & Proſerpinæ ſacrificiis confudiſſe videtur. Nam, vt ex Plutarcho ſuprà intelleximus, Teſmophoria agebantur, quum ſemen in terram iactabatur : Eleuſinia verò Sacra meſſis tempore fiebant, quo coronas vel ſerta ſpicea ex frugum primitiis Deæ afferebant. Ariſtophanes quoque ait, ὥσπερ ἐν Θεσμοφορίοισι νηστεύομεν ἄνευ θυλῶν. *Huc etiam facit quod Laertius pag.* 468. *de Democrito moribundo eiúſque ſorore ſcribit.* Philoſophus ille ſenio confectus, & grauiter decumbens, cùm à ſorore vnica curaretur, eáque incidente Feſto Theſmophoriorum, ægrè ferret, ſe propter inſtantem mortem fratris à Feſto abſtrahi, quod magnâ ſuperſtitione celebrabatur à mulieribus: iuſſit ſororem bono eſſe animo, & ad feſtum accedere, modò vt quotidie calidos ſibi panes adferret, quos ipſe poſtea ad nares admouens, odore illorum vitam per illud triduum remoratus eſt, & reuersâ ſorore poſt Feſtum finitum conſultò non amplius vtens calido pane animam exhalauit. *Hac Laertius: meminit etiam Athenæus lib.* 2. *cap.* 3. *Videtur autem hoc loco per panes iſtos intelligere* μυλλοὺς, *qui Athenæo lib.* 14. *cap.* 19. *placentarum ſunt ſpecies. Ibi enim tradit ex Heraclid. Syracuſ.* περὶ θεσμῶν *lib. Syracuſis* τοῖς παντελείοις τῶν Θεσμοφορίων *ex ſeſama & melle confici* ἐφήβαια γυναικεῖα, *quæ per vniuerſam Siciliam vocentur* μυλλοὶ, *& circumferantur Deabus, Cereri videlicet & Proſerpinæ: vt ſine placentia quæ pubem ſeu pectinem muliebrem imagine repræſentarent.*

Vt autem dies hos caſtos ac puros tranſigere poſſent, vitici ramos ſubſternebant, quæ iccirco Græcis ἄγνος *dicta eſt, quaſi pura & caſta arbor. Quamuis autem* ἄγνος *non ſolùm accentus ſedem mutauerit, ſed & ſpiritum, dicitur tamen* ἁγνὸς, *tanquam* ἁγνὸς. *Colligimus hæc omnia ex his Dioſcoridis verbis in hiſtoria plantarum lib.* 1. *cap.* 136. ὠνόμασται δὲ ἄγνος διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἁγνευούσας, γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ. *Pro quibus Plinius lib.* 24. *cap.* 9. *hæc habet:* Alii ἁγνὸν vocant, quoniam matronæ Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, his foliis cubitus ſibi ſternunt. *At Scholiaſtes Nicandri*

agnoſcit quidem & ipſe ἄγνον in Theſmophoriis: ſed ipſe ἄγνον quaſi ἄγονον dictum ait: ac certè pro eo facit ſpiritus tenuis quo paſſim hac vox notatur.

Sedebant porrò humi mulieres apud Deam ieiunantes: ſic enim ſuprà Plutarchus in vita Themiſtoclis: Θεσμοφορείων ἡμέραν ἄγουσι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσι. *Et in Iſide ait:* ἐν γὰρ Ἀθήνησι νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν Θεσμοφορίοις χαμαὶ καθήμεναι: Athenis ieiunant mulieres in Theſmophoriis humi decumbentes. *Referebant hoc pacto ea quæ Cereri in quærenda Proſerpina euenerant. Mærens enim ac lugens ob filiæ raptum, in eam Atticæ regionem, dum quæreret eam, vbi poſtea Eleuſin ciuitas condita eſt peruenit, inque ſaxo afflictiſſimo ſedit per aliquot dies immota ſub dio. De quo Ouidius lib. 4. Faſt. ſic cecinit:*

Sic venit ad portus Attica terra tuos.
Hic primùm ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo,
Illud Cecropidæ nunc quoque triſte vocant.
Sub Ioue durauit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, & pluuialis aquæ.

Alii tamen huius ieiunii aliam cauſam afferunt: quòd nimirum, in penuriâ quadam, quo ſementem facere poſſent homines, abſtinuerint ab omni cibo, in Cereris honorem: & propterea hoc quoque tempore eius celebritatem agi, vt Gyraldus refert de Diis Syntagm. 13. Deinde nil prorſum edere & bibere ſtatuit donec filiam inueniſſet: cuius tamen propoſiti oblita papauer, ſub noctem Celei ædes ingrediens, guſtâſſe dicitur. Hinc etiam illud in Sacro eius obſeruatur, vt non interdiu, ſed in principio noctis tantùm edant: quòd Dea tunc primùm ſoluiſſet ieiunia. Docet hoc Ouidius eodem loco his verſibus:

Illa ſoporiferum paruos initura Penates,
Colligit agreſti lene papauer humo.
Dum legit, oblito fertur guſtâſſe palato,
Longámque imprudens exoluiſſe famem.
Quæ quia principio poſuit ieiunia noctis,
Tempus habent menſæ ſidera viſa ſibi.

Refert autem Plutarchus in Quæſtionibus Græcis, quæſtione 31. Eretrienſium mulieres in Theſmophoriis non ad ignem carnes, ſed ad Solem aſſare ſolitas: quia captiuæ, quas à Troia Agamemnon abduxit, quum ibi Theſmophoria facerent, tempeſtate ad nauigandum aptâ oblatâ, ſubitò auectæ ſunt, imperfecto ſacrificio.

Iſtis etiam diebus mulieres conuitiis inuicem, aliiſque turpibus cùm dictis tum factis vti conſueuiſſe aiunt, vt deæ dolor ex filia rapta conceptus riſu & ſcurrilitate mitigaretur: referentes hoc modo Baubonis turpe & obſcœnum facinus, quod paulò ante ex Arnobio retulimus.

Scholiaſtes Theocriti horum Sacrorum ritum ſic deſcribit de ſententia Thelyti Tethymnæi ex Bacchicis carminibus. Νόμος γὰρ ἦν Ἀθηναίοις κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια ταῦτα, παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναί, καὶ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνατιθεῖσαι, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι, ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. Lex fuit Athenienſibus, vt hæc Theſmophoria quotannis celebrarent virgines mulieres, & vitæ honeſtæ: quæ per ſolennitatis diem legitimos ſacróſque libros ſuper vertice geſtantes, tanquam ſupplicantes Eleuſinem contenderent.

Cereris Feſtum priuatum.

Celebrata quoque huic Deæ priuata Feſta & ſacrificia poſt meſſem, in quibus primitias frugum pro frumenti prouentu offerebant, & conuiuia agitabant ſanguine coniuncti, ex his Theocriti carminibus in Cerealibus colligitur:

Ἀνέρες οἱ πέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
Ὄλβω ἀπαρχόμενοι. Μάλα γὰρ σφισι πίονι μέτρῳ
Ἁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.

Námque viri Cereri celebrant conuiuia læta,
Primitiáſque ferunt: quoniam plena area frugum
Frugiferæ meſſes ſiccauit munere Diuæ.

Ἀπατούρια.

Apaturiorum Solennitatem nonnulli ad Θαργηλιῶνα *referunt, alii verò ad* Πυανεψιῶνα. *Prouerbium autem Græcorum,* Ἀπιὼν ἐς Ἀπατούρια ἐπανῆλθε εἰς Θαργηλιῶνα, *hoc eſt,* Profectus ad Apaturia, rediit Targelione ſeu Aprili, *facit, vt Pyanepſione menſe, id eſt, Octobri celebrata credam. Nam vt Eraſmus iudicat, dictum fuit hoc prouerbium in eos, qui lentiùs ac diutiùs negotio alicui immorarentur. Hic autem ſenſus Prouerbii non eſſet, ſed contrarius potiùs, ſi Apaturia Thargelione menſe acta fuiſſent: nam eodem menſe & Apaturia celebrata eſſent, & ad ea profecti rediiſſent. Sunt autem quinque menſes integri inter* Θαργηλιῶνα *&* Πυανεψιῶνα: *quod ſi igitur Pyaneſpione celebrata ſunt Apaturia, in pigros ac deſides quadrabit optimè prouerbium, ſumptum fortaſſe ab aliquo, qui ſemeſtri poſt Celebrata Apaturia demùm rediit domum.*

Apaturia quo menſe celebrata.

Celebrabantur verò Apaturia dies continuos tres, iuxta Suidam & Scholiaſten Ariſtophanis: vel quatuor, iuxta Heſychium. Primam diem, inquit Suidas, Δορπείαν *appellabant:* ἐπειδὴ φράτορες ὀψίας συνελθόντες εὐωχοῦντο, quòd ſodales ad veſperam in vnum coacti epularentur. *Sic Herodotus in Vita Homeri indicat, Poëtam illum à Samiis inuitatum*

Quamdiu Apaturia celebrata.

ad

ad Apaturiorum Feſtum concelebrandum, ingreſſum collegium reclinatúmque cum cæteris epulatum eſſe. *Alteram* ΑΝΑΡΡΥΣΙΝ *vocabant*: ἀπὸ τοῦ θύειν· ἔθυον γὰρ Διὶ Φρατορίῳ καὶ Ἀθηνᾷ. *hoc eſt*, à ſacrificando ſacrificabant Ioui ſodali, & Mineruæ, *Tertiam nominabant* ΚΟΥΡΕΩΤΙΝ, ἀπὸ τοῦ τοὺς κούρους καὶ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατρίας, quòd pueros & puellas ſodalitatibus adſcriberent, & in claſſes tributim diuiderent. *Eodem quoque die pueri, vt quiſque ingenio valebat, certatim poëmata recitabant, alter alterum ſuperare contendens: cuius conſuetudinis Plato in Timæo mentionem facit, vbi indicat: parentes illo die pueris certaminis loco rhapſodias fuiſſe proponere ſolitos. Huic conſuetudini non abſimilis eſt ea, quæ pueris noſtris temporibus ludum literarium frequentantibus, certis anni temporibus, animos à ſcholaſticis laboribus relaxandi recreandique cauſâ, parentum præceptorúmque indulgentiâ, plurimis in locis conceditur. Quartus dies dicebatur* ΕΠΙΒΔΗ *vel* ἐπίβδα *teſte Panyaſi. Sunt autem Heſychio & Suidæ* ἐπίβδαι μετεόρτιοι ἡμέραι, *hoc eſt*, poſtridiani feriarum dies. *Rationem nominis hanc ille affert*, ἀπὸ τοῦ ἐπιβάζεσθαι ταῖς ἑορταῖς, οὐκ οὔσας ἐξ αὐτῶν: *vel* διὰ τὸ ἐπὶ τῇ δαιτὶ καὶ ἑορτῇ ἄγεσθαι αὐτάς, κατὰ πρόσθεσιν τοῦ β. *Suidas autem hanc nominis cauſam reddit*, διὰ τὸ πρὸς ἐπίδειξιν ταῖς προτέραις γενέσθαι, ἄλλης ἐπιβαινούσης. *Cælius lib.12 cap.1. quædam feſta Epitheta, quaſi adiectitia vocat, quæ ego eadem eſſe arbitror cum* ἐπίβδαις καὶ μεθεόρτοις.

Apaturiorum origo. *Originem autem cauſamq́ huius ſolennitatis Charicles in Catena & Suidas his verbis recitant*: Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις, πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξανθίος δὲ ὁ Βοιωτὸς προσκαλέσασθαι τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην, Οὐ δεξαμένου δὲ, Μέλανθος ἐπιδημῶν Μεσσήνιος τὸ γένος ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως, ὑπέστη ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. Μονομαχούντων δὲ ἐφάνη τῷ Μελάνθῳ τὶς ὄπισθεν τοῦ Ξανθίου τραγῆν ἐνημμένος λέλαιναν, ἔφη ὅφη ἀδικεῖν αὐτὸν δεύτερον ἥκοντα: ὁ δὲ ἐπεστράφη: ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτόν. ἐκ δὲ τούτου ἥτε ἑορτὴ Απατούρια καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος ἱδρύσαντο. *Hoc eſt*: Bellum gerebant Athenienſes cum Boeotiis de Celænis vico, qui in confinio erat. Xanthius autem Boeotius Tymoetem Athenienſium Regem ad ſingulare certamen prouocauit: quo recuſante, Melanthius Meſſenius à Periclymeno Nelei filio generis originem ducens, imperii cauſâ pugnare promiſit. Cùm verò ſingulari certamine congrederentur, quidam hircinâ nigrâ pelle indutus, poſt Xanthii terga Melantho apparuit. Dixit igitur ipſum iniquè & contra leges agere, quòd cum comite veniret: quo dicto reſpicientem Xanthium interfecit: vnde & Feſtum Apaturia cognominatum fuit, & Dionyſii Melanægidos templum ſtruxerunt: eíque hoc Feſtum conſecràrunt. *Nam cum Dionyſius creditus ſit, quem pelle hirci ſeu capra indutum apparuiſſe autumant, dies hi feſti fuerunt in eius honorem ab Athenienſibus inſtituti. Hinc intelligitur ſimul dictum hoc Feſtum*, παρὰ τὴν ἀπάτην, *ſeu* ἀπατᾶν, *à fallendo & decipiendo. Vnde & Budæus ex Euſebii Chronico*, Fallaciarum Solennitatem *Apaturia nominat. Refert tamen Suidas, eſſe, qui* Ἀπατούρια *quaſi* ὁμοπατόρια *dicta exiſtiment, quòd patres, vt liberos curiæ aſcriberent, conuenirent: vt α, pro* ὁμῶς *accipiatur.*

De Apatariis vide plura apud Herodotum libro 1. & Xenophontem in primo Hellenicon; Tertullianum etiam & Euſebium in Chron. præſertim autem apud Simplicium in Phyſicis Ariſtotelicis, Heſychium & alios.

ΠΑΜΒΙΟΤΙΑ.

PAmbeotia, *in Calendario Attico & Romano Gyraldi, ſed ab Elia Reuſnero aucto, ponitur ad diem 22. Octobris In hoc feſto conuentus fuit ab omnibus Boeotiis quotannis celebratus: Meminit eius Plutarchus in libello Amatoriarum narrationum circa finem. Celebratum fuit ad ripas Coralii fluuii, teſte Strabone lib. 9.*

Apollinis Feſtum

A*Drianus Iunius in ſuis Feſtis indicat, Lacedæmonios vigeſimâ quintâ die Pyanepſionis feſtum celebrâſſe, in quo vini quartarios Apollini obtulerint, pecoribus ſuper immolatis.*

ΧΑΛΚΕΙΑ.

Χ*Αλκεῖα, de quo Herodianus apud Etymologum docet*, ὅτι ἡ πλείων χρῆσις προπερισπᾶ, *indicans, plerùnque ſcribi* χαλκεῖα *penultimâ circumflexâ, vt etiam apud Pollucem lib. 7. cap. 24. ſcribitur: feſtum fuit antiquiſſimum apud Athenienſes, primùm à toto populo celebratum, vnde &* Pandemum *&* Athenæa *vocârunt: progreſſu tamen temporis à ſolis cerdonibus, operariis & præſertim fabris celebratum fuit, vt refert Harpocration & Apollonius Acharneus.* Chalcea feſtum antiquiſſ. Athen.

Agebatur autem ἔνῃ καὶ νέᾳ τοῦ Πυανεψιῶνος, *hoc eſt, vltimâ die Pyanepſionis*: ἐν ᾗ ἱέρειαι μετὰ τῶν ἀρρηφόρων τὸν πέπλον διάζονται, *vt annotatur ab Henrico Stephano in ſuo Theſauro & ab Etymologo. Et quidem fiebant in honorem Vulcani, teſte Phanodemo, quòd is in Attica artē, exercuiſſet. Vnde Pollux ſuprà citato loco ſcribit,* Chalcea in cuius honorem quando celebrata.

Digitized by Google

Χαλκεῖα, ἑορτὴ ἐν ταῖς Ἀθήναις. *Latinè Vulcanalia dicerentur Alii ſolenne feſtum Mineruæ faciunt, vt Harpocration. Meminit feſti huius Cælius lib.19.cap.9.*

ΗΛΙΟΥ ΕΟΡΤΗ.

Feſti Soli dies baculorum natio.

R*Efert Plutarchus in libello de Oſiride Ægyptios* τῇ ὀγδόῃ φθίνοντος τοῦ Φαωφὶ *vigeſimâ ſecundâ die menſis Phaopei, qui cum Octobri vt plurimum conuenit, poſt æquinoctium autumnale, feſtum diem celebrâſſe,* βακτηρίας ἡλίου γενέθλια, *tum Baculos Solis natos dicentes: quo innuenerunt,* ὑπερείσματος δεῖσθαι καὶ ῥώσεως, τῶ τε θερμότητι ζειόμενον ἐνδεᾶ, καὶ τῷ φωτὶ ἐνδεᾶ κλινόμενον, καὶ πλάγιον ἀφ' ἡμῶν φερόμενοι, fulcro & roboratione Solem jam indigere, qui inclinatus cùm iam à nobis per obliquum ferri incipit, & caloris & luminis aliquam ſit paſſus diminutionem.

CAPVT XXVII.

De Feſtis quæ menſe Octobri ſunt Celebrata à Romanis.

A*Drianus Iunius in Faſtis ſuis teſtis eſt, Romanos 3. Non. Octobr. ſecundo acceſſiſſe aram Deorum inferorum in Circo maximo.*

Mundi patere quid.

Eodem die Mundus patere *dicebatur. De quo Feſtus ſic:* Mundus, vt ait Capito Ateius lib. 6. Pontificalis, ter in anno patere ſolet, diebus his: poſtridie Volcanalia, & ante diem 3. Non. Octobr. & ante diem 6. Id. Nouembr. Qui quid ita dicatur, ſic refert Cato in Comment. Iuris Ciuil. Mundo nomen impoſitum eſt ab eo mundo, qui ſupra nos eſt. Forma enim ius eſt, vt ex iis, qui intrauêre, cognoſcere potui, aſſimilis illi. Eius inferiorem partem, veluti conſecratam Diis manibus, clauſam omni tempore, niſi iis diebus qui ſuprà ſcripti ſunt, maiores cenſuerunt, quos dies etiam religioſos indicauerunt, ea de cauſa, quòd quo tempore ea, quæ occultè & abditè Religionis Deorum Manium eſſent, veluti in lucem quandam adducerentur & patefierent: nihil eo tempore in Repub. geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoſte manus conferebant: non exercitus ſcribebatur: non Comitia habebantur: non aliud quicquam in Repub. niſi quod vltima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur. *Macrobius ſic ſcribit Saturn. lib. 1. cap. 19.* Nec Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum Latinóſque firmatæ ſunt, inchoari bellum decebat, nec Saturni feſto, qui ſine vllo tumultu bellico creditur imperaſſe: nec patente mundo, quod ſacrum Diti patri & Proſerpinæ dicatum eſt, meliúſque occluſa Plutonis fauce, eundum ad prælium putauerunt. Vnde & Varro ita ſcribit: Mundus cum patet, Deorum triſtium atque inferûm quaſi ianua patet, propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, nauem ſoluere, vxorem liberûm quærendorum cauſa ducere, religioſum eſt, &c.

Auguſtalia eorúmque Ludi.

A*Vguſtalia dicebatur dies reditus Auguſti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Aſia, Syria & Parthia benè geſtis. De quo Dio lib. 54. in hiſtoria Anni 735. ſic ſcribit,* Ob reditum Auguſti ac propterea, quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem eius decreta ſunt, quorum ille nihil accepit, niſi quod Fortunæ reduci aram conſecrari, diémque ſui reditus inter ferias referri, & Auguſtalia dici paſſus eſt. *His feriis ludi etiam peragebantur, qui dicebantur* Ludi Auguſtales, *quorum Dio frequenter meminit. Libro* 56. Eo, *inquit*, tempore plebs tumultuata eſt, cùm Auguſtalibus quidam hiſtrio nollet pro conſtituta mercede in theatrum intrare, nec finis nec turbarum fuit, quàm ea ipſa die, Tribuni plebis coacto Senatu, precibus impetrarunt, vt liceret ſibi maiores aliquanto, quam legibus permitteretur, ſumptus facere, &c. *Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium:* Tribuni plebei, inquit petiuere, vt proprio ſumptu ederent ludos, qui de nomine Auguſti Faſtis additi Auguſtales vocarentur: ſed decreta pecunia ex ærario, vtque per Circum triumphali veſte veherentur. Curru vehi haud permiſſum, mox celebratio annua ad Prætorem tranſlata, cui inter ciues & peregrinos iuriſdictio euenîſſet. *Meminit horum Ludorum etiam Plinius lib. 7. cap. 43.*

In veteri Calendario referuntur hæ Feriæ & Ludi ad 4. Idus Octobris.

Alemannici Ludi.

I*N faſtis Rom. legimus*, Alemannicos Ludos 3. *Non. Octobr. per ſex continuos dies celebratos, ſicut etiam refert Lazius lib. 11. cap. 16. Reip. Romanæ.*

Fontanalia.

FOntanalia, *inquit Feſtus*, ſunt fontium Sacra: vnde & Romæ Fontanalis porta. *Varro autem à fonte dici tradit, quòd eo die feria,*

Digitized by Google

feriæ, ab eo, cùm in fantes caranas iaciebant, & puteos caronabant. Hac verò, vt habetur in Calendario Maffetanorum, fiebant 4. Idus Octobr. In alio Calendaria veteri ad 3. Idus Octobr. Ioſephus Scaliger in ſuis Caniectaneis ad Varranis lib. de lingua Latina indicat. Fantanalia eſſe Sacra & ferias eius fontis, cuius delubrum fuerit iuxta partam Capenam, vnde & ipſa Fontanalis dicta ſit.

Iduum Octobris Celebritas.

Iduum Oct. ritus.

I*Dus Octobris Feſta fuerunt, ſicut & reliquorum menſium: quo tempare in campo Martia, equum qui* October *diceretur Marti immalari ſeruatum eſt quotannis begarum victricum dexteriorem: de cuius capite nan leuis cantentio ſalebat eſſe inter Suburaenſes & Sacranienſes, vt hi in Regia pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent: eiuſdémque cauda magna Celeritate perferebatur in Regiam, vt ex ea ſanguis deſtillares in focum, participanda rei Diuina gratia. Eum h ſtia loco quidam Marti bello Deo ſacrari dixerunt, non vt vulgus putauit, quòd veluti ſupplicium de ea ſumptum ſit, quia Ramani Ilia fuerunt oriundi, Troiani autem effigie equi capti, & exciſi, vt habetur in Fragmento Sex. Pampeii ex vetuſtiſſima exemplari Farneſiana bibliotheca deſcripto, & nuper excuſo.*

Plutarchus in Prablem. quæſt. 97. vbi tamen Idibus Decembr. hoc factum fuiſſe tradit, cum quæſiuiſſet, cur Idibus Decembris exhibitis equeſtribus Ludis dexter equus victor Marti ſacer immalaretur, & caudam aliquis amputatam ferret ad locum, cui Regia nomen, arámque cruentaret, de capite alii à ſacra via, alii à ſuburra deſcendentes depugnarent? Ita reſpandet, id fieri, aut quod equo Troiam captam putantes, equum plectant: vtpote qui ſint Troûm ſplendida proles, natis mixta Latinûm: aut quia animoſa ſit beſtia & bello apta, atque Martialis equus. Diis verò ea potiſſimùm immolari, quæ eis accepta ſint & conuenientia, Victorem autem equum mactari, quia Deo victoria ſit accepta ferenda: aut rectiùs hoc dici, ope illius Dei ſtatariam eſſe pugnam, victoriámque ſtando ſuos ordines qui ſeruant, defugientibus reputare: itaque puniri celebritatem, moneríque iſto argumento eiues, fugientibus nullam eſſe ſalutis fiduciam. *Hac ille.*

Meminit etiam Alexander. ab Alex. lib. 3. cap. 18. quamnis paulà aliter. Paulus Marſus in Cammentarius ad lib. 6. Faſtorum Ouidii, factum hac ſacrificium dicit ob frugum euentum: & prapterea equum potius quàm bouem immolatum, quòd hos frugibus partendis ſit aptus.

Multis autem gentibus ob hanc cauſam equum haſtiarum numera haberi teſtimania ſunt Lacedamanii, qui in monte Taygeta equum ventis immolarunt, ibidémque adoleuerunt, vt earum flatu einis eius per fines quàm latiſſimè differretur: Salentini quaque, apud quos Menzana Ioui dicatus viuus caniectus fuit in ignem: & Rhodii, qui quotannis quadrigas Sali canſecratas in mare proiecerunt, quod is tali curricula fertur circumuehi mundum, vt in eadem Fragmento legitur.

Equum apud multas gentes immolatum.

Vertumnalia.

VErtumnalia *dies Feſtos Vertumna dicatas fuiſſe menſe Octobri M. Varra teſtis eſt. Eius Des ſacellum in vico Turario erat vertentibus ſed ad dexteram ſub Baſilica angula. Deus hic mercatura & vertendarum rerum habitus fuit: Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8. Adrianus Iunius in Faſtis ſuis refert, mercatares ſacra feciſſe Idib. Octobr. Mercurio, quòd fortè idem eſt cum Vertumni ſacro.*

Armiluſtrium.

D*Ecimo quarta Calend. Nouembris* Armiluſtrium *celebrabatur, vt habetur in veteri Calendario. Dicitur ſic, Varrone teſte lib. 5. de lingua Latina, quòd in ea armati Sacra faciunt: niſi locus patius dictus ab his. Sed quod de his prius, id à luendo, aut luſtra, id eſt, quod circumibant ludentes Ancylibus armati. Paulus Feſti abbreuiatar ſcribit:* Armiluſtrium Feſtum erat apud Romanos, quo res diuinas armati faciebant: ac dum ſacrificarent tubis canebant. *Ad quem locum Iaſephus Scaliger notat, exiſtimare ſe, Centuriatis Camitiis exercitum armatum luſtrari ſalitum, more ſumpta ex vetuſtiſſima inſtituta Athenienſium, apud quos οἱ ϖεζίαρχοι Comitium luſtrârint. Addit etiam, non eſſe veriſimile tubis in eo ſacro canere ſalitos, ſed claſſico.*

Sarmatici Ludi.

L*Azius lib. 11. cap. 16. Reipub. Rom. ex Faſtis refert,* Sarmaticos Ludos *Roma canſtituta Imperio celebratos 7. Calend. Nauembr. per ſeptem dies. Meminit earum Flauius Vopiſcus in Carino his verbis: Exhibuit & ludum Sarmaticum, qua dulcius nihil eſt: exhibuit Cyclopem adornatum Gracis artificibus, & gymnicis, & hyſtrionibus, & muſicis, & aurum & argentum donata, & veſtis ſerica.*

Capvt XXVII.

Feſta quæ Nouembri menſe à Græcis fiebant.

ΖΗΤΗΣΙΣ ΟΣΙΡΙΔΟΣ, Η ΠΕΡΙδρομὴ ἡλίου.

Feſti huius ritus. M*Enſe Athyr, qui aliqua ex parte Nouembri reſpondet, Sacerdotes Ægyptiorum cùm alios tetricos ritus exercuerunt, tum bouem auratum nigrâ byſſinâ veſte amicientes, à decima ſeptima die, qua Oſiridem periiſſe exiſtimârunt, per quatriduum continuum feſtum in luctu Deæ Iſidis oſtentârunt. Quatuor autem fuerunt quo luxerunt: primum, Nilus recedens atque deficiens: ſecundum,* τὰ βόρεια πνεύματα ſeptentrionales flatus, *qui inualeſcentibus auſtrinis ventis admodum extinguuntur: tertium, quòd dies minor fit nocte: vltimum, denudatio terræ, ſimul etiam tunc ſtirpibus folia abiicientibus: Plutarcho authore in libro de Oſiride.*

Decimâ nonâ eiuſdem menſis die, noctu ad mare deſcenderunt, & Sacram ciſtam οἱ στολισταὶ *(Stoliſtæ, quaſi veſtitores diceres) vnà cum Sacerdotibus extulerunt, in qua fuit aurea arcula, cui infundebatur ab iis aqua potabilis, ac clamor tollebatur ab iis qui aderant vociferantibus Oſiridem eſſe inuentum. Exinde tellurem frugiferam aquâ permiſcuerunt, additiſque mixturæ aromatibus & ſuffimentis ſumptuoſis, effinxerunt* μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον *luniformem imagunculam, & hanc amicierunt & exornârent: ſignificantes Deos iſtos ab ipſis putari eſſe naturam terræ & aquæ: ibidem.*

De hoc Feſto Sotro rurſus ſic ſcribit eodem libro, Ægyptios bouem fœmellam ſub Solſtitium hybernum ſepties circa templum circumferre: & vocari Oſiridis indagatio *aut* Solis circuitus, *aquam hyeme deſiderante Deâ. Toties autem circumire, quòd ſeptimo menſe decurſus Solis ab hyberno ad æſtiuum Solſtitium conficiatur. Verba eius ſunt:* Τὴν βοῦν ἀπὸ τροπῆς χειμερινῆς ἑπτάκις περιφέρουσι, καὶ καλεῖται Ζήτησις Ὀσίριδος, ἡ περιδρομὴ ἡλίου, τὸ ὕδωρ χειμῶνος τῆς θεοῦ ποθούσης. Τοσαυτάκις δὲ περίεισιν, ὅτι τὴν ἀπὸ τροπῶν χειμερινῶν ἐπὶ τροπὰς θερινὰς πάροδον ἑβδόμῳ μηνὶ συμπεραίνει.

Feſti huius origo. *Originem huius Feſti & Sacri Ethnici ad hunc modum referunt. Iſis cum fratre ſuo Oſiride (Lactantius & Arnobius filium eius nominant) ſtupri conſuetudinem habuit. Id quum Typhon maritus comperiſſet, occidit eum, fruſtulatimq́ue lacerauit, & per omnes Nili fluuii ripas membra proiecit. Iſis necem eius vlta, cum ſorore & Anube venatore, diſcerpti membra magno luctu vbique gentium quæſiuit, diſperſa collegit, & ſepulturæ mandauit, poſteáque inſtituit, vt quot annis cum lachrymis & eiulatu Oſiris quæreretur, & quaſi inuentus lætitiâ celebraretur. Ita enim ſcribit Lactantius lib.1.cap.21. primò, Sacerdotes eius (nimirum tam viri quàm fœminæ) deglabrato corpore, ſua pectora tradunt, lamentantur ſicut ipſa quum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quaſi inuentus, & in lætitiam ille luctus mutatur: ideò Poëta Lucanus:*

——Nunquámque ſatis quæſitus Oſiris.
Semper enim perdũt, & ſemper inueniunt.

Eadem habet Auguſtinus de Ciuitate Dei libro 6.cap.10. Diodorus Siculus libro 4. hanc ſiue hiſtoriam ſiue fabulam paulò aliter narrat. Arnobius etiam lib.8. contra Gentes horum ſacrorum meminit: Iſis (*inquit*) perditum filium cum Cynocephalo ſuo, *Anubem ſic vocat, qui artificio canum inueſtigantium membra diſcripti Oſiridis inuenit, ideoque canino capite pingitur)* & aliis Sacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur. Mox inuento paruulo, gaudet Iſis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdunt. Hæc Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt. *Iulius Firmicus,* In ſacris, *inquit,* Iſiacis idolum Oſiridis ſepelitur in aditis, hoc annuis luctibus plangunt, raſa capita tundunt, pectus lacerant, veterum vulnerum refricant cicatrices. Et quum certis diebus hæc fecerunt, fingunt ſe lacerati corporis reliquias repetire: & quum inuenerint, quaſi ſopitis luctibus gaudent.

Author eſt Herodotus Feſtiuitatem ſolennem celebrari in Ægypto, cui nomen ſit Accenſio Lucernarum, *quòd noctu ſub dio per vniuerſam Ægyptum lucernas accendant, imbutas ſale & oleo plenas, cum multo illychnio, quod totâ nocte ardens perduret. Poteſt hæc* Lucernarum Accenſio *non ſolùm facta eſſe in Oſyridis Inueſtigatione, ſed etiam in Vulcani feſto, quem inuentorem ignis primum in Ægypto regnâſſe tradunt.*

Capvt XXVIII.

De Feſtis quæ menſe Nouembri à Romanis ſunt Celebrata.

Neptvnalia.

A*Drianus Iunius in Feſtis indicat Nonis Nouembr. Neptuno gratias habitas à nautis: id quod hodiéque fit à Venetis in feſto Aſcenſionis: & 6. Idus Nou. aram Romanos Deorum inferorum in Circo maximo tertio acceſſiſſe placandis manibus.*

Iouis

Digitized by Google

Iouis Epulum, ubi & de Lectiſterniis.

Iouis epulum quando celebratum.

IOuis Epulum, *vt teſtatur Lazius, in publicis ludis celebrabatur, potiſſimùm autem Natalitiis & Circenſibus, quotannis Idibus Nouem. & ob Iouis ceu Deorum Regis ac Principis excellentiam, propriam ſeorſim appellationem ſortiebatur, cum reliqua conuiuia in cæterorum deorum ædibus habita, omnia vnâ voce* Lectiſternia *dicerentur. Meminit huius epuli crebrò Liu. lib. 5. Decad. lib. 7. Decad. eiuſdem lib. 10 Decad. 10. lib. 1. Decad. 4. Eiuſdem epuli & Arnobius mentionem facit lib. 7. illúdque his verbis irridet : Iouis epulum cras eſt :* Iupiter enim cœnat, magniſque impiendus eſt dapibus, jam dudum iœdiâ geſtiens, & anniuerſariâ interiectione jejunus. *Hinc Iupiter dictus videtur Dapalis à Latinis, vt à Græcis* εἰλαπιναςὴς, *quòd nimirum ei ſacra dapali epulo fierent. M. Cato in lib de Re ruſtica,* Dapem, *inquit,* hoc modo fieri oportet, Ioui Dapali culignam vini quantámuis polluceto: eo die feriæ bubus, & bubulcis, & qui dapem facient : cum pollucere oportebit ſic facies: Iupiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo, familiáque mea, culignam vini dapi eius rei ergò. Macte hac illace dape polluccenda eſto: Minus interluito. Poſtea vinum ſumito. Iupiter dapalis, macte iſtæce Dape pollucenda eſto. Macte vino inferiori eſto. Veſtæ, ſi voles, dato. Daps Ioui aſſaria pecunia, vina vini Ioui caſtè : Profanate ſine contagione.

Lectiſternium quid.

Nec verò Ioui tantùm, ſed etiam cæteris Diis Dapes fuerunt appoſita, quas Lectiſternia *appellârunt. Lazius lib. 11. c. 5.* Lectiſternia, *inquit,* ſacra erant conuiuia ex victimis & immolatis in templis Deorum, à ſtratis lectis, quibus ordine diſcumbebatur, ſic dicta.

Puluinaria & Lectiſternia pro iiſdem vſurpata.

Puluinaria autem & Lectiſternia pro iiſdem ab authoribus uſurpantur. Puluinaria *enim in templis dicebantur lectuli Diis dicati, in quibus illorum ſimulacbra reclinari ſolebant. Sternebantur autem hi lectuli à Senatoribus, aut aliis magnis viris quoties eiuſmodi ſupplicatio decreta erat, unde & Lectiſternium nuncupabatur, vt teſtatur totidem verbis Auguſtinus lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 17. Ad quæ verba Lud. Viues hæc annotat :* Quoties in templo aliquo publicè placandæ Deûm iræ causâ conuiuium exhibebatur, aut nocturnum erat ſacrum, Diiſq; tanquam epulaturis aut cubituris lecti ſternebantur, id lectiſternium vocabatur.

In his Senatores & patricii cum coniugibus & liberis, ac delubra & aras procedebant, nonnunquam etiam omnes tribus & ordines Pontifice Max præeunte. Pueri quoque ingenui & libertini, virgines quoque omnes coronatæ, & lauream præferentes, cum pompa thenſas & ferculа Deûm deferentes, tum & ſacra carmine ſupplicare, & Deûm pacem expoſcere ſolebant.

Lectiſterniorum origo.

Lectiſterniorum frequenter meminit Liuius: nec fieri conſueſſe à Romanis, ex multis eius authoris locis intelligitur, niſi impendente, aut imprimente atque vrgente maximo aliquo malo. Sic autem de origine eorum ſcribit lib. 5. ab vrbe condita: Triſtem hyemem, ſiue ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium factâ, ſiue alia quæ de cauſa, grauis peſtiléns que omnibus animalibus æſtas excepit : cuius inſanabili pernicie, quando nec cauſa nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex Senatuſconſulto aditi ſunt : Duumuiri ſacris faciundis, Lectiſternio tunc primum in vrbe Romana facto, per octo dies, Apollinem, Latonámque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus quàm ampliſſimè apparari tunc poterat ſtratis lectis placauere : priuatim quoque id ſacrum celebratum eſt, tota vrbe patentibus ianuis, promiſcuóque vſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotóſque paſſim aduenas in hoſpitium ductos ferunt : & cum inimicis quoque benignè ac comiter ſermones habitos: iurgiis ac litibus temperatum : vinctis quóque dempta in eos dies vincula. *Meminit etiam eorum lib. 7. ab vrbe,* Sulpitio Potito, *inquit, quem alii Peticum nominant,* & C. Licinio Coſs. (*qui fuit annus vrbis 391. iuxta Funcii ſupputationem*) *peſtilentia fuit,* & pacis Deûm expoſcendæ causâ tertiò tum poſt conditam vrbem Lectiſternium fuit. *Eodem libro,* peſtilentia, *ait,* ciuitatem adorta, coegit Senatum imperare Duumuiris, vt libros Sibyllinos inſpicerent, eorúmque monitu Lectiſternium fuit. *Quartum autem hoc fuit, poſt conditam vrbem anno 408. T. Manlio Torquato, & C. Plautio Coſſ. lib.* 8. Eodem, *inquit,* anno Lectiſternium Romæ quinto poſt conditam vrbem, iiſdem, quibus antè, placandis habitum eſt Diis. Fuit autem is annus vrbis 428. C. Petilio & L. Papyrio Mugillano Coſs. *Et lib. 1. de Bello ſecundo Punico,* Romæ, *ait,* & circa vrbem multa eâ hyeme (*fuit autem annus vrbis 537.*) prodigia facta, aut (quod euenire ſolet motis ſemel in Religionem animis) multa nunciata, & credita temerè ſunt, in quibus ingenuum infantem ſemeſtrem in foro olitorio triumphum clamâſſe, & foro boario bouem in tertiam contignationem ſua ſponte ſcandiſſe, atque inde tumultu habitatorum territum ſeſe deiecíſſe : & nauium ſpeciem de cœlo

affulſiſſe : & ædem Spei, quæ in foro olitorio eſt fulmine ictam : & Lanuuii haſtam ſe commouiſſe : & cornum in ædem Iunonis deuolâſſe, atque in ipſo puluinari conſediſſe : & in agro Amiterino multis locis hominum ſpecie procul candidâ veſte viſe, nec tamen illos congreſſos, & in Piceno lapidibus pluiſſe : & Cæræ ſortes extenuatæ : & in Gallia lupum vigili gladium è vagina raptum abſtuliſſe. Ob cætera prodigia libros adire Decemviri iuſſi ſunt, quòd autem lapidibus pluiſſet in Piceno, Nouendiale ſacrum indictum, & ſubinde aliis procurandis propè tota ciuitas operata fuit. Iam primum omnium vrbs luſtrata eſt, hoſtiæq́; maiores, quibus dictum eſt, Diis cæſæ, & donum ex auri pondo quadraginta Lanuuium Iunoni portatum eſt : & ſignum æneum matronæ Iunoni in Auentino ædificarunt, & Lectiſternium Cæræ, ubi ſortes extenuatæ erant, imperatum, & ſupplicatio Fortunæ in Algido Romæ quoque & Lectiſternium Iuuentæ, & ſupplicatio ad ædem Herculis nominatim, deinde vniuerſo populo circa omnia puluinaria indicta. *Et iterum lib. 2. poſt multorum prodigiorum commemorationem,* Ex libris, *inquit*, Decembri iam menſe ad ædem Saturni immolatum eſt Romæ, Lectiſterniúmque imperatum, & eum lectum ſenatores ſtrauerunt, & conuiuium publicum. *Et paulò pòſt :* Votis ritè nuncupatis, ſupplicatio edicta : ſupplicatúmque vt cum coniugibus ac liberis non vrbana multitudo tantùm, ſed agreſtium etiam, quos in aliqua ſua fortuna publica quoque contingebat. Curatum Lectiſternium, & per triduum habitum, Decemuiris Sacrorum curantibus, & puluinaria in conſpectu fuere, Ioui & Iunoni vnum, alterum Neptuno & Mineruæ, tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano ac Veſtæ, ſextum Mercurio ac Cereri. Lectiſternium autem Ioui, Iunoni & Mineruæ Romæ in Capitolio fiebat, hoc modo: Iouis ſimulachrum ſtatuebatur in lecto recupetans : Iunonis & Mineruæ imagines in ſellis conſidebant: deinde multa nocte appoſitis epulis, ſeptem epulones introducebantur, qui cibos ſacratos comedebant.

Epulones qui.

Hi verò Epulones huiuſmodi Solennitates indicendi poteſtatem habuerunt. Eorum tres primùm belli Macedonici temporibus Romæ creatò fuerunt, qui Triumuiri Epulones *fuerunt appellati, teſte Liuio lib. 3. belli Maced. His autem tribus poſtea duo additi, vt quinque eſſent : ac tandem theatralium ludorum, atque Circenſium ambitione ad ſeptem vſque fuerunt producti, qui* Septemuiri Epulonum *fuerunt appellati.*

Chriſtiani ab huiuſmodi Lectiſterniis ita abhorruerunt, vt mortem oppetere, quàm illa celebrare maluerint, quod Marcelli Epiſcopi Romani ac multorum aliorum hiſtoria teſtantur.

Ludi Plebeii.

Ludi Plebeii quando inſtituti.

V*Etus Calendarium, & id ſequuti Gyraldus, ac Reuſnerus,* Ludos Plebeios *ſpectatiſſimos ad diem 12. Nouembr. referunt, alii ad 17. Cal. Dec. qui exactis Regibus, pro plebis libertate primùm dati ſunt, vt teſtatur Aſconius Pædianus in Act. 1. Ciceronis in Verrem. Nonnulli tamen poſt ſeceſſionem ad Sacrum montem inſtitutos ferunt, ob conſociatos Patrum & plebis animos : hos poſtea L. Sylla, perdomitis hoſtibus, magnâ plebis expectatione reſtituit : quorum Ædiles plebis arbitri & moderatores erant. In eorum celebritate ſeruatum, vt quoties inſtaurarentur, ab Ædilibus ludorum causâ, Iouis epulum daretur. Sic enim Liuius lib. 5. ſecundi belli Punici :* Ludi plebeii per biduum inſtaurati, & Iouis epulum fuit ludorum causâ. *Eadem leguntur lib. 7. & lib. 9. in fine. Item lib. 3. de Bello Maced. Hos cum Romanis ludis ſemper fuiſſe ſimul datos ex multis locis Liuii intelligitur.*

Brumalia.

Bruma vnde dicta. Brumalia quando celebrata.

B*Ruma à breuitate dierum dicta, Pompeio authore, quaſi* Βραχύμερον*, tempus illud eſt, quum breuiores ſunt dies. Et, vt ex Florentino Principe Paulus Marſus in Commentariis ad lib. 1. Ovidii Faſtorum, & Merula in Comment. in Elegiam 12. lib. 3. Triſtium eiúſdem, indicat, ab octauo Calendarum Decembrium vſque ad nonum Calendarum Ian. celebrabantur feſta Brumalia. De hoc feſto Cælius lib. 15. cap. 24. ex Græcorum Collectaneis rei ruſticæ hæc annotat:* Democritus & Apuleius talem exſpectari hyemem aiunt oportere, cuiuſmodi fuerit dies Feſtus, quem Brumam vocant Romani : eſt autem quarta & viceſima Dii menſis, qui eſt Nouember. *Hæc ille.*

Brumalia non Bacchi Feſtum:

Proclus tamen, aliíque in Commentariis ad Heſiodi libros de Re ruſtica, per Brumalia, Bacchi intelligunt Feſta, quæ & Dionyſia, ac bis quotannis celebrabantur : dicto tunc à Brumo, quo nomine Bacchum appellârunt. Vide Cælium Rhod. lib. 28. cap. 25. & Gyraldum de Diis Gentium Syntagm. 8. Sed Orpheus, aliíque Bacchum Βρόμιον*. non* Βρῦμον *appellârunt à ſonitu tonitrus & fulminis in ortu eius edito. Bruma autem, Græcè* Βρῦμος *& nuſquam, quod egò quidem ſciam, Bacchum, ſed quandóque ſignificat ſolſtitii hiemalis diem, qui eſt ad 18.*

Col.

Cal. Ian. quandóque hyemem totam, aut ſaltem frigidiſſimam illam hyemis partem, quâ dies ſunt breuiſſimi, quaſi Βραχύμερη *vt diximus. Significat etiam Bruma & Brumalia diem feſtum, qui tempore illo celebrabatur. Cælius quoque lib. 27. cap. 24. per Brumalia partem illam hyemis quæ eſt circa ſolſtitium, aut etiam hyemem totam intelligit, cùm dicit: Brumalia inſtituit Romulus, quibus conuiuio excipiebatur Senatus. Nam vt Suidas teſtatur antiquitùs* ὄνειδος ἦν τὸ ἐκ ἀλλοτρίων ἐσθίειν, καὶ ἕκαστος ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ ἴδιον βρῶμα καὶ πόμα ἐκόμιζεν, πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν ἀλλοτριοφάγος: *hoc eſt*, Probro ducebatur alienâ viuere quadrâ, & iccirco vnuſquiſque ſuum & cibum & potum in ſympoſia afferebat. *Huiuſmodi infamia diluenda, & ſimul maiore ſibi ciues liberalitate obligandi causâ Brumalia, eodem teſte, Romulus inſtituit, quibus à Rege Senatus & milites hyemis tempore, quo vocabant à militia, alerentur. Nomen autem prandii vocauit Suidas* Βρουμάλιον, *quòd Romanâ linguâ ſignificat* ἐκ τῶν ἀλλοτρίων τρέφεσθαι, *id eſt, alieno victitare. Sed lapſus hîc videtur Suidas, Romanæ linguæ ignorantiâ. Nam Brumalia dicta ſunt à Bruma, id eſt, hyeme, in qua conuiuia illa agitabantur, vt Brumalia idem ſint quod Hyemalia.*

Feriæ Gallis & Græcis Defoſſis Celebratę.

Faſti huius origo.

VEtus Calendarium *Ferias Gallis & Græcis in foro Boario defoſſis celebratas Romæ ad diem Nou. 27. ponit. Harum feriarum originem Plutarchus in Quæſt. Romanis, quæſt. 83. his verbis exponit.* Cur Romani, quum audiuiſſent à Bletoneſiis, qui eſt populus barbarus, immolatum Diis hominem eſſe, eorum Magiſtratus accerſiuerunt, vt pœnas de iis ſumerent: quum autem appareret, legis cuiuſdam iuſſu id factum, miſſos eos fecerunt, ſed iſto ſacrificio in poſterum interdixerunt: ipſi autem non multis antè annis, duos viros totidémque mulieres in foro Boario, alteros Græcos, alteros Gallos, viuos defoderunt? Videtur enim abſurdum iſta facere, & barbaris tanquam nefaria exprobrare eadem. An Diis immolare homines, nefas putabant: geniis autem, neceſſitatem cogere? Aut qui conſuetudine ac lege iſta ſacrificia recepiſſent, eos peccare exiſtimantes, ipſi Sibyllinis libris mandantibus iſtud fecerunt: Narrant enim Elbiam quandam virginem equo vehentem fulmine ictam, repertúmque fuiſſe equum nudum iacentem, nudam quoque virginem ipſam, tanquam dedita opera veſtibus à genitali membro reductis, calceis, annulis, capitíſque redimiculo hinc inde diſperſis, linguâ extra os exſertâ. Tum vates reſpondiſſe, ingens opprobrium Sacris virginibus oblatum, forèque vt publicè id innoteſceret, ſed & equitum coniunctum fore quoddam dedecus. Ibi barbari cuiuſdam equitis ſeruum indicium detuliſſe de tribus Veſtalibus virginibus Æmiliâ, Liciniâ & Martiâ, ſub idem tempus vitiatis, & quæ iam diu cum viris inceſtam conſuetudinem habuiſſent, de quibus viris eſſet etiam Buretius indicis dominus. Et Veſtales quidem terminis conuictas, pœnas dediſſe. Cæterùm ut atroci in re placuiſſe, vt à Sacerdotibus Sibyllini libri conſulerentur. Ibi inuenta fuiſſe oracula, quæ euentura iſthæc & malum publicum allatura prædicerent, cuius auertendi causâ peregrinis quibuſdam & alienis geniis duos Græcos, totidem Gallos homines viuos eo in loco defoſſos Romani iubebantur dedere. *Earum parentatio quotannis eo quo diximus die celebrabatur. Meminit etiam Liuius lib. 2. Dec. 3.*

CAPVT XXIX.

Feſta quę menſe Decembri à Græcis ſunt Celebrata.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ.

ΠΟσειδώνια, *quæ Heſychius* Ποσείδεια *vocat, Feſtum fuit apud Atticos, quod in honorem Neptuni celebrârunt menſe* Ποσειδεῶνος, *vnde & nomen habet. Meminit eius Athenæus lib. 13. cap. 20. vbi dicit, Ariſtippum Philoſophum ſingulis annis duos menſes in Ægina* τοῖς Ποσειδωνίοις, *hoc eſt, Neptunaliarum tempore apud Laidem meretricem commoratum fuiſſe. Et rurſus eodem libro cap. 22. dicit, Phrynen ſcortum Nobiliſſimum* τῇ τῶν Ποσειδωνίων *in omnium Græcorum conſpectu veſtes ſoluiſſe & comas, & ſic ad mare veniſſe. Appellémque ab ipſa venerem emergentem (*τὴν ἀναδυομένην*) pinxiſſe.*

CAPVT XXX.

De Feſtis quę Decembri menſe apud Romanos ſunt Celebrata.

Faunaliorum dies & ritus.

CElebrabantur quidem *Faunalia Idibus Februarii in Inſula Tiberina, & paulò poſt Idus* Lupercalia, *quæ Fauni eſſe ſuprà aſtendimus. Sed Nonis Decembris quoque huic Deo rem diuinam faciebant, & Feſtum diem in eius honorem in pratis & ſyluis agebant, in*

quo

quo agreſtes vicatim ſaltare conſueuerunt. Exiſtimabant enim Deum hunc ritè & diligenter ſibi reconciliandum, cuius vim magnam ad nocendum ruſticorum & agreſtium præſertim pueris eſſe credebant. Porphyrio in libro de reſponſis indicat, nouem ſimul homines in quodam Branchidarum agro mortuos eſſe, nullam aliam ob cauſam quàm quòd Faunum vidiſſent. Interrogantibus enim qua nam cauſa necis eorum eſſet, ſic Apollinem reſpondiſſe teſtatur:

Toruus Dionyſii famulus Pan, auríque cotnis.
Per nemora obſcura gradiens, montéſque per altos,
Pinum vinum atque alia reſonans ſytinga tenebat,
Geſtabat manu, multos is corpore vaſto
Poſtrauit, mottíque viros dedit horridus ille.

Habuit is Deus bina Romæ templa: vnum in Tiberina inſula, in quo Sacrum annuum ei Idibus Febr. fecerunt: alterum in Cœlio monte, circulari formâ, plurimis in ambitu columnis adornatum, in eo Nonis Decembris de hœdo & vino rem diuinam ei fecerunt, vt indicat Horatius lib. 3. Carminum, Ode 18. quam integram adſcribam, quòd huius ſolennitatis ritum paucis comprehendat:

Faune nymphatum fugentium amator
Per meos fines & aprica rura
Lenis in Cedas: abeaſq; patuis
Lenis alumnis.
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit heiboſo pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum boue pagus.
Inter audaces lupus etat agnos:
Spargit agreſtis tibi ſylua frondes,
Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor
Perpede terram.

Septimontia.

Septimontia cur inſtituta.

SEptimontia vetus Calendarium & Adrianus Iunius in Faſtis ad 3. Idus Decembr. ſeu ad 11. diem eiuſdem menſis ponunt. Ex Tertulliano tamen haud obſcurè colligi poteſt, hoc Feſtum non ab initio, ſed in fine huius Menſis celebratum. Nam in lib. de Idololatria, ſic inquit: Etiam Streniæ captandæ, & Septimontium, & Brumæ, & Caræ cognationis honoraria exigenda omnia. Ex quibus intelligitur, non ſolùm Decembri menſe, quia eſt brumæ menſis, ſed etiam circa finem huius menſis celebratum fuiſſe, quia proximum ſit ſtrenæ exigendæ, quod fiebat Calendis Ianuariis. Feriæ autem iſtæ inſtitutæ fuerant propter adiectum ſeptimum vrbi Romæ collem, vt Plutarchus teſtatur Problem. 69. Iis ſeptem in locis ſacrum fieri Antiſtius Labeo & Varro ſignificat. Palatio, Suburra, Velia Fagutali, Cœlio, Oppio, Ceſpio. Eodemq; die per vrbem vehiculis, quæ iumentis traherentur, ferri, criminoſum erat: vel, vt quidam Romanarum rerum ſcriptores putant, quia vrbis partes non fuerunt omninò inter ſe coniunctæ: Vel quòd, quum vrbe condenda magnum opus peregiſſent, iámque vlterius incrementum vrbis nullum animo conciperent, quietem cùm ſibi tùm iumentis, quorum opera fuiſſent vſi per iſtas ferias parauerunt. Aut quum vellent omnes feſtiuitates ciuium præſentiâ ornari, eam verò imprimis quæ ob contractas in vnam multas vrbis partes inſtituta erat, ciuibus vſu vehiculorum iumentariorum iſta die interdixerunt, ne vrbe, cui dies agebatur Feſtus, exirent: vt Plutarchus ſuprà citato loco refert. Quocirca miror cur Alexand. ab Alexand. lib. 6. c. 11. ſcribat, Feſtum hoc Paganalia appellatum, quòd non populi & ciuium, ſed montanorum tantùm & agreſtium dies Feſtus eſſet. In fragmento Sexti Pompeii ex vetuſtiſſimo exemplari Bibliothecæ Farneſianæ deſcripto ſic legitur: Septimontium dies appellatur menſe Decembri, qui dicitur in Faſtis Agonalia, &c. inde fortaſſe natus error apud Alexandrum. Suetonius in Domitiano, Septimonialem diem nominat, in quo Domitianus epulum largiſſimum dederit, Senatui, equitique panariis, plebi ſportellis cum obſonio diſtributis, diéque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſerit.

Lancionici Ludi.

VEtus Calendarium, & id Gyraldus ac Iunius in Faſtis ſequuti, ad Pridie Idus Decembr. Lancionicos Ludos ponunt, per dies ſeptem durantes: ſed qui, aut quales fuerint Lazius quoque ſe nondum comperiſſe fatetur, lib. 10. cap. 15. de Repub. Romana.

Saturnaliorum Solennitas.

SAturnalia, vt teſtatur Varro lib. 5. de Latina lingua, dicta ſunt à Saturno, quòd eo die Feriæ eius, vt poſt tertium diem Opalia, Opis. Feſtus inquit: Saturni dies feſtus celebratur menſe Decembri, quòd eo ædis eſt conſecrata, & is culturæ agrorum reſidere videtur: quòd etiam falx eſt ei inſigne.

De Saturnaliorum origine tres ſententiæ.

DE eorum origine tres ferè opiniones commemorat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7. Prima hæc eſt: Ianus Italiæ Rex quum Saturnum claſſe aduectum hoſpitio excepiſſet: & ab eo edoctus

edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem ante fruges cognitas victum, in melius redegiſſet, in regni ſocietatem eum aſciuit. Eo verò ex rebus humanis exempto, Ianus adhuc ſuperſtes, primum terram omnem ſibi ſubiectam Saturniam nominauit: Aram deinde cum ſacris tanquam Deo condidit, quæ SATVRNALIA *nominauit.*

2. *Alia Saturnaliorum origo ſic traditur: Comites quoſdam è ſuis Hercules in Italia reliquit, vel iratus, quòd incuſtoditum fuit armentum, & à Caco ſubreptum: vel conſultò, vt aram ſuam atque ædem ab incurſionibus tuerentur. Illi ergo quum à latronibus infeſtarentur, occupato edito colle, Saturnios ſe nominauerunt, quo antè nomine etiam idem collis vocabatur. Et quia ſe eius Dei ſenſerunt nomine ac religione tutos, instituerunt* SATVRNALIA *Feſta, vt agreſtes vicinorum animos, ad maiorem ſacri reuerentiam ipſa indicti Feſti obſeruatio vocaret.*

3. *Tertia eſt opinio, quòd Pelaſgi (ſicut Varro memorat) cùm ſedibus ſuis pulſi, diuerſas terras petiiſſent, confluxerunt plerique Dodonam: & incerti quibus adhærerent locis, eiuſmodi accepere reſponſum:*

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατύρνιον αἶαν
Ἠδ' ἀβοριγινέων κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς ᾍδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Acceptóque parte, quum Latium poſt errores plurimos appuliſſent, in lacu Cutulienſium deprehenderunt inſulam natam. Hoc igitur obſeruato miraculo, has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt: vaſtatiſque Siculienſibus incolis occupauere regionem, decimâ prædæ ſecundùm Apollinis reſponſum ei Deo conſecratâ, erectis Diti ſacello, & Saturno arâ, cuius Feſtum SATVRNALIA *nominauerunt.*

Saturnaliorum antiquitas.

Ex his cauſis quæ de Origine huius Feſti relatæ ſunt, apparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe vrbe Romanâ: adeò vt ante Romam in Græcia hoc ſolenne cœpiſſe Lucius Accius in Annalibus ſuis referat his verbis:

Maxima pars, Gratûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Cúmque diem celebrant, per agros vrbéſq; ferè omnes
Exercent epulis læti, famulóſque procurant
Quiſque ſuos, noſtríque itidem, & mos traditus illinc
Iſte, vt cum dominis famuli epulentur ibidem.

Refert enim Macrobius lib. 1. Saturnal. ex Philochoro, Cecropem Saturno & Opi primùm in Attica ſtatuiſſe aram, eóſque Deos pro Ioue & terra coluiſſe, inſtituiſſéque, vt patres familiarum & frugibus & fructibus iam coactis, paſſim cum ſeruis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerant: delectari enim Deum honore ſeruarum contemplata laboris. Apud Cretenſes quoque per Mercurialia Feſta. HERMAEA *dicta, idem etiam obſeruatum fuit, vt Caryſtius teſtatus eſt in Commentariis hiſtoricis. Nam conuiuantibus ſeruis domini illis ſeruiebant atque miniſtrabant. In Frazene verò Geræſtione menſe per multos dies fiebat conuentus,* PANEGYRA *dictus, quorum in vno ſerui cum ciuibus vnà ludant aſtragalis: & ſeruis domini conuiuium præbent, vt aſſerit Caryſtius. Beroſus autem in libro de Babylonicis rebus primo, ad 16. Calend. Sept. ſcribit Feſtum* SACAEA *vocatum, per dies quinque agi ſolitum in Babylonia, in quibus mos fuerit, vt ſerui dominis imperitarent, atque vnus eorum educeretur ex domo ſtolam regiæ ſimilem indutus, quem* Zoganem *appellârint: cuius etiam feſti mentionem facit Cteſias lib. 2. Perſicarum rerum Macrobius rurſus & Athenæus lib. 14. cap. 17. Batis Sinopenſis teſtimonio ex Oratione de Theſſalia & Hæmonia confirmant, hoc Saturnaliarum Feſtum omninò Græcum eſſe, cui ſimillima ſit certa quædam Theſſalorum feſtiuitas* Peloria *dicta. Vt non ſine cauſa Verrius Flac. in eo libello qui Saturnus ſcribitur dicat,* Saturn. dies *apud* Græcos quoque Feſti habentur, *vt Macrob. lib. 1. indicat. Cæterùm ſi diligenter ea perpendamus, quæ mox referemus, videtur poſſe colligi antiquiſſimum hoc Saturnaliorum Feſtum promanâſſe ex illo longè antiquiore Tabernaculorum, ſiue Scenopegia feſto, quod peractâ meſſe ſeu vindemiâ, collectis iam reconditiſq; frugibus menſe ſeptimo à Iudæis Dei iuſſu ſeptem dierum ſpacio celebratum fuit, quo tempore tam ſeruis, quàm liberis ſub tentoriis feriari, epularíq; ſumma cum lætitia fuerat conceſſum, vt conſtat ex Leuit. 23. & Deut. 16.*

Saturnaliorum antiquiſſima origo.

Saturnalia Romæ quando inſtituta.

Romæ autem tunc primùm Saturnalia inſtituta fuiſſe Macrobius author eſt, quando Tullus Hoſtilius bis de Albanis, de Sabinis autem tertiò triumphâſſet, & tum ex voto templum Saturno conſecrâſſet, Quamuis Varro lib 6 qui eſt de ſacris ædibus, ſcribat, ædem Saturni ad forum faciendum locâſſe Lucium Tarquinium Regem: Titum Largium verò Dictatorem Saturnalibus eam dedicâſſe. Gellius etiam ſcribit, Senatum decreuiſſe, vt ædes Saturni fieret, eiq́ue rei Lucium Furium tribunum militum præfuiſſe. T. Liuius libro 2. ab vrbe condita ſcribit, triennio poſtquam A. Poſthumius Dictator ad lacum Regillum cum Latinis & exulibus pugnâſſet, eoſq́; viciſſet, ædem Saturno dedicatam, Coſſ. A. Sempronio Atratino & M. Minutio Augurino, & tunc primùm Saturnalia feſta inſtituta, qui fuit

annus

Digitized by Google

annus verbis 257. *Idem author lib.* 2 *Punici belli* 2. *ob initio ſic ſcribit* : Ex libris Decembri iam menſe ad ædem Saturni Romæ immolatum eſt, lectiſterniúmque imperatum, & cum lectum Senatores ſtrauerunt, & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia, die ac nocte clamatum, populúſque eum diem Feſtum habere ac ſeruare in perpetuum iuſſus.

Saturnalia quot diebus celebrata.

Primò autem Saturnalia vno tantùm die, id eſt, decimo quarto Calendarum Ianuariarum ſolita ſunt celebrari. Sed poſt in triduum propagata, primùm ex adiectis à Caſare huic menſi diebus, deinde ex edicto Auguſti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. De quo Macrobius lib. 1. *Saturnal. ſic ſcribit: Apud maiores noſtros Saturnalia die vno finiebantur, qui erat ad quartum decimum Calendas Ianuarias. Sed poſtquam C. Caſar in emendatione anni huic menſi duos addidit dies, ſextodecimo cæpta celebrâri. Eâ re factum eſt, vt quum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique à C. Caſare inſerto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur, quod etiam Auguſtus Imp. confirmanit, & triduo ferias illas ſeruari iuſſit. Licet & apud veteres opinio fuerit, ſeptem diebus peragi Saturnalia: ſi opinio vocanda eſt, qua idoneis firmatur authoribus Nouius enim probatiſſimus Attellanarum ſcriptor ait* : Olim exſpectata veniunt ſeptem Saturnalia. *Mummius quoque qui poſt Nouium & Pomponium diu iacentem artem Attellaniam ſuſcitauit*, Noſtri, *inquit*, Maiores velut benè multa inſtituere, hoc optimè a frigore fecere ſummo, dies ſeptem Saturnalia. Sed Mallius ait, eos qui ſe Saturni nomine & religione defenderant, per triduum Feſtos inſtituiſſe dies, & Saturnalia vocauiſſe. Vnde & Auguſtus huius *inquit* rei opinionem ſecutus, in legibus iudiciariis triduo ferias ſeruari iuſſit. *Maſurius & alii vno die, id eſt, decimo quarto Calendas Ianuarii affuiſſe Saturnalia crediderunt. Quorum ſententiam Feneſtella confirmat dicens*, Æmiliam virginem decimo quinto Calendarum Ianuariarum eſſe damnatam. Quo die ſi Saturnalia gererentur, nec cauſam omninò dixiſſet. *Deinde adiecit.* Sequebantur eum diem Saturnalia. *Mox ait* : Poſtero autem die qui fuit decimus tertius Calendarum Ianuariarum, Liciniam virginem vt cauſam diceret iuſſam : *ex quo oſtendit decimo tertio Calendas profeſſum eſſe. Ex his ergo omnibus colligi poteſt, ab initio vno die Saturnalia fuiſſe, & non niſi decimo quarto Calendarum Ianuariarum celebrata, quo ſolo die apud ædem Saturni conuiuio ſoluto, Saturnalia clamitabantur. Poſtea in triduum ſunt propagata. Deinde Sigillariorum adiecta celebritas, in ſeptem dies diſcurſum publicum, & lætitiam religionis extendit. Denique rurſus detractis duobus diebus, ad quinque dies Saturnalia redierunt. Hinc Martialis Saturnaliorum dies modo quinque nominat, modò ſeptem. Ad hos dies feſtos Cicero reſpiciens de Inuentione*, Senatus, *inquit*, frequentior fuit, quàm putabamus eſſe poſſe menſe Decembri ſub dies Feſtos.

In Saturnaliorum autem Feſto ſeruos ſuos domini conuiuiis liberalibus & lautis excipiebant, ipſi muneribus ſeruilibus fungebantur, ſeruis impunè, quicquid liberet, licebat loqui, teſte Macrobio lib. 1. *Saturnal. Et Athenæus lib.* 14. *idipſum his verbis confirmat* : Ταῖς τῶν Κρονίων ἡμέραις ἔθος ἐστὶν ῥωμαίοις πᾶσιν ἑστιᾶν, τοὺς οἰκέτας αὐτοὺς ἀντὶ τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας: *id eſt*, Saturnaliorum diebus moris eſt apud Romanos, vt ſeruos ſuos conuiuiis excipiant, ipſiq; ſeruorum munere fungantur. *Quale etiam Feſtum fuiſſe Nonas Caprotinas ſuprà diximus, in quo tandem ancilla* ἑστιώμεναι καθέζονται κλάδοις συκῆς σκιαζόμεναι, *hoc eſt, epulantes conſident ficulneis ramis obrumbata. Simile quid etiam obſeruatum Idibus Auguſti apud Romanos Alex. ab Alex. lib.* 3. *c.* 18. *indicat. Ad hunc Saturnaliorum morem Horatius alludit lib.* 2. *Satyra* 2.

——age, libertate Decembri
(Quando ita maiores voluerunt) vtere,
narra.

Saturnaliorum ritus.

Hinc & pileos, quod ſignum libertatis olim fuit, ſerui hoc Feſto geſtabant, & ingenuorum calceis induebantur, vt Porphyrio indicat. Lucianus ἐν τοῖς πρὸς Κρόνον, *de Saturnalibus multa tradit. In primo Dialogo Saturnum ſic loquentem inducit*, καὶ διὰ τοῦτο ἁπανταχοῦ κρότος, καὶ ᾠδὴ, καὶ παιδιὰ, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις, καὶ ἐλευθέροις. Οὐδεὶς γὰρ ἐπ᾽ ἐμοῦ δοῦλος ἦν: i. Atque idcirco vbiq; plauſus, & cantus, & ludus, & honoris æqualitas omnibus cùm ſeruis tum liberis. Neque enim me regnante ſeruus erat. *Vnde Catullus ad C. Licinium Caluum, Saturnalia optimum diem appellat, quòd nimirum aurei illius ſeculi, quod Saturno regnante fuiſſe dicitur imaginem referebat, memoriámque repraſentabat, quo nondum erat auditum ſeruitutis nomen.*

Praterea in Saturnalibus non modò à dominis ſerui conuiuiis excipiebantur, ſed etiam amici & familiares inter ſe mutitabant, hoc eſt, mutuas inter ſeſe cœnas epulationéſque agitabant. Ob quas cauſas December, in quo hac fiebant, aptus geniis ſeu genialis ab Ouidio appellatur lib. 3. *Faſt. inquiens:*

Acceptus geniis illa December habet.

Bellū porrò in hoc feſto ſumere nefas habitum, quod ſub Saturno tempora feliciſſima fuiſſent, nullis bellis vexata, nullique infeſtata latronibus. Eâque cauſa fuit, vt Romani ædem Saturni ærarium

ærarium eſſe voluerint, quod nullum ſub eo furtum in Italia commiſſum, ſiue quòd ſub eo nihil erat cuiuſquam priuatum, nec ſignare ſolùm, aut partiri limite campum fas erat, Macrob. auctore lib. 1.

4. *Pœnas quóque iiſdem diebus exigere piaculare erat, vt Macrobius refert lib. 1. cap. 10.*

5. *Ad hæc munera ſibi vltróque mittebant Saturnalibus, quæ Tertullianus* Saturnalitia *vocat, ſub finem libri de Perſequutione*: Scilicet enim, *inquit*, talem pacem Chriſtus ad patrem regrediens madauit à militibus per Saturnalitia redimendam. *Eadem ab Hieronymo* Saturnalium ſportulæ *vocantur: de quibus hæc illius ſunt verba notatu digna, in Epiſtolam Pauli ad Epheſios, quæ etiam in Canonicis Decretis inueniuntur.* Legant, *inquit*, Epiſcopi atque Presbyteri, qui filios ſuos ſecularibus erudiunt literis, & faciunt illos comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare, de Eccleſiarum ſumptibus forſan eruditos, & quod in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel ſubſtantiam ſuam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendarum Strenam, & Saturnalium ſportulam, & Mineruale munus è mercedula magiſterii à Scholaſticis dari ſolita Grammaticus & Rhetor aut in ſumptus domeſticos, aut in templi ſtipes, aut ſordidum conuertit in lucrum. *Dicta quóque ſunt* Xenia *&* Apophoreta. *Vnde Suetonius in Veſpaſiano:* Dabat, *inquit*, ſicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per Calendas Martias fœminis. *Sed tamen Apophoretorum nomine appelabantur etiam ſolennes in Saturnalibus cœnationes, quibus ſe mutuò excipiebant, & ad quas muneribus certabant. Hinc eſt illud Suetonii in Caligula:* Præſinæ factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in ſtabulo aſſiduè, & maneret: agitatori Eutycho commeſſatione quadam in apophoretis vicies ſeſtertiûm contulit. *Ratio autem mittendorum Saturnalibus munerum hæc erat, vt viderentur ſibi inuicem gaudere & gratulari, & Saturno atque Opi gratias agere quòd fruges fructúsque ad vitæ cultum neceſſarios percepiſſent.*

Quæ autem & qualia ea munera fuerint, ex Suetonio colligitur, qui in Octauii Auguſti Cæſaris hiſtoria, Saturnalibus, *inquit*, & ſi quando aliàs libuiſſet, modò munera diuidebat, veſtem, & aurum & argentum: modò nummos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos: interdum nil præter cilicia, & ſpongias, & rutabula, & forpices, atque alia id genus titulis obſcuris & ambiguis. *Mittebantur etiam inter cætera munera, Cerei. Nam quum Pelaſgi in Italia ex reſponſo diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placaſſent; Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent inferentes Diti, non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulatâ, & aras Saturnias, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolente: quia non ſolùm virum, ſed & lumina ſignificat* φῶτα, *quæ dictio in oraculo continebatur, & occaſionem errandi dabat. Inde mos per Saturnalia miſſitandis Cereis cœpit. Alii cereos non ob aliud mitti putant, quàm quòd hoc Principe (Saturno) ab incomi & tenebroſa vita, quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editi ſint homines. Illud quóque memoria proditum eſt, quòd quum multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitioſè munera exigerent. Idque onus tenuiores grauaret, Publicius tribunus plebis tulit, vt non niſi cerei ditioribus miſſitarentur, vt refert Macrobius lib. 1. Saturnaliorum. Hæc autem conſuetudo mittendi cereos, adhuc in Pontificia religione in Purificationis Mariæ Feſto obſeruatur, vt ſuo loco indicabitur.*

Apud Cyrenenſes verò Saturno rem diuinam facturi ficis ornabantur, nec cereos, ſed placentas miſſitabant, quòd mellis repertorē eſſe ducerent, teſte Alexand. ab Alexandro libro 2. cap. 22.

Fuit præterea moris in Saturnalibus, vt ſerui ſumerent veſtitum dominorum, & contrà domini ſeruorum. Sumebant autem domini omnes illis diebus togis depoſitis Syntheſim, hoc eſt, veſtem breuem & negotiis aptam. Fuit ergo Syntheſis veſtis Saturnalitia, Saturnalib. vſurpari ſolita, vt conſtat ex illo Martialis Epigrammate, cui titulus eſt Syntheſis:

Dum toga per quinas gaudet requieſcere luces
Hos poteris cultus ſumere iure tuo.

Vnde ſimul intelligitur per quinque dies Saturnalia agi fuiſſe ſolita, Et rurſum:

Syntheſibus dum gaudet eques, dominúſque ſenatus
Atq; decent noſtrũ pilea ſumpta Iouem.

Fortaſſe autem Syntheſis, *inquit Beroaldus in Suetonio*, dicta videri poteſt, quòd conſuta contextáque eſſet compoſitione quadam verſicolore. *Turnebus in ſuis aduerſariis exiſtimat, Syntheſim elegantiorem & lautiorem fuiſſe veſtem, quá populo Romano certis diebus publicè, vt Saturnalibus, vti licebat, quum Romæ quo quis veſtitu vellet, vti non liceret, togáſque ferre cogerentur, & idcirco Syntheſim putat dictam, quòd quum ea rarò vterentur domi compoſitam habebant in arcis aut prælis. Huc pertinet quod Dio hiſtoricus ſcribit: quũ tumultuarentur quondam milites, qui eos ſedaret à Claudio miſſum eſſe libertum Narciſſum, potentiâ tunc formidoloſũ: quúmq; ſuggeſtũ velut*

con-ionatorius conſcendiſſet, hominis indignitatem moleſtè tuliſſe milites, ideóque complures vulgatum id ſucclamâſſe, Io. Saturnalia: *exprobrantes ei, quòd quum ſeruus & tenuis conditionis homo antea fuiſſet, nunc de repentè ſplendidâ veſte ingenuo ſimilis ad eos prodiret.*

Veſtiũ mutationis origo. *Hac autem veſtium mutatio non tantùm in Saturnalibus, verùm etiam in Quinquatribus minoribus, in Megalenſibus Lupercalibus, Bacchanalibus, & aliis feſtis fieri ſolita fuit, vt ſuprà indicauimus. Illam ob Hercule deſfluxiſſe Ouidius lib.2. Faſt.dicet, ibi enim Fauni ſacra deſcribens, indicat, Herculem cum Lyda puella in Bacchi ſacris veſtem mutâſſe, & Faunum, qui deperibat virginem illam, quum in antro obſcuro comprimere eam vellet, in Herculem incidiſſe, pudefactúmque aufugiſſe.*

His denique oſcillis, ſeu oſiculis oſſeiſque vel fictilibus paruis imagunculis, quarum ſuprà quadam facta eſt mentio, pueri ludebant. Erant & teſſerula oſcilla, quibus licebat impunè in hac Saturnaliorum ſolennitate ludere, vnde & Oscillarium *ludorum nomen accepit.*

Sigillaria.

Sigillaria quid & eorũ ritus. V*Enio nunc ad* Sigillaria, *qua pars ſiue ſpecies erant Saturnaliorum, à genere muneris, quod tunc donabatur, ſic appellata: videlicet ſigillis, id eſt, paruis ſignis, ſiue ſimulachris, qua partim ex are, argento & auro, partim etiam ex fictili materia conflabantur: Meminit Suetonius in Claudio*: Tiberius patruus, *inquit*, petenti honores, conſularia ornamenta detulit. Sed inſtantius legitimos flagitanti, id ſolùm codicillis reſcripſit, quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria miſiſſe ei. *Spartianus in hiſtoria Adriani*: Saturnalia, *ait*, & Sigillaritia frequenter amicis inopinantibus miſit, & ipſe ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. *Idem in vita Caracalla*: Quæ à parentibus gratiâ ſigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magiſtris ſpontè donauit. *Huc pertinet & illud Seneca lib.1. Epiſtolarum*: Ego ſum felicior, cui ſolebas ſigillaria offerre. *Flauius Vopiſcus tradit, Aurelianum inſtituiſſe vxori & filia annuum ſigillaritium.*

Sigillariorum origo. *Caterùm originem Sigillariorum Macrobius lib. 1. Saturnal. his verbis tradit*: Epicadus, *ait*, refert, Herculem occiſo Geryone, quum victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte, qui nunc Sublicius dicitur ad tempus inſtructo, hominum ſimulachra numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in flumen demiſiſſe, vt aquâ ſecundâ in mare deuecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis ſedibus redderentur: & inde vſum talia ſimulachra figendi inter ſacra manſiſſe. Sed mihi, *inquit*, illa origo verior exiſtimatur, quam paulò antè etiam in Saturnalibus retuli: Pelaſgos poſtquam felicior interpretatio, capita, non viuentium, ſed fictilia, & φωτὸς æſtimationem, non ſolùm hominem, ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet: cœpiſſe Saturno cereos potius accendere, & in Sacellum Ditis, aræ Saturni cohærens, oſcilla quædam pro ſuis capitibus ferre. Ex illo traditum, vt cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur: quæ homines pro ſe atque ſuis piaculum pro Dite Saturno facerent. Ideò Saturnalibus talium commerciorum celebritas cœpta, ſeptem occupat dies, quos tantum feriatos facit eſſe, non feſtos omnes. *Huc uſque Macrobius. Idem author eodem libro cap. 10. ſcribit*: In his ſigilla, id eſt, parua ſigna miſſitabant, vt in Saturnalibus cereos. *Et ſic intelliguntur verſus Martialis in Apophoretis*:

Gloria tam parui non eſt obſcura ſigilli. *Et rurſum*:

Sum fragilis, ſed tu moneo ne ſperne ſigillum.

Fuit & vicus Romæ percelebris quem Sigillaria *vocarunt: de quo ſic Suetonius in Claudio*: Eſſedum argenteum, *inquit*, ſumptuoſè fabrefactum, & venale ad Sigillaria redimi, concidíque coram imperauit. *Idem in Nerone*, Sporum Romæ circa Sigillaria comitatus eſt. *Et A. Gellius Noct. Attic.* Apud Sigillaria, *ait*, fortè in libraria ego & L. Paulus conſedebamus. *Nomen factum loco à rebus quas ibi venum exponebant, & vaſis ſignísque exquiſita artis qua ex are argentóque fabrefieri ſolebant, quaque Sigillaria appellabant. Alex. ab Alex. lib.3. cap. 4.* *Sigillaria vicus Romæ.*

Opalia.

Opalia quando celebrata & vnde dicta. D*ies ille, quo ſolo ab initio Saturnalia celebrata fuiſſe ſupra ex Macrobio oſtendimus, hoc eſt. 14. Calend. Ianuar. progreſſu temporis* Opalibus *tantùm inter Saturnalia deputatus fuit, quum primum Saturno pariter & Opi fuerit adſcriptus. De quo ſic Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 10.* Ex his omnibus colligi poteſt, & vnu die Saturnalia fuiſſe, & non niſi 14. Calendas Ianuarias celebrata, quo ſolo die apud ædem Saturni conuiuio ſoluto Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cùm primùm Saturno pariter & Opi adſcriptus fuerit.

Hanc autem Deam Opem, à qua Opalia feſta, Saturni coniugē crediderunt, & ideò menſe

menſe Decembri Saturnalia, itémque Opalia celebrârunt, quòd Saturnus eiúsque vxor, tam frugum, quàm fructuum repertores eſſe credantur, Itáque omni iam fœtu agrorum coacto ab hominibus hi Dii colebantur, quaſi vitæ cultioris authores, quos etiam nonnullis cœlum & terram eſſe perſuaſum eſt: Saturnúmque à Satu dictum, cuius cauſa de cœlo eſt: & terram Opem, cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur, vel ab opere, per quod fructus frugésque naſcuntur. Huic Deæ ſedentes vota concipiebant, terrámque de induſtria tangebant, demonſtrantes ipſam matrem terram eſſe mortalibus appetendam: *Macrob. lib. 1. Saturnal.*

Opaliorum ritus.

IVVENALIS dies, & Ludi eiuſdem nominis.

Iuuenalium origo.

IVuenalis dies *Feſtum quoddam dicebatur, à iuuenibus peculiariter celebratum prima die poſt elapſa Saturnalia, & à Caligula Imp: primò inſtitutum. Sic enim de eo Suetonius in eius vita ſcribit*; Vt lætitiam publicam in perpetuum augeret quóque adiecit diem Saturnalibus, appellauítque Iuuenalem.

Iuuenaliorum ritus.

Ludi eiuſdem nominis pro ſalute iuuenum celebrabantur, vt olim Plebeii pro libertate plebis. Dio Hiſtoricus refert, ab Nerone Iuuenalia celebrata, ἀσπερπνά νεανισκεύματα*, propter ſuam barbam, quam tum primum raſerat, pilis in aureum contectis ſpharion, & Capitolina Ioui dicatis. His primum etiam ſenes & vetulas ludens populum Romanum Nero immiſcuit, teſtante id Suetonio in eius vita:* Spectaculorum, *inquit*, plurima & varia genera edidit Iuuenales, Circenſes, Scenicos ludos, gladiatorum munus Iuuenalibus ſenes quóque conſulares, anúſque matronas recepit ad luſum. *Hiſtoriæ huius meminit etiam Cornelius Tacit. lib.* 14. Ne tamen, *inquit*, adhuc publico theatro dehoneſtaretur Nero, inſtituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos paſſim nomina data, nō nobilitas cuiſque, non ætas, aut acti honores impedimēto, quo minus Latina Græciue hiſtriones artem exercerent. *Refert Capitolinus, Gordianum dediſſe ludos ſcenicos; & Iuuenalia per qua triduum. De iiſdem Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 19. ſic refert:* In Iuuenalibus, licet iuuenum cauſa inſtituti forent, in híſque adoleſcentes per luſus & laſciuiam admitterentur, plerúmque tamen anus, & grandæuas natu matres, ſenéſque ingraueſcenti ætate, ludis admiſſos comperimus, Luſus erat quem ludebant, Turmæ puerorum primo ætatis flore, & iuuenes generoſi ſpiritus, vt equis inſtratis, hinc inde diſpoſitis turmis, tanquam acie inſtructa, compoſito agmine, in iuſtæ modum pugnæ curſitarent, ſpeciémque prælii, modò in occurſum eundo, nunc à tergo & in gyrum occurſando præberent, & campeſtrem incurſionem facerent, ſpecimenque magnæ indolis, & commendationem ineuntis adoleſcentiæ præ ſe ferrent, ita vt qualis quiſq; futurus eſſet, cuiúſque ſpei, facilè eniteret. In his quóque Pyrrhicham ſaltare accepimus, quæ integris vrbis moribus, magno faventium ſtudio fiebat. Ea primùm inuenta fertur in Creta, nonnulli à Laconibus ad res bellicas facilè obeundas, vt armati leni flexu & ſaltu, nunc ſe contrahendo, nunc in altum exiliendo, nunc declinando, & tela & plagas vitarent, diſciplinámque ediſcerent, quæ Enoplia ſaltatio dicta eſt, quâm Tranquillus Troiam nuncupavit: idque à Romulo inſtitutum ferunt vt cum armis ſaltarent milites ſaltatione, quā bellicrepam dixit.

Angeronalia, quæ & Divalia.

Angeronalia quo die celebrāta.

DVodecimo *Calend. Ianuar.* Feriæ *erant diuæ* Angeronæ, *Salina teſte & Plinio, qui lib. 3 ita ſcribit:* Diua Angerona, cui ſacrificatur ad diem 12. Calend. Ianuarii, ore obligato obſignatóque ſimulachrum habet. *Sempronius quóque in libro de Italia diuiſione id non obſcurè innuit; quum enim de Deo egiſſet, in cuius tutela Roma eſſet:* Quamobrem, *inquit*, & Angerona ſilentii Dea ante dies feſtos Iani colitur præ foribus, &c. *Huic Deæ Pontifices in ſacella Volupiæ ſacrum faciebant hoc die. Hanc Verrius Flaccus Angeronam dictam ait, quòd angores & animorum ſolicitudines propitiata depellat. Maſurius adiicit, ſimulachrum eius Deæ ore obligato atque ſignato in ara Volupiæ propterea collocatum, quòd qui ſuos dolores anxietatéſque diſſimulant, perueniant patientiæ beneficio ad maximā voluptatem Iulius Modeſtus huic Deæ ideò diem Feſtum inſtitutum, eóque ſacrificari illi dicit, quòd populus Romanus morbo, qui angina dicitur, promiſſo voto, ſit liberatus: vt Macrobius refert lib. 1. Saturn. cap. 10. Huius Deæ ſacellum inter antiquiſſimas religiones cultum eſt; authore Solino: quam quidam eam eſſe crediderunt, in cuius tutela fuerit Roma: licet alii Opem Conſiuam, alii Iouem, alii Lunam eſſe putârint: Eodem etiam die Herculi & Cereri ſue prægnante panibus & mulſo ſacrificabatur, Macrobio, Seruio, Gyraldo & Iunio teſtibus.*

Angerona qua

Larivm Feriæ.

Lariū feriæ reptita.

C*Alendis quidem Maiis* Laribus præſtitibus *ara Romæ dicata eſt, vt ſuprà indicauimus : ſed iiſdem poſteà, vt Macrobius meminit lib. 1. Saturnal. cap. 10. vndecimo Calendas Ianuarias feria dedicatæ fuerunt, & bello Antiochia vota eſt ædes ab Æmilio Regillo Prætore in campo Martio. De quo Alexand. de Alex lib. 3. cap. 12. ſic ſcribit :* Lares canum pellibus ideò ornantur, quia dumus fidi cuſtodes ſunt, & alienis formiduloſi, domeſticis verò blandi, atque ad nocturnos ſtrepitus ſolliciti, ſicut canes, qui floribus, & ſertis, thure & fruge coluntur : quorum ędes in campo Martio ab Æmylio Regillo Prætore dicata fuit ; In quorum ſacris id cuſtoditur, vt libertini Sacerdotes ſint, qui Auguſtales dicti, nihilq́; de ſacrificio extra ædes mittatur foras, ſed intra domeſticos Lares omnia abſumant.

Larium feriarū ritus.

Vacvnalia.

Vacuna quæ.

V*Acuna Dea præfuit vacantibus & otioſis : ei, quum à laboribus vacarent agricolæ, poſt perceptos fructus & agrorum cultus, menſe Decembri Sacra & Feſta celebrabant. Hinc Ouidius lib. 6. Faſt.*

Nam quóque quum fiunt antiquæ Sacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtántque ſedéntque focos.

Huius Deæ meminit & Horatius in epiſtolis :

Hæc ego dictabam poſt templum putre Vacunæ.

Ad quem verſum Porphyrion hæc annotat : Vacuna, *inquit*, apud Sabinos plurimum colitur Dea, quæ eſt ſub incerta ſpecie ſormata: quidam Mineruam, alii Dianam putauerunt, nonnulli Cererem eſſe affirmârunt. *Varro lib. 1. rerum diuinarum Victoriam nominat & eâ maximè eos gaudere dicit qui ſapientiâ vincunt. Hinc illud fortè eſt Auſonii.*

Quas ſi ſolueris ô Poëta nugas,
Totam trado tibi ſimul Vacunam.

Larentinalia.

Larentinaliorum dies & origo.

D*Ecimo Calendas Ianuar. feriæ ſunt Iouis,* Larentinalia *appellatæ, vt Macrobius docet lib. 1. Saturn. cap. 10. inſtituta à Romulo in honorem Accæ Larentiæ vxoris Fauſtuli, nutricis autem Romuli & Remi. Lupâ enim infantibus, modóque in lucem editis Romulo, & Remo lac præbente, accurrentibus ad miraculum paſtoribus, Fauſtulus, concedentibus cæteris, eos educandos accepit. Rediens domum, coniugem enixam reperit, ſed mæſtam, vt Dionyſius inquit, infante mortuo, Solatur eam maritus, gemellos illi pro vno extincto educandos tradens. Appellata fuit ea Larentia : & quod corporis liberioris eſſet, dixêre multi ideò creditum fuiſſe à lupa educatos : quòd quæ corpus prouulgâſſet, lupa appellari ſolita ſit. Huic Larentiæ ob hanc educationem ſolenne Feſtum 23. die Decemb. inſtitutum & quotannis celebratum fuit, Ouidio teſte, qui Faſtorum lib. 4. ſic cecinit :*

Non ego te tantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceam veſtras Fauſtule pauper opes.
Veſter honos veniet, quum Laurentalia dicam,
Acceptus geniis illa December habet.

Vide quæ ſuprà menſe Aprili de Floralibus, quæ & Laurentalia, diximus.

APPENDIX.

Ad Festa Græcorvm.

REferemus in ſequentibus Appendicibus, ea Græcorum & Romanorum feſta ac Ludos, quorum quidem apud authores fit mentio, ſed incertum quo menſe & die Celebrata fuerint.

Αγειώνια.

A Γειώνια *Feſtum fuit, Bacchi in honorem celebratum, qui* Ἀγριώνιος *ob feritatem fortaſſe cognominatus fuit ;* ἄγριος *enim &* ἀγριώνιος *agreſtem, ruſticum & ferum ſignificat. Vnde Plutarchus in vita Antonii, de ipſo Antonio loquens ait ;* καὶ πόλις ἦν πλέα Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλουμένων, χαριδότην καὶ μειλίχιον. ἦν γὰρ ἀμέλει τοιοῦτος, τοῖς δὲ πολλοῖς ὠμηστὴς καὶ ἀγριώνιος. *Meminit huius feſti Plutarchus Sympoſ. 8. his verbis: Non ineptè apud nos in Feſto* Ἀγριωνίων *Agrioniarum mulieres Bacchum requirunt tanquam fugitiuum : deinde finem quærendi faciunt, dicúntque eum ad Muſas confugiſſe, atque apud eas latere occultatum : paulò poſt cœna finita ænigmata & griphos inuicem proponunt. Hoc myſterio docetur, inter pocula ſermone vtendum eſſe, qui aliquid commentationis atque eruditionis habeat, qua ſi ebrietati adſit, ferocia & inſania vini celatur à Muſis benignè detenta. Rurſus idem in Quæſt. Græcis, quæſt. 38. his verbis eius Feſti mentionem facit ;* γίνεται γὰρ παρ᾽ ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις φυγὴ καὶ δίωξις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Διονύσου ξίφος ἔχοντος· ἔξεστι δὲ τὴν καταληφθεῖσαν ἀνελεῖν. *Hoc eſt, Quotannis in Agrioniis illorum (Minyæ poſterorum) fit fuga & perſequutio, à ſacerdote Bacchi ſtricto gladio, licétque deprehenſam interficere. Et quidem (inquit Plutarchus* eodem

Agrionia vnde dicta.

Agrioniorum ritus.

eodem loco) necauit noſtra ætate Zoilus Sacerdos. Verùm ea res infelix ipſi vrbique fuit: nam & Zoilus leui admodum ex vlcere in diuturnum lapſus morbum computruit ac deceſſit: & Orchomenii in cauſis pulsis damnati multati, ſacerdotium à familia tranſtulerunt, delegerúntque ex tota multitudine optimum inſtituerunt. Minyæ enim filias ferunt Leucippam, Arſinoam & Alcathoam furore correptas eſum humanarum carnium appetiuiſſe: ſortitásque munus tradendi ad necem filii Leucippæ obtigiſſe, Hippaſúmque ab iis diſcerptum fuiſſe.

Ἀθηναία.

Athenæorum ritus.

C*Irca paludem Tritonidem Auſes & Machlyes populi habitârunt, qui anniuerſarium in honorem Mineruæ ſeu Palladis Feſtum celebrârunt, in quo virgines eorum in turmas bifariam diuiſæ ſe inuicem lapidibus fuſtibúsque cædebant. Harum ſi qua acceptis vulneribus diſceſſiſſet aut abiiſſet, illam dicebant non fuiſſe virginem. Quæ verò conſtantiſſima omnium fuiſſet, pluráque & maiora vulnera pertuliſſet, illa communi conſenſu à cæteris virginibus exornata cùm armorum apparatu Græco, tùm verò criſtâ Corinthiâ in curru circa paludem cum magno ſuarum virginum applauſu & lætitia circumferebatur, damúmque quàm latiſſima deducebatur, vt Herodotus retulit in Melpomene, vbi tamen feſti nomen non exprimit.*

Ἁλαία.

H*Alea Feſtum apud Thageatas, à Minerua Halea ſic dictum, in quo certamen celebratum fuit, authore Pauſania in Arcadicis. Meminit etiam Cœlius lib. 17. cap. 23.*

Ἀλεκτορία.

Alectoriorum origo & ritus.

A*Thenis & Pergami quotannis Feſto die pugnârunt gallinacei certamine à Themiſtocle inſtituto. qui cùm aduerſus Perſas proficiſceretur, viſa pugna gallorum, eo exemplo ad libertatem adhortatus eſt milites, & ad fortiter agendum, Plutarcho authore: refert etiam Sardus lib. 3. de Moribus.*

Ἀλεξάνδρια.

Alexandriorũ ritus.

I*N Chalcide Ἀλεξάνδρια faciebant ludos Alexandro Philippi F. in fine certaminum ſtatuerunt cratera, quo libârunt Diis, mox laudârunt vincentum, conuiuiúmque celebrârunt: ludos nemo ſpectauit verſicolore veſte: Sardus lib. 3. de Moribus Gentium.*

Ἀλῆτις.

Feſti huius origo.

A*λῆτις Feſtum fuit, Heſychio teſte, apud Athenienſes, quod oſcillis Icaro & Erigoni agebant. Cùm enim, vt inquit Hyginus, in finibus Athenienſium multæ virgines ſuſpendio ſibi mortem conſciſcerent propter Erigonem habito ab Apolline oraculo Feſtum & Sacrificium ſolenne inſtituerunt, quod publicè priuatímque celebrabant, quòd Erigone cum cane ignota & ſolitaria patrem Icarum mendica perſequuta ſit, quas Græci ἀλήτιδας nominant. Hoc Feſtum ſuo tempore vocatum Εὔδειπνον Heſychius tradit, à ſuſpendio nimirum, ſeu reſti ad ſuſpendendum. Seruius in Comment. ad lib. 2. Georgic. Vergilii fabulam hanc, & originem ritúmque huius Feſti dilucidius paulò commemorat: Icarus, inquit, Athenienſis pater Erigones, quum acceptum à Libero patre vinum mortalibus indicaret, occiſus eſt à ruſticis: qui quum plus æquo potâſſent, inebriati venenum ſe accepiſſe crediderunt. Huius canis reuerſus eſt ad Erigonem filiam, quæ quum eius comitata veſtigia perueniſſet ad patris cadauer, laqueo vitam finiuit: ſed Deorum voluntate inter aſtra relata eſt, quam vocant virginem: canis quóque eſt inter ſydera collocatus. Sed poſt aliquantum tempus Athenienſibus talis immiſſus eſt morbus, vt earum virgines furore quodam compellerentur ad laqueum: reſponditque oraculum ſedari poſſe peſtilentiam illam, ſi Erigones & Icari cadauera requirerentur: quæ quum diu quæſita nuſquam inuenirentur, ad oſtendendam ſuam deuotionem Athenienſes, vt etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, ſuſpenderunt de arboribus funem: ad quem ſe tenentes homines hac atque illac agitabantur: vt quaſi etiam per aërem illorum cadauera quærere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inuentum eſt, vt formas, ad oris ſui ſimilitudinem facerent, & eas pro ſe ſuſpenſas mouerent: vnde & oſcilla dicta ſunt ab eo, quòd in his cillerentur, id eſt, mouerentur ora: nam cillere eſt mouere. Hæc omnia Seruius. Dies autem ille quo hæc fiebant feſtus habebatur.*

Ἁλία.

A*λία Feſtum ſolenne fuit apud Rhodios, cuius mentionem facit Athenæus lib. 13. celebratum fortaſſe ad ſedandas maris tempeſtates: ἅλς enim mare ſignificat.*

Ἀλῷα.

Aloa in cuius honorẽ celebrata.

A*λῷα Feſtum fuit agricolarum Athenis, quod iuxta nonnullos in honorem Cereris, ſecundum alios autem in honorem Bacchi, vel amborum ſimul celebrabatur, ſubiectis ex agris frugibus. Philochorus ſic nominatum putat,*

quòd illius feſti tempore homines περὶ τὰς ἅλως, id eſt, in areis morarentur. Cælius lib.12.cap.19. Stephanus in ſuo Theſauro & Cyraldus de Diis Syntagmate 17.

Ἀλωτία.

Alotia vnde dicta & eorum origo.

A Lotia *Feſtum fuit Thegeatarum, ſic dictum à captiuitate, quòd in pugna quadam Lacedamonios magna ex parte viuos cœperint: vnde & in rei huius memoriam certamen in hoc feſta celebratur, vt Pauſanias in Arcadicis indicat.*

Ἀμαρυσία.

Amaryſia in cuius honorē celebrata.

A *Mariſia Feſtum fuit Athenis Heſychio teſte, in honorem Dianæ, quæ inde* Ἀμαρυσία *cognominata eſt inſtitutum. De ea Pauſanias in Atticis ſic ſcribit: Athmonenſes Dianam Amarygam colunt: cuius cauſam quum perquirerem, nihil apud interpretes certi comperire potui. Ego verò, ait Pauſanias, ita coniecturâ colligo: Amarynthus in Eubœa eſt, vbi hanc Amaryſiam colunt. Nec minore pompâ quàm Euboei, eundem diem Athenienſes celebrant: vnde apud Athenienſes hoc nomen extitiſſe arbitror. Hæc ille, Meminit eius & Liuius lib. 5. Decad.4. Sacrum, inquit, anniuerſarium ea fortè tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat quod non popularium modò, ſed Caryſtiorum etiam Cœtu celebrabatur. Dicta fortaſſe ſic eſt Diana ob formam præſtantem:* ἀμαρύσσειν *enim ſplendere & fulgere ſignificat. Sic noſtra quoq; ætate beatiſſimæ Virginis Mariæ idolum, quod Regenſpurgi colendum proponitur, formoſa Maria vocatur:* Die ſchön Maria von Regenſpurg.

Ἀνάκεια.

Anacia Feſtum Dioſcurorum.

A Νάκεια *Feſtum fuit Athenis Dioſcurorum, id eſt. Caſtoris & Pollucis, qui* ἄνακες *vel* ἀνακοὶ *dicti ſunt,* ὅτι ἀνακῶς ὥς ἐγένοντο Ἀθηναίοις, *vt Etymologus Græcus annotauit. De ipſa autem Pauſanias apud Euſtathiū inquit:* Ἀνάκεια ἑορτὴ Διοσκούροις ἀνακοῖν. *Apud Heſychium autem ſingulari numero etiam in* ἑορτῆς *ſignificatione habetur: ita enim ibi legitur,* Ἀνάκειον τὸ Διοσκούρειον, καὶ ἑορτὴ Ἀθήνῃσι.

Ἀνακτῶν Παίδων Τελετή.

P *Auſanias in fine Phocic. refert, Amphiſſenſes Feſtum celebrare, quod* ἀνακτῶν παίδων, *id eſt, puerorum Regem appellant. Ex Diis autem hos pueros Reges quidam Caſtorem & Pollucem eſſe perhibent: alii Curetas, nonnulli Cabiros.*

Ἀνθεσφορία.

A Ntheſphoria *Feſtum fuit Proſerpinæ, inde dictum, quod eam Pluto legendis floribus occupatam rapuerit: Cælius lib.26.cap. 20. L. A.*

ANTINOA.

A *Ntinous ex Bithynia iuuenis formoſiſſimus, ab Adriano Cæſare admodum amatus, quum in Ægypto periiſſet, Deus eſt ab Imperatore factus, & honores ei Mantineæ decreti. Vnde annuum ei Feſtum, & Certamen quinto quóque anno Matinenſes celebrant: Pauſania in Arcadicis teſte, vbi eum Antinum vocat. Habetur ei alibi quóque honos, & in Ægypto ad Nilum oppidum eſt, quod idem cum Antinoa nomen accepit, eodem authore.*

Antinoa in cuius honorem celebrata.

Ἀπόλλωνος Solennitas apud Sicyonios.

A *Pud Sicyonios, qui antiquitùs Ægialenſes dicti ſunt, Feſtum Apollinis celebratum fuit. flumen Sytham in eo petentibus pueris, quáſque Apollinem & Dianam ad* πειθῶ, *ſacellum adducentibus, mox verò reducentibus ad Apollinis templum, quod in foro quandóque viſitatum fuiſſe, author Pauſanias eſt. Origo talis fuit. Quum Pythonem Apollo & Diana peremiſſent, Ægialem petere inſtituerunt, vt expiarentur. Cæterùm ibi inter eundum exterriti forent vehementius, ei ferè loca, quem ex euentu* φόβον *dixere, hoc eſt, terriculum, in Cretam diuerterunt ad Carmanora. Mox autem in Ægialenſes graſſari morbus cœpit: conſulti cecinere vates, placari oportere Apollinem & Dianam. At illi inſtituto Feſto pueros ſeptem, ac puellas totidem ad fluuium emiſere Sytham, ſuppliciter Deum Deámque apprecantibus: qui leniti iis, Acropolin, quæ tunc erat, feruntur repetiſſe, locúmque ad quem adiere primùm, Suadelæ ſacellum habuit, & in ſequentibus annis idem ſeruatus ſupplicandi ritus in hac Apollinis celebritate, vt Cælius refert lib.11. cap.26. ex Pauſania Corinthiacis.*

Feſti huius origo & ritus.

Ἀπόλλωνος Κωμαίου Celebratas.

C *Oelius lib. 16. cap.10. meminit ex Græcorum theſauris panagyris Comæi Apollinis, in qua* Ναυκρατῖται *Naucratitæ ſtolis induti fuerint candidis. quas etiam nunc veſtes nuncupent Prytanicas: eoſdémque Naucratitas in Prytanea dicit ſolitos agitare in genethliis, ſeu natalitiis Veſtæ, quam Prytanitida nominârint, conuiuia.*

Feſti huius ritus.

ἀπόλ-

Απόλλωνος Μαλλόεντος Feſtum.

MItylenæos extra vrbem, cum totius ciuitatis frequentia, Απόλλων© Μαλλόεντ© Apollinis Malloentis *Feſtum celebrâſſe*, *Thucydides initio lib.3. teſtatur.*

Απόλλωνος Παρράσιυ Feſtum.

Feſti huius ritus.

PArrhaſius Apollo, *qui & Επικέρ©, hoc eſt, Adjutor & Auxiliator nominabatur, in Arcadia & cultus & ſic cognominatus fuit. Templum habuit in monte Lycæo ad orientem verſum. Ibi quotannis Feſtum Deo celebrantes, in foro quidem κάπρον, hoc eſt, aprum, non agnum vt Gyraldus Syntagm.7. de Diis habet, immolârunt Apollini. Peractis autem ibi rebus ſacris, victimam illicò in ædem Dei cum tibiis & pompa tranſtulerunt. Coxas dehinc exciſſas cambuſſerunt, carnéſque hoſtiæ ibi conſumpſerunt, vt Pauſanias indicat in Arcadicis.*

Αράτυ Γενεθλεία.

Feſti huius ritus.

M*Ortuo Arato Sicyonij non ſolùm* Σωτήρια *inſtituerunt* πέμπτη Ανθεστηριῶν©, *quo die tyrannicum de ciuitate ſuſtulerat Dominatum Macedonum, ſed etiam publica ſolennitate natalitia eius quotannis celebranda decreuerunt. Sic enim Plutarchus in eius vita ſcribit:* Θύουσιν αὐτῷ θυσίαν τῇ μὲν ᾗ τῆς τυραννίδος τὸν ἄνδρα διαμνημονεύουσι: τὴν δὲ κατήρχετο ὁ τοῦ Αράτου στρόφιον οὐχ ὅλον λευκὸν, ἀλλὰ μεσοπόρφυρον ἔχων. μέλη δὲ ᾔδετο πρὸς κιθάραν ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν, καὶ συνεπόμπευεν ὁ γυμνασίαρχ©, ἡγούμεν© τῶν τε παίδων καὶ τῶν ἐφήβων: Εἶτα ἐφείπετο ἡ βουλὴ στεφανηφοροῦσα, καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ὁ βουλόμεν©. ὧν ἔτι δείγματα μικρὰ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξοσιούμενοι διαφυλάττουσιν: αἱ δὲ πλεῖσται τῶν τιμῶν ὑπὸ χρόνου καὶ πραγμάτων ἄλλων ἐκλελοίπασιν. *Id eſt, peragunt ei Sacrum ſeu Feſtum eius menſis die qua natum virum illum commemorant, cui præfuit Arati filius, torque non albo omninò, ſed dimidia parte purpureo ornatus: & à Dionyſii Miniſtris carmina quædam ad citharam canebantur. Gymnaſiarcha ſubſequentibus pueris & adoleſcentibus vnà pompam agebat. Hos Senatus coronatus ſequebatur: reliquorum ciuium turba pro arbitrio aderat. Quarum rerum hodie quoq; veſtigia quædam expiati ſeruant: honorum verò & vetuſtate & mutatione rerum, plurimi interierunt.*

Αρηια.

Feſti huius ritus.

H*Eradatus in Melpomene meminit Feſti ac Solennitatis cuiuſdam quæ à Schytis in Martis honorem celebrata ſit. In ea annuas Marti hoſtias obtulerunt non ſolùm pecorum & equorum præcipuè, ſed hominum quoque captiuorum, ex quibus centeſimum quemque immolârunt, non tamen eodem quo pecora modo ſed diuerſa. Nam vbi eorum capitibus vinum libauerunt, ipſos ad quoddam vas mactârunt, dehinc iiſdem in congeriem ſarmentorum ſublatis, acinacem, qui Martis ſimulachrum fuit, cruore perfuderunt. Virorum autem inter emptorum omnes humeros dextros præciderunt, quibus vnà cùm manibus in aërem jactis, quocunque decidiſſet manus, ibi jacuit & ſeorſum mortuus.*

Αρτεμίδος ἀπαγχομένης Feſtum.

Feſti huius origo.

C*Ondylæ, qui lacus non plus ſtadio Caphyis diſtat, colebatur Diana Condyleatis, à loco ſic cognominata. Fortè autem pueri circa templum eius cum luderent, in funiculum inciderunt. Ea collo Dianæ inìecto, ſtrangulatam eſſe Dianam conclamarunt. Quo audito pueros Caphyenſes lapidibus obruerunt. Mox verò morbus vxores eorum inuaſit, vt abortum facerent, donec ſepeliendos eſſe pueros Apollo reſpondit, eiſque Feſtum quotannis celebrandum & ſacrificandum, injuſtè enim interfectos eos. Idcirco Caphyenſes tum ſolenne hoc quotannis obſeruant, tum Dianam Candyleatydem, à ſtrangulanda deinceps ἀπαγχομένην vocarunt, nam & ab hoc oraculo injunctum fuit, Pauſania in Arcadicis teſte.*

Αρτεμίδος εὐρυνόμης Feſtum.

S*Cribit Pauſanias Phigalenſes Eurynomam colere, idque cognomentum eſſe Dianæ populum credere, & Feſtum in honorem eius celebrare quotannis, in quo templum Deæ aperiant; reliquo verò tempore occluſum contineant: ibiq; rem ſacram facere tùm publicè, tum priuatim homines plebeios: in Arcadicis.*

Αρτεμίδος σοφέας ἑορτὴ.

A*Thenæus lib.6.cap.6. meminit ex Hippiâ Erythræi libro 2. hiſtoriarum patria, Feſti cujuſdam & ſolennitatis, quam ipſe Πανήγυριν vocat, quæ Erythris vrbe Aſiæ non procul à Chio diſtante celebrata fuit in honorem Dianæ Stophea.*

Αρτεμίδος Στυμφάλιας Feſtum.

Diana cur Stymphalis dicta. Feſtum hoc maiore diligentia celebratur.

DIana Stymphalia *cognominata fuit à Stymphalo Arcadiæ vrbe, iuxta cuius Deæ templum Stymphalides aues fuiſſe fabulantur. Vrbis huius incolæ Feſtum in honorem Dianæ Stymphaliæ quotannis celebrarunt. Cùm autem aliis in rebus negligenter id facerent, tùm vſitatos ritus magna ex parte omitterent, illapſa ſylua circa os barathri, qua fluuius delabitur Stymphalus, obſtruxit aquam, in barathrum ne deſcenderet. Palus itaque 40. ſtadium campum eorum occupauit. Venator autem fugientem ceruum aliquando inſequutus per paludem, locis tandem imis excepti ſunt tum ceruus, tum venator: quos deinde fluuij aqua fuit ſequuto, ita vt vno die totum ex Stymphaliorum campo ſtagnū receſſerit. Ab eo tempore Dianæ Feſtum maiore cura & diligentia celebrarunt: Pauſanias in Arcadicis.*

Αρτεμίδος Τρικλάριας hoc eſt, Dianę Triclarię Feſtum.

Feſti huius origo.

IN *Achaia* Dianæ Triclariæ *Feſtum* ἐ Παννυχίς, *id eſt, Peruigilium celebrabatur quotannis, cum hominum immolatione, ex Numinum indignatione Sacrorum ritu progreſſu tēporis enato: quòd in eius templo Melanippus & Comaetho Sacerdos nimium victi cupidine coiuiſſēt. Hiſtoriā ita narrat Pauſanias in Achaicis: Quæ Deæ huius ſacerdotio præfecta erat Puella, tandiu detinebatur, donec viro matura nuberet. Aiunt itaq; accidiſſe aliquando, vt Sacerdotio Deæ præeſſet Comaetho, puella ſupra modum formoſa: & in eius amorem incideret Melanippus adoleſcens, qui æquales ſuos rebus tum aliis, tum vultus venuſtate longè ſuperabat. Is in mutuum amorem vt pellexit virginem, uxorē eam à parente petijt. Sed ei neq; à ſuis, neque Comaethonis parentibus humanitatis quicquam eſt exhibitum. Sed tamen Comaetho tunc & Melanippus, in templo Dianæ appetitum amoris expleuerunt. & ſacra in poſterum functione & communi thalamo vſuri erant. Homines autem è veſtigio Dianæ ira corripuit, cùm & terra ſterileſceret, & morbi præter ſolitum eos corriperent, quibus plures quàm antea cōficiebantur. Oraculum itaq; Delphis vt conſuluerunt, Melanippum Pythia notauit & Comaethonem. Monuit item oraculū, vt & hos ipſos Dianæ ſacrificent, & inde ſingulis annis puellā, ac puerum alium, qui forma fiunt præſtantiſſimi, Deæ immolarent. Ob quod ſacrificium ad Templum Triclaria, ex eo tempore dictus eſt. Amilichus, ſeu immitis, qui nomine antea caruit. Pueri autem & virgines, qui flagitio nullo in Deum commiſſo Melanippi cauſa & Comaethonis mactabantur, grauiſſimam tum ipſi, tum eorum parentes & propinqui calamitate afficiebantur. Hoc verò cruento ſacrificio ita dicuntur liberati. Reſponſum à Delphico oraculo prius fuerat, fore, vt Rex peregrinus in regionem ipſorum proficiſceretur, ductoq; ſecum genio peregrino, Triclariæ Sacrificia tolleret. Capto itaq; Ilio cùm partirentur ſpolia Græci, Eurypilus Euæmonis filius arcam apprehendit, in qua Bacchi ſimulachrum erat reconditum. Ea verò aperta, Eurypilus ſimulachrum conſpexit, conſpectoq; eo, furore ſtatim correptus eſt. Inſaniebat vt plurimùm, non nunquam tamen ad ſe rediit. Sic itaque affectus, non in Theſſaliam, ſed in Cirrham, & eius loci ſinum nauigauit. Delphos dehinc profectus, oraculum de morbo conſuluit. Reſponſum ei fertur: vt vbicunque terrarum in homines incideret peregrina ſacrificia immolantes, ibi & dedicaret arcam, & ipſe habitaret. Venti itaque Eurypili naues ad mare circa Arcam detulerunt. Ibi egreſſus, deprehendit iuuenem & virginem ad aram Triclariæ deduci. Et ipſe quidem ſacrificādi morem non difficulter intellexit. In memoriam reuocarunt & indigenæ oraculum, viſo & Rege quem nunquam antea viderant, & in arca Deum eſſe ſuſpicabantur. Et ſic quidem inſania Eurypilus, eiuſq; loci homines eo ſacrificandi ritu ſunt liberati. Fluuius item Milichus, ſeu mitis ex hoc tempore dictus eſt. Deus in arca Aſymnetes cognominatur. Colunt eum potiſſimùm nouem viri, quos populus ex vniuerſo cœtu dignitatis ergò elegerit. Totidem item mulieres. Vna autem in feſto nocte infert arcam Sacerdos. Tā-* *Feſti huius ritus.* *tum honoris nox ea ſortita eſt. Deſcendunt item indigenarum pueri quicunq; ad Milichum ſpiceis ſertis capita ornarunt. Ornabant ita & antiquitùs, quos Dianæ erant immolaturi. Progreſſu temporis ſerta ſpicea apud Deum depoſuerunt. Loti autem ad flumen, & impoſitis Diis coronis hederaceis, ad ædem Æſimnatis procedunt. Huc uſq; Pauſanias. Meminit, ſed paucis, Cælius L. A. lib. 13. cap. 34. & Gyrald. de Diis Syntag. 17.*

Αρτεμίδος Ὑμνιας ἱερὸν.

Diana unde Hymnia

DIana Hymnia *fuit appellata ab* Ὕμνοις, *id eſt, Laudibus. Templum habuit in Orchomeniorum regione in jugo montis. Ei Feſtū quotannis celebrarunt. Ritum Sacerdotum huius Deæ ita deſcribit Pauſanias in Arcadicis. Mulierem, inquit ſacrificam eligunt, & virum ſacerdotem, qui non concubitu tantùm abſtinere, ſed aliis etiam in rebus omnibus per totam vitam temperare ſibi cogūtur. Sed nec lauacro, nec reliqua victus ratione eodem quo vulgus modò vtuntur, neque domum ingrediuntur hominis priuati. Hujuſmodi quid, nō tamen perpetuò, ſed annum ſaltem apud Epheſios fecerunt, quos Heſtiatoras, id eſt, conuiuiorum dominos Dianæ Epheſiæ elegerūt. Eſſenas eos appellarunt ciues.*

Sacerdotum Dianæ Hymniæ ritus.

Αρτε-

Αρτεμίδος Feſta alia.

SYracuſani pridie quàm vrbs eorum à M. Marcello caperetur, Feſtum quoddam Dianæ ex veteri more & conſuetudine celebrarunt, authore Plutarcho in Marcelli vita. Liuius lib. 5. ſecundi belli Punici de eo ſic ſcribit: Transfuga Marcello nunciauit diem Feſtum Dianæ per triduum agi, & quia alia in obſidione deſint, vino largius epulas celebrari, & ab Epicida præbito vniuerſæ plebi, & per tribus à principibus, diuiſo, &c.

Meminit Plutarchus etiam feſtiuitatis cujuſdam Dianæ, quæ Mileti celebrata fuit, cum ſacrificio quod Neleum dicebatur: libro de Mulierum virtutibus.

Dianæ quoque Limnatidi, Feſtum quoddam ſingulis annis à Meſſeniis & Lacedæmoniis in finibus Meſſeniæ celebratum fuiſſe, in Meſſeniacis author eſt Pauſanias: qui etiam in Achaicis teſtatur, Patrenſes Deam eandem Feſto coluiſſe, eodémque ſimul die Preugeni quoque ſolenne celebraſſe.

In Arcadicis quoque teſtatur, in honorem Dianæ Cnacalyſiæ annuum Feſtum Caphyenſes celebraſſe.

Αρτεμίσια Cyrenenſium.

Artemiſiorum ritus.

DE Artemiſiorum *Feſto, quod apud Cyrenenſes fuit, ſic ſcribit Athenæus lib. 12.* Αρτεμίσια μεγίστη ἐν Κυρήνῃ ἑορτή: ἐν ᾗ ἱερεὺς τοῦ Απόλλωνος, ἐνιαύσιος δ' ἐστὶν, δειπνίζει τοὺς πρὸ αὐτοῦ ἱερευσαμένους, καὶ παρατίθησιν ἑκάστῳ ξύβλια. τοῦτο δ' ἐστὶ κεράμεον ἄγγος ἐπιδεχόμενον ὡς εἴκοσιν ἀρτάβας, ἐν ᾧ πολλὰ μὲν τῶν ἀγρίων ἔγκειται πεποιημένα, πολλὰ δὲ σῖτα καὶ τῶν ἡμέρων ὀρνίθων: ἔτι δὲ θαλαττίων ἰχθύων, ταρίχους τε ξενικοῦ πλεῖστα γένη: πολλάκις δὲ τινες καὶ κιθάρειον ἀκόλουθον προσδιδόασι: *Id eſt, Artemiſia magnum eſt Feſtum apud Cyrenem, in quo Apollinis ſacerdos, qui eſt annuus, omnibus qui ante ipſum Sacerdotes fuerunt cœnam præbet: ac ſingulis apponit catinum, quod eſt vas fictile, artabas capiens viginti, in quo poſita ſunt complura & ſylueſtria elaborata, multique cibi, & domeſticarum auium, & marinorum piſcium, tum multa externi ſalſamenti genera. Sæpius verò præbent nonnulli citharam propinquam. Mentionem etiam huius Feſti facit Cœlius L. A. lib. 13. cap. 33.*

Αφροδίσια.

Venus cur Αφροδίτη dicta.

ΑΦροδίσια *Athenienſium fuit Feſtum, inſtitutum in honorem Veneris, quæ* Αφροδίτη *dicta eſt, quòd è maris ſpuma nata ſit, juxta Heſiodum. Ariſtoteles tamen ita vocatam tradit, quòd ſeminis natura ſit ἀφρώδες, id eſt, ſpumoſa. Hinc* Αφροδίσια Venerealia *nonnulli interpretantur. Meminit huius celebritatis Athenæus initio lib. 5.* Αντιγόνου τοῦ βασιλέως δειπνοῦντος Αφροδίσια ἐπιτελοῦντος Αθήνησι. *Et lib. 13.* ὅτι δὲ καὶ Αφροδίσια ἴδια ἄγουσιν αὐτόθι αἱ ἑταῖραι, Αλεξις ἐν Φιλούσῃ φησὶν, Αφροδίσια ἦγε ταῖς ἑταίραις ἡ πόλις. *Plutarchus etiam in libello, An ſeni adminiſtranda Reſpub.* Πόρρωτέρω Αφροδίσια ναύταις ἄγουσι πάντα τὸν λοιπὸν ἤδη χρόνον ἐν λιμένι τὴν ναῦν ἔχουσι. *Mentionem facit eius hic author in libro, cui titulus, Non poſſe ſuauiter viui ſecundùm Epicuri decreta.*

Aphrodiſiorum ritus.

Habuit autem Venus fanum Athenis à Solone conſtitutum ἐν τῇ ἀρχαίᾳ ἀγορᾷ, *ad quod vniuerſus populus in eius Feſto conuenire ſolebat, Suida teſte: unde &* Αφροδίτη πάνδημος, *&* πάνδημος *ſimpliciter nominata fuit. Sic enim Lucian. in Meretr. dialogo:* θύσαι μὲν τῇ πανδήμῳ θήσει λευκὴν μηκάδα, &c.

Veneris Feſtum apud Naucratitas, eiúſque origo.

Celebrârunt & Naucratitæ Feſtum Veneris, de cuius origine Athenæus lib 15. cap. 6. ex lib. Polycharmi Naucratitæ, qui de venere inſcribitur, hæc refert: Circa Olympiadem 23. Heroſtratus Naucratita, qui mercaturam exercebat, regionéſque multas nauigando viderat; aliquando in Paphum etiam applicuit Cypri, ac Veneris ſimulachrum palmi magnitudine emit arte antiquiſſimâ factum, eóque in Naucratem contendebat. Illi poſtea juxta Ægyptum nauiganti quum hyems repentè incidiſſet, neque vbi locorum eſſent, poſſent cognoſcere, omnes ad Veneris ipſius ſimulachrum confugerunt, atque orârunt vt eos ſeruaret. Tum verò Dea omnia quæ illi erant appoſita myrtos virides fecit, atque nauem totam ſuauiſſimo odore repleuit, cum iam ob nauſeam nauigantes de eorum ſalute prorſus deſperârent. Cùm per multum vomuiſſent, ſóſque enituiſſet, montibus conſpectis in Naucratem peruenerunt. Tum Heroſtratus exiens è naui cum ſimulachro, ſimúlque virides myrtos habens, quæ ſibi repentè apparuerant, id depoſuit in Veneris templo, Sacrificiáque & Feſtum inſtituit atque Veneri dicauit, & conuiuium inſtituit in ipſo ſacello, conuocauitque eò quos conueniebat, & familiariſſimos viros, quorum ſingulis coronam ex myrto donauit, quam Naucratitem vocauit.

Βάκχου Ελευθερέως Feſtum.

Feſtum hoc fuit Athenienſium.

E*X Pauſaniæ Attica intelligitur, Feſtum Athenis fuiſſe, in quo* Βάκχου ἐλευθερέως *hoc eſt, Bacchi Liberi, ſeu Liberatoris ſimulachrum in templum non magnum, ei Deo dedicatum, portâ-*

portârint. Vocatus eſt autem ἐλευθερεύς, hoc eſt, Liber Bacchus, vel à lingua licentia, vt pleriq; putant, nam vini potu magis liberi homines fiunt: vel potius, quòd animum curis liberet, & pellat triſtitiam. Vnde Ouidius in Arte:

Bacchus cur Liber dictus.

Cura fugit multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugáque frontis abit, &c.

Sunt qui dicant ſic dictum, quòd in liberis ciuitatibus coleretur & earum ſymbolum eſſet. Diodorus ſcribit, Dionyſium in Bœotio iuſſiſſe in patria ſua gratiam omnes vrbes liberas eſſe. Plutarchus in Problem. ait, Cur Bacchum Liberum vocant? An quòd bibentibus libertatis cauſa ſit? fiunt enim pleriq; potu licentiores. An quòd libationem inuenit? An verò, ſicut Alexander ait, quòd pro Bœotia libertate pugnauit, &c.

Βορεασμοί.

Boreasmi cur instituta.

Βορεασμοὶ, *Athenis erant* ἑορταὶ καὶ θοῖναι ἃς ἦγον τοῦ Βορέα, ἵνα αὐτοῖς πλέωσιν, *authore Heſychio: id eſt, Feſta & epula in honorem Boreæ inſtituta, vt eo propitio & ſecundo ſilerent auſtri in nauigatione: refert etiã Cœlius lib. 20. cap. 24. L. A. Sed non ſoli Athenienſes anniuerſario Feſto coluerunt Boream, verùm etiam Thurij. Sic enim Ælianus in vario hiſt. lib. 12. cap. 61.* Θουρίοις ἐπέπλει Διονύσιος, καὶ τριακοσίας ἦγεν ἐπ' αὐτοὺς ναῦς ὁπλιτῶν πεπληρωμένας. Βορρᾶς δὲ ἀντιπνεύσας τὰ σκάφη συνέτριψε, καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ τὴν ναυτικὴν ἠφάνισεν. ἐκ δὴ τούτου οἱ Θούριοι τῷ Βορρᾷ ἔθυσαν καὶ ἐψηφίσαντο εἶναι τὸν ἄνεμον πολίτην: καὶ οἰκίαν αὐτῷ, καὶ κλῆρον ἀπεκλήρωσαν, καὶ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐπετέλουν αὐτῷ: *Id eſt, Aduerſus Thurios nauigabat Dionyſius, contráque ipſos trecentas naues agebat. Boreas verò ex aduerſo reluctans, nauigia confringebat, & vniuerſas eius nauales copias delebat. Ex eo rem diuinam Boreæ faciendam Thurij inſtituerunt, & publicis decretis ciuem ſuum pronũciârunt, atque domum certam facultatéſque ei aſſignauerunt, ſingulíſque annis ſacrificia obtulerunt. Pauſanias etiam in Arcadicis refert Boreæ Megalopolitas, Feſtum quotannis celebrare & rem Sacram facere, & Boream non poſtremo loco inter Deos venerari, vtpote qui eos à Lacedæmoniis & Agide liberauerit. In Corinthiacis idem author indicat, in oppido Titane, Sicyoniæ regionis, Ventorum aram eſſe, ad quam quotannis ſacerdos vna nocte ſacrificia Ventis perſoluerit: alia item ad compeſcendum Ventorum impetum, in quatuor ſoueis ſecretò peregiſſe, & Medeæ incantamento accinuiſſe.*

Γέλωτος θεοῦ ἑορτὴ καὶ ἱερόν.

Vt Vitulina & Lubentia Lætitiæ Præſidibus, Romani Diuinos honores decreuerũt: ſic Riſum in Deos retulerunt Græci, diemq; Feſtum ei inſtituerunt, & annuos ludos cum ſolennibus ſacris ei Deo fecerunt: præcipuè Theſſali, & ex iis Hypatenſes, qui veneratione cultúque Γέλωτος θεοῦ *valdè celebres & inſignes extiterunt. Lycurgus quoq; ſeueriſſimæ ac rigidiſſimæ author diſciplinæ, Riſûs marmoreum ſimulachrum Spartæ in delubro poſuit, ſanxitque vt ciues ſui, militiæ laboribus perfuncti, ei Deo religiosè ſupplicarent. Nempe ſapientiſſimus legiſlator æquum putauit & vtile, ſicut corpora quiete refici, ita & mentes hilaritate recreari.*

Γενέθλια καὶ Γενέσια.

Genethlia & Geneſia differũt.

Ammonius Γενέθλια *&* Γενέσια *inter ſe diſtinguit, & putat hæc mortuorum, illa viuorum eſſe. Sic enim inquit:* Γενέθλια τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, καὶ ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγεννήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα: Γενέσια δὲ ἐπὶ τῶν τεθνηκότων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκε: ὁ μὲν λέγων ἐπὶ τῶν ζώντων ἀκυρολογεῖ: *id eſt, Genethlia tribuuntur viuis, & dies, quo quis natus eſt, Natalitius, ſiue Natalis dicitur: Geneſia autem de mortuis dicuntur, & is dies, quo quis moritur: qui igitur* Γενέσια *viuis tribuit, improprie loquitur. Suidas tamẽ pro iiſdem accipit, inquit enim,* Γενέθλια ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος ἑορτή: *&* Γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη. *Sunt igitur Feſtiuitates, quæ quotãnis eo die, quo quis natus eſt celebrantur. Omnium autem ferè gentium conſuetudine tritum ſemper fuit, & adhuc hodie eſt, vt dies ille, quo principes viri, & magnæ præſertim authoritatis ac dignitatis homines primùm lætam hanc lucem aſpexerunt, ſumma cum lætitia, pompa, nec non conuiuiali hilaritate celebretur. Apud Ægyptios hunc morem fuiſſe Moſes in ſacra hiſtoria docet: nam Gen. 40. cap. mentionem facit conuiuij, quod Pharao Ægyptiorum Rex in huiuſmodi ſolennitate & feſtiuitate ſeruis ſuis apparauit. Athenæus quoq; lib. 4. ex Herodoti lib. 3. teſtatur, Perſarum legibus ſancitum fuiſſe, vt eum præcipuè diem præ reliquis omnibus venerarentur, in quo quis in hanc lucem editus eſſet, eúmque propterea pluribus conuiuiis celebrâſſe. Et diuites quidem in illo boues, aſinos, equos, & camelos integros in fornacibus aſſatos appoſuiſſe: Pauperes verò diem ſuũ natalem minoribus pecoribus egiſſe, cibiſq; vſos perpaucis bellariis multis quidem, ſed non admodum bonis. Et ex lib. 9. eiuſdem authoris indicat, regiam cœnam quotannis Xerxem eo die quo natus eſſet, appoſuiſſe, quæ Perſarum lingua*

Genethlia & Geneſia quid, & eorum ratio.

Tycta,

Tyćla, Græcè autem τέλειον, dićlu ſit. Plato etiam Alcibiad. 1. refert, poſtquam Regis Perſarum filius primogenitus, ad quem ius regni pertinebat, natus eſſet, primùm quidem omnes Perſico regno ſubjećtas feſtum illum diem celebrâſſe: deinde verò in reliquum tempus hac ipſa die, qua Rex natus erat, vniuerſam Aſiam τὰ γενέθλια θύειν καὶ ἑορτάζειν hoc eſt, Natalia ſolenni in hunc vſum feſto inſtituta, ſolennibuſq́ ſacrificiis celebrâſſe. Naucratitæ, Athenæo referente lib. 4. ex Hermia lib. 2. de Apolline Grynæo, in Genethliis, id eſt, natalitiis Feſtis Dianiſii, & Veſtæ conuiuia agitârunt in Prytaneo, albis induti veſtibus, ac declinati in genua recubuerunt, Deos ſibi conciliantes, donec ſacer præco patrias preces peregiſſet. His abſolutis omnes declinati duas cotylas vini ſingulatim ceperunt, præter Sacerdotes Apollinis Pythij & Dionyſii: hi enim vini, aliarúmque rerum duplices retulerunt portiones. Appoſitus ſingulis præterea fuit panis purus in latitudinem extenſus, panis item clibanarius, caro ſuilla, lanx hordei, vel oleris, oua duo, caſei fruſtum, carica, placentáque & corona. Ritum hanc Ethnicum Herodes ſuperſtitionibus Ethnicis imbutus obſeruâſſe quoque legitur Matt. 14. & Mar. 16. cap.

Γεραίστια.

Geræſt a gnu. *GEræſtia Ludi & certamina fuerunt in Eubœa Neptuno à Geræſti Promontarij incolis propter tempeſtatem coortam inſtituta, Alexand. Sardo teſte libro 3. de Moribus gentium.*

Γυμνοπόδια.

Gymnopodiorū ritus. *ΓΥμνοπόδια Latinè Nudipedalia, Feſtum fuit Laconicum, in qua chori Spartanarum nudis pedibus tripudio laudes Dearum cantârunt, in honorem & laudem Spartanarum qui pro patria in Therais ceciderant. Ex choris iſtis prior quidem fuit puerorum, alter verò optimorum integerrimarúmque virorum Chorarum iſtarum dućtores ferebant coronas, quæ Thyreaticæ vocabantur apud Lacedæmonios, vt Athenæus refert ex Soſibÿ libro de Sacrificiis, quas nunc ait Pſilinas nominari, ex palmáque confici, in monumentum vićtoriæ in Therea partæ. Pauſanias in Laconicis Γυμνοπαιδίας, à iuuenibus nudis appellat, & refert, Lacedæmonias hoc Feſtum, ſi vllum aliud, ſummopere curare, in Apollinis honorem, & locum in quo celebretur Spartæ in foro* Chorum *inde nominare.*

Δαίδαλα Μικρὰ καὶ Μεγάλα.

Dædalorum origo. *DÆdala eſſe Feſtum Platæenſibus, in Græcorum obſeruatum theſauris eſt. Licet autem fabuloſa eius ſit origo, referemus eam tamen, quòd priſcarum vanitas ſuperſtitiarum, eam planè, vt veram, agnoſcat. Ferunt enim Iunonem Ioui factam iratiorem, quòd illi erat admodum familiare in Eubœam ſeceſſiſſe. Ioni quum permoleſta ea res eſſet, nec tamen vlla ratione, vt rediret, Iunoni perſuadere poſſet, incertus animi tantus Deus ad Cithæronem pergit, qui tum imperabat Platæenſibus, potentiâ conſpicuus, & nulli ſapientiâ ſecundus. Is ergo inopem conſilÿ Iouem hortatur, ex ligno ſtatuam ſibi curaret formari, quam in curru aptè conſtitutam veſtibus etiam variis congruiſque obuelatam duceret, paſſim in vulgus ſparſis rumuſculis, ſe Aſopi filiam Platæam vxarem duxiſſe. Paruit Cithæroni Iupiter, iámque lignea vxor nuptialibus campis većtabatur. Iuno fallaciam non animaduertens, aduolánſque protinus, & nouæ nuptæ indumenta ſanis concerpens, fraude agnita, & ſponſali ſimulachro in riſum ſoluta, Ioui placata & reconciliata eſt. Quo ex fačto Numinum obſeruantiſſimi Platæenſes Feſta dehinc inſtituere Dædala: quæ inde nominata, quoniam priſci Xoana, id eſt, ſtatuas nuncupabant Dædala, etiam longè prius quàm Dædalus Palamaonis F. Athenis naſceretur, & huiuſcemodi ſtatuas faceret. Et huius quidem rei gratia in templa Iunonis percelebri apud Platæenſes duæ imprimis Iunonis ſtatuæ fuerunt: alterius quidem rećta, & ſtantis, τελείας ἥρας, id eſt, Iunonis adultæ, ſeu perfećtæ: alterius verò ſedentis, νυμφευομένης, id eſt, nubentis. Recitat hanc fabulam Pauſanias in Bœoticis, & ex eo Euſebius de præparatione Euangelica libro 3. Cœlius libro 15. capite vltima: & Gyraldus de Dijs Synt. 2.*

Dædala minora, & corūdem ritus. *Natalis Comes autem lib. 7. Mythal. cap. 16. ex Phylarchi lib. 19. hiſtoriarum & Pauſanias citato loco indicant, in rei huius geſtæ memoriam, ligneam imaginem, quæ Dædala vacata fuerit, ſeptimo quoq́ anno plauſtra impoſitam, & cum pompa ad delubrum Iunonis deuečtam fuiſſe. Neq́ tamen ex quibuſuis lignis illa imago efficiebatur, ſed huiuſmodi ritu eligebatur ad illam lignum. Lucus fuit quidam in Bœotia, Pauſanias Quercetum vocat, non procul ab Alalcomenis omniū maximus, & peruetuſtæ ibi quercus. Ibant in eum lucum Platæenſes, & elixarum carnium fruſta exponebant, quibus præter cæteras aues maximè negotium fuit cum coruis, quos omni conatu arcere, & à carnibus depellere nitebantur. Ex aliis verò volucribus obſeruabant, quæ carnem abripuiſſet, ſuper qua arbore conſediſſet. Et cuicunq́ ille qui carnes abripuit, arbori inſedit, eam caſtodierunt, ſecuerunt item; & Dædala ex ea confecerunt. Neque licebat ex alia materia Dædala cædere, niſi ex illa arbore quæ prima ita fuiſſet indicata. Et hæc quidem à*

Solis

Solis Plataenſibus ſeptimo quoque anno agebãtur, & μικρὰ δαίδαλα nuncupabantur.

Dædala maiora, & eorũ ritus.

Fuerunt autem & μεγάλα Δαίδαλα, quæ vnà cum Plataenſibus & cæteri Boeoti celebrarunt ſexageſimo quoque anno: Cælius lib. 15. ca. vltimo, habet annum vigeſimum ſextum. Tot enim annis intermiſſa celebritas fuit, fugatis Plataenſibus. Pauſanias in Boeoticis ritum Dædalorum magnorum ita deſcribit. Habent, inquit, quatuordecim apta ſimulachra, ſingulis annis in paruis Dædalis comparata. Hæc ſortitò ſumunt Plataenſes, Coronæi, Theſpienſes, Tanagræi, Charonenſes, Orchomenij, Lebadenſes, Thebani. Si quæ autem ſunt ignobiliora oppidula, hanc functionem obeunt, vt ſimulachrum exornent iuxta Aſopum. Mulierem item currui impoſitam, nuptiarum adminiſtratricem conſtituunt: Hi verò rurſus ſortem ducunt, quo nam ordine pompam celebrent. Inde currus à fluuio vſque ad cacumen Cithæronis impellunt Thebani. Inſtructa eſt autem eis in vertice montis ara, quæ hoc modo confici ſolet. Ligna quadrangula compacta inuicem conjungunt inſtar ædificij, quod ex lapidibus conſtruitur, ſublatáque in altum ſarmenta important. Ciues itaque & magiſtratus maturæ ætatis vaccam ſinguli vt immolarunt Iunoni, & Ioui taurũ hoſtias, vini & ſuffimẽti plenas, ſimul & Dædala ſuper aram collocant. Priuati autem homines tantùm immolant, quantum opulenti. Sed qui ſimili potentiâ non ſunt, ouium partes tenuiores ſacrificare conſueuerunt. Simul etiam immolant hoſtias vniuerſas, & cum ipſis aram etiam correptam ignis conſumit.

DAVLIDIS Feſtum.

DAulidis Feſtum *erat apud Argos. in quo fuit imitatio pugnæ Prœti in Acriſium, vt refert Cælius lib. 18. cap. 24.*

ΔΗΛΙΑ.

Deliorũ ritus.

T*Hucydides lib. 3. celebritatis* Deliæ, *& ludorum ſeu certaminum quorundam, quæ in ea fiebant, his verbis meminit: Fuerat, inquit, priſca memoria ingens apud Delon celebritas Ionum & ex circumjectis inſulis hominum, qui cum conjugibus ac liberis ſpectabant, vt nunc ad Epheſia feſta Iones confluunt, fiebâtque certamen gymnicum, muſicúmque, & ciuitates choros ducebant. Quæ ita fuiſſe declarat inprimis Homerus his verſibus, qui habentur in proœmio Apollinis:*

Ἀλλὰ σὺ Δήλῳ Φοῖβε μάλις᾽ ἐπιτέρπεαι ἦτορ
Ἔνθα τοι ἑλκεχίτωνες ἰάονες ἠγερέθονται,
Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι, καὶ αἰδοίης ἀλόχοισιν.
Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε, καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.

Tunc tibi magnopere in Delo mens geſtit Apollo,
Cum natis quoties cum conjugibúſq; frequentes
Iones in fluxa celebrant tua compita veſte.
Ceſtibus, & varijs certamina Sacra choreis
Oblectant referuntq́; tuas modulamine laudes.

Quòd autem & muſici certamine propoſito, illuc ſe certaturi contulerint, his verſibus idem Poëta indicat, qui ſunt ex eodem proœmio. Siquidem Deliacum fœminarum chorum laudans, ità verſus laudationis eius finit, in quibus & ſuiipſius meminit:

ἀλλ᾽ ἄγε δὴ Λητὼ μὲν, Ἀπόλλων, Ἀρτέμιδι ξύν,
Χαίρετε δ᾽ ὑμεῖς πᾶσαι, ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθε
Μνήσασθ᾽, ὁππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Ἐνθάδ᾽ ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἐλθών.
Ὦ κοῦραι, τίς δ᾽ ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
Ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα.
Ὑμεῖς δ᾽ εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθ᾽ ἀφ᾽ ἡμέων.
Τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

Verùm age dum nobis aſſis cum Phœbo Diana,
Vos etiam cunctæ me diſcedente valete:
Et memores eſtote mei poſthac, homo ſi quis
Venerit huc alius peregrè, dicátque puellæ,
Quis vir in his verſans vnquam lepidiſſimus oris
Pectora præcipuè demulſit veſtra canendo,
Vos vno aſſenſu ſic reſpondete fauentes,
Vir qui luminibus captus Chion incolit altam.

Quibus vtique Homerus ſignificauit, jam apud Delum magnum conuentum ac Feſtum conſueſſe celebrari.

Originem autem ſolemnitatis huius Plutarchus ad Theſeum refert. Sic enim in eius vita ſcribit: Ex Creta in Delum ſoluens Theſeus, vna cum iuuenibus eam inſtituit chorum, quem adhuc Delios obſeruare ferunt, circuitus atq́; exitus labyrinthi hac imitatione recenſentes, quæ numeris quibuſdam alternis orbibus orbes impediat. Id autem chori genus Γέρανος *à Delijs nuncupatur, vt Dicæarchus ſcribit. Atq́; hunc chorũ circa Ceratonem aram celebrauit, ex cornibus concinnis & inter ſe congruentibus ſiniſtris omnibus ſtructam. Ab eodem ſtatutum in Delo certamen memorant, victoribuſq́; tunc primum palmæ præmium eſſe propoſitum.* Deliorũ origo.

Sed & hæc certamina & cætera pleráque aduerſis

Delia certamina excolta, ſeu inſtaurata.

aduerſus caſibus, vt credibile eſt, excoleuerunt, Thucydide teſte. Peloponneſiaci autem belli anno ſexto Athenienſes, luſtrata penitùs & expiata Delo, quinquennalia Feſta Delia ſiue inſtaurarunt, ſiue de nouo inſtituerunt, Thucydide teſte, qui libro 3. ſic ſcribit: Eadem hyeme Delum ἐκάθηραν *expiauere Athenienſes ex oraculo quodam. Nam & Piſiſtratus tyrannus eam prius expiauerat ſed non omnem, verùm quatenus è templo proſpectus patebat. Tunc autem omnis expiata eſt, idque ad hunc modum. Quæcúnque in Delo defunctorum corporum monumenta extitere, omnia ſuſtulerunt & in poſterum edixerunt ne quis in inſula néque moreretur, néque naſceretur, ſed morituri tam in Rheniam tranſportarentur inſulam, ita parùm à Delo diſtantem, vt Polycrates Samiorum tyrannus, cùm aliquando & claſſe polleret, & aliis inſulis imperitaret, captam Rheniam catena annecteret Delo, Delióque Appollini conſecraret.* Τότε ὖν πρῶτον τὴν πεντετηρίδα μετὰ τὴν κάθαρσιν ἐποίησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὰ Δήλια, *id eſt, tunc primùm poſt luſtrationem inſtituerunt, & curſus equorum, quod ante non fuerat.*

Δημητρεία.

Feſti huius ritus.

PEllene, Achaiæ ciuitate, diſtat ſtadiis circiter 60. Myſeium, templum Cereris Myſiæ, & nemus omnis generis arboribus conſitum. Ibi Feſtum ſeptem dierum Cereri celebrârunt, viri pariter & mulieres. Die autem Feſti tertio, è templo viri ſe ſubduxerunt, quin è canibus etiam mares inde expulſi ſunt. Relictæ verò mulieres, ea noctu peregerunt, quæ ritus poſtulauit. Poſtero die reuerſas in templum viros deriſerunt, & dicteriis exagitârunt mulieres, & has viciſſim viri. Pauſanias in Achaicis.

Feſtum aliud Cereris.

Idem author in Meſſeniacis refert, in Ægila, ditionis Laconicæ vrbe, mulieres Feſtum quotannis Cereri celebrâſſe: cúmque Meſſeniaco bello Ariſtomenes, Rex Meſſeniorum, impetum in eas, hoc Feſto die congregatas, feciſſet, multos Meſſeniorum & gladiis ab eis fuiſſe vulneratos, quibus victimas ſecuerint, & verubus, qui carnes, eum aſſarent, tranſfixerint. Meminit etiam in Arcadicis Feſti, quòd Mantinenſes, & alterius quod Triſaules & Damithales in honorem eiuſdem Deæ quotannis celebrârint. In Pyræo quóque nemore agri Sicyonij ſacellum fuit Cereris Προστασίας, *vbi viri per ſe Feſta celebrârunt, ſicut* νυμφῶνα *mulieres modò frequentabant, vbi Bacchi, Cereris & Proſerpinæ erant ſimulachra, Pauſaniâ authore: refert etiam Cœlius L. A. lib. 28. cap. 7. & Gyraldus de Diis Syntag. 14.*

Δημητρὸς Μελαίνης Feſtum.

Ceres nigra dicta. Feſti huius ritus.

CEres μέλαινα, *id eſt nigra inde appellata eſt, quòd nigrâ veſte fuerit induta, ob indignationem contra Iouem, de rapto Proſerpinæ. Eam Feſto & ſacrificio quotannis coluerunt Phigalenſes, hoc ritu. Ad aram, ante antrum extructam, in quo Deæ ſimulachrum fuit, arborum hortenſium fructus tum alios poſuerunt, tum vuas & apum fauos,* καὶ ἐρίων τὰ μὴ ἐς ἐργασίαν πω ἥκοντα, ἀλλὰ ἔτι ἀνάπλεα τοῦ οἰσύπου, *hoc eſt, lanas nondum ſubactas, ſed ſordibus adhuc plenas. Omnia hæc vbi appoſuerunt, oleo perfundunt. Hæc tùm viri plebeij, tùm qui publicis muneribus præſunt quotannis ſacrificiis his adhibuerunt. Sacerdos autem rem Sacram fecit, & cum ea natu minimus ex* ἱεροθύταις, *quorum ex ciuibus numero tres fuerunt. Pauſanias in Arcadicis.*

Διαμαστίγωσις.

Diamaſtigoſis Lacedam vſurpata.

D*Iamaſtigoſin, Latinè* Flagellationem, *Solennitatem fuiſſe maximam apud Lacedæmonios Tertullianus in Apologetico, & in libro ad Martyres his verbis teſtatur: Hodie apud Lacedæmonios ſolennitas maxima eſt Diamaſtigoſis, id eſt, Flagellatio: in quo Sacro ante aram Dianæ Orthiæ & Mercurij nobiles adoleſcentes flagellis affliguntur, aſtantibus parentibus & propinquis, & vti perſeuerent adhortantibus. Sic etiam Plutarchus in Laconicis Apophtegm. Lacedæmone inquit, pueri per integrum diem flagellis caſi, ſæpenumero ad mortem vſque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacréſque tollerant, atque inter ſe de victoria certant, in eo poſita, qui diutius magiſque perferat verbera: victorémque ſumma conſequitur gloria. Certamen id* Flagellatio *dicitur. & quotannis habetur. Hæc ille. Hac de re plura vide Philoſtratum in vita Tyanei Apoll. & Gregor. Nazianz. & Lucianum in Anacharſi.*

Diamaſtigoſis ritus.

Ritus huius origo

Vnde autem nata ſit hæc conſuetudo apud Lacedæmonios, Plutarchus in vita Ariſtidis indicat: In prælio, inquit, contra Mardonium Perſam, quum Pauſanias paulìſper extra militum ſtationes rem Diuinam faceret, nonnulli repentè Lydi irrumpentes, ſacrificiorum apparatum diripuerunt ac diſiecerunt, quos ipſe & qui latus eius cingebant, quum inermes eſſent, virgis ac loris percuſſerunt. Ideóque nunc in eius excurſionis memoriam, in ephœbos plagis circa aram ſæuiunt, & inde Lydorum celebritatem ſeruant. *Alij tamen à Lycurgo inſtitutam volunt, ne humanâ victimâ, vt fiebat, Dea placanda eſſet, ob cædem hominum ad eius aram factam, cùm inter ſe pugnâſſent Limnates, Cynoſurenſes, Meſoani & Pitanenſes, vt refert Alex. Sardus lib. 3. de Moribus gentium.*

Flagellatio etiam aliis populis vſitata

Ægyptij quóque dæmoni maximo vaccam multis ceremoniis, teſte Herodoto, immolare ſolebant, quod Sacrificium dum ardebat omnes verberabantur. Et in Arcadia Dionyſij templum

Digitized by Google

fuit, in quo puellæ diſflagellabantur vſque ad necem, vt refert Alex. lib. 6. cap. vltimo. In Peloponneſo etiam Ephæbi ad monumenta Pelopis prope Alphæum flagris decertârunt, ad effuſionem vſque ſanguinis, & αἱμακουρίαι à Pindaro dicuntur, quaſi animæ mortuorum hoc ſanguine ſaturentur. Hinc ad Chriſtianos quoque ſtultitia hæc propagata eſt. Nam circa annos 1260. *religioſi quidam Flagellantes exorti ſunt, qui veſtibus ſe exuentes supernè vmbelico tenus nudi, cætera linteo talari tecti, capitéque, ne agnoſcerentur, operto, ſcuticâ nodosâ intra & extra templa humeros & pectus lacerârunt, crudelitérque ſe verberârunt. Etſi verò Clemens. Pontifex Rom. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, his & omnibus Chriſtianis prohibuerit, ne de cætero publicis flagellationis vterentur, ſed pœnitens clam, ſi vellet, ſe flagellaret: nihilominus tamen per Italiam, Hiſpaniámque imprimis ejuſmodi flagellationes retentæ ſunt. Sed de Flagellationibus in libro noſtro de Origine & Progreſſu Monachatûs plura diximus.*

Flagellatione Chriſtianorum.

ΔΟΡΠΙΑ.

Dorpiorum ritus.

M*Eminit Herodotus in Euterpe cuiuſdam ſolennitatis, quæ* Dorpia *dicebatur, in qua Ægyptii ſinguli ante ianuas priuatarum ædium ſues in honorem Bacchi ſingulare conſueuerint. Verba ejus hæc ſunt.* Τῷ δὲ Διονύσῳ τῆς ἑορτῆς τῇ Δορπίῃ, χοῖρον πρὸ τῶν θυρέων σφάξας ἕκαστος, διδοῖ ἀποφέρεσθαι τὸν χοῖρον αὐτῷ τῷ ἀποδομένῳ τῶν συβωτέων. Dionyſio die ſolennitatis Dorpiæ ſuem ante fores ſinduli iugulantes reddunt ſubulco illi, qui attulerat ſuem. *Alia igitur eſt ab ea Solennitate de qua in Apaturiis ſcripſimus.*

ΕΙΛΕΙΘΥΙΑ.

Elithyiarum origo.

M*Aximâ religione Eleenſes* εἰλειθυίας, *hoc eſt,* Lucinæ *Sacrum & Feſtum celebrârunt, quòd ejus ope victoriam ex Arcadibus reportâſſent. Nam quum Arcades Eleorum agrum hoſtiliter inuaſiſſent, omniáque incurſionibus popularentur, in aciem aduerſus illos prodierunt Elei. Tum fuerunt mulierem, quæ puero mammam præberet, ad Eleorum duces acceſſiſſe, quæ ſe puerum illum peperiſſe diceret, hortatáque eſt, vt eum ejus belli ſocium ſibi aſciſcerent, quòd ipſa ita eſſet per ſomnum admonita Tunc qui ſummæ rei præerant inter Eleos fidem mulieri praſtantes, puerum nudum ante ſigna locandum curârunt: deinde quum facerent impreſſionem in hoſtes, puer is in ſerpentem vertitur in conſpectu omnium. Eo prodigio territi Arcades in fugam vertuntur atque Elei quo in loco ſub terram ingreſſus eſt ſerpens, vbi victoriam ſunt adepti templum illi puero erexerunt, quem* σωσίπολιν *vrbis Seruatorem appellârunt: ibidemque ſunt Lucinæ ſolennia Feſta & honores decreti, quod eam puerum illum peperiſſe & attuliſſe interpretati ſunt. Annua ſacerdos ibi eligi ſolita fuit, quæ Lucinæ ſacrificaret, ad quam omnibus erat aditus. Ad Soſipolim verò nemini accedere licebat, niſi vetulæ Sacerdoti, quam etiam certo ritu ornatam eſſe oportebat: nam & facie & capite velata candido textili ad illius ſimulachrum accedebat. In templo Lucinæ tum virgines tum etiam nuptæ remanentes hymnum in Soſipolim decantabant & quoduis odorum genus adolebant, nunquam vinum ex illis ſacrificiis omnino exulabat.*

Feſti huius ritus.

Culta eſt etiam apud Hermionenſes feſto & præcipuo quodam honore Lucina, quam ſummâ religione & hoſtiis, & odoribus, & donis quàm plurimis decorabant: neque illius ſignum cuipiam, niſi illis mulierculis, quæ rem ſacram facerent, conſpicere fas erat, vt ait Pauſanias in Corinthiacis atque etiam refert Natalis Comes lib. 4. Mytholog. cap. 1.

Lucinæ aliud feſtum.

ΕΛΕΝΙΑ.

E*Λένια, teſte Heſychio, dicebatur* ἑορτὴ ἀγομένη ὑπὸ λακώνων, *in honorem Helenæ. Eandem &* ἑλενηφορίαν *dictam fuiſſe arbitror, à Ciſtis, quæ anſas ſalignas habentes, vimine contextæ erant, & in iis circumferebantur arcana quædam, vt Pollux in vltimo docet: verba eius hæc ſunt,* ἑλένη πλεκτὸν ἀγγεῖον ἀπ' ἀρτίων, τὰ χείλη ὄσιων ἐν ᾧ φέρουσι ἱερὰ ἄρρητα τοῖς ἑλενηφορίοις.

Ἐλευθέρια Platæenſium.

Solennitatis huius origo & ritus.

S*Trabo lib. 9. ſcribit, apud Plateas eò loci, quo Græci Mardonium cum trecentis Perſarum millibus occidione deleuerunt, Eleutherio Ioui templum conſtructum fuiſſe, vt certamen gymnicum cum coronis inſtitutum: ludoſque ipſos* Eleutheria, *id eſt, Liberatoria appellata. Pauſanias quoque in Bœotiis, Eleutherii Iouis aram non longè à communi Græcorum ſepulchro deſcribit, quod ad Platea ingreſſum ſuit, quo loco quoque anna certamen celebrabatur, & maxima præmia curſus ſunt propoſita Cucurrerunt autem armati ante aram. Eadem Plutarchus in Ariſtide, & Pindari Scholiaſtes in 3. Olymp. hymno referunt.*

Ἐλευθέρια Samiorum.

Eleutheriorũ origo.

E*λευθέρια* Libertatis *Feſtum interpretantur, quod Samii inſtituerunt & celebrarunt. De eo námque ſic Athenæus libro 13. Erxia in rebus Colophoniis, ſcribit:* Σάμιοι γυμνάσιον αἰνθέντες τῷ ἔρωτι τὴν διὰ τοῦτον ἀγομένην ἑορτὴν ἐλευθέρια προσηγόρευσαν: διὰ τὸν θεὸν Ἀθηναῖοι ἐλευθερίας ἔτυχον: καὶ οἱ Πεισιστρατίδαι ἐκπεσόντες ἐπεχείρησαν διαβάλλειν πρῶτοι τὰ περὶ τὸν θεὸν τοῦτον πράξεις. Hoc eſt: Samii, cùm Amori gymnaſium dicâſſent, Feſtum, quod propterea celebrârunt, Liberalia appellârunt: ob quem

Deum Athenienſes libertatem ſunt conſecuti. At cùm ejecti eſſent Piſiſtratidæ, conati ſunt calumniis impetere ea quæ in hujus Dei honorem fiebant. *Meminit etiam feſti huius Plautus ex Perſa, inquiens*: Baſilicè agito Eleutheria.

Ελλοτία.

Hellotiorum origo.

E Λλοτία *Corinthiarum fuit Feſtum, in Mineruæ honorem inſtitutum hac occaſione. Cùm Dorienſes Corinthum vrbem cepiſſent, arderéntque duæ ſorores Eurytion & Helleſis, in Palladis templum confugierunt, ibique interierunt. Mox autem ſubſequutâ peſte oraculum redditum eſt, expiandos ſororum harum manes. Ceſſante igitur peſtilentiâ, templum Mineruæ Hellotidi conſtruxerunt, & Hellotiam celebritatem inſtituerunt: vt refert Gyraldus Syntagm. 11. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 27. addit, celebratum in hoc feſto agonem* Lampadodromicum, *in quo cucurrerint iuuenes ardentibus facibus. Athenæus lib. 15. cap. 8. ex Seleuco in Linguis ſcribit, coronam ex myrto compoſitam, quæ viginti vlnarum habeat circumferentiam*, Hellotidem *vocari, atque in Hellotum Feſto in pompa præferri.*

Hellotiorum ritus.

Εμπλοκία.

E Μπλοκία *Celebritas fuit apud Athenienſes, in qua mulieres plexis capillis procedere ſolebant, Heſychio teſte. Mentionem etiam eius facit Gyraldus de Diis Syntag. 17.*

Επαγομεναὶ Ημεραὶ.

Feſti huius origo.

A*Egyptii dies quinque in anno, vt natales Deorum, Feſtas egerunt, & ἐπαγομένας vocârunt: de quibus Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride ſic ſcribit.* Rex aiunt occultè cum Saturno congreſſæ, Solem, qui id flagitium deprehendiſſet, imprecatum fuiſſe, vt néque in menſe, néque in anno pareret. Sed Mercurium Deæ amore captum, cum ea coiiſſe, ac deinde in ludo cum luna victorem, ſeptuageſimam partem cuiuſuis diei abſtuliſſe, atque ex his omnibus dies quinque confeciſſe, ac 360. anni diebus adieciſſe: quę quinque dies nunc ab Ægyptiis Epagomenæ, id eſt, adiectitiæ vocantur, & vt Natales Deorum feſtæ aguntur. Primâ autem earum die Oſirim natum dicunt. Secundâ Aruerin, quem alii Apollinem, nonnulli Orum ſeniorem appellant. Tertiâ Typhonem, non ſuo tempore & loco, ſed latere ictu perrupto exſiluiſſe. Quartâ Iſidem in Panygris, Quintâ Nophthyn, quam & Finem, & Venerem, & Victoriam nominant. Patrem autem Oſiridis & Arueris fuiſſe Solem: Iſidis Mercurium; Typhonis & Nephthys Saturnum. Itáque etiam tertium epactarum diem Reges pro nefaſto habentes, non dabant reſponſa, néque ante noctem corpora curabant.

Επιδαυρια.

E Pidauria *diem Feſtum Athenienſes celebrârunt, qua Æſculapium, in Epidauriarum agro natum, initiârunt, Pauſaniâ teſte in Chorinthiacis.*

ΕΡΜΑΙΑ.

H Ermæa *Cretenſium fuere Feſta, in honorem Mercurii celebrata: in quibus ſerui diſcumbentibus ſubſeruiebant domini, perinde vt in Saturnalibus apud Romanos: vt refert Athenæus libro 14. cap. 16. ex Hiſtoricis Commentariis Caryſtii, & Cælius libro 13. cap. 23. Lect. Antiq.*

Hermæorum ritus.

Pheneatæ quóque Mercurium maximè coluerunt, & certamen celebrârunt in eius honorem ἑρμαῖα, *id eſt, Mercurialia, Pauſaniâ authore in Arcadicis.*

Ερωτίδια.

E Ρωτίδια *Feſtum fuit, quod à Theſpienſibus celebrabatur in honorem Muſæ Eratûs, ſeu Amoris, vt Athenæus lib. 13. indicat. Plutarchus vocat* ἐρωτικά.

Εταιρίδεια.

Hetairidiorum origo.

E Ταιρίδεια Hetæridia *Feſtum in honorem Ioui Sodalitii, Magneſiæ celebrari ſolitum à Iaſone inſtitutum fuit, quum Argonautæ in vnum conueniſſent. Vnde Athenæus non ab* ἑταίραις, *hoc eſt, meretricibus dictum ſcribens, ſic inquit lib. 13. ex Hegeſandri Commentariis:* ἱςορεῖσι ἢ πρῶτον Ἰάσονα τὸν Αἴσον@ συναγαγόντα τοὺς Ἀργοναύτας, ἑταιρείῳ Διῒ θῦσαι καὶ τὴν ἑορτὴν ἑταιρίδεια προσαγορεῦσαι. *Macedonum Reges diu hoc Feſtum conſeruârunt. Meminit eius & Cælius lib. 14. cap. 4.*

Εφεςρια.

Ephestria in honorem Tireſiæ inſtituta, & quare.

E Pheſtria *Thebis Feſta fuerunt, ob Tireſiam inſtituta. Fuit autem Tireſias Thebanus vates. Euera patre genitus, qui quum aliquando in Cithærone vidiſſet duos dracones coeuntes, obſeruatâ fœminâ occidit illam: quo facto in fœminam & ipſe mutatus eſt. Deinde quum rurſus poſt ſeptem annos eodem pacto & marē dracone interfeciſſet in priſtinā formam redit.*

X 2

dit. Accidit igitur aliquando, certantibus inter ſe Ioue & Iunone virine an fœminæ maiorem ex venere voluptatem caperent, vt ille iudex ſit adhibitus, vt qui vtrámque voluptatem expertus fuiſſet. Tireſias autem pro Ioue ſententiam tulit, aſſerens multò plus ex coitu voluptatis percipere fœminas. Ob quod à Iunone excæcatus eſt. Iupiter autem in ſolatium visûs amiſſi diuinationis donum illi dedit. Tandem verò ei mortuo, & ſub Thilphoſſo monte Bœtiæ iuxta fontem Thilphoſſam ſepulto, Thebani diuinos honores tribuerunt, & feſtum inſtituerunt. In eo Tireſiæ ſimulachrũ virilibus veſtimentis exuebatur, & muliebribus induebatur: moxq́; illis ademptis, iterum virilibus induebatur, alludentes ad hanc Tireſiæ fabulam. Dicta verò ſunt Ἐφίςεια, ἀπὸ τῆς ἐφεςρίδος: *quo Sagum Alciatus interpretatur: Budæus verò Chlamidem, annotans ex Plutarcho thoraci ſuperindui: Suidas autem Cilicium. Sed & generatim pro quouis veſtimento ponitur. Vnde Herodianus lib. 4. ſenatoribus etiam tribuit.*

Ephestireorũ ritus

Ephestiria vnde dicta

Ηραια ſeu Τοναια.

Metaqua Dea.

Heræorum origo.

H*Eræa diecebatur Iunonis Feſta & Sacra ab ipſa Dea, quam Plato in Cratylo* ἥραν *nominatam exiſtimat* ὡς ἐρατήν τινα*: alii putant quòd* ἥρα *quaſi* ἀὴρ *per Metatheſin dicta fuerit, ab aëre nimirum. Fuerunt autem celeberrimum apud Samios Feſtum: de cuius origine Athenæus lib. 15. cap. 3. ex Menodoti Samii Commentariis, quæ inſcribuntur,* Τῶν κατὰ τὴν Σάμον ἐνδόξων ἀναγραφή, *ita ſcribit,* Admete *inquit,* Euryſthei filia in Samũ ex Argo profugit, quæ quum Iunonem ſibi apparentem vidiſſet: gratiamq́; referre ex aliqua parte vellet, quia ea incolumem domo profectam ſeruâſſet, curauit id ſacellum diligenter quod à Lelegibus ac Nymphis antea Deæ inſtitutum fuit, quódque his etiam temporibus exiſtit. Hoc quum audiſſent Argiui, grauitérque tuliſſent, perſuadere Tyrrhenis, multâ promiſſâ pecuniâ, conati ſunt, qui Lepricis legibus viuerent, vt idolum raperent: Sperabant enim Argiui, ſi id effectum eſſet, fore vt Admete aliquod malum omninò Samum habitantibus perſuaderet. Cùm Tyrrheni perueniſſent εἰς τὸν ἡραῖτην ὅρμον, ad Iunonium portum, exeuntéſque ſtatim rem adorirentur, idolum facilè cœperunt, quum præſertim templum eo tempore eſſet ſine foribus, tum ad mare portantes in nauim continuò detulerunt. Cùm rudentes ſoluiſſent, cœpiſſéntque anchoras, omníque remigum induſtriâ vterentur, diſcedere non potuerunt. Eam verò rem admirati, atque diuinitùs accidiſſe exiſtimantes, rurſus idolum ex naui exportârunt, ac in littore depoſuerunt: tum illi liba offerentes diſceſſerunt valde timidi. Quum ſignificâſſe manè Admete, quòd idolum euanuiſſet, ſummâque diligentiâ quæreretur, in littore id inuenerunt. Atque ſuſpicati ſunt ſponte ſuâ ad barbaros Cares auffugiens conuertiſſe, pectúſq; ad viticem firmâſſe, longioréſque ramos vtrínque ſe contraxiſſe, atque omni ex parte id complexos fuiſſe. Quum Admete id ſoluiſſet, & expiâſſet, ſuper baſe conſtituit, atque velut antea, collocauit. Hinc factum eſt, vt quotannis idolum in littus afferatur, atque non appareat: cui liba offerunt, & feſtum TONÆA vocatur, quoniam confeſtim ac raptim, & cum vi quadam idolum conſtat corripuiſſe eos, qui prius ipſum perquirebant. *Vbi notandum obiter, pro eo quòd Natalis de Comitibus interpres Athenæi hoc loco* Τονάαν ἑορτὴν *legit, in Græco Aldi exemplari haberi* τὴν ἠάτην ἑορτήν.

Metamorphosis

Narrat idem author lib. 12. cap. 9. ex Duride, & veteri Poëta Aſio, Samios, quum hoc Feſtum celebrarent, circa brachia χλιδῶνας, *hoc eſt, armillas, aliáque eius generis ornamenta muliebria geſtare conſueuiſſe, & comas pexas habentes, atque in integrum reiectas, inceſſiſſe. Cui rei etiam fidem facit vetus proverbium,* Βαδίζειν ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον, Ad Iunonium Feſtum accedere implicatum. *Sunt autem hi verſus Poëtæ Aſii.*

Οἱ δ' αὔτως φοίτεσκον ὅπως πλοκάμους κτενίσαιντο
Εἰς ἥρας τέμενος πεπυκασμένοι εἵμασι καλοῖς,
Χιονέοισι χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρέος εἶχον
Χρύσειαι δὲ κόρυμβαι ἐπ' αὐτῶν τέττιγες ὥς
Χαῖται δ' ἠωρεῦντ' ἀνέμῳ χρυσέοις ἐνὶ δεσμοῖς
Δαιδάλεοι δὲ χλιδῶνες ἄρ' ἀμφιβραχίοσι
Νήσαντες ὑπασπίδιον πολεμιστήν

Hoc eſt, vt Natalis de Comitibus reddidit.

Sic illi pexi Iunonis templa petebant
In lucum, ornati perpulchris veſtibus: atque
Tellutem, niueis texerunt veſtibus omnes.
Aurea cæſatiem contortam vincula nectunt.
Ornatus muliebris adeſt his brachia circum,
Circumdans ſcutum bellicoſum.

Hinc fortaſſe Lactantius ſcripſit, Iunoni anniuerſaria Feſta ac Sacra in Samo fieri ſolita in nubentis Deæ morem.

Coi etiam Feſtum & Sacrificiũ celebrârunt Iunoni, in quo non licuit ſeruis ad conuiuia dominorum ingredi, vt Athenæus indicat lib. 14. cap. 17. Quam ob rẽ Philarchus ſcripſit eodem authore,

Iunonis Feſtum aliud.

Σόν-

Σύϐοι δὲ μοῦνοι μὲν ἐλεύθεροι εἰς ἱερουργοὶ,
Ανδράσι παρ᾽ αὐτοῖσιν ἐλεύθερον ἦμαρ ἔχοντες.
Δούλων δ᾽ οὔτις πάμπαν ἐσέρχεται οὐδ᾽ ἠβαιόν:
Hoc eſt:

Sutii ſoli quidem liberi ſacrificant,
Homines apud illos liberum diem habentes
Seruorum nullus prorſus ingreditur vel paulùm.

Ηϱάκλεια

Heracleorum origo. T*Hebis Herculi faciebant* ἡϱάκλεια Heraclea, eiúſque liberis ex Megera, quos ipſe furens interfecerat: fueréque Polydorus, Anyeetus, Meciſtophonus, Patrocles, Toxoelitus, Menebrontes & Cherſibius: alii verò Therimacum vocatos dicunt, Creontiadem, Ariſtodemum, Deeoontem, Deionem, Antimachum, Clymenum, & Premiũ. Glenum, quos Lyſimachus non ab Hercule, ſed ab hoſtibus tradidit dolo interemptos. Certaminis precium erat myrtea corona, vt argenteæ phialæ Heracleorum, quæ agebantur in Attica ad Marathona, ob taurum à Theſeo peremptum, quæ & Marathonia vocabantur: *Sardus lib. 3. de Moribus gentium.*

Ηϱάκλεια alia.

P*Auſanias in Boeaticis teſtatur, Thiba & Thiphæ, oppidu Boeotiæ, templa eſſe Herculis, ibique feſta quotannis in eius Dei honorem celebrari.*

Ηϱωίς.

Herois nono quoque anno celebrata. H*Ρωίς nomen eſt Feſti, quod nono quoque anno Delphis celebrabatur, Plutarcho authore, qui in Quaſt. Gracis, quaſt. 12.* Τρεῖς (*inquit*) ἄγουσι Δελφοὶ ἐνναετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς, ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι τὴν δὲ ἡρωΐδα, τὴν δὲ Χάριλαν. *Hoc eſt*, Tres agunt Delphi nono quoque anno Solennitates: quarum vnam Septerium, alteram Heroidam, tertiam Charilam nominant. *Et paulò pòſt:* Τῆς δ᾽ ἡρωΐδος τὰ πλεῖστα μυθικὸν ἔχει λόγον, ὃν ἴσασιν αἱ Θυιάδες. ἐκ δὲ τῶν δρωμένων φανερῶς Σεμέλης ἄν τις ἀναγωγὴν εἰκάσειε. *Id eſt*, Heroidis pleraq; fabuloſam habent narrationem, Thyadibus notam. Ex iis quæ aguntur, liquidò quis Semeles exercitationem ſeu reductionem coniiciat repræſentari.

Ηφαίστεια.

Hephæſtiorum ritus. C*Ertamina currentium, quæ* ἡφαίστεια *vocantur, cum accenſis facibus in honorem Vulcani celebrabantur Athenis, qui ſic dictus fuit à Græcis, quaſi* φάεος ἵστωρ, *hoc eſt, luminis Praſes, additâ literâ r. vt Socrates apud Platonem docet: vel, vt Phurnutus habet,* ὑπὸ τοῦ ἧφθαι, *ab incedendo. Dicebantur &* Lampadophoria, *de quibus ita mentionem facit Herodotus in Vrania:* Κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέεται. Vt apud Græcos Lampa- Lampadophoria. dophoria in honorem Vulcani peragunt, in quibus per vices ferunt curſores faces. *Erat horum certaminum conſuetudo, vt currentes ſummo ſtudio conarentur accenſas faces ad metam vſque deferre: at cui fax erat extincta, ille cum infamia ceſſabat à curſu. Si quis cum accenſa face fuiſſet à ſequente ſuperatus currendo, lege certaminum cogebatur ſequenti accenſam lampadem tradere: quam rem indicauit Lucretius lib. 2. ita canens:*

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Nam ſi quis rectè conſideret, huic certamini ſimillima vniuerſa vita mortalium videbitur. Fuit autem ea de cauſa certamen Vulcana cum igne inſtitutum, vt Cœlius lib. 11. cap. 27. ex Iſtra indicat, quòd is ignem inueniſſe à nonnullis creditur: quod tamen non eſt ſine controuerſia, quum ignis inuentionem nonnulli Prometheo aſcribant: Ac Lucretius multò his probabiliorem inuenti ignis rationem attulit lib. 5.

Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.

Illud igitur fortaſſe contigit, quòd igne inuento primus Vulcanus eas artes, quæ fiunt per ignem, inuenerit.

Θαλύσια.

Θ*Αλύσια Theocriti ſcholiaſtes dicit eſſe* Thalyſia quid. *Feſtum, quod poſt fruges comportatas in honorem Cereris agitaretur: vnde &* Cerealia *quidam interpretantur. Idyll. 7.,* Τᾷ Δηοῖ γὰρ ἔτευχε θαλύσια. *Aliis* Θαλύσια *ſunt feſtiuitates, quæ cum* θαλλοῖς*, id eſt, ramis virentibus, fiunt: & generaliter omnia Feſta: vel potius* αἱ ὑπὲρ εὐθηνίας καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν διδόμεναι θυσίαι καὶ ἀνοσθίνια, καὶ καρπῶν ἀπαρχαί. *Euſtathius quum dixiſſet* θαλύσια *eſſe* τὰς μετὰ συλλογὴν τῶν καρπῶν διδομένας θεοῖς ὑπὲρ τοῦ καὶ εἰσέπειτα θάλλειν τὰς ἀφιέρας ἀπαρχὰς, *ſubiungit quoſdam rhetorum* Συγκομιστήρια *hæc appellaſſe, Feſta ſcilicet quibus in frugum comportatione Sacra fiebant;* θυσία ἐπὶ συγκομιδῇ καρπῶν. *Ibidem dicit* ἐπὶ συγκομιδῇ τῶν καρπῶν θαλύσια *ſolita*

 fuiſſe

fuiſſe θύεσθαι. *Fortaſſe eadem fuerũt cum* Ἀλώοις *&* ὠσχοφορίοις. *Stephanus in ſuo Theſauro.*

Θεογάμια.

Theogamia unde dicta.

THeogamia *Feſtum fuit Proſerpinæ, inde dictum, quòd Pluto raptam Proſerpinam ſibi cõnubio iunxiſſet. Cælius lib. 26. cap. 20. L. A.*

Θεοξένια.

Theoxenia quæ.

Θεοξένια Theoxenia *Feſtum fuit ſolenne in omnium communiter Deorum honorem inſtitutum, Polluce & Heſychio authoribus. De eo ſic Plutarchus in libello. De ſera numinis vindicta.* Ἀναμνήσθητι δὲ καὶ τῶν ἐναγχος τῶν θεοξενίων, καὶ τῆς καλῆς ἐκείνης μερίδος, ἣν ἀφαιρῶν τις, τοὺς Πινδάρου κηρύττοι λαμβάνειν ἀπογόνους, *hoc eſt*, In mentem reuoca nuper celebrata Theoxenia, & præclaram illam portionem, quam eximiam Præco edicit Pindari poſteros accipere debere. *Polemon apud Athenæum lib. 9.* Sancitum, *inquit*, apud Delphos eſt, qui in ſacrificio Theoxeniorum Latonæ gethyllida maximam intuliſſe de menſa partem caperet. *Latini* communicarium *appellant* diem & pandicularem, *in quo Dijs omnibus pariter diuina res fiat. Stephanus in Theſauro & Cælius lib. 12. cap. 1. A. L. In eius locum ſucceſſit poſtea apud Chriſtianos Omnium Sanctorum Feſtiuitas.*

Theoxenia certamen Pellenenſium

Θεοξένεια *verò apud Pellenem agon fuit Apollinis honori, quem* Theoxenion *nuncupârunt. Certabant in eo viri indigenæ, argenti poſitis præmiis Pauſanias in Achaicis: Cælius libro 18. cap. 5. Gyraldus de Diis Syntag. 17. Præmium victorum fuiſſe dicit Clauam ſeu Chlamydem. Plura de Theoxeniis leges in Commentariis Pindaricis, qui ea inſtituta tradunt à Dioſcuris, & à Deorum hoſpitalitate & commercio appellata.*

Θεοφανεία.

THeophania *Celebritas fuit, quæ Delphis Apollini agebatur, cuius Herodotus lib. 1. meminit, de cratere argenteo ſcribens, qui amphoras ſexaginta capiebat, & à Crœſo Apollini Delphico dicatus erat:* in eum, *inquit*, miſcebatur vinum à Delphis Theophaniæ Feſto.

Θυια.

Thyiorũ ritus.

THyia *apud Eleos Feſtum Bacchi fuit, quod loco ab vrbe octo ſtadiis diſtante celebrârunt. In eo lebetes numero tres in ædificium vt pertulerunt Sacerdotes, depoſuerunt vacuos, in præſentia & ciuium & hoſpitum, ſi qui fortè aduenissent. Signa item tum ipſi Sacerdotes, tum alii quibuſcúnque placuiſſet, foribus impreſſerunt. Poſtero die & ſigna agnouerunt, & ingreſſi ædificium vino repletos lebetes offenderunt. Hæc ita ſe habere, ex Eleis fide dignos viros, & cum his peregrinos dato iuramento aſſeuerâſſe, Pauſanias in Eliacis indicat. Andrij quoque perhibuerunt, in Bacchi ſolennitate vinum apud eos alternis annis ſponte ex templo effluxiſſe, eodem authore: refert etiam Cælius A. L. lib. 15. cap. 28. Sed rectè Pauſanias,* Credere, *inquit*, oportet hæc Græcis, & eâdem ratione approbet quis ea, quæ Æthiopes ſupra Syenen de Solis menſa commemorant.

Θυνναῖον

Thynnæorum origo.

A*Thenæus libro 7. cap. 17. ex Antigoni Caryſtij libro* περὶ λέξεων *refert, piſcatores Neptuno Feſtum ac Sacrum perſoluentes, quum proſperè captura ceſſiſſet; ſub ipſum Thunnorum tempus, captum thunnum Deo mactâſſe, ac ſacrificium huiuſmodi* Θυνναῖον Thynnæum *vocâſſe.*

Ἰθωμαῖα.

Ἰθωμαῖα Ithomæa *Feſta erant annua Meſſeniorum, in honorem Iouis* Ἰθωμάτη, *qui à Meſſeniis colebatur, celebrata. Cognominatus autẽ ſic fuit Iupiter ab Ithome nutrice ſua quæ etiam monti, in quo arx Meſſeniorum ſita fuit, & vrbi quæ & Meſſena, nomen dedit. Referunt Pauſanias in Meſſeniacis, Cælius lib. 18. cap. 39. Gyraldus de Diis Syntagmate 2. & Natalis Comes lib. 2. Mythol. cap. 1.*

Ἰλίεια.

Ἰλίεια Ilica *fuerunt Feſtum quoddam, ab iis qui Ilium inhabitârunt celebratum. Meminit eius Cælius lib. 12. cap. 12.*

Ἰνοῦς ἑορτή.

Feſti huius ritus.

E*Pidaurij* Inonis Feſtum *celebrant, in quo in aquã cuiuſdam paludis, quam Inonis aquam vocant, libamenta conijciunt ex farina ſubacta. Hæc ſi retineat aqua proſpera ei qui iniecit, portenduntur: ſin regurgitat, inauſpicatum judicatur, Pauſaniâ in Laconicis authore. Idem Crateres in Ætna ſignificârunt. Aurea enim in eos, & argentea, deniq; omnia quibus in Sacris vtuntur inſtrumenta miſerunt: quæ ſi retinuit ignis, lætati ſunt tanquam aliquo bono oblato: ſin verò retruſit, quæ fuerunt iniecta,*

exitium

exitium huic viro impendere arbitrati ſunt.

Ιολάια.

THebis Iolaia *celebrârunt Ludos ſeu certamina, ibi enim fuerat ſepultus Iolaus, & victori donabant tripodas aneos, quos Graci dabant forti viro: Sardus lib. 3. de Moribus gentium.*

Ισιδὸς Πανήγυεις.

Feſti huius ritus.

IN Tithorenſi agro Sacrum adytum Iſidis, omnium quotquot Graes huic Dea Ægyptia condiderunt ſanctiſſimum fuit. In id nullis altis ingreſſus patuit, niſi quas Iſis ipſa venerata eſt, & per ſomnia ad ſe vocavit. Huic Dea ſingulis annis bis πανήγυειν, *hoc eſt, Feſtum & celebrem conuentum Tithorea egerunt: vnum in verè, alterum in authumno. Tertio autem quoque die ante Panegyrim, quibus ingredi fas fuit, adytum* Τρόπον τινα ἀπόρρητον, *id eſt, modo quodam arcano, ſeu relatu non digno expurgârunt. De victimis item ſuperiori feſto & conuentu immolatis, quaſcunque inuenerint reliquias, in eundem locum extulerunt, ibique defoderunt. Duobus ſtodiis ab adyto locus hic fuit ſitus. Hoc ergo die huiuſmodi quadam in templo fecerunt. Poſtridiè* σκηνὰς, *hoc eſt, ſcenas ſeu purgulas erexerunt caupones ex arundinibus, & alia materia, qua ſuâ ſponte naſcitur, conſtructas. Poſtremò die mercatum inſtituerunt, & tum mancipia, tum omnis generis iumenta vendiderunt: veſtes inſuper, argentum & aurum: circa meridiem ad ſacrificia reuerſi ſunt. Locupletiores ibi & bouis immolârunt, & ceruos: pauperiores autem, anſeres & aues Meleagridas. Sues ſacrificiis inferre non decuit, nec veſci ſuillâ licuit, aut caprinâ carne. Qui immolârunt victimas extructâ pyrâ in adytum tranſmiſerunt. Victimas autem ſtringere* (καθειλίξαι) *oportuit loro lineo, aut byſſino. Apparatus hic fuit Ægyptius. Cum pompa denique Sacerdos quacunque immolârunt, omnia abduxit. Et quidam victimas in adytum miſerunt: quidam ante adytum pergulas incenderunt, ipſiq; celeriter diſceſſerunt. Aiunt praterea, hominem non ex eorum numero, qui in adytum deſcenderunt, ſed prophanum pyrâ iam ardente, ex rerum alienarum quodam ſtudio, & audacia in adytum quondam deſcendiſſe. Omnia autem ei apparuiſſe ſimulachris referea. Reuerſum deinde Tithoream, quum qua viderat, narrare inſtituiſſet, expirâſſe, vt Pauſanias refert in Phocicis.*

Iſidis aliud Feſtum.

Solenne quoque Ægyptii celebrârunt Iſidi, cùm Oſiridem lugere ipſam dixerunt, quo tempore apud eos creſcere Nilus incœpit. Et ab incolis dictum fuit, ab Iſidis lachrymis augeſcere Nilum, & agros irrigare. In hoc Feſto ſimile quid accidit aliquondo quod in ſuperiori. Romanorum enim prafectus Ægypti, hominem pecuniâ perſuaſum in Iſidis adytum demiſit, quod in Copto extat. Is qui demiſſus erat, rediit quidem ex adyto: ſed cùm, qua viderat, recitare conaretur, ſubitò eſt mortuus, Pauſaniâ eodem libro authore.

Καβείων Οργία.

Cabiri qui

SOlennitas quadam fuit apud Thebanos, quam Cabirorum *vocat Pauſanias in Meſſeniacis, & Lycum Pandionis filium eis tradidiſſe refert. Fuerunt autem Cabiri Dii habiti, vel Miniſtri potius Deorum: alii damonas exiſtimârunt, quorum frequenter fit mentio apud Orpheum, Apollonium Strabonem & cateros. Fuere qui Cabyros Corybantes dixerunt, vt libro 10. docet Strabo. Steſimbrotus Thaſius hos in Samothrace Sacra feciſſe ait, & dictos à Cabiro Berecynthia monte. Pherecydes ſcripſit, ex Cabyra Prothei filia, & Vulcano tres Caberos, & tres Caberydas Nymphas procreatas, & vtriſque fuiſſe templa dicata: in Lemno verò & Imbro ſummo honore habitos. Alii Caberos nominatos putant à Cabiris Phrygia montibus, atque inde traductos. Quidam duos Cabiros tantummodò putauere, Iouem & Dionyſium. Alii filios Electra & Iouis Dardanum & Iaſiona. Quidam Ioui & Altiopes, vt Strabo.*

Cabirorum ordinum origo.

Sacrorum autem horum originem Pauſanias in Boeoticis ad Cererem refert: ritum autem illorum ne proderet, religione ſe prohibitum ſcribit. Tantum dicit, ad Prometheum, & Etnaeum eius filium, Cabirorum gentis, Cererem quondam accedentem, & familiaritatem cum eis contrahentem, quadam illis tradidiſſe, & apud illos depoſuiſſe, qua tamen neſciantur, nec fas ſit ea eloqui.

Cabiri & eorũ Sacra religioſa

Contra Cabiros & eorum Sacra, ſi quid vnquam fuit commiſſum irâ id inexorabili ſemper eſſe vindicatum Pauſanias in Boeoticis indicat. Quibus, *inquit*, ritibus Sacra Thebis peragebantur, ea Naupacti plebei homines auſi fuerant imitari: ſed non ita multò poſt pœnam dederunt. Deinde qui cum Mardonio è Xerxis exercitu circa Boeotiam relinquebantur, & ſpe fortaſſis ducti magnarum opum, aut impulſi diuinarum rerum contemptu, ædem Cabirorum erant ingreſſi, delirare continuò cœperunt, & aut in mare ſe, aut de rupibus præcipites dederunt, Cùm etiam victor Alexander, & Thebas ipſas, & Thebanum agrum vniuerſum igne depopularetur, Macedones, qui Cabirorum templum ſubierant, tanquam in terra hoſtili, fulmine ſunt & fulguribus interfecti.

Mirandum deniq; illud de Cabiris traditur, ſi credere fas eſt, quod qui eorum Sacris initiati

eſſent, omnem maris tempeſtatem euadere crederentur.

Κισσοτόμος.

P*Hliaſii annuum Feſtum celebrârunt, quod à ſecanda hedera* Coſſotomos *appellatum fuit, Pauſaniâ teſte in Corinthiacis.*

Κορώνης Feſtum.

Feſti huius ritus. A*Pud Rhodios Feſtum ſiue ludicrum ſolitum fuit celebrari, in quo* Κορώνῃ, *ſeu Cornici congregatio facta hordei, & id genus rerum aliarum: vnde id* καὶ τῇ κορώνῃ παρθένος σῦκα: *id eſt,* Cornici virgo fert ficos. *Qui verò eiuſmodi præeſſent curæ, dici* Coroniſtas *inuenio, ſicuti Athenæus ex libris de nominibus Alexandrinis indicat Pamphili, & Cœlius lib. 17. cap. 11. Quæ verò ab eiſdem in hac contributione feſti huius præcinerentur, id eſt,* τὰ ᾀδόμενα, *vel (vt in aliis reperio)* τὰ διδόμενα *quæ dabantur.* Coroniſmata *vocabant, vt idem author ex Coroniſtis Æ*n*oclis Rhodii refert. Dicebant autem in collectione iſta, vt Athenæus lib. 8. cap. 10. ex Phœnice Colophonio Iamborum ſcriptore refert:*

Ἐσθλοὶ κορώνῃ χεῖρα πρόσδοτε κριθῶν
Τῇ παιδὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἢ λέχος πυρῶν,
Ἢ ἄρτον, ἢ ἥμαιθον, ἢ ὅτι τις χρήζει.
Δότ' ὦ 'γαθοὶ τῶν ἕκαστος τὶς ἐν χερσὶν ἔχει
Κορώνῃ καὶ ἅλα λήψεται χόνδρον
Φιλεῖ γὰρ αὕτη πάγχυ ταῦτα δαίνυσθαι.
Ὁ νῦν ἅλας δοὺς, αὖθι κηρίον δώσει.
Ὦ παῖ θύρηναν κλεινὴ πλοῦτος ἤκουσε,
Καὶ τῇ κορώνῃ παρθένος φέρει σῦκα.
Θεοὶ γένοιτο μετάμεμπτος ἡ κόρη
Κἀφνειὸν ἄνδρα κὠνομαστὸν ἐξεύροι,
Καὶ τῷ γέροντι πατρὶ κοῦρον εἰς χεῖρας,
Καὶ μητρὶ κούρην εἰς τὰ γοῦνα κατθείη
Θαλός. Τρέφειν γυναῖκα τοῖς κασιγνήτοις.
Ἐγὼ δ' ὅκου πόδες φέρουσι ὀφθαλμοὺς.
Ἀμείβομαι μούσαισι πρὸς θύρας ᾄδων
Καὶ δόντι καὶ μὴ δόντι πλείονα τῶν γε.
Καὶ ἐπὶ τέλει δὲ τοῦ ἰάμβου φησίν:
Ἀλλ' ὦ 'γαθοὶ ἐπορέξαθ' ὧν μυχὸς πλουτεῖ
Δὸς ὦ ἄναξ καὶ σὺ πολλά μοι νύμφη,
Νόμος Κορώνῃ. χεῖρα δ' ἂν ἐπαιτέσῃ
Τοιαῦτ' εἰδὼς δός τι καὶ καλῶς χρήσει.

Hoc eſt, Natale de Comitibus Interprete

Boni Coronæ tradite hordei manum,
Vel tritici puellæ Apollinis ſacri,
Panémue, ſeu merum, quod aut cuiuis libet.
Date ô boni quod quilibet manu tenet
Veſtrum Coronæ, nam ſaltem & chrondrum capit.
Libenter illa prorſus hiſce veſcitur.
Ceras dabit rurſus ſalem qui nunc dedit.
Puer thorenam inclyte Plutus audiit.
Ficus Coronæ Virgo multas attulit.
Dei fit illa mox petenda ab omnibus.
Et ſplendidum inueniat virum, atque diuitem.
Mox filium patri ſeni det in manus,
Matris puella laudat inter & genua
Germen, mulierem fratribus nutrire dehinc.
Ego pedes quò contulere lumina
Rependo muſis ad foros cantans ſtatim,
Non dantibus vel plura dantibus ſimul

Et in fine Iamborum inquit:

Sed ô boni date intima, eſt diues quibus
Domus, dato Rex, túque Nympha multa da,
Mos eſt Coronæ: quæritanti ego manum
Cùm noueris da quidpiam, reſponſa mox dabit.

Κοτύτια.

K*Οτύτια ſeu* Κοτύτις*, vtrunque enim inuenitur, Feſtum fuit in honorem* Κοτυτοῦς *turpitudinis Deæ à Corinthiis præcipuè celebratum. Vnde & Eupolis ob odium in Corinthios dæmonis huius Sacra mirè exagitat in fabula illa quæ inſcribitur* Βάπται. *Meminit Heſychius & Suidas, nec non Iuuenalis Satyra 2. de ſacris Bonæ Deæ.* *Cotyttia Corinthiorum.*

Exagitata procul non intrat fœmina limen:
Solis ara Deæ maribus patet: ite profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu:
Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda.
Cecropiam ſoliti baptæ laſſare Cotytto.

Hinc & in poëmatis Vergilianis illud:

Non me vocabis Pulchra, at Cotyttia,
Ad feriatos faſcinos, &c.

Et Horatius in Canidiam: Inultus vt tu riſeris Cotyttia: *quo loco Porphyrion ait, ſacra eſſe inferorum. Sed ridiculè ait, forſan deduci à Cocyto fluuio inferorum. Quin & Merula Cocyton in Iuuenale Proſerpinam interpretatus eſt, illud perperam etiam,* Rapram Cocytos oſtreoſa diuam: *quare etiam Domitium meritò & illum ridet Politianus, qui Baptas ait, Sacerdotes eius Deæ nuncupatos, vnde nomen fabulæ factum: & cætera quæ cap. 10. Miſcellaneorum habet: vbi inter alia quoque indicat, Athenienſes hoc ſacrum à Thracibus uſciuiſſe, in eóque nocturnas peruigilationes inſtituiſſe, quæ deinde magnorum flagitiorum cauſa fuerint.*

Κοτύτια etiam celebrata in Sicilia ex Plutarchi

Corytia in Sicilia.

torchi libro Prouerbiorum, ſi modò eius eſt, intelligitur, Nam in Prouerbio ἁρπαγὰ κοτυττίοις Rapta Cortittiis, κοτυττὶς, *inquit*, ἑορτή τις ἐστὶ σικελικὴ, ἐν ᾗ περὶ τινας κλάδους ἐξάπτοντες, πόπανα καὶ ἀκρόδρυα ἐπέτρεπον ἁρπάζειν, *id eſt*, Corytris Feſtum eſt quoddam apud Siculos, in quo placentæ & arborum fœtus ramis alligabantur, eáque diripienda proponebantur. *Putârim ergo nihil aliud eſſe quàm Myſteria parua Cereris, ob Proſerpina raptum in Sicilia inſtituta.*

Κυβερνήσια.

K*Τβερνήσια ſunt dies Feſti, à Theſeo, ex Creta redeunte, inſtituti, & celebrati Athenis in honorem Nauſithoi & Phaacis: quorum illo gubernatore, hoc verò Prora rectore vſus eſt. Plutarchus in Theſeo de his ambobus loquens, inquit:* ἑ τλὼ ἑορτλὼ τὰ κυβερνήσια φησὶν ἐκείνοις τελεῖσθαι. *Meminit etiam Cælius L. A. lib.* 18. *cap.* 17.

Λαγυνοφόρια.

Lagenophoriorum origo & ritus.

A*Thenæus initio libri* 7. *Eratoſtenis teſtimonio comprobat, Alexandria* Λαγυνοφόρια *fuiſſe Feſtum quoddam à Ptolemæo inſtitutum, multarum aliarum quoque ceremoniarum & Bacchi cultum pertinentium inuentore, in quo oliua ramos geſtârint*, καὶ ἐδείπνουν κατακλιθέντες ἐπὶ στιβάδων, καὶ ἐξ ἰδίας ἕκαστος λαγυνῶν παρ' αὐτῶν φέροντες ἔπινον, ac cœnârint in lectulis accumbentes, & ex ſua quiſque lagena biberit, quam ſecum domo detuliſſet: *quòd etiam in Feſto* χόων *ſolitum fuit fieri: & inde Feſtum nomen ſuum ſortitum eſt. His vt nomine, ita reipſa quoque reſpondent Chriſtianorum quorundam* Othmaria (*qua etiam S. Othmari lagena vocantur*) *potationibus peruigilibus celebrari ſolita: de quibus ſuo loco plura.*

Othmaria Chriſtianorum.

Λαφρεῖα.

Laphria Diana celebrata, & vnde dicta.

ΛΑφρία *Feſtum fuit Patrenſium & Calidoniorum, in honorem Dianæ celebratum, qua colebatur in arce Patrenſium, & de Phocenſis Laphrij nomine, eius ſtatuæ authoris,* Laphriæ *adepta cognomentum eſt apud Calidonios, quod & apud Patrenſes obtinuit, illuc tranſlato ſimulacbro. Sunt tamen qui Deam ita malint dictam, quòd eius* μήνιμα ἐς Οἰνέα, *tandem Calidoniis factum foret* ἐλαφρότερον: *id eſt*, quòd ira ejus aduerſus Oeneum ſingulis annis mitigaretur: *Pauſanias in Achaicis: vbi porrò indicat, in hoc annuo Feſto ritum patrium ſacrificandi talem fuiſſe.* Ligna circa aram vndique appoſuerunt viridia, quorum ſingula fuerunt decem & ſex cubitorum longa. In interiori aræ partæ ligna fuerunt aridiſſima. Sub Feſti tempus aſcenſum ſtruxerunt ad aram, ingeſtâ ad aræ gradus terrâ molliori. Ac primùm quidem pompam Dianæ magnificentiſſimam celebrârunt, & virgo Sacerdos vltima inuecta eſt poſt pompam, ceruis curriui ſubjunctis. Poſtero autem die ſacrificia perſoluerunt. Publicè item ciuitas non minus, quàm priuati homines, quadam cum æmulatione Feſtum hoc celebrârunt. Volucres enim viuas aræ injecerunt, & omnis ſimul generis victimas. Apros deinde, ceruos & capreas. Nonnulli etiam luporum & vrſorum catulos. Nonnulli feras grandiores. Appoſuerunt aræ & hortenſium arborum fructus. Poſt hæc ligna incenderunt. *Teſtatur Pauſanias, ſe vrſum vidiſſe & alia animalia, ad primum ſtatim ignis impetum exilire, quadam verò robuſtiora effugere, ſed eos qui antè iniecißent, ad pyram reducere: vulneratum autem à feris neminem. Meminit etiam Cælius L. A. lib.* 13. *cap.* 34. *& Gyraldus de Diis Syntag.* 12.

Laphriorum ritus.

Λαμπτηρία.

A*Pud Pallenenſes templum fuit, in quo Feſtum agebatur Baccho,* λαμπτῆρι, *quod* λαμπτηρίαν *vocabant, à facibus & ſplendore. Noctu enim ea ſolennitas celebrabatur, facéſque ad templum ferebant, atque ita benè poti, craseres per totam vrbem ſtatuebant, quo melius quiſque Deum coleret, vt Pauſanias indicat in Achaicis: refert etiam Cælius lib.* 15. *cap.* 15. *& Gyraldus de Diis Syntag.* 8.

Lampteria vnde dicta & eorũ ritus.

Λιθοβολία.

Λ*ιθοβολία Feſtum fuit, quod ab Epidauriis in Damia & Auxeſia honorem celebrabatur, Pauſaniâ teſte in Corinthiacis. Cùm enim Epidaurus infructuoſa eſſet, Epidaurij de hac calamitate Delphicum conſuluere oraculum. Quibus Pythia reſpondit, vt Damia & Auxeſia qua in Trœzeniorum ſeditione lapidata fuerant ſimulachra erigerent, & ſi erexiſſent tum demum eis benè futurum. Sciſcitantibus autem Epidauriis, vtrum ex ære facerent illa an ex lapide, reſponſum fuit, ſe è neutro velle, ſed ex ligno oleagino, oleæ tamen, non oleaſtri. Quum autem nuſquam gentium illâ tempeſtate oleæ inuenirentur niſi Athenis, rogabant Athenienſes, vt ſibi permitterent oleos ex ſuo agro incidere: Id ſe permiſſuros Athenienſes dixere ſi quotannis illi ſacra Mineruæ Poliadi & Erechtheo afferrent. Acceptâ conditione Epidaurij qua rogabant impetrauerunt, & ſimulachra ex his oleis fabri-*

Lithobolia origo.

fabricata ſtatuerunt: terráque ſua fructum eis ferente, quod conuenerat, Athenienſibus perſoluebant, Feſtúmque ab inciſione illa lignorum Λιθοβολίαν *appellârunt, vt Herodotus in Terpſichore indicat.*

Λοχεῖα Ἴσιδος.

P*Lutarchus in Oſiride teſtatur, Ægyptios dies Puerperij Iſidis poſt æquinoctium vernum Solennes agere. Verba eius ſunt:* τὰς δὲ λοχείους ἡμέρας (Ἴσιδος) ἑορτάζουσι μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν.

Λύκαια.

Λύκαια *Latinè* Lupercalia, *fuere Feſti dies ac Ludi Arcadum, à Lycaone Rege in honorem Iouis Lycæi inſtituti, ac poſtea ab Euandro in Italiam tranſlati Natalis Comes libro 9. Mythol. cap. 6. Pauſanias ab initio Arcadicorum teſtatur, hoc Feſtum & certamen* Ἀθήναια *appellatum fuiſſe, & poſtea Theſeum* Παναθηναίων *nomen ei dediſſe.*

Μαγοφονία.

Mago-phoniorum origo.

Μαγοφονία, Magorum occiſio *vel cædes, videlicet Smerdis & fratris Patizithis, aliorumq́; qui regnum Perſidis inuaſerant, celebre apud Perſas Feſtum fuit, quotannis religioſiſſimè celebrari ſolitum, in memoriam eius diei, quo ſeptem Principes Achæmenides Magos oppreſſerunt, qui malis artibus regnum ad ſe traduxerant Cambyſe mortuo, vt author eſt Herodotus in Thalia. Vbi etiam addit, Magos hoc Feſto die domi ſe continere, nec foras prodire, magni illius diei metu, quo omnes fuiſſent interfecti niſi nox ſuperueniſſet. Sic in Epit. Cteſiæ legitur,* ἄγεται τοῖς Πέρσαις ἑορτὴ τῆς μαγοφονίας, καθ' ἣν Σφενδαδάτης ὁ μάγος ἀνῄρηται, *agitur apud Perſas Feſtum Magophoniæ, in quo Sphendadates Magus occiſus eſt.*

Μαϊουμᾶ.

Maiuma Orientale Feſtum.

S*Vidas, itemq́; Alciatus lib. 5. Parerg. cap. 5. & Balduinus eum ſequuti, volunt* Maiumam *Feſtum fuiſſe à Romanis menſe Maio ad Oſtia Tiberina celebrari ſolitum. Nullus autem antiquorum, aut recentiorum, qui res Romanas proſecuti ſunt, nec inſuper Calendarium ipſum Feſtorum dierum Gentilium, quod ſummâ diligentiâ nunc eſt editum, vllum de hac celebritate verbum facit. Et Plutarchus in Problemat. quæſt. 86. dum de his agit quæ Romani menſe Maio agere ſolent, nullam prorſus de his quæ à Suida ſcribuntur, mentionem facit. Præterea non in Occidentalibus Oris, ſed in Oriente,* Maiumæ ſpectaculum *habitum, ex Arcadij Imperatoris Orientalis legibus, quas paulò poſt referemus, ſatis compertum habetur: nam illæ ab Arcadio editæ ſunt, ad Majuma ſpectaculorum obſcœnitates coërcendas, quæ in Oriente ſub eius imperio exercebantur. Vel quo iure Orientis Imperator Conſtantinopoli leges dediſſet de his quæ Romæ agebantur, cùm Orientali imperio tunc Honorius præeſſet?*

Spectacula autem celebritatis huius fœdiſſima fuiſſe, latæ ab Arcadio leges ſatis manifeſtè ſignificare videntur. Nam lib. 11. Cod. Iuſtin. & l. vnic. de eodem Arcadius Imp. præcipit, vt celebritas hæc reſtituatur, excluſâ omni turpitudine, Clementiæ, *inquit,* noſtræ placuit, vt Maiumæ prouincialibus reddantur, ita tamen, vt ſeruetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeueret. *Et ea ipſa videntur fuiſſe, aduerſus quæ D. Chryſoſtomus declamat in homilia de Dauide & Saule: ſic enim ait,* Non metuis, non expaueſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in Orcheſtra, ſpectas, vbi deteſtandæ adulterij fabulæ peraguntur, iiſdem hic ſacram menſam intueris? &c. *Omnium enim libidinum imagines tam verbis quàm reipsâ repræſentari illis obſcœnis ludis, oſtendit: Idémque vetuit,* ne qui illis ſpectaculis interfuiſſent, in eccleſiam ingredi præſumerent, niſi prius peccatum per pœnitentiam expiâſſent. *Etiam illud videtur, his Chryſoſtomi declamationibus impulſum fuiſſe Arcadium Imp primò vt eam legem ferret, quæ à Maiuma, quæ eſſent fœda & obſcœna, reſecaret; deinde verò, vt poſt biennium, Conſule Theodoro, iterum lege latâ prorſus abſcinderet ac prohiberet. Iulianus Apoſtata quoq́; in Miſopogone Antiochenos de Maiumis feriis redarguit, ait:* Vnus quiſque veſtrûm priuatim in conuiuiis & feriis Majumæ pecuniam effundit: pro nobis ipſis & communi ſalute neque priuatim, neque publicè ſacrificatis. *&c.*

Maiumorum ſpectaculorum turpitudo.

Quod autem ad nomen attinet, non aliunde id quàm à ciuitate Maiuma *habere exiſtimo. Fuit illa ciuitas in Palæſtina, quæ &* Nauale *ſeu* Portus Gazę *dicebatur: poſtea verò à Conſtantino Imp. dicta eſt* Conſtantia: *ſed Iulianus Apoſtata: in odium illius, & nomen & priuilegia collata in eam abſtulit, & Gazais iterum ſubjecit, quæ per Synodum in priſtinũ reſtituta eſt: de quibus vide Euſebium in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 37. & 38. Sozom. lib. 2. ca. 4. in fine: & lib. 5. c. 3. Nicephor. lib. 8. c. 33. & lib. 1. c. 4. In hac enim ciuitate impudentiſſimè colebatur Venus, cuius turpiſſimum ſimulachrum in loco, qui Tetramphodos dicebatur, ad Arcadij vſque tempora libidinum illecebris palàm expoſitum permanſit.*

Ratio nominis Maiumæ ciuium.

Μαρκελ-

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ.

Marcellorum origo.

SYracuſanos in honorem Marcelli Romanorum Imperatoris diem Feſtum inſtituiſſe, quem Marcellea nominârunt, Cicero teſtatur Oratione 7. in Verrem his verbis: Quem illi (*Syracuſani*) diem (*Marcellea*) Feſtum cùm recentibus beneficiis M. Marcelli debitum reddebant, tùm generi nomini, familiæ Marcellorum maximâ voluntate tribuebant. *Pro ea autem Verrea repoſita à Verre, idem author eadem loca his verbis grauiſſimè obiicit Verri:* Tu Syracuſanos vnum diem Feſtum Marcellis impertiri, vetuſti, per quos illi adepti ſunt, vt cæteros dies feſtos agere poſſent. At verò præclarum diem repoſuiſti, Verrea vt agerent, & vt ad eum diem, quæ ſacris epuliſque opus eſſent, in complures annos locarentur.

ΜΟΥΤΙΑ.

Mutiorum origo.

COelius libro decimo octauo, capite duodecima, ex Pediani ambuſtis theſauris refert, *Q.* Mutium Aſiam ſingulari prudentiâ rexiſſe, adeò vt dies feſtus, à Græcis honori ejus inſtitueretur, quem Mutia vocârint. *Meminit eius & Cicero Orat. 7. in Verrem, his verbis:* Mithridates in Aſia, quum eam prouinciam totam occupâſſet, Mutia non ſuſtulit: Hoſtis, & hoſtis in cæteris rebus nimis ferus, & immanis, tamen honorem hominis, Deorum religione conſecratum, violare noluit.

Μεγαλάρτια.

MΕγαλάρτια, *vt nomen ipſum indicat*, Magnorum Panum *Feſtum fuit. Scribit enim Athenæus libro tertio, capite octauo*, Ἡλιάδ☉ Semi, τὰς ἀχαΐνας ἄρτας, μεγάλας, *Theſmophoriјs fieri ſolitos: ac feſtum qua efferantur appellari* μεγαλάρτια: *eas autem qui offerant, canere ſe offerre* Ἀχαΐνην ςέατ☉ ἔμπλεον τεάγον κλιβανίτην, Achæinam adipe plenum hircum clibanarium.

Μουνύχια.

MΟυνύχια *Sacra & Feſta fuerunt, in honorem Dianæ celebrata, quæ dicta fuit* Μουνύχια *à portu eiuſdem nominis Athenienſium munitiſſimo, in quo templum habuit. Et quia* Μουνυχιῶνι *menſe celebrata ſunt, nomen quoque inde accepit.*

Μουσῶν καὶ Διὸς Πανηγύρις.

Feſtum hoc à quo & cur inſtitutû.

ARchelaus Rex Ioui & Muſis ſcenica certamina inſtituit, in diem nonum producta, quòd Muſarum ſingulis ſuus foret deſtinatus dies: ea celebrauit Alexander Macedo in Perſas bellum moturus Cœlius lib. 20. cap. 10.

Fuiſſe etiam apud Theſpienſes Muſarum ludos, qui μουσεῖα *dicti fuerunt, Pauſanias in Bœot. & Natalis Comes lib. 7, Mytholog. cap. 15. indicant: in ijs proponebantur cantilonarum & harmonia præmia victoribus.*

Μονοφαγία.

Monophagiorum origo & ritus.

MOnophagia *apud Æginenſes celebritas fuit, quam Plutarchus in Quæſtion. Græcis quæſtion. 44. ferè his verbis deſcribit:* Cùm in bellum Troianum profecti eſſent multi Æginetæ, ac pauci inde diuerſis de cauſis rediiſſent, clàm quiſque ſuos domi comites excipiens, ipſimet in conuiuiis miniſtrabant, nec alienum quenquam admittebant. Hoc igitur imitantes Neptuno rem Diuinam facere ſolebant, thyaſos exercebant, & ſexdecim dierum ſpatio ſilentio inter ſe conuiuia celebranter, ac Veneri deinde operantes, tandem ſolenne feſtum ſoluebant, inde μονόφαγοι, *id eſt*, ſolitariè veſcentes appellati. *Illorum ſacrorum, epularúmque præſes* θυσιάρχης, *& locus in quo conuiuia exercebantur*, θιασεῖον *fuit dictus, Heſychio teſte. Vide etiam Eraſmum in Prouerbio*, μονόφαγοι.

Μητρῷα ſeu Matris Magnæ vel Deûm Orgia & Feſta.

Eque & vbi Matralia inſtituta ſunt, quo ritus.

MAgnæ matris Orgia ſeu Feſta à Græcis vocata fuiſſe Μητρῷα, *quaſi tu dicas* Matralia, *ex Plutarchi aliquot locis intelligitur. Nam in libello de Orac. Pyth. ita ſcribit:* Τὸ ἀγυρτικὸν, καὶ ἀγοραῖον, καὶ περὶ τὰ μητρῷα καὶ Σεράπεια βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος, *vbi de* μητραγύρταις *loquitur. Et in lib. de Amoribus*, τὰ γὰρ μητρῷα *inquit*, καὶ πανικὰ κοινωνεῖ τοῖς βακχικοῖς ὀργιασμοῖς. *Et paulò poſt*, τῶν ἐνθεαζομένων παύεται ὁ αὐλὸς ἐν τοῖς μητρῴοις, καὶ τὸ τύμπανον ἐξίστησιν ἡμῖν τὸ αὐτὸ σῶμα. *Idem ad Colot.* οὐδὲ μάγειρος ἐλελίζειας δεόμενος ἀλλὰ τὸ ἀγεραλωτῆς ἐκείνης ἢ τοὺς γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι. *Et* μητρῷον *Athenis* τὸ τῆς φρυγίας θεοῦ ἱερὸν, *hoc eſt, Phrygiæ Deæ templum dicebatur. vt ait Pollux.*

A quo autem, & vbi hæc Feſta primà inſtituta fuerint Diodorus Siculus lib. 4. ſua bibliotheca nò vno modo commemorat. Primùm enim ſcribit,

ſcribit, Cælum ex Titæa conjuge liberos ſuſcepiſſe quinque & quadraginta, mulıebris ſexus duos, Reginam & Opem: quarum Reginam ætate & prudentiâ præſtantiorem in gratiam matris fratres omnes educâſſe, ideóque matrem Deûm dictam, nupſiſſéque Hiperioni fratri, ex quo Solem & Lunam genuerit: qui quum ſcelere auunculorum interiiſſent, ipſam in furorem verſam, cum tympanis, cymbaliſque terram ſuæ ditionis peragrâſſe, morémque eiuſmodi manſiſſe poſt ejus mortem. Addit Diodorus aliam fabulam: Menoem vetuſtiſſimum Phrygiæ Regem, ex vxore Dindymene filiam procreâſſe, quam exponi juſſerit in monte Cybelio: infantem à feris enutritam euaſiſſe in admirabilem pulchritudinem, inventámque à muliere paſteria educatam pro ſua, dictámque à monte in quo eſſet expoſita Cybelem, multas artes ingenij acumine & inueniſſe & edocuiſſe mortales: veluti cantum tibia, luſus, choreas, cymbalorum tympanorúmque ſonitus artem præterea veterinariam: & infantum morbis lenimenta: quibus quod multi curarentur pueri, idcirco eam Matrem magnam nominatam eſſe: quæ quum adoleuiſſet iuvenem amârit terræ illius, nomine Atym, ex eóque grauidam eſſe à Menoe patre, qui famâ de virtute factiſq; eius acceperat, reuocatam pro virgine: cuius flagitio cognito Atym & nutrices iuſſu Regis affectos eſſe ſupplicio: Cybelem amore incenſam ex deſiderio Atys inſaniiſſe, domóque paterna egreſſam ſolam cum fiſtula & tympano, paſſis crinibus totam regionem peragrâſſe, veniſſéque in Nyſam ad Dionyſum. Aliquot veró annis poſt eam jam mortuam, quum & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo juſſi ſunt Phryges Atyos corpus ſepelire, & Cybelem venerari vt Deam. Conſumptum autem Atyos corpus quum non inuenirent, imaginem eius fecere, circa quam planctu & lamentis ſacra inibant. Cybelis verò ara erecta ei ſacrificârunt. Hinc ſacra ceremoniaque Magnæ Matris Deûm orta. Poſtmodum enim Peſcinunte oppido Phrygia ſumptuosè conſtructo templo, honores illi ſacráque ſolennia conſtituere, Midâ Rege ad ea plurima conferente.

Rurſus tamen idem author lib.6.cap.11. de iiſdem orgijs ſic refert: Iaſus ſumptum vxore Cybele genuit Corybantum: verum ad Deos tranſlato Iaſó, Dardanus ejus frater ex Iove & Electra, Cybele ac Corybantus Sacra Deorum Matris in Phrygiam detulerunt, Corybantus eos qui matris ſacrificiis præerant, appellauit ab ſe Corybantas, *Dionyſius verò Halicarnaſſ. hoc ipſum libro primo aliter commemorat:* Idæus, *inquit*, Dardani filius cum patre exercitûs montes incoluit, qui nunc Idæi ab illo vocantur: vbi condito matri Deûm templo myſteria & ſacra inſtituit, quæ an hæc vſque tempora durant per totam Phrygiam.

Herodianus libro primo, originem huius Feſti aliter refert, ſic enim ſcribit: Ipſum ſimulachrum cœlitus, vt aiunt, demiſſum, neque qua ſit materia, nec à quo fabricatum artificè ſatis conſtat, neq; planè hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidiſſe cælitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Peſſinunti (Πεσσινοῦς) Τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ ἀρχῆς.

Facta autem hæc Sacra die nono lunæ Nicander innuit in Alexipharm. Matralia quo die celebrata.

Ἠὲ κερνοφόρος ζάκορος βωμίστρια Ῥείης
Εἰνάδι λεισφόροισιν ἐπιχρίμπτουσα κελεύθοις,
Μακρὸν ἐπεμβοάα γλώσσῃ θρόον, οἱ δέ, ξένοι ὣς
Ἰδαίης ῥιγηλὸν ὅτ᾽ εἰσαΐουσιν ὀλαγμὸν
Vtque Rheæ matris olim Divina Sacerdos
Ipſa viis lunæ jam nona luce propinquat,
Clamorémque altum tollit: &c.

ΜΙΘΡΙΑΚΑ.

Μίθρας & Μίθρης *apud Perſas dicebatur Sol,* ὁ ἥλιος. *Ei, tanquam ſummo Deo Feſta & Sacra celebrabant, quæ* μιθριακὰ *vocabant, quibus non niſi per gradus quoſdam pœnarum initiatos ferunt, vt oſtenderent, ſeſe veluti* ἀπαθεῖς *& indolentes. Hoc die Feſto ſoli Perſarum Regi ebrium licebat fieri. Sic enim Athenæus lib.10.cap.11.ex Duridis hiſtoriarum lib.7. ſcribit:* ἐν μόνῃ τῇ ἑορτῇ τῇ ἀγομένῃ ὑπὸ Περσῶν τῷ Μίθρῃ, βασιλεὺς μεθύσκεται, καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται· τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς κατὰ τὴν Ἀσίαν, ἀλλὰ πάντες ἀπέχονται κατὰ τὴν ἡμέραν ταύτην τῆς ὀρχήσεως. *Hoc eſt:* In ſolo Feſto, quod agunt Perſæ in honorem Solis, Rex fit ebrius, Perſicóque more tripudiat. Ex aliis verò nullus eſt in Aſia qui tripudiet hoc die, ſed omnes ſolent abſtinere. Mithria quale feſtum.

Νηστεία Ταραντίνων.

Ælianus lib.5. variæ hiſtoriæ c. 20. refert, cùm Tarentini Magnæ Græciæ populi Tarento obſiderentur à Romanis, periculúmque eſſet, ne fame ad deditionem compellerentur, Rheginos decimo quoque die decernentes ieiunium, victum conceſſiſſe Tarentinis: proinde quum decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentinos Feſtum conſtituiſſe, quod Νηστείαν Ieiunium *appellârint.* Feſti huius origo.

Soli etiam ſunt iidem Tarentini ſingulis ferè menſibus boues ſacrificare, conuiuiaque publica facere, ita vt priuatorum multitudo ſemper

ferè

Digitized by Google

ferè inter pocula congreſſúſque verſata ſit. Eius rei huiuſmodi rationem reddiderunt: reliquos homines dum laborant, & ſunt in operis, victum ſibi comparare conſueſſe: ſe verò per conuentus & voluntates frequentes de victu non eſſe ſolicitos, ſed iam viuere, vt Athenæus refert ex libro quinquageſimo ſecundo, Theopompi Philippicarum hiſtoriam lib. 4. Dipnoſophiſtarum.

Οἰνιςήρια.

Oeniſteriorũ origo.

OIνιςήρια, *vt habet Stephanus in Theſauro linguæ Græcæ, Feſtum & Sacrificium fuit, quo ephebi comam poſituri libabant Herculi. Sic enim Euſtathius,* Οἰνιςήρια *(pro quo tamen in omnibus exemplaribus legitur* Οἰνιαςήρια *)* σπονδὴ πληρωθεῖσα τῷ Ἡρακλεῖ ὑπὸ τῶν ἐφήβων πρὶν ἀποκείρασθαι. *Et Heſychius,* Ἀθηνῃσιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου· καὶ σπείσαντες, τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδοσαν πίνειν· ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο Οἰνιςήρια. *Pollux verò paulò aliter libro tertio, de* Οἰνιςηρίοις *his verbis ſcribit:* ἡ δὲ ὑπὲρ τῶν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγομένων παίδων οἴνου ἐπίδοσις, Οἰνιςήρια ἐκαλεῖτο. *Pamphilus autem Athenæum libro vndecimo.* Οἰνιςηρίαν *ponit pro capaci populo, vino repleto, quo Herculi libârint, qui ex ephebis excedentes ponebant pendulas comas. Verba enim eius ſunt:* Οἱ μέλλοντες ἀποκείρειν τὸν σκόλλυν εἰσφέρουσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον, πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν Οἰνιςηρίαν, καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσι διδόασι πιεῖν.

OLERIA.

O*Leria Feſta in honorem Mineruæ ſunt celebrata, in Olero vrbe Cretæ, vt Stephanus meminit, Et Cælius libro decimo octauo, capite vigeſimo ſexto, Gyraldus etiam Syntagm.* 11.

Ονομαςήρια.

ONομαςήρια *Feſtum quoddam fuit apud Græcos, quod celebrabatur ob impoſitionem nominis, vt* γενέθλια *ob natiuitatem: apud Greg. Nazianzenum.*

Ονομάτη & Ηράκλεια.

E*X Solennitatibus, quas Sicyonii Herculi egerunt, priorem* Ονομάτην Onamatam, *id eſt, Nominatam appellârunt:* Ἡράκλεια Herculanam *poſteriorem: Pauſanias in Corinthiacis.*

Παμύλια.

Pamylia vnde facta & eorũ origo.

P Amyliorum *Celebritas Ægyptiaca à Pamyle Oſiridis nutrice nomen habet. Hæc enim Thebis è Iouis templa aquatum egreſſa, audiuiſſe dicitur vocem iubentem, vt proclamaret, magnum Regem & benefactorem Oſirim natum eſſe: quâ ſpe illa acta Oſirim educauit, & in eius rei memoriam Feſtum hoc inſtitutum fuit, Phallophoriis valdè ſimile, vt Plutarchus in vita Oſiridis teſtatur, vbi inter alia hæc verba leguntur:* Παμύλην λέγουσι θρέψαι τὸν Ὄσιριν, ἐγχειρισθέντος αὐτῇ τοῦ Κρόνου καὶ τὴν Παμυλίων ἑορτὴν αὐτῷ *(legendum fortaſſe* αὐτῇ*)* τελεῖσθαι, φαλλοφορίοις ἐοικυῖαν. *Nam in eo ſimulachrum proponebatur & circumferebatur, cui tres teſticuli inerant, vnde & Priapo Deus ſimilis, Pammeles, teſte Heſychio, dicebatur. Sic enim Plutarchus loco citato ait,* pamylia Feſtum agentes, quæ Phallo, id eſt virilis membri ſimulachro adhibito fiunt, imaginem proponunt atque circumferunt, cujus tripius eſt penis. *Rationem deinde conſuetudinis huius enarrans, addit:* Nam Deus eſt principium, omne autem principium vi genitali multiplicat id quod ab eo producitur: multiplex autem ſolemus ternario notare, vt quum dicimus, O ter felices. Niſi potius ita ſentiendum eſt, triplum à veteribus fuiſſe vſurpatum propriè. Humida enim natura quum ab initio principium & ortus omnium eſſet rerum, tria prima effecit corpora, terram, aërem, ignem. Quæ enim fabula rei additur, membrum virile Oſiridis in flumen fuiſſe abjectum à Typhone, & Iſidem quum id non inueniſſet, ſimulachrum ejus adornâſſe, idque vt honoraretur & Phallus geſtaretur inſtituiſſe: ea huc facit, docétque genitalem vim & ſemen Dei pro materia prima habuiſſe humorem, & humoris interuentu coaluiſſe cum his quæ naſcendi facultate erant prædita. *Hæc omnia Plutarchus.*

Pamyliorum ritus.

Πανιωνία.

P Anionia *Feſtum & Sacrum fuit, quod communiter ab vniuerſis Ionibus in agro Epheſio Neptuno Heliconia ad Mycalem montem ac promontorium fuit celebratum, Herodoto lib. 1. teſte.*

Παννυχίς.

Feſtum hoc quale

ΠΑννυχὶς *fuit Feſtum quoddam Dianæ pernox, ſeu quod per totam noctem celebra-*

batur: ἑορτὴ ἀκτινεινὴ συν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, vt Heſychius exponit. Latini Pervigilium appellant: Liuius, Tacitus, Suetonius, Gellius. Plato Polit. libro primo. Παννυχίδα ποιήσουσι, ἣν ἄξιον θεάσασθαι. Plutarchus, συνουσίας μετ' ἀλλήλων ἔχοντες ἐχρῶντο, κώμοις καὶ παννυχίσιν. Idem de Curioſitate, βακχεῖα καὶ χορὰς καὶ παννυχίδας ἐξετάζων καὶ συκοφαντῶν. Athenæus libro quinto. ἐγένετο δὲ καὶ πεμματάπαντα ἐν ταῖς παννυχίσιν, ἐν αἷς πλεῖστον ὅσον χρόνον διηγρύπνουν χορεύοντες. Idem libro decimo tertio, ex Critia, παννυχίδας θ' ἱερὰς θήλεις χερσὶ ἀμφιέπουσιν. Rurſum Plutarchus in Sympoſio ſeptem ſapientum, τῇ τελευταίᾳ παννυχίδι ὕπης καὶ χορείας τινὸς καὶ παιδιᾶς περὶ τὸν αἰγιαλόν. Herod. libro tertio. παννυχίδος ἐπὶ τεθεῖσας εἰς μυστηρίων ζῆλον, priuilegia ad formam Cereris myſteriorum. Athenæus libro decimoquarto, capite decimonono, ſcribit, χαρίτας, quod placenta genus eſt fuiſſe propoſita præmia ταῖς παννυχίσι τῷ διαγρυπνήσαντι.

Πανος Feſtum.

Avthor eſt hiſtoriâ ſextâ Herodotus, ab Athenienſibus coli Pana Feſto & Sacris annuis, cum lampade. Refert etiam Cælius Rhodig. libro vndecimo, capite vigeſimo ſeptimo.

Ritus huius Feſti. In Arcadia quoque vbi Pan præcipuè cultus fuit, Feſtum in eius honorem celebrabatur, ἐν ᾧ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτε οἱ χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον ἔθυον, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσι. Vel aliter: Οἱ Ἀρκάδες ἐπὶ θήραν ἐξιόντες, εἰ μὲν ἀπορίας ἔτυχον, ἐτίμων τὸν Πᾶνα: Εἰ δὲ τοὐναντίον, σκίλλαις εἰς αὐτὸν παροίνουν, τοῦ ὄρους ὡρίων τῆς θήρας ἐπιστατεῖ. Μύνατος δὲ φησιν ἑορτὴν Ἀρκαδικὴν εἶναι, ἐν ᾗ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις βάλλουσι. Χῖοι δὲ ὅταν οἱ χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον θύσωσι, καὶ μὴ ἱκανὸν ᾖ τοῖς ἐσθίουσι, vt Calliergus Theocriti Scholiaſtes indicat. Huc alludit Theocritus εἰδυλ. ζ. his verſibus:

Κἢν μὲν ταῦτ' ἔρδοις ὦ Πὰν φίλε, μή τύ τι παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμως
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.

ΠΕΛΩΡΙΑ.

Pelariorum origo. Peloria certa fuit Theſſalorum Feſtiuitas, in honorem Διὸς πέλωρος Iouis Peloris inſtituta & celebrata, propterea quòd per Pelarum quendam Pelaſgo nuntiâſſet, montes & Theſſalica tempe terræmotu fiſſa eſſe, & è ſtagnantibus aquis, ſpacioſiſſimos pulcherrimóſque campos apparuiſſe. Occupatâ igitur illa regione feſtum in eius honorem celebrârunt. Ritus. Eius hæc fuit ratio: Ioui Pelorio ſacrificantes, eidem menſas ſplendidè paratas appoſuerunt. Sic enim Athenæus libro decimoquarto, capite decimoſeptimo, ſcribit, vbi fuſius de hoc feſto agit, θύοντες Διῒ Πελωρεῖ, τραπέζας τε λαμπρῶς κοσμοῦντες προτίθησιν. Ac omninò tanta cum humanitate, iucunditatéque feſtum illud celebrare ſunt ſoliti, vt in illo peregrinos omnes conuiuio exceperint, vinctos ſoluerint, & ſerui vna cum ſuis dominis ſumma cum licentia accubuerint epulatique ſint atque adeò ipſis domini miniſtrarint. Saturnaliorum igitur feſto apud Romanos hoc Theſſalorum ſimillimum fuit, ſicut etiam Macrobius libro primo, indicat, & Batti Synopenſis teſtimonio confirmat. Meminit eius & Cælius libro decimotertio, capite vigeſimotertio.

Similiter in Cydonia ſeruis quædam Feſta ſtatuta fuerunt, quibus liberi ciuitatem non ingrediebantur, ſed ſerui rerum omnium erant domini, atque liberos flagris cædere eis licebat, Athenæo authore lib.6.cap.7.

ΠΥΡΣΟΝ.

Feſti huius origo. Tradunt feſtum quoddam anniuerſarium ab Argiuis Πυρσὸν vocari: quoniam quum euaſiſſent periculum à Danao Lynceus & Hypemneſtra facibus parta ſolutis è longinquis ſpeculis ſigna prætulerunt. Solebant enim ſigna πυρσοῖς dari: vnde apud Pauſaniam πυρσὸν ἀνάψαι, πυρσὸν ἀνασχεῖν, Signum è ſpecula dare igne accenſo. Meminit huius Feſti Cælius libro vndecimo, capite vigeſimoſexto. Et Natalis Comes libro nono, capite decimoſeptimo, Mythologiæ his verbis: Cùm Hypemneſtræ beneficio Lynceus vnus eſſet ſuperſtes è tot fratribus, periculum tantùm euadens Lyrceam confugit, quod oppidum fuit illis temporibus non procul ab Argis, vt ſcripſit in Corinthiacis Pauſanias. Eo igitur in loco face ſublatâ Lynceus ſignum dedit ſe euaſiſſe omne periculum, quod ita conuenerat cum Hypemneſtra, vt deuitatis Danai inſidiis vbi in tutum ſe recepiſſet, ita facem ſublatam oſtentaret. Sic etiam paulò poſt Hypemneſtra vicißim facem Lariſſa ſuſtulit, quæ ſignificabat, ſe quoque omne periculum euaſiſſe. Quare manſit poſtea conſuetudo vt Argiui ad ejus rei memoriam Feſtum diem & ſolennitatem quotannis celebrarent, quum πυρσὸν, hoc eſt, Facem vocârunt.

Προμηθεία.

Lampadum, ſiue Facum certamina fuiſſe Athenienſibus tria, tribus dicata feſtis, Ariſto- Lāpadū 3. certamina Athenis

Ariſtophanis Scholiaſtes indicat his verbis: Λαμπαδηδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶ, Ἡφαίστῳ, Προμηθεῖ. *Idem in Ranis exponens hoc verſus Poëta,*

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός φέρειν
Ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί,
Iam nemo queat geſtare facem
Quòd non curant exerceri:

Scribit ſolitos fuiſſe λαμπαδουχεῖν ἐν Ἡφαιστείοις καὶ Παναθηναίοις: *Athenis autem fuiſſe gymnaſium* ἐν ᾧ ἐλαμπαδηφόρουν οἱ γυμνάζοντες: *&* τὸν τῆς λαμπάδος ἀγῶνα τρεῖς Ἀθήνησιν ἀγαγέσθαι, *Feſto Promethei, Vulcani & Panathenais: De Prometheo autem, & certamine in eius Feſto celebrato in Pauſonia Atticis hæc extant, verba:* ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. Τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην ἐστίν. ἀποσβεσθείσης δὲ οὐδὲν ἔτι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δὲ ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν· εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. Εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *Quibus vtique ſignificat, eſſe in Academia dicatam Prometheo aram vnde lampada ſuccenſam geſtantes currendi in vrbem initia auſpicentur. Certaminis legem eſſe, toto curſu inextinctam ſeruâſſe facem: ſiquidem quum flamma perit primo nulla victoria ſpes. Praſtò autem ſecundus eſt, cui ſi itidem extinguatur, ea reiecto, ſubit tertius ac deinceps. Nemini prorſum victoria relicta, ſi omnibus lampadum interrextincta flamma euanuerit.*

Prometheorum ritus.

De hoc lucernorum ſeu lampadum ludo ab ipſo Prometheo inſtituta, ſic ſcribit Antonius Verderius: Prometheus templis atque aris coli meruit, &, quemadmodum Pauſanias ſcribit, ei ara Athenis in Academia erat dicata, ad quam ſtatis temporibus homines confluebant, ibique faces accendebant, quas geſtantes verſus ciuitatem currebant, ſerie quadam ſeſe ſequentes: horum, qui accenſam vſque ad vrbis ingreſſum conſervaſſent palmam ferebant: iis, qui præcedebant, ſi fortè eorum faces fuiſſent inter currendum extinctæ, locum cedentibus illis, qui proximè ſequebantur. Id hoc etiam modo fieri ſolebat: Erat vna tantùm fax omnibus communis, quàm currentes ſibi mutuò tradebant: iis, qui ponè, in eorum locum, qui erant antè, per ſucceſſionem quandam ſubeuntibus. Sed hic ritus, ſiue ludos appellare placeat, non ſolùm Prometheo ſacer erat (quanquam ab eo inſtitutus legitur) ſed in Vulcani quoque Minervæ cultum celebrabantur, neque ſemper pedibus, ſed interdum & equis currebant. Quare Adimantus apud Platonem, cùm Socratem hortaretur, ne ſocietatem quandam deſereret, dicit, veſperi eam ludis equeſtribus intereſſe, mutuò ſibi facem in Deæ, hoc eſt, Minervæ honorem tradentibus. Herodotus cùm Perſicum morem narrat, quo celerrimè nuntios mittebant (ſicut etiam apud nos eſt in vſu, cùm aliquid per diſpoſitos citatóſque equos mittimus: Semper enim poſt aliquod decurſum ſpacium in ſtathmis alii ſunt in procinctu, qui alios currentes & ipſi continuando excipiant) dicit, eos Græcorum conſuetudinem imitari, cùm currentes, facem quam Vulcano accenſam geſtant, per ſeriem ſibi mutuò præbent. De his ludis quidam memoriæ prodiderunt, eos Promethei factum referre, cùm ignem à cœlo ſublatum in terras detulit; atque ideò ita ab eo inſtitutos. Alii id ad humanæ vitæ curſum referunt: in quo, qui ætate anteeunt, vitæ lumine iis cedunt, qui ponè ſequuntur, vt eſt Platonis ſententia, qui libro de Legibus homines juſſit inter ſe prolis gratiâ inire conjugia, vt vitam, quam à parentibus ſunt mutuati, veluti ardentem facem, ipſi quoque apud filios ponant. Lucretius etiam de mortalium inter ſe ſucceſſione loquens, ſic inquit.

De Promethenis Ludis ex Anton. Verderio.

——Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Hæc Verderius: præter quem legi poſſunt de eodem ludo Ariſtophanis Interpres in Ranis, Plato lib.1 de Repub. Pauſanias in Atticis, Herodotus in Vrania, Cicero in Rhetoricis ad Heren.

Ad ludum illum ergo alludit Lucretius, vbi de animantibus agit, quæ ſucceſſione propagantur, vitâ per vices, ab aliis in alia transfuſâ. Et Plato quidem lib.6. de Legibus, vbi animam lumini comparans, viros, ait, oportere liberis generandis atque educandis operam dare, vt vitam, quam ipſi à Maioribus accepiſſent, viciſſim quaſi tædas ardentes poſteris tradant. Cur Diti oſcilla & Saturno lampades dedicata & in Saturnalibus præter ſigilla cereos miſſitare conſueuerint, egregiè diſſerit Pierius lib.64. Et de λαμπαδουχεῖν, *id eſt, more ferendi faces in Prometheis, Vulcaniis & Panathenaicis Sacris vſitato, vide Eraſmum in Chiliadibus. Inde & natum prouerbium,* Lampada tradere: *&* λαμπαδοδρομία, *curſus, in quo faces ſeu lampades accenſæ manu geſtabantur, certabatúrque quis primus ad ſcopum perueniret, non extinctâ lampade: &* λαμπαδοφορία, *lampadum geſtatio: &* λαμπαδοφορεῖν *lampadem geſtare. Lampadem geſtantem curſu certare:* λαμπαδοφόρος *Gratè,*

qui lucernam gerit: λυχνοφόρος *&* λαμπαδηφόρος*, idem: quem alio nomine* δᾳδοῦχον*, faciferum, tædiferúmque appellant* ἀδᾳδουχεῖν *faces præferre. Sic* λαμπαδίζειν *Ariſtophanis interpres dixit, pro lampada tenentem curſu contendere.*

Celebrabatur & Corinthii Agon Lampadromicus, de quo in Hellotia diximus. Scribit quoque Siculus Timaus, Athenienſium nauarchum Diotimum appulſum Neapolim ex oraculo Parthenopa rem Diuinam obiſſe, & curſum peregiſſe lampadicum, quem mox quotannis celebrârint Neapolita: vt etiam refert Cælius lib. 11. cap. 27.

Certamen ipſum ſeu curſus, in qua faces accenſa manu geſtabantur, certabatúrque quis primus ad ſcopum perueniret non extinctâ lampade, λαμπαδηδρομία *dicebatur:* λαμπαδηφόρος *curſor qui facem manu gerebat: quamvis Heſychius velit* λαμπαδηφόρον *dictum* τὸν νικήσαντα τὴν λαμπάδα. λαμπαδαρχία *verò munus publicum fuit, quo is fungebatur qui illi ſolenni certamini præfuit, curſoribus faces ſuppeditans & alios ſumptus qui ad hos ludos requirebantur. Sic enim Ariſtoteles lib. 5. Politic. cap. 8.* λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς μὲν, μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας, καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται.

Προτρυγέα.

H*Eſychius refert, Dionyſio & Neptuno Feſtum quoddam celebratum, quod Græci* Προτρυγέαν *appellârint: Latinè* Antevindemia *dici poſſet.*

Ποσειδῶνος Ογχήστου ἑορτή.

P*Auſanias in Bœoticis ſolennitatis cujuſdam meminit* Neptuni Oncheſtii *in qua Thebani occiderint Clymenum, Presbonis F. Phryxi nepotem.*

Ραψῳδῶν ἑορτή.

A*Thenaus ab initio lib. 7. meminit* Ραψῳδῶν *ſeu* Cantorum Feſti, *quod agebatur tempore Feſti Dionyſiaci: in qua ſinguli accedentes, veluti præmium, diis cantilenas perſoluebant: exoleuiſſe autem tandem refert.*

Σαρωνία.

T*Roezenij* Saronia *Feſta, in honorem Dianæ Sarania quotannis celebrârunt. Dicta autem ſic fuit Dea, quòd Saron Troezeniorum regulus Dianæ templum ad mare cænoſum extruxiſſet. Pauſanias in Corinthiacis.*

Σεμνῶν ἑορτή.

P*Ropè Aſopum, in iliceto Dearum viſebatur templum, quas* σεμνὰς *vocârunt Athenienſes, Sicyonii* Εὐμενίδας*, quarum diem Feſtum annis ſingulis egerunt die vnâ, oues immolabant vtero geſtantes, mulſo libabant, & floribus vtebantur pro coronis: authore Pauſaniâ in Corinthiacis: refert etiam Cælius lib. 12. c. 1.* Feſti horum ritus.

Σκιρεία.

I*N Arcadia Feſtum celebrârunt, quod* Σκιρείαν *nuncupârunt, in honorem Dionyſii, cuius non longè à Stymphalo templum fuit, in eo hoc feſto ex Delphici Apollinis reſponſa flagellabantur mulieres, quemadmodum & Spartanorum iuuenes ad Aram Orthia: vt Pauſanias in Arcadicis, & Cælius Lect. Antiquit. libro 18. cap. 1. indicant.* Sciriorum ritus.

Σεπτήριον.

Σ*Επτήριον, quaſi tu dicas* Venerativum, *ſeu* Adoratiuum, *vna fuit trium* ἐνναετηρίδων*, id eſt,* Novennalium ſolennitatum, *qua Delphis celebrabantur in honorem pugna Apollinis aduerſus Pythonem. Sic enim Plutarchus in Græcanicis Quæſtionibus, quaſt. 12.* Σεπτήριον imitationem habet pugnæ Apollinis, cum Pythone, & à pugnâ fugæ Dei ad Tempe aut perſecutionis. Alii enim fugiſſe eum ferunt, quòd peractâ cæde opus expiatione haberet: alii Pythonem ſaucium & fugientem via, quæ nunc Sacra dicitur, quum inſequeretur, ſuperveniſſe ei recens è vulnere mortuo, & funerato à filio, cujus nomen Αἴξ, id eſt, capra, perhibent. Septerij origo.

Ταρίχων ἑορτή.

P*Haſelita quoddam Feſtum quotannis in honorem Cylabra egerunt, in quo* ταρίχους*, hoc eſt, ſalſamenta ei ſacrificârunt. De eo lib. 7. Athenaus cap. 17. ſic ſcribit:* Heropythus in montibus Colophoniorum, de Phaſelidis ædificatione narrans, Lacium, inquit, qui Coloniam miſit Cylabræ opilioni ſalſamenta pro loci precio dediſſe, quæ ille petiverat. Nam quum ei propoſuiſſet Lacius, vt pro loco aut farinas, aut ſalſamentum quotannis ſacrificarent. Philoſtephanus igitur ſic etiam libro 1. de Civitatibus ſcribit: Quæ ſunt in Aſia, Lacium ferunt Argivum, vnum ex iis qui cum Mopſo profecti ſunt, quem Lindium eſſe nonnulli voluerunt, Antiphemique ejus fratrem qui Gelam Tarichorum origo & ritus.

condidit,

condidit, in Phaſelidem vnà cum viris à Mopſo miſſam fuiſſe ex diuinatione quadam Mantus Mopſi matris, ac nauium propriarum proræ vbi coiiſſent, fractas eſſe circa inſulas Chelidonias, infligentibus his, qui erant cum Lacio, quia ad noctem vſque prorogauerant. Fama eſt autem terram ibi eum emiſſe, vbi nunc eſt ciuitas, veluti prædixerat Manto, quum ſalſamentum Cylabræ dediſſet, hoc enim ille erat electurus. Indertaxerunt, vt Phaſelitę, Cylabram tanquam heroem honorantes, ſalſamentum ſacrificent.

Ταφὴ Ἄπιδος.

Feſti huius ritus.

PLutarchus *in libro de Oſiride indicat, Ægyptios* Ταφὰς Ἄπιδος Sepulturam Apidis *celebrantes Feſtum, animalia quadam producere, qua omnibus præſentibus vnò in ſepulchrum conijciant: exiſtimantes, hoc pacto ſe Typhoni, necatori Oſiridis, voluptatem inde precipientis, viciſſim moleſtiam obijcere, lætitiámque eius infringere. In alus etiam feſtiuitatibus ſacrificijs quibuſdam Typhonis authoritatem deprimebant contumeliíſque afficiebant, ignominiosè in his tractabant rufos, aſinúmque de præcipitio deiiciebant, quod Coptita facere ſolebant, propterea quòd rufus & aſinino colore fuiſſet Typhon. Et Buſirita ac Lycopolita tubarum vſu omninò abſtinebant, quòd harum ſonus voci aſinina ſit ſimilis: planéque animal illud non mundum, ſed genijs peculiare putabant, ob ſimilitudinem, quã ei cum Typhone conueniebat, vt Plutarchus eodem libro teſtatur.*

Τεσσαράκοστον.

Feſti huius origo.

TEſſaracoſton *tempus dicitur dierum quadraginta. Seruatum autem à veteribus tradunt, vti geſtantes vtero ante partum hoc dierũ numero ſacra ne adirent. Quin & à partu totidem, incommodis infeſtabantur plurimis, ſicuti infantes quóque per id ferme temporis morbidi ſunt, vti Cenſorinus docuit, ac ſine riſu, nec citra periculum. Quibus mox tranſactis Feſtum agitabant* Τεσσαρακοστὸν *ſimiliter nuncupatum: vt Cælius indicat lib. 27. c. 21. L. A.*

Τιθηνίδια.

Tithenidiorũ ritus.

TIθηνίδια *Latinè* Nutricalia *Feſtum fuit apud Lacedæmonios, de quo Athenæus lib. 4. ſic ſcribit:* Copidem parat ex Spartanis quicúnque voluerit alius: ἐν δὲ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι καὶ τοῖς τιθηνιδίοις καλουμένοις, ὑπὲρ τῶν παίδων, *id eſt*, & Copides in vrbe agunt etiã in Feſto quod Tithenidia vocant, puerorum gratia. *Quibus & hæc addit:* Nutrices pueros mares in agros per id tempus exportant, & ad Dianam Corythalliam nominatam, cujus templum eſt apud Traſſum, in iis locis qui ſunt Cletæ propinqui, copidáſque faciunt: mactant lactentes etiam porcellos, panéſque furnaceos in conuiuio apponunt. *Fuit autem* Κοπὶς *genus quoddam peculiare conuiuij apud Laconas, de quo Athenæus eodem loco plura. Meminit huius Feſti Cælius quóque L. A. lib. 27. cap. 25. his verbis:* Fuêre apud Spartanos cœnæ quædam dictæ Copides, in quibus immolabatur capra, nec aliud præterea quidpiam: indéque carnis diſtribuebantur portiones, & panes, qui vocabantur Phyſicilli: & alia ſumptus non magni. Celebrabantur & hæc conuiuia in Tittenidiis, quando tittæ, id eſt, nutrices pueros deferrent mares in Dianæ templum, &c.

Κοπὶς quid.

Τληπολέμια.

R*Hodi Tlepolemia agebantur, à Tlepolemi vxore Philozoe inſtituto, quorum erat præmium ex populo albo corona, vt Sardus indicat libro 3. de Moribus gentium.*

ΤΥΠΑΙ.

Typarũ ritus.

TΥπαὶ Typæ *Feſtum quoddam fuit apud veteres, vt Heſychius teſtatur & Cælius lib. 20. cap. 20. in fine forſan quo* ἐκτύπτων, *aut quo ſeſe mutuo* ἔτυπτον: *Suidas enim* τυπὰς *exponit* πληγάς. *Scribit nanque Herodotus lib. 2. Ægyptios quoſdam* προνηστεύσαντας θύειν, καιομένων δὲ τῶν ἱρῶν, τύπτεσθαι πάντας: ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνται, δαῖτα προτίθεσθαι τὰ ἐλίποντο τῶν ἱρῶν, *hoc eſt*, Ieiunare antequam ſacrificent: ardente autem ſacrificio omnes verberari: & poſtquam verberati fuerint dapes apponi ex ſacrificij reliquiis. *Quæ iiſdem propemodum mox verbis repetit, quum ait,* in ea Ægypti vrbe quæ Buſiris appellatur, quum Iſidis Feſta celebrant, τύπτονται μετὰ τὴν θυσίην πάντες καὶ πᾶσαι: μυριάδες κάρτα πολλαὶ ἀνθρώπων. *Vbi etiam ſubiungit,* οὔ οἱ ὅσιον λέγειν τὸν τύπτονται, fas ſibi non eſſe dicere quo nam inſtrumento verberentur. *Præterea Coras Ægyptũ incolentes* τὰ μέτωπα κόπτεσθαι μαχαίραις.

ΤΥΡΒΗ.

P*Eloponnenſes ad Eroſini in monte oſtia Baccho diem Feſtum egerunt, quem* Tyrbẽ *nominaſſe author eſt Pauſanias in Corinthiacis. Fortaſſe à* Turba, *quam* Τύρβη *ſignificat: quod in hoc, Feſtum inſano clamore, ceu in tumultu quodam, fœdis item & obſcœnis ritibus, ſicut Bacchanalia Græcorum, Romanorum & Chriſtianorum celebraretur.*

ΥΑΚΙΝΘΙΑ.

Hyacinthiorum origo & ritus.

Y Ακίνθια *Feſtum fuit, cùm apud alias gentes, tum præcipuè apud Lacedæmonios celebrari ſolitum: quod etiam* Ὑακινθοτρόφιον *nominatum fuiſſe Heſychius innuere videtur. De eo ſic ſcribit Athenæus lib. 4. ex Didymo & Polycrate,* Τὴν δὲ Ὑακινθίων θυσίαν οἱ Λάκωνες ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συντελοῦσι, καὶ διὰ τὸ πένθος τὸ γινόμενον περὶ τὸν Ὑάκινθον, οὔτε στεφανοῦνται ἐπὶ τοῖς δείπνοις, οὔτε ἄρτον εἰσφέρουσιν, ἀλλὰ πέμματα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα διδόασι, καὶ τὸν εἰς θεὸν παιᾶνα οὐκ ᾄδουσιν, ἀλλὰ μετ' εὐταξίας πολλῆς δειπνήσαντες ἀπέρχονται. Τῇ δὲ μέσῃ τῶν τριῶν ἡμερῶν γίνεται θέα ποικίλη, καὶ πανήγυρις ἀξιόλογος, καὶ μεγάλη. Παῖδές τε γὰρ κιθαρίζουσιν, ἐν χιτῶσιν ἀνεζωσμένοι, καὶ πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες, πάσας ἅμα τῷ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἐπιτρέχοντες, ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαιστῷ, μετ' ὀξέος δὲ τόνου τὸν θεὸν ᾄδουσιν. Ἄλλοι δ' ἐφ' ἵππων κεκοσμημένων, τὸ θέατρον, διεξέρχονται, χοροί τε νεανίσκων παμπληθεῖς εἰσέρχονται, καὶ τῶν ἐπιχωρίων τινὰ ποιημάτων ᾄδουσιν. ὀρχησταί τε ἐν τούτοις ἀναμεμιγμένοι, τὴν κίνησιν ἀρχαϊκὴν ὑπὸ τὸν αὐλὸν, καὶ ᾠδὴν ποιοῦνται. Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ καναθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται, πολυτελῶς κατεσκευασμένων, αἱ δ' ἐφ' ἁμίλλαις ἁρμάτων ἐζευγμένων πομπεύουσιν. ἅπασα δ' ἐν κινήσει, καὶ χαρᾷ τῆς θεωρίας ἡ πόλις καθέστηκεν. ἱερεῖά τε παμπληθῆ θύουσι τὴν ἡμέραν ταύτην, καὶ δειπνίζουσιν οἱ πολῖται πάντας τοὺς γνωρίμους καὶ δούλους τοὺς ἰδίους. οὐδεὶς δ' ἀπολείπει τὴν θυσίαν ἀλλὰ κενοῦσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν πρὸς τὴν θέαν. *Id eſt*, Hyacinthiorum Sacrum Lacedæmonii tribus diebus peragunt, & propter luctum ob Hyacinthum obortum neque coronantur in conviviis, neque panem inferunt, ſed bellaria & his ſimilia apponunt, neque etiam pæana Deo canunt, ſed ritè peractis conuiuiis diſcedunt. Medio autem trium dierum die, varium ſpectaculum celebratur, conventúſque fit egregius admodum & magnus. Pueri ſiquidem citharam in ſagulis ſuccincti pulſant, ad tibiámque canentes, omnéſque chordas in rhythmo anapæſto plectro percurrentes, cum acuto tono Deum concinunt. Alij in equis ornatis theatrum percurrunt, multique adoleſcentum chori, qui poëma aliquod vernaculum canunt, ingrediuntur, inter quos ſaltatores immiſti delitam motionem ad tibiam, cantúmque effingunt. Ex virginibus illæ quidem in concauitate lignei curtus viminei magnificè præparati vehuntur, illæ verò in certaminibus junctorum curruum pompam ducunt, vniuerſáque ciuitas in motu ſpeculationiſque gaudio detinetur, Permulta fiunt hoc die ſacrificia. Atque cives omnibus quos norunt, ſuiſque ſeruis conuiuium exhibent. Neque quiſpiam eſt qui ſacrificiis non interſit, ita vt tota ciuitas vacua maneat vniuerſis ciuibus ad ſpectaculum proficiſcentibus. *Meminere huius quoque feſti etiam Xenophon Hellen. 4. Phauorinus & Ouidius lib. 10: Metamorph. vbi ſic canit:*

Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon: honórque
Durat in hoc ævi, celebrandáque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Fiebat autem in Hyacinthi honorem, quem imprudens Apollo diſci jactu interfecit. Sunt qui nocturna hæc Sacra fuiſſe velint.

Ὑδροφορία.

Hydrophoriorum origo.

Y Δροφορία Hydrophoria *Feſtum fuit Athenis* πένθιμον ἐπὶ τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ ἀπολομένοις, *id eſt*, lugubre in memoriam eorum inſtitutum qui diluuio periiſſent, *vt ex Apollonio Suidas refert: meminit & Heſychius, itémque Cœlius lib. 18. c. 40. L. A. & Sardus lib. 3. de Moribus gentium.*

Fuit & Hydrophoria *ludi genus apud Græcos: vt refert Natalis Comes lib. 5. Myth. capite 4.*

Ὑστηρία.

H *yſteria Argiuorum Feſtum fuit, in quo ſus immolabatur Veneri. Sic enim Athenæus lib. 2.* Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. *De eodem etiam Alex. ab Alexan. lib. 3. cap. 12. ſic ſcribit: Fertur in* Theſſalia Caſtnienſis Veneris fanum fuiſſe & aliud in Sida Pamphyliæ, & in Aſpendo, & Argis, in Feſto quod Hyſteria dicitur: in quibus præter inſtitura, moréſque aliorum ſues mactare licet, cùm in cæteris nullo modo fas ſit. *Vnde & nomen feſti compoſitum videtur ex* ὗς θυηεία: *vide etiam Cœlium L. A. lib. 25. cap. 26.*

Φαγησία & Φαγησιποσία.

Feſti huius ritus.

Φ Αγήσια καὶ Φαγησιπόσια Phageſia & Phageſipoſia *Feſta erant, in quibus cibo potúque ad ſatietatem vſque exhilarabantur: vt ex initio lib. 7. Athenæi intelligitur, vbi ſic ait:* ἐπιτελουμένης δὲ ἤδη τῆς δειπνοῦ, τὴν φαγησίων ἑορτὴν συντελεῖσθαι νομίσαντες οἱ κυνικοὶ, πάντων μᾶλλον ηὐφραίνοντο. *Citat ibidem Athenæus locum ex Clearcho, quo indicat, hoc Feſtum exoleuiſſe. Sed non exoleuit, proh dolor, apud Chriſtianos.*

Φιριφατία.

Φερεφάττια.

Pherephattiorum ritus.

PHetephattia *Feſtum fuit Proſerpinæ, in quo apud Cyzicenos bos nigra Deæ immolabatur. Sic enim Plutarchus ſcribit in vita Luculli*: Τῆς τῶν φερεφαττίων ἑορτῆς ἐνεστώσης, οἱ μὲν ἠπόρουν βοὸς μελαίνης πρὸς τὴν θυσίαν, καὶ σταιτίνην πλάσαντες τῷ βωμῷ παρέστησαν. ἡ δ' ἱερὰ καὶ τρεφομένη τῇ θεῷ νομὴν μὲν εἶχεν ὥσπερ τ' ἄλλα βοτὰ τῶν Κυζικηνῶν ἐν τῇ περαίᾳ· κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν ἀποκριθεῖσα τῆς ἀγέλης, μόνη διενήξατο πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατέστησεν ἐπὶ τὴν θυσίαν ἑαυτήν. Aderant Pherephattia Feſta, nec bouem nigram, qualis in his ſacris mactari ſolebat, ob circumfuſum hoſtem parare potuerant, pro boue igitur placentam altaribus offerendam conficiunt. Victima verò quæ ad hæc ſacra quotannis educabatur, vnà cum reliquis ciuium armentis, in vlteriori ripa paſcabatur. Ea verò, quo die Feſtum agebatur, à cætero grege ſecreta ſola tranauit ad vrbem, & ſeſe ſpontè altari mactandum obtulit.

ΧΑΡΙΛΑ.

Charilorum origo.

XAρίλα, *Plutarcho authore in Hellenicis, quæſt. 12. eſt Feſti nouennalis nomen, quod Delphis celebrabatur. Eius fabuloſam originem Plutarchus eodem loco ſic commemorat*, Fame ob anni ſiccitatem vrgente Delphos: cum liberis & vxoribus ciues ad fores Regis ſupplices venerunt. Is farinâ & leguminibus notiores ſibi (non enim omnibus ſufficiebat) impertiit. Puella autem paruula quum accederet orba parentibus, & inſtaret petendo, calceo malam eius percuſſit, calceúmque in faciem eius coniecit. Hæc, vt erat animo minimè abiecto, pauper alioquin & deſerta, è medio ſe ſubduxit, cingulóque ſoluto fauces illigans ſeſe ſuſpendit. Tum creſcente penuriâ, & morbis accedentibus, Pythia Regi reſpondit: placandos eſſe manes Charilæ virginis, quæ ipſa ſibi mortem conſciuiſſet. Vix tandem inueſtigato, id nomen puellæ, quæ alapam accepiſſet, fuiſſe piaculare quoddam ſacrificium peregerunt, quod etiámnum nono quouis anno fit. Præſidet Rex, & farinam leguminàque impertit omnibus & peregrinis & ciuibus. Infertur puerile ſimulachrum Charilæ: poſtquam omnibus datum fuit, Rex id calceo ferit: quæ autem eſt Thyadum Princeps ſimulachrum ad confragoſum defert locum, ibíque collum fune cingentes ſimulachri, id defodiunt, vbi olim Charila ſepulta fuerat.

Χαρίτων τέμενη.

PAuſanias in Bœoticis indicat, Athenis in veſtibulo arcis tres Charites ſeu Gratias ſtare: ad has ſolenne celebrari, hominibus plebeis incognitum.*

Χαρμόσυνα.

XΑρμόσυνα, *Heſychio teſte, Feſtum quoddam fuit Athenis, quod Ægyptij σαίρει appellârunt, authore Plutarcho in Oſiride, vbi etiam rationem affert, quare ſic appellatum ſit*: Ἐγὼ δ', *inquit*, εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τοὔνομα τοῦ σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα σαίρει καλοῦσιν. Ego autem, ſiquidem Ægyptia vox eſt Sarapis, gaudium ea & lætitiam ſignificari cenſeo: hoc adductus argumento, quòd Charmoſyna, id eſt, Feſtum lætitiæ diem Sarei appellant Ægyptij. *Feſti huius ritus.*

ΩΜΟΦΑΓΙΑ.

ΩΜοφαγίων *poſt Græcos etiam Arnobius libro 5. aduerſus Gentes meminit.* Bacchanalia etiam, *inquit*, prætermittemus inania, quibus nomen Homophagiis Græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei numine ac maieſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis. *Homophagia autem dicta quaſi crudiuora.* *Feſti huius ritus.*

ΩΡΑΙΑ.

HEſychius dicit ὡραῖα εἶ) τελετήν τινα ἐν ᾗ τῶν ὡραίων ἁπάντων ἐγίνοντο ἀπαρχαί, *id eſt*, Horæa eſſe Feſtum quoddam, in quo frugum omnium oblatæ ſint primitiæ. *Meminit eius & Cælius lib. 13. cap. 16.* *Horæorum ritus.*

Athenæus lib. 11. cap. 11. Feſti cuiuſdam meminit quod in Gerytide celebrabatur, in quo inter alia περιέφερε ἐν κύκλῳ λεπαστὴν τοῖς, ἐνέχει τε σφόδρα κυανοχαίτην, id eſt, circumferebant in circulum lepaſtam, atque in nigrum celantem effuderunt. Eſt autem λεπαστὴ, *vt ibidem ex Ariſtophane, Apollodoro, Pherecrate, aliiſque authoribus annotatur, genus quoddam calicis ſeu poculi.*

Meminit idem author lib. 13. cap. 1. ex lib. 1. Prouerbiorum Clearchi Solenſis, alterius Feſti, in quo mulieres, eos qui non haberent vxores in Lacedæmone, circa aram trahentes alapis cædebant, vt contumeliam huiuſce rei fugientes, liberorum amore caperentur, atque ætate aptâ vxores ducerent.

Et lib.14.cap. 13. ἐν τοῖς συμμίκτοις συμποτικοῖς Ariſtoxeni indicat, Poſidoniatas, qui in ſinu Thyrrheno habitant, Feſtum quoddam Græcorum ſuis adhuc temporibus celebrâſſe, in quo in vnum conuenientes antiqua nomina & leges recenſuerint, & conquerentes inter ſe, lachrymantéſque diſceſſerint.

Perſæ Feſtum peregerunt, quod Vitiorum vocarunt interitum, *in quo ſerpentium & animalium etiam ferorum vim magnam immolârunt, bono dæmoni hoc pacto gratificari ſtudentes: malo autem moleſtia plurimum inferre. Nam iuxta Manichæorum hæreſin duo induxerunt principia: bonum quidem vnum, mali verò cauſam alterum: atque illum Hernuſdatin dixerunt, hunc Arimanin, qui ſit pernitioſus infeſtúſque dæmon. Cælius libro 18.cap.18. Antiq. Lect.*

Natalis Comes lib.9.cap.2. Mythol. meminit Solennitatis cuiuſdam apud Troezenios in honorem Oreſtis inſtituta. Cùm enim Oreſtes in cello quadam antequam expiaretur conſiſtere iuberetur, cum eo epulati fuerunt, qui luſtrationi illi præfuerunt: ad eius rei ſempiternam memoriam, illorum poſteri ſtatis diebus in eodem loco cœnitârunt.

Refert idem lib.7.cap.17. cùm Myrtilus, cuius aſtu Pelopi Oenomaum vicerat, in mare præcipitatus, ſed ab æſtu eiectus ad Pheneotas applicuiſſet, ibique honorificè ſepultus fuiſſet, annua ei Sacrificia ac Feſta inſtituta eſſe. Et lib.5.cap. 13. teſtatur ex Laconicis Pauſania, in monte ſupra Migonium, quem locum Laryſium vocârint, ineunte vere dies Feſtos agitâſſe in honorem Bacchi, quòd ibi vua matura primò inuenta ſit.

Megaris cùm ſibiipſi manus intuliſſet, tumulum ei confeſtim excitârunt, & Feſtum diem quotannis ei celebrârunt, Pauſaniâ authore in Atticis.

In Ægyſthenis fanum fuit Melampi, Amythaonis filij, ibi Melampo rem Sacram fecerunt, & quotannis diem Feſtum egerunt. Pauſaniâ in Atticis teſte.

Cùm Mermerus & Pheres Medeæ filij propter ea quæ Glauco obtulerant munera, à Corinthiis iniuſtè lapidibus obruti fuiſſent, infantuli Corinthiorum ab eis necabantur, donec annua ab eis Feſta & ſacrificia ex oraculo ſunt conſtituta, & Metus item adiunctus, exſculpta mulieris imagine formidabili. Corintho autem à Romanis exciſâ, & ſublatis veteribus Corinthiis, non amplius ab his qui in coloniam venerunt, Feſta & ſacrificia hæc ſunt perſoluta, néque pueris in ipſorum honorem detondentur capilli, neque atras veſtes gerunt. Pauſanias in Corinthiacis.

Sicyonij quandam ſimulachro in occulto habuerunt, ſed eo quotannis nocte vnà, quæ eis Feſta fuit, in Bacchi ædem è ſacrario, quod ab ornatu κοσμηθεῖον nominârunt, deportârunt: idque fiebat facibus prælucentibus, & patriis hymnis. In ordine primus fuit Bacchus, quem Androdamam Phliantis F. conſecrâſſe ferunt. Sequutus eſt is qui Lyſius dictus fuit, à Thebano Phanete oraculi Delphici monitu Thebis Sicyonem allatus: vt Pauſanias indicat in Corinthiacis.

Sicyone rectà Phliuntem proficiſcentibus, & ad via ſiniſtra decem ſtadia digreſſis nemus occurrit, quod Pitxa *vocârunt, & in eo ſacellum Cereris & Proſerpinæ: ibi ſeorſim viri Feſtum celebrârunt. At eum locum qui* Nymphon *(id eſt, nuptialis thalamus) appellatur, Feſtiuitati mulierũ reliquerunt. Pauſanias in Corinthiacis.*

Hecaten ex Diis potiſſimùm Æginetæ coluerũt, & in honorem eius ſolenne etiam quotannis Feſtum celebrârunt, quod Orpheum Thracem apud eos inſtituiſſe Pauſanias in Corinthiacis teſtatur.

Baccho Melanagidi Træzenij Muſica certamen quotannis inſtituerunt: natatoribus item & nauigiorum curſu certantibus præmia propoſuerunt. Pauſanias in Corinthiacis.

Lerna, quæ mari fuit vrbs finitima, & Argiuorum ditionis, Lernæa, *Feſta in honorem Cereris celebrata ſunt, vt Pauſanias indicat in Corinthiacis, vbi etiam refert, ea à Philamone fuiſſe inſtituta.*

Geronthris, quæ vrbs in Lacedæmoniorum regione, Feſtum Marti quotannis celebrant, in quo mulieribus, ne lucum, qui circa Dei templum eſt, ingrediantur, eſt interdictum, Pauſaniâ teſte in Laconicis.

Meminit etiam circa finem huius libri Feſti cuiuſdam annui, quod Aſinæi in honorem Dryopis Apollinis filij, celebrârint.

Meminit porrò in Eliacis Feſti cuiuſdam Rheginorum, ad quod Meſſenij littoralis oræ incolæ cœtum puerorum numero 35. Rhegium miſerint quotannis.

Libro ſexto indicat in Elide locum fuiſſe, quem Hippodamium nominârint, ſepimento circundatum: eum mulieres ſemel quotannis ingreſſas, Feſtum diem & rem ſacram Hippodamiæ feciſſe, aliáque in eius honorem peregiſſe.

In Achaicis ſcribit, Tritia oppido Achæorum in mediterraneis ſito annuum ſolenne celebrari, in honorem magnorum Deorum, quorum ſimulachra ex argilla confecta fuerint: non tamen alio ritu eis, quàm Græci Baccho, Sacrificare.

In Arcadicis indicat, Cynathaenſes, hyemis tempore Feſtum celebrare, in quo oleo inuncti viri taurum quemcúnque Bacchi inſtinctu comprehendant, ex armento boum ſublatum, & ad templum perducant, ibíque ſacrificent.

Refert ibidem, Bathi, non procul Trapezunte, Feſtum tertio quóque anno celebrari, magnis duabus, hoc eſt Cereri & Proſerpinæ, quemadmodum idem author eodem libro, & in Meſſeniorum hiſtoria teſtatur.

Meminit

Meminit etiam in Arcad. ſolennitatis ab Arcadibus in honorem Proſerpinæ Δεσποίνη, id eſt, Dominæ celebratæ. In ea immolauit quiſque Deæ de rebus quas poſſedit. Victimarum autem guttura non inciderunt, vt in alijs ſacrificijs moris fuit: ſed in quodcúnque victima membrum quiſque incidit, id abſcidit.

Oſſea fecerunt Locri Opuntij Aiaci Oileo: Megarenſes Ioui Dioclea, vſque ad veris initium: in Orchomene Minyia: & Proteſilao Proteſilia, vt etiam Philaca vrbe in Theſſalia, quo loco ipſe dicebatur regnâſſe. Sardus libro 3. de Moribus gentium. Celebrârunt Lebadeæ Trophonia Apollinis vel Ergini filio Trophonio: Amphiaræa Oropi Amphiaro: ibidem.

Ælianus in varia hiſtoria refert, Indos, ſi à Rege abluantur capilli, Feſtum eum diem agere.

In Eryce Siciliæ monte tempus quoddam obſeruabatur, quod RECESSVS vocabant, quo Deam aiebant in Libiam tranſmigrare ſolitam & columbas omnes eius loci non apparere, quaſi cum Dea ſimul diſceſſerint. Poſt nouem autem dies innocatis redditibus, vna columba ex mari aduolante, ac in templum Deæ accedente, reliqua protinus adſunt. Tunc igitur quicunque ex accolis erant diuites conuiuia parabant, reliqui cum lætitia applaudebant. Totus locus butyrum oluit: quâ coniecturâ vti ſolebant Deam rediiſſe. Athenæus lib. 9. cap. 17.

In Inſula Thule præcipua ſolennia ſunt, quæ quotannis in honorem SOLIS celebrantur: quando ſpeculatores ex altiſſimis montibus nunciant, Solem redire ad ipſorum Horizontem, quum antea verno tempore dies 40. integras noctes habuerunt, ſicut in Autumno dies 40. continuam lucem. Procopius de Bello Gothorum lib. 2.

ÆGYPTIORVM Feſta.

AEgyptij frequenter quotannis dies Feſtos, in iiſque conuentus ſolennes egerunt. ſed præcipuè ac ſtudioſiſſimè in vrbe Bubaſti, in honorem Dianæ: ſecundo loco in vrbe Buſiri, in honorem Iſidis (in qua vrbe maximum eſt templum Iſidis, ipſa in medio Delta Ægypti ſita:) tertiò, in vrbe Sai, in honorem Mineruæ: quartò Heliopoli, in honorem Solis: quintò, in vrbe Buto, in honorem Latonæ: ſextò in vrbe Papremi, in honorem Martis. Cum autem ſe contuliſſent in vrbem Bubaſti, hæc fecerunt. Nauigârunt viri pariter & mulieres, magna in ſingulis nauibus vtrorumque multitudine. Inter nauigandum aſſiduè mulieres aliquot crepitacula tenentes plauſerunt, viri tibiis cantârunt: cæteri, cæteraque modulati ſunt, manúſque comploſerunt in nauigando, vt ad quámque vrbem peruenerunt, appulsâ ad terram naui, mulierum quidem aliæ ea quæ dixi fecerunt, aliæ verò compellatis eius vrbis fœminis, probra ingeſſerunt: aliæ ſaltârunt: aliæ quum ſurrexiſſent retraxerunt illas. Talia ad ſingulas ciuitates ad flumen accolentes egerunt.

Quum ad vrbem Bubaſtim peruentum eſſet, diem Feſtum celebrârunt magnis oblatis hoſtijs. Quo in Feſto plus vini abſumpſerunt, quàm toto reliquo anni tempore. Commeârunt illuc, vt indigenæ retulerunt, virorum ac mulierum, præter pueros, ad ſeptingenta millia. At in vrbe Buſiri, verberârunt ſeſe poſt ſacrificium cuncti, multa ſanè hominum millia: quo autem ſe verberârint, non fas fuit dicere. Sed ex omnibus præcipuè hoc fecerunt Cares, qui Ægyptum incoluerunt: adeò quidem, vt gladiis frontes quoque conciderint: quo dabatur intelligi, eos hoſpites fuiſſe, non Ægyptios.

Vt verò in Saim vrbem ſacrificatum conuenerunt, noctu ſub die vniuerſi circum mœnia frequentes lucernas accenderunt, imbutas ſale & oleo plenas cum multo lychno, quod totâ ardeat nocte. Quod Feſtum Λυχνοκαΐα appellârunt, hoc eſt, Lucernarum accenſionem. Ad hunc conuentum quicunque Ægyptiorum non iuiſſent, obſeruatâ ſacrificij nocte, & ipſi lucernas accenderunt cuncti: néque id in Sai modò, ſed etiam per vniuerſam Ægyptum.

Ad Heliopolim & Butum qui venerunt, tantùm ſacrificâſſe contenti fuerunt. In Papremi verò & hoſtias & ſacra operati ſunt: ſed quoad Sol inclinatus eſſet, pauculi Sacerdotes circa ſimulacrum exercebantur: plures autem eorum tenentes ligneas clauas, ſteterunt pro foribus templi, alij è regione plus mille virorum, qui vota exequuti ſunt, cum ſingulis fuſtibus frequentes conſtiterunt: qui pridie ſimulacrum ex ligneo ſacello deaurato in aliud Sacrum domicilium deportârunt, paucis illis, qui miniſterio ſimulacbri delecti fuerant, trahentibus plauſtrum quatuor rotarum, quo vectum fuit & ſacellum, & quod intus erat ſimulachrum. Hos ingredi prohibuerunt ij qui in veſtibulo ſteterunt: at hi qui vota exequuti ſunt, opitulantes Deo, percuſſerũt eos atque repulerunt. Hic vehemens exorta eſt fuſtnaria pugna, mutuò capita ferientium: multique ex vulneribus perierunt, etſi Ægyptij quenquam mortuum negârint. Dixerunt autem indigenæ, Feſtum & conuentum hunc ideò inſtitutum, quòd id templum incoluerit mater Martis: ac ad eam Martem iam adultum ac virilis ætatis veniſſe, coeundi gratia cum matre: quem materni Miniſtri, vt qui eum antea non cognouiſſent, ingredi ad matrem non permiſerunt, ſed repulerunt. Hunc autem ex alia ciuitate adductis hominibus, cuſtodes male multâſſe. Et ob hanc rem aiunt ſolennem eſſe Martis die illo Feſto hanc rixam: & inſtitutum, ne in templo cũ

fœminis

fœminis coiretur, neue à mulieribus niſi abluti templa adirent. Refert hac omnia Herodotus libro ſecundo.

APPENDIX

ad Feſta Romanorum.

De Novendiali Sacro.

E*Rat & Sacrum* Novendiale *apud Romanos, à numero nouem dierum ſic dictum. Celebrabatur, cum prodigium aliquod accidiſſet, quod hoc ſacro expiari credebant: Et vel à Pontifice Max. vel à Pratore vrbano ex Senatus decreto indicebatur. De quo Liuius Decad. prima libri primi ſic ſcribit*: Deuictis Sabinis, cum in magna gloria, magníſque opibus regnum Tulli, ac tota res Romana eſſet, nuntiatum Regi, Patribúſque eſt, in monte Albano lapidibus pluiſſe: quod cum credi vix poſſet, miſſis ad id viſendum prodigium, in conſpectu haud aliter, quàm cum grandinem venti glomeratam in terris agunt, crebri cecidere è cœlo lapides, viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis* luco, vt patrio ritu ſacra Albani facerent, quæ velut Diis quóque ſimul cum patria relictis, obliuioni dederant: & aut Romana ſacra ſuſceperant, aut fortunæ (vt fit) ob irati cultum reliquerant Deûm. Romanis quóque ab eodem prodigio Nouendiale Sacrum publicè ſuſceptum eſt: ſeu voce cœleſti ex Albano monte miſſa (nam id quóque traditur) ſeu aruſpicum monitu,* manſit certè ſolenne, vt quandocúnque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per nouem dies inſtituerentur. *Idem rurſus Decad. libro 5. ſic ſcribit*: Tempeſtates fœdæ fuere (*ſcilicet poſt Cannenſem cladem*) In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit; tacta de cœlo multa: duæ in Capitolio ædes: vallum in caſtris multis locis ſupra Sueſſulam: & duo vigiles exanimati: murus turréſque quædam Cumis non ictæ modo fulminibus, ſed etiam decuſſæ. Reate ſaxum ingens viſum volitare: ſol rubere ſolito magis, ſanguineóque ſimilis. Horum prodigiorum cauſâ diem vnum ſupplicatio fuit: & per aliquot dies conſules rebus diuinis operam dederunt: & per eoſdem dies ſacrum Nouendiale fuit.

APPENDIX

ad Ludos Romanorum.

E*Xpoſitis ſuprà inter Feſta Romanorum Ludis, de quibus ſciri poteſt quo die, aut ſaltem quo menſe celebrati ſint, nunc etiam eos enumerabimus, de quibus vtrúnque horum ignoratur.*

Ex Gracia autem & Troia ad Romanos tranſlatos fuiſſe Ludos nemo dubitat, ſed ij progreſſu temporis à Numa Rege, aliiſque & numero & Ceremoniis valde ſunt aucti: eóſque duo genera Magiſtratuum, Ædiles Curules & Pratores plerúnque dederunt, ab initio quidem paruo, ſed temporis progreſſu apparatu & ſumptu profuſiſſimo, idque vel in templis, vel in theatro, vel Circo, vnde & Theatrales & Circenſes nominati ſunt. *Vnde ludi Romam tranſlati.*

Ludi Troiani, ſiue Troiæ Ludicrum.

TRoiani Ludi, *quos & Troia ludicrum appellárunt, omnium in Romana Republica fuerunt antiquiſſimi, ab Aſcanio Ænea filio in Italiam tranſlati, edebantúrque in Circo, vnde & Circenſes dicti à Suetonio in Tiberio, à pueris maioribus & minoribus turmatim congredientibus. Qui praſidebat his* Princeps *iuuentutis dicebatur, & ex Senatorum aut Imperatorum filiis creabatur: hinc Tacitus ſcribit, Tiberium Caſarem viuente Auguſto patre Principem iuuentutis fuiſſe. Suetonius etiam in C. Iul. Caſare 39.* Troiam, *inquit*, luſit turma duplex maiorum, minorúmque puerorum. *Idem in Auguſto cap. 43.* Sed & Troiæ ludum edidit frequentiſſimè, maiorum minorúmque puerorum delectu, priſci, decoríque moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic enoteſcere, *Et in Tiberio*: Præſedit & Actiacis ludis, & Troianis Circenſibus ductor turmæ puerorum maiorum. *Dio lib. 43. de ludis Caſaris*, Etiã, *inquit*, Troiam antiquo more patriciorum filij luſerunt: iuueneſq; qui dignitate æquales erant, curribus certauerunt. *Troianorum ludorũ antiquitas.*

Originem autem & ceremonias horum Ludorum ſic deſcribit Vergil. lib. 5. Æneid.

Ac pater Æneas nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe comitémque impubis Iuli
Epitiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:
Vade age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratũ
Agmen habet ſecum, curſúſque inſtruxit equorum,
Ducat auo turmas, & ſeſe oſtendat in armis.
Sic ait: ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos iubet eſſe patentes.

Incedunt

Incedunt pueri,paritérque ante ora Parentum
Frenatis lucent in equis:quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit,Troiǽq; iuuentus,
Omnibus in morem tonſa cuma preſſa corona:
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars leues humero pharetras, & pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum & circulus auri.
Tres equitum numero turmæ,terníque vagantur
Ductores:pueri bis ſeni quémque ſecuti,
Agmine partito fulgent,paribúſque Magiſtris.
Vna acies iuuenum, ducit quàm paruus ouantem
Nomen aui referens priamus,&c.
Et mox:
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculóſque ſuorum
Luſtrauere in equis:ſignum clamore paratis
Epitides longè dedit, inſonuitque flagello:
Olli diſcurrêre pares:atque agmina terni
Diductis ſoluêre choris:rurſúſque vocati.
Conuertêre vias infeſtáque tela tulêre.
Inde alios ineunt curſus,alióſque recurſus
Aduerſis ſpaciis,alternóſque orbibus orbes
Impediunt,pugnæque cient ſimulachra ſub armis:
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt.
Infenſi factâ pariter nunc pace feruntur.
Item:
Hunc morem,curſus,atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cùm cingeret Albam,
Retulit,&priſcos docuit celebrare Latinos,
Quo Puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes,
Albani docuere ſuos.Hinc maxima porrò
Accepit Roma,& patrium ſeruauit honorem
Troiáque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Sed tamen diuerſum videtur ſentire Cornelius Tacitus, cuius libro II. *hæc ſunt verba:* Eáque offenſio altius penetrabat,quia idem Thraſea Patavij, vnde ortus erat, ludis Cetaſtis à Troiano Antenore inſtitutis habitu tragico cecinerat. *Suetonius verò in vita Auguſti*, Sed & Troiæ ludum, *inquit*, edidit frequentiſſimum maiorum minorúmque puerorum, priſci decoríque moris exiſtimans claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere. *Hunc ludum retentum fuiſſe Arimini in Italia ſe puerum vidiſſe Blondus teſtatur lib.*2. *de Roma triumphante, munus à Carolo Malateſta Principe datum.* Non autem *inquit*, pueri, ſed viri luſerunt nobiles: qui ad nuptias Galeoti Malateſtæ ex omni Italia inuitati erant:numero ad triginta in equis deſultoribus velociſſimiſque,ſinguli arma induti ex corio fabrefacta perpulchrè varijs ornata coloribus,ferreum enſem nequaquam acutum manu geſtabant:decurrentéſque in circuitum galeas in id iumentiores factas, & humeros cæſim inuicem cædebant, & proximum Priſco ludus nomen retinet, pro Troiano agmine Torniamen.

Ab hoc etiam genere Ludorum Torniamentà *Germanorum, quaſi dicas* Troiamenta, *Germanicè* Turnier *originem ſumpſerunt, in quibus ad eundem modum haſtis,aliiſque armis certant,non tamen pueri ſolùm,ſed viri quóque, néque aperto capite coronatóque,vt in Troia ludicro,ſed caſſide tecto.Inſtituit autem hos ludos equeſtres in Germania Henricus* I.*Imperator,vt eâ quóque ratione generoſa iuuentus ad bella pręprararetur,vt in Saxonia legitur Chronico.* Torniamenta Germanica vnde.

Ludi Capitolini.

*De origine & inſtitutione horum Ludorum Liuius Decad.*I.*lib.* 5.*ſic ſcribit: Senatuſconſultum facit (M. Furius Camillus) vt Ludi Capitolini fierent, quòd Iupiter Opt. Max. ſuam ſedem atque artem populi Romani in re trepida tutatus eſſet: Collegiúmque ad eam rem M. Furius Dictator conſtitueret, ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent.Et mox: Lucutia templum propter cæleſtem vocem exauditam in Noua via iuſſimus fieri:Capitolinos Ludos ſolennes aliis addidimus, collegiúmque ad id nouum iuſſu Senatûs condidimus. Ex quibus ſimul intelligitur, hos Ludos inſtitutos eſſe in honorem Iouis Capitolini,pro ſeruato Capitolio ab hoſtibus Gallis Senonibus.* Origo horum Ludorũ.

In his Ludis præconis voce Sardianos venales proclamare,& ſenem quendam ludibrij causâ producere ſolebant,bullam collo appenſam gerentem vt Plutarchus refert in Quæſtionibus q. 53 *Huiúſque ritus cauſam hanc indicat, Quòd Veientes Hetruſcorum populus longo tempore Romulo bello reſtitiſſent, Romulus hanc vltimam vrbem tandem ceperit, multóſque captiuos ſub haſta vendiderit vnà cum ipſorum Rege, futilitatem eius ac ſtultitiam deridens. Quum enim Hetruſci à Lydis originem trahant,& Lydorum primaria vrbs ſit Sardes,ideò, inquit, Veientes Sardinianorum nomine proclamant, & in hunc vſque diem morem hunc conſeruant. Vide apud Eraſmum Prouerbium, Sardi venales.* Ritus horum Ludorũ.

Ludi

Ludi Auguſtales, & Palatini diuerſi à Superioribus.

DE his Ludis Dio lib 56. cap. vltimo ſic ſcribit : Decretum porrò eſt, ne qua Auguſti imago vllo in funere ferretur, vt natalitiis eius ludis Conſules, quemadmodum Martis fieri ſolitum, præmia certaminum proponerent, Auguſtalia Tribuni plebis tanquam Sacri celebrarent. Iique omnia reliqua eo, quo conſueuerant fieri, more peregerunt : veſte triumphali ludis Circenſibus vſi: curtum tamen non conſcenderunt. Præter hæc in Palatio Liuia peculiares ludos in honorem Auguſti fecit, qui ipſi quóque ſecundo loco ab Imperatoribus exhibentur. *Et mox :* Eo tempore plebs tumultuata eſt, quum Auguſtalibus quidam Hiſtrio nollet pro conſtitura mercede in theatrum intrare : nec finis ante turbam fuit, quàm eâ ipsâ die Tribuni plebis coacto Senatu precibus impetrârunt, vt liceret ſibi maiores aliquantò, quàm legibus permitteretur, ſumptus facere. *Palatinorum Ludorum etiam Suetonius in Caligula meminit.*

Ludi Votiui, Triumphales & Victoriæ.

HI Lud. à Magiſtratibus ad bellum ituris vouebantur, ſi res feliciter gererentur & victoriâ potirentur. Celebrabantur autem vel Sibyllinis oraculis, vel Augurum præceptionibus, vel Imperatorum votis ac promiſsis, vel ante bellum, vel confecto bello & partâ de hoſtibus victoriâ. Tales erant illi quos Magnos cognominârunt, quòd in honorem Iouis, quem Principem Deorum habebant, fierent : Horum Ludorum ſæpè mentionem facit Liuius. Nam. lib. 22 in hiſtoria anni 586 ſcribit, Authore Q. Fabio Max. Dictatore placandæ Deûm iræ, & victoriæ de Carthaginenſibus impetrandæ gratiâ, ex libris Sybillinis votos fuiſſe Ludos Magnos, æris 338. millibus triente, præterea bubus Ioui 300. multis alijs bubus albis, atque cæteris hoſtibus, &c.

Quomodo autem hi Ludi vouerentur ex eodem Liuio intelligitur, qui libro 19. ſic ſcribit: Certâ deinde ſitte Senatusconſultum factum eſt, quòd populus Rom. eo tempore duellum juſſiſſet cum Rege Antiocho eſſe, quique ſub ejus imperio eſſent, vt ejus rei cauſâ ſupplicationem imperarent Conſules : vtque M. Acilius Conſul Ludos Magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria.

Ludi Actiaci quinquennales.

AD horum Ludorum ſimilitudinem alij Quinquennales Ludi inſtituti ſunt ab Auguſto Cæſare poſt deuictum Antonium, & partam victoriam apud Actium promontorium, vnde etiam Actiaci ludi alio nomine appellantur. Refert hoc Suetonius in Auguſto capite 18. Quóque, *inquit*, Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludóſque illic Quinquennales conſtituit : & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat vſus, exornatum naualibus ſpolijs Neptuno ac Marti conſecrauit. *Dio libro* 51. Eadem, *inquit*, die Cæſar Apollini, qui apud Actium colitur, triremem, quadriremem, ac alia nauium genera, vſque ad deciremem ex captis nauibus conſecrauit, templum maius extruxit, ludos Muſicos & Gymnicos, & certamen equeſtre ſacro Quinquennali conſtituit, Actios illos ludos dicens, vrbémque eo loco, vbi caſtra habuerat, efficit, &c. *De his Ludis Strabo ſic ſcribit :* Neque verò hi ludi Nicopoli tantùm, ſed & Romæ fuerunt celebrati: ſic enim Dio 53. initio : Ludos propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit, & in ijs equeſtre certamen per pueros & viros Patritios peregit: iique deinceps ad noſtram vſque ætatem ludi quinto quóque anno facti ſunt, eorúmque curatio quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemuiris & Quindecimuiris. Gymnici quóque ludi, ſtadio in campo Martio extructo ligneo, acti ſunt, & munus gladiatorium depugnantibus captiuis exhibitum. *Idem libro* 54. Tum quinquennales etiam ludi propter principium Auguſti ab Agrippa : nam is quóque à Collegio Quindecim virorum, quibus per ordinem horum Ludorum curatio incumbebat, cooptatus & inauguratus fuerat, inaugurati ſunt, &c. *Iidem etiam ludi hinc inde in prouinciis Neapoli, & in Iudæa Cæſarea ob Herode inſtituti & celebrati ſunt, Egeſippo & alijs authoribus. Reliquis etiam poſt Auguſtum Imperatoribus & viuis & defunctis ludi Quinquennales celebrati ſunt, vt ex Ælio Spartiano & aliis hiſtoricis cognoſcere licet : vnde etiam Flaminum Quinquennalium origo, quorum veteres inſcriptiones mentionem faciunt.*

Ludi

Ludi Quinquennales alii à Superioribus:

Quinquenaliorum Ludorū ritus.

HAbuerunt etiam Romani Quinquennales Ludicrum, quod quinto quoque celebrabant, & alio nomine Agon appellabatur. In eo tam verſu quàm proſâ oratione, Græcè Latinéque tum muſicâ per citharædos & cithariſtas, tum Gymnicis Ludis certabatur. L. Mummius primus à triumpho hoc ſpectaculi genus in Vrbe præſtitit: idque iam ducentis annis intermiſſum, Nero Cæſar primus ad morem Græci certaminis Olympici è Græcia Romam deduxiſſe, Iouíque Capitolino dedicâſſe, atque ſingulis quinquennis magno certamine animorum celebrâſſe fertur. In his ludis quantum quiſque facundia experimento, aut candore ingenii eniteret, facilè apparebat. C. Caligula verò horum inſtar miſcellos Lugduni fecit, Græca Latinaque facundia experimento: in quo certamine lege ſancitum erat, vt victi victoribus hoc præmij darent, vt ipſorum laudes tanquam obnoxiis ſcriberent, & carmine celebrarent. Poſtea à Domitiano Imp. triplex ludicrum Quinquennale inſtitutum fertur Capitolino Ioui, Muſicum, Equeſtre & Gymnicum, aliquanto plurium coronatorum. Alex. lib. 6. cap. 19 vbi tamen Quinquennales ludos cum Quinquatriis confundit.

Vtèrque Agon à Domitiano quidem inſtitutus, ſed nobilior Capitolinus eſt: adeò vt Romæ non per luſtra amplius magnum annum, vt vocabant, ſed per Capitolinos Agonas ſupputarent. Hoc à Domitiani inſtitutione vſque ad tempora ſua obtinuiſſe Cenſorinus ſcribit. Cæterum ſemper Agon ipſe Romæ manſit, vt in eo Poëtæ, Rhetores, aliarúmque profeſſionum homines ab ipſo Imperatore coronarentur. Hinc proculdubio mos etiam Poëtarum Laureatorum originem habet. Nam & ipſi antiquitus ab ipſis Cæſaribus Germanis coronabantur, magnóque in pretio habiti ſemper apud Italos & Germanos, qui id honoris virtute ingenii conſecuti eſſent. In veteribus autem Agonibus Capitolinis, qui vicerant, coronâ & ramo lemniſcatis, aut torque inuolutis donabantur. Nam qui ſecundi erant, eorum corona & palma ſine lemniſcis erant. Intelligitur hoc ex his Auſonij verbis:

Et quæ jam dudum tibi palma Poëtica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Ludi Decennales, Vicennales & Tricennales.

DEcennales ludi decimo quoque anno celebrabantur. Inſtituti ſunt ab Auguſto Cæſare, hac occaſione: cogitauit plerunque de reddenda Republica Auguſtus, vt inuidiam Monarchiæ à ſe declinaret. Cúmque in ſenatu ſententiam ſuam expoſuiſſet, rationarium Imperij tanquam illud reſtiturus Conſulibus tradidit. Senatoribus autem ſiue per ſimulationem, ſiue metu; vel etiam ex compoſito reclamantibus, variáſque rationes afferentibus, cur Reipubl. Monarchia præſtaret, in principatu perſeuerauit, Deos hominéſque teſtatus intra decennium ſe omnem adminiſtrationem depoſiturum. Sed quum ea tempora elapſa eſſent, rurſúſque eiurare velle imperium ſimularet, Senatus alios decem annos, quibus in eodem magiſtratu eſſet, decreuit: atque iterum alios decem annos, quibus extinctus eſt, prorogauit. Solebat autem decimo quoque anno, inſtituto in hoc magnificè ſpectaculo, ludorúmque apparatu, reſignare imperium. Inde obſeruatum eſt, vt eius ſucceſſores, quamuis perpetuam adminiſtrationem Imperii haberent, tamen ſingulis decem annis celeberrimos ludos facerent, tanquam principatum renouarent. Ea feſta Decenalia, Vicenalia, Tricenaliáque appellata ſunt. Inde hujuſmodi inſcriptiones in antiquis numiſmatis plerúnque cernuntur: VOT. X. VOT. XX. id eſt, votis Decenalibus, Vicenalibúſque. Hos ludos celebrauit quoque Conſtantinus Magnus, vt Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur. Celebrauit eos & Gallienus Imperator, vt Trebellius Pollio indicat, qui etiam pompam & apparatum, eo in ſolenni adhibitum, his verbis recenſet.: Interfectis militibus apud Byzantium, Gallienus quaſi magnum aliquid geſſiſſet, Romam curſu rapido convolauit, convocatiſque Patribus, Decennia celebrauit novo genere ludorum, novâ ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum. Iam primum inter togatos Patres, & equeſtrem ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, ſervis etiam propè omnium, & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ex vtráque parte ducentæ præceſſerunt, & decem Elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati cum auratis veſtibus matronarum: manſuetæ feræ diverſi generis ducentæ, ornatu quàm maximè adfectæ. Carpenta cum mimis, & omni genere hiſtrionum: pugiles ſacculis, non veritate pugnantes, Cyclopea etiam luſerunt omnes apenarii, ita vt miranda quædam, & ſtupenda monſtraret. Omnes viæ ludis, ſtrepitúque & plauſibus perſonabant. Ipſe medius cum picta toga, & tunica palmata inter Patres, omnibus

Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Haſtæ auratæ altrinſecus quingenæ, vexilla centena: & præter ea quæ collegiorum erant, dracones, & ſigna templorum, omniúmque legionum. Ibant prætetea gentes ſimulatæ, vt Gothi, Sarmatæ Franci, Perſæ: ita vt non minus quàm duceni ſingulis globis ducerentur: *Hac omnia Pallio. Vicennales ludos breuiter, ſed eleganter deſcribit Euſebius lib. 2. de vita Conſtantini Magni.* Hoc, *inquit*, temporis & populi frequentia & nundino celebre fuit. Tum ſe regni viceſimus ille annus abſoluto curſu retulerat ad idem caput.

Ludi Caſtrenſes.

ERant & Caſtrenſes Ludi. quibus milites in caſtris exercebantur & delectabantur, quorum Suetonius in Tiberio. cap. 72. mentionem facit.

Funebres & Gladiatorii Ludi.

Funebrium Ludorum origo.

FVnebrium Ludorum *origo longè vetuſtiſſima eſt. Achilles enim ad Patrocli & Æneas ad Pallantis rogum mactat inferias cum Ludis. Vnde etiam gladiatorum morem ortum judicamus. Nam quum primùm captos ex hoſtibus iugularent, vitantes fœdi ſpectaculi crudelitatem, captiuos inter ſe commiſerunt, vt penes eoſdem eſſet & facinus & ſupplicium. Quibúſque ſors virtúſque dediſſet, ſupereſſent: alij placarent Manes puris manibus parentantium. Scaliger. Pyrrhus ſuper buſtum Achillis, inſpectante Græcorum exercitu ei parentans Polyxenam iugulauit. Zezes in Lycophronem. Q. Calaber lib. 14. Id morientem Achillem juſſiſſe narrat Seruius, hæc alibi addens:* Sanè mos erat in ſepulchris virorum fortium captivos necare: *quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare.*

A Græcis hic mos ad Romanos fluxit, à quibus hi ludi MVNERA *dicebantur. Sic enim Tertullianus lib. de Spectaculis cap. de Munere:* Munus, *inquit*, dictum eſt ab officio: quoniam officium etiam muneris nomen eſt. Officium autem mortis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur, poſteaquam illud humaniore atrocitate temperârunt. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio ſervos mercati in exequiis immolabant. Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, tantùm vt occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant: ita mortem homicidiis conſolabantur. Hæc Muneris origo. Sed paulatim provecti ad tantam gratiam ad quantam & crudelitatem. Qui Ferarum voluptati ſatis non fiebat, niſi & feris humana corpora diſſiparentur. *Hæc Tertullianus.*

Primus Romanorum Iunius Brutus dicitur in defuncti patris honorem dediſſe Romæ gladiatores. Alii Appium Claudium & M. Fulvium Coſſ: de quo tamen nihil certi pronuntiare paſſum.

Dabantur autem hi Ludi & publicis Magiſtratibus, & à priuatis perſonis & cum certaminibus & cum fabulis. In Patrii funeris apparatu arenam inſperſiſſe aiunt C. Cæſarem, quum ædilis eſſet: qui poſtea Dictator fuit. Claudius Imp. ex arbitrariis ſtatos fecit Ludos funebres, quos Æediles ederent, ex pecunia publica de Quæſtoribus, quas Gladiatorias appellauit. Verùm poſtea illarum pertæſus immanitatem ſuſtulit. Priuatis tamen manſit conſuetudinis ius. Cæterùm quum eâ profuſione ad inopiam multi redacti eſſent, jam antea ſub Tiberio Senatuſconſultum factum fuerat, vt nemini id liceret, qui minus quadringentis millibus in cenſu haberet. Nam & emptis opus erat & educatis: producti quoque in arenam alii cadebant, alii petente populo manumittebantur: gladiatorum quoque magiſtri non ſine magno precio, qui docerent eos, conducebantur, quos Laniſtos *appellabant. Tandem à Theodorico Gotthorum Rege vniuerſus eſt. Iulius Cæſar Scaliger lib. 1. Poëtices cap. 35. & Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Fuit præterea aliud etiam genus Ludorum Gladiatoriorum, quod ediderunt Conſules & Imperatores ad bellum exituri, ad exercendas corporis vires, & vt tyronum oculi ad bellum vna proficiſcentium cruori & vulneribus ſic aſſueſcerent, vt Sabellicus indicat lib. 6. Eunead. 7.*

DE
ORIGINE FESTORVM MAHOMETANORVM ET INDIANORVM,
LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Veneris dies ſacer Turcis pro Dominica noſtra.

MAHOMETVS, *quo ab Iudæis Chriſtianiſque lex ſua diſſentiret,* VENERIS *diem Sacrum ſingulis ſeptimanis ſtatuit, quòd ipſe in hoc Rex factus eſſet, & quòd cum nulla alia ſecta ſentiret. Ex qua etiam cauſa ſoli Turci, contra aliarum gentium ritum, ad meridiem conuerſi Deo ſupplicant, Cuſpiniano teſte. Hoc autem die attentius ſolùm orant, non vacant ab vllo labore.*

Ritus

Singulis autem ciuitatibus principale eſt quoddam templum, patriâ linguâ Enemeſſgit *appellatum, quo die hoc Veneris omnes conueniunt: Rex quoque inprimis, & alij Principes. Oratione meridianâ perfectâ, fit prædicatio & eleemoſinarum Regalium diſtributio. Antoninus titulo decimotertio, capite quinto. Et Cuſpinianus. Mahometus in Alcorano inquit:* Quando die Veneris oratum vocatur, omnis bonus forum atque negotium dimitiat, & Deum invocatum eat. Hoc enim eſt optimum, ſi ſapitis. Oratione quidem terminata, diſgregemini, veſtra captatum commoda: Deúmque in ſingulis rebus invocatum atque precatum, vt ſic veſtra negotia procedant. *Azoara* 72.

Paſcha Turcarum.

Quadrageſimâ *ſuâ peractâ,* Paſchâ *celebrant, eorum linguâ* Bairam *vocatum, magna cum ſolennitate per triduum, oblinientes vnguos manuum & pedum certo ceromate ab eis* Chna *appellato, quod vngues rutilos efficit: eâdem quoque tincturâ caudas equorum & pedes imbuunt. Hic color tenaciſſimè hæret, nec ablui aut extergi poteſt: quamobrem niſi noui à radicibus vngues exierint, ſemper rutilantes apparent, ſed tamen de manibus frequenti lotione deleri poteſt. Mulieres non ſolùm vngues, ſed & manus, atque pedes illo ceromate imbuunt, vt refert Barthol. Georgieuiz in Epitome de Turcarum moribus.*

Religioſorum Turcarum feſta.

RELIGIOSI *quoque Turcarum Feſtiuitates quaſdam agunt, vel propter vota populi eis commiſſa, vel ad aſſequendam pluuiam, ſerenitatem, victoriam, vel propter prædeceſſorum memoriam, quæ quidem feſtiuitas* Machia*, ludus autem quem faciunt* Czamach *patriâ linguâ dicitur. Congregantur enim finitimi vnius regionis, occidentes (ſi habent) animalia. Sin minus, ex leguminibus & oryza cœnam apparant. Refectione peractâ, qui primus inter eos eſt tympano accepto, modulatur, cæteri ſurgentes, ordine ludunt quâdam regulatâ totius corporis agitatione, motibus honeſtis omnium membrorum & valdè decentibus, ſecundùm modulationem menſuræ inſtrumenti muſici. Tum in modum vertiginis quodam motu velociſſimo circulariter rotatione ac corporis revolutione (in qua vis ludi conſiſtit) ita celeriter reuoluuntur, vt homóne ſit, an ſtatua, haud facilè diſcernas: oſtendentes ſe in hoc quaſi ſupernaturalem habere corporum agilitatem. Licet autem quiſpiam eos poſſit in cæteris ludi*

geſtibus imitari, hanc tamen revolutionis rationem, quantumvis agilis, nemo facilè ſequetur. Finito ludo ſurgunt omnes, & ordine confuſo imprecationis voces pro ſalute eorum, à quibus eleemoſynas acceperunt, emittunt. Aiunt autem Prophetas antiquitùs ijs ludis vſos, quum David dicatur ante arcam Domini luſiſſe. Loquuntur autem inter ludendum ſermones quoſdam obſcuros à patribus ſibi traditos, qui adeos, dum in raptu & extaſi ſunt, in ſpiritu loquuti ſint. Qui quibuſdam brevibus ſententiis materiam complectuntur de qua tractant, verſibus & rhythmis myſteria ceremoniarum ſpiritualiter explicant. Ob id Sacerdotes alii hos inviſos habent tanquam ſimulatores, improbantes ipſorùm & ludos & imprecationes tanquam inutiles, quum legem minimè obſervent: licèt maximam vitæ ſanctimoniam tam dictis quàm factis oſtentent, angelíque ex moribus, non homines indicentur. Cuſpinianus.

Rugianorum feſtum.

RVGIANI, ad maris Balthici littus, Ethnicis deditì cultibus, VITVM Feſto die, aliiſque haud vulgaribus ſuperſtitionibus coluerunt, cuius etiam fanum primarium fuit & ſtatua in metropoli Archon. Medium vrbis planities habebat, in qua delubrum materiâ ligneum, opere elegantiſſimum. Exterior ædis ambitus accurato calamine renitebat, rudi atque impolito pictura artificio varias rerum formas complectens. Vnicum in eo oſtium. Ipſum fanum duplex ſeptorum ordo claudebat. E quibus exterior parietibus contextus, puniceo culmine tegebatur. Interior verò quatuor ſubnixus poſtibus, parietum loco penſilibus aulæis nitebat, nec quicquam cum exteriore, præter tectum & pauca laquearia, communicabat. Ingens in æde ſimulachrum, quatuor capitibus, totidémque cervicibus, è quibus duo pectus, totidémque tergum reſpicere videbantur. Cæterùm tam ante quàm retrò collocatorum, vnum dextrorſum, alterum lævorſum contemplationem dirigere videbatur. Corraſa barba, crines attonſi Rugianorum ritu. In dextera cornu vario metalli genere excultum geſtabat, quod Sacerdos annuatim mero profundere conſueverat, ex ipſo liquoris habitu ſequentis anni copias proſpecturus. Læva arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens. Pedes humo contigui, eorum baſi intra ſolùm latente. Haud procul frænum ac ſella ſimulachri, compluráque divinitatis inſignia. Quorum admirationem conſpicua granditatis enſis augebat, cuius vaginam ac capulum præter excellentem cælatura decorem, exterior argenti ſpecies commendabat. Semel quotannis poſt lectas fruges inſulani Feſtum ac Solenne in eo epulum religionis nomine celebrabant ei. Huius Sacerdos, præter communem patriæ ritum barba comaque prolixitate ſpectandus, pridie quàm rem Divinam facere debuiſſet, ſacellum (quod ei ſoli intrandi fas erat) adhibito ſcoparum vſu, diligentiſſimè purgare ſolebat, obſervato, ne intra ædem halitum funderet. Quo quoties capeſſendo vel emittendo opus habebat, ad ianuam procurrebat, ne videlicet Dei præſentia, mortalis ſpiritus contagio pollueretur. Poſtero die populo præ foribus excubante, detractum ſimulchro poculum curioſius ſpeculatus, ſi quid ex inditi liquoris menſura ſubtractum fuiſſe, ad ſequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, præſentes fruges in poſterum tempus aſſervari jubebat. Si nihil ex conſueta fœcunditatis habitu diminutum vidiſſet, venturo agrorum vbertatis tempora prædicabat. Iuxta quod auſpicium, inſtantis anni copiis nunc parcius, nunc profuſius vtendum monebat. Quæ ſuperſtitio à Chriſtianis quoque Calendis Ianuariis ferè obſervatur, quemadmodum diximus quum de iis ageremus. Veteri deinde mero ad pedes ſimulachri libamenti nomine defuſo, vacuefactum poculum recenti imbuit, ſimulatóque propinandi officio, ſtatuam veneratus, tum ſibi tum patria bona, civibúſque opum ac victoriarum incrementa ſolennium verborum nuncupatione poſcebat. Quâ finitâ, admotum ori poculum nimiâ bibendi celeritate continuo hauſtu ſiccavit, repletúmque mero, ſimulachri dextera reſtituit. Placenta quoque mulſo confecto, rotunda forma, granditatis verò tanta, vt penè hominis ſtaturam æquaret, ſacrificio admovebatur. Quam ſacerdos ſibi & populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur, percontari ſolebat. Quibus illam à ſe videri reſpondentibus, ne poſt annum ab iiſdem cerni poſſet, optabat. Quo precationis more non ſuum aut populi fatum, ſed futura meſſis incremento poſcebat. Conſequenter ſub ſimulachri nomine præſentem turbam conſalutabat, eámque diutius ad huius numinis venerationem ſedulò ſacrificii ritu peragendam hortatus, certiſſimum cultûs præmium, terra marique victoriam promittebat. His ita peractis, reliquum Feſti diei plenis luxuria epulis exigentes, ipſas ſacrificii dapes in vſum convivii & gulæ nutrimenta vertere. In quo epulo ſobrietatem violare, pium æſtimatum eſt: ſervare, nefas habitum: vt refert Saxo Grammaticus libro decimo quarto, de hiſtoria Danorum.

CAPVT

CAPVT II.

De Feſtis nonnullorum Indiæ Nouæ populorum.

Feſtum pœnitētiæ apud Marſingas.

INter Feſta quæ non pauca per annum Narſinga inſula in India incolæ celebrant, vnum in autumno maximè Solenne habent. Tunc enim arborem in terram defodiunt, & inſtar mali cum antenna erigunt, duobus ad antennam iſtam retinaculis ferreis alligatis. Qui igitur vel ægritudine, vel aliis calamitatibus ſuperiori anno vexati, votum aliquod pro calamitatis illius mitigatione & valetudinis recuperatione Pagodi fecerunt, iámque pœnitentiam octari, votóque ſuo ſatisfacturi accedunt, admonentur primùm à Sacrificulis, vt ſacrificium idolo afferant, quo facto, Sacrificuli retinacula iſta ferrea demittunt, apprehenſóſque in vtróque humero, in altum attrahunt, vbi complicatis manibus, pectus ſuum ter percutere, idolum ſalutare, & armis quæ in manibus tenent, ei ludum aliquem exhibere coguntur, ſanguine interim ex vulneribus illis largiter promanante. quo gratitudinis ſuæ teſtandæ causâ, arborem Pagodis poſtea aſpergunt, vt voti ſui compotes fiant.

Feſtum Bacchanaliorum.

Sed & aliud feſtum habent, quod nocturno tantùm tempore celebrant, idque per octo noctes continuas, vbi candelæ plurimæ per plateas accenſæ cernuntur, & qui Pagodi Sacrificium offerre decreuerunt, à capite ad calcem plateæ currentes, oryzam & cibos alios poſt ſe trans caput ſpargunt, nullo modo retroſpicientes, ne ab inſequente & veſtigia ſua legente Pagode vel Cacodæmone apprehenſi interficiantur. Peracto hac ratione ſacrificio, bacchanalia viuunt, & explendis libidinibus ſuis, ſtudiosè admodum & ſtrenuè incumbunt.

Peguanorum feſta,

Peguani quoque in India multa per annum Feſta habent, eáque magnâ Solennitate obſeruant. Primum non in ipſa ciuitate, ſed loco 12. leucarum itinere ab ea remoto, celebratur. Rex igitur vt tempeſtiuè ſatis eò pertingat, die feſtum illud præcedente, iter ingreditur. Cúmque Feſtum iam celebrandum eſt currum triumphalem auro vndique obductum & quatuor rotis inſiſtentem conſcendit, Reginámque ſuam precioſiſſimè ornatam à dextris ſibi aſſidentem habet. Ipſe verò caput multis margaritis inæſtimabilis precii ornatus eſt, inter quas duo carbunculi, quorum quilibet duos dactylos magnitudine ſua excedit, ad aures vtrinque propendent, præterea pretioſiſſimarum gemmarum linea à dextro humero ad vmbilicum vſque dimittitur, & inde ſub brachium ſiniſtrum innoluitur, tanto fulgore intuentium oculos perſtringens, vt viſum facile hebetare poſſit, taceo iam annulos aureos quos digitis ſuis geſtat, carbunculis, adamantibus & ſmaragdis fulgentiſſimis conſpicuos. Circum currum triumphalem, Gynaceum conſiſtit, ex Regum aliorum, Procerúmque filiabus collectum, quæ omnes flexis genibus & complicatis manibus, honorem Regi deferunt. Currus etiam ipſe octo generoſiſſimis vnius coloris equis auro & gemmis nitentibus protrahitur, incedentibus iuxta eos Præfectis aliquot, qui funiculos manibus tenentes, equos ſeſe in protrahendo curru iuuare ſimulant.

Feſtum in vrbe Pegu in honorē idoli cuiuſdam celebratum.

Alterum Feſtum in vrbe Pegu celebratur. Quilibet autem procerum, peculiares pyramides & columnas parant, aliâ atque alia formâ, nam ante Feſtiuum quidem diem, nemini columnam alterius videre licet, artificibus ſe in ſecretiorem quendam locum concludentibus, & ab aliorum, dum in opere ſunt, conuerſatione ſeſe prorſus ſubducentibus. Aſſumunt autem craſſas arundines Indicas, & adhibitâ cælaturâ variâ auro obductas curribus imponunt. Cùm igitur Rex arce ſuâ ſplendidiſſimè egreſſus, Feſtum hoc celebrare cupit, quilibet Procerum columnam ſuam afferri curat, & ante Regem eam ſiſtit, vt iudicium ſuum de ea exponat, & laudem cuique ſuam attribuat. Poſtquam igitur Rex vnam quamque diligentiſſimè intuitus eſt, & artificioſiſſimam ſuâ laude ornauit, ſingulæ ad Dominum ſuum reducuntur. Per totam autem noctem ingentes cerei in plateis hinc inde diſpoſiti ardent, ne, qui ſtatuam ſiue idolum illud, in cuius honorem hoc Feſtum inſtitutum eſt, inuiſere volunt, in tenebris fortè offendant, portæ enim ciuitatis nouæ per noctem iſtam non clauduntur, vetus verò ciuitas portas nullas habet, vt cuilibet ad Idolum illud liber acceſſus pateat. Accedentes autem vacui non apparent, ſed munuſculum ſecum aliquod, ſiue paruum ſiue magnum, prout fert cuiuſcúnque conditio, ad conſeruationem idololatriæ iſtius afferunt.

Feſtum Aquationis.

Sed & Feſtum Aquationis habent, quod in veteri ciuitate, loco quodam auro vndique exornato celebratur. Rex igitur curru ſuo aduectus locum iſtum cum Regina & filiis ſuis ingreditur ſeque aquâ roſaceâ inuicem aſpergunt. Extra verò locum Regi deſtinatum, in patenti campo Duces belli Præfectique & Miniſtri alii longo ordine conſiſtentes ſinguli vaſcula aquâ roſarum impleta manibus tenent, ſeque mutuis aſperſionibus, tam madidos reddunt, vt fluuio quaſi egreſſi videantur.

Feſtum decurſationis

Præterea Feſto quodam alio, Rex cum Regina nauem Regiam auro vndique obductum ingreſſi, ac ciuitatem Maceaum traiiciunt, comi-

Digitized by Google

tentibus eos Proceribus & Aulicis omnibus, ita vt centum & amplius nauigia ibi congregentur. Partum autem aſſecuti, in terram deſcendunt, domúmque Regiam intus & exterius auro abductam & pulcherrimo horto circumdatam ingrediuntur, vt proſpicere de feneſtris Regina cum Gynæceo ſuo poſſit. Nobiles enim Proceréſque inito certamine, cum nauigiis ſuis ad domum iſtam Regiam, velificationem inſtituunt, quique primus metam aſſequitur, præter laudem & gloriam, ſtatua etiam aurea, quæ hoc quidem fine ad metam expoſita eſt. ſecundus verò, ſtatua argentea donantur, reliqui ludibrio habentur, & qui poſtremus omnium accedit, linteum à Regina, ignominiæ notam reportat.

Feſtum in Candeſio Ceilana inſula, eiuſque ritus.

In Condeſio Ceilanæ inſulæ regno Indico Solenne quaddam Feſtum his ferè ritibus celebrabatur. Congregati Monachi pulchro ordine bini & bini per ciuitatem progrediuntur. Abbas verò eorum, Elephanto inſidet auro argentoq́; refulgens & baculum inauratum manibus ſupra caput eleuatis tenens. Præcedunt eum aliquot Monachi pulchro ordine, partim variis inſtrumentis muſicis, vtpote cornibus, & tympanis, tibiis, cymbalis, violis, tintinnabulis, peluibus & id genus aliis ludentes, mirificéque concentu perſtrepentes; partim cereos facéſq́; ardentes manibus geſtantes. Poſt eum ſequuntur multi viri alii, itidem bini & bini. Pulcherrima autem quæq́; puellarum antequam egreditur & in vrbem rurſus reuertitur, cum hac pompa ſacrorum Antiſtites, multos ludos dant, ducentes choreas, & ſaltationibus mirè tripudiantes, ſuperna corporis parte vmbilicotenus prorſus nudæ, inferna verò ſuccinctoriis verſicoloribus præcinctæ, & brachia, auriculas, manúſque auro & gemmis ornatæ.

Cum etiam Feſtum aliquod Solenne ibidem celebrandum eſt, multa Idolis Sacrificia offeruntur, quorum quædam ſunt, capite Elephantum, pectore & manibus hominem, pedibus verò hircum repræſentantia.

FINIS.

Digitized by Google

RODOLPHI

HOSPINIANI

TRACTATVS

DE FESTIS

CHRISTIANORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

RODOLPHI
HOSPINIANI
DE
FESTIS CHRISTIANORUM

HOC EST,

DE ORIGINE, PROGRESSV, CEREMONIIS
& Ritibus FESTORVM *Dierum* apud CHRISTIANOS,

TRACTATUS.

IN QVO OSTENDITVR EX PROBATIS AVTHORIBVS,
Veram Primitivam Eccleſiam *pauciſſima habuiſſe* FESTA, *progreſſu autem temporis prodigiosè à ſuperſtitioſis Hominibus numerum eorum accumulatum, & multiplices Errores in obſervatione illorum introductos eſſe; adeóque à veræ Antiquitatis veneranda ſimplicitate ac veſtigiis, Eccleſiam hac etiam in parte longiſſimè receſſiſſe.*

CVM TRIPLICI INDICE AVTHORVM, QVI IN HOC LIBRO citantur: RERVM ac VERBORVM Memorabilium; LOCORVM item SACRÆ SCRIPTVRÆ, qui in hoc OPERE explicantur.



GENEVÆ,
Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.
M. DC. LXXIV.

PRUDENTISSIMIS, AMPLISSIMISQUE

VIRIS, CONSULIBUS, TOTIQUE

SENATUI *Inclitæ Urbis* VITODURANÆ, *Dominis ſuis plurimùm obſervandis*, S.

FESTORUM Dierum Obſervationem, Ampliſſimi Viri, antiquiſſimum ſimul & Divinum Inſtitutum eſſe ex verbo Dei haud obſcurè colligi, & rationibus ponderis non exigui facilè probari poſſe arbitror. Quum enim Dominus in Decalogo non ſimpliciter dicat, Sanctifica Sabbathum; ſed Memento diei Sabbathi, ut ſanctifices ipſum, eo utique ſignificat, vetuſtiſſimam eſſe diei Sabbathi Inſtitutionem: quod mox in eodem præcepto apertiùs & ſignificantiùs exprimit, inquiens: Sex diebus fecit Iehova cœlum & terram, mare, & quęcunque in eis ſunt: & requievit die ſeptimo. Idcirco benedixit Iehova diei Sabbathi, & ſanctificavit eum. Quibus verbis apertè ſignificat, in ipſa mundi origine abſoluto ſex dierum ſpatio Creationis opere, ſeptimo die Sabbathum à Deo inſtitutum fuiſſe. Deinde, quum certum ſit, Patres illos primos à condito mundo, cœtus Sacros & Sacrificia habuiſſe, dubium nemini eſſe debet, ipſos quoque certa tempora, & conſtitutos dies, quibus convenirent, habuiſſe. Quem autem diem potiùs elegiſſent, quàm eum ipſum, quem ſanctificatum eſſe à Deo ſciebant? Neque enim credendum eſt, ignoraſſe eos hanc Dei Sanctificationem, quum hiſtoria conditi mundi eis notiſſima fuerit, & Deus familiares ſermones cum primis illis hominibus contulerit. In hiſtoria quoque Diluvij columbę ex arca emiſſæ ſeptenario dierum intervallo Sabbathi ratione videntur. Adhęc in deſerto, antequam ad montem Sina perveniſſent Iſraelitæ, Sabbathum eos obſervaſſe, ex Mannæ hiſtoria manifeſtiſſimè colligitur, quæ Exod. 16. cap. deſcripta habetur, ubi ſic loquitur Deus: Videte, quòd Iehova vobis poſuerit Sabbathum, idcircò dat vobis die ſexto panem duorum dierum: maneat igitur quiſque apud ſe, & non egrediatur ullus de loco ſuo in die ſeptimo: & addit ibidem Moſes: quieviſſe populum die ſeptimo, & abſtinuiſſe à collectioue Mannę. Quæ etiam cauſa eſt quòd Hebręi dicunt, Sabbathum eſſe fundamentum reliquorum pręceptorum, quòd ante alia pręcepta omnia hoc datum ſit. Poſt exitum verò ex Ægypto, publicè & magna quidem cum ſolennitate

in deſerto ad montem Sina, Sabbathum hoc à Deo, inter prodigia maxima & ſtupenda, in concione omnium frequentiſſima hominum & Angelorum, repetitum & mandatum: lexque illa, ſicut & aliæ novem, in lapideas tabulas, non Moſis, quantumvis Sanctiſſimi Prophetæ, vel alicujus Angeli Excellentiſſimi, ſed ipſius Dei manu ſcripta eſt. Et vix eſt alia in tota Sacra Scriptura, quæ ſæpiùs repetatur, frequentiùs urgeatur, ac diligentiùs inculcetur hac ipſa lege. Conſtituta autem Republica Iſraelitica, & extructo Tabernaculo, præter hoc Sabbathum hebdomadarium, quo ſolo uſi fuerant annis circiter 2455. anniverſarias ſeu annuas tres pręcipuè Solennitates, Paſcha, Pentecoſten & Tabernaculorum, jubente Deo, celebrarunt. Inſtituit verò hæc Feſta populo ſuo Dominus propter otium & quietem, ut in iis ceſſarent ab omnibus operibus ſervilibus: non equidem per ſe, quòd is tantoperè delectetur eo, ſi quis omnem ætatem otioſam & quietam ab opere & labore traducat: ſed partim ut corporum noſtrorum vires, laboribus fatigatę & exhauſtę, reficiantur: Deus enim non ſolùm corpora creavit, ſed ea quoque pro ſua miſericordia conſervat, eorúmque curam habet: unde & Plato lib. 2. de Legibus, Dii, inquit, genus humanum laboribus natura preſſum miſerati, remiſſionem laborum ipſis ſtatuerunt Solennia Feſta: partim verò propter ſuum cultum, ut in hoc Sacro otio vacarent homines lectioni & interpretationi Scripturę Sacrę, adeóque etiam ejus auſcultationi, precibus publicis & privatis, Sacramentorum celebrationi & beneficentię, ut ex Nehem. 8. cap. clarè intelligitur: tum etiam, ut in memoriam tunc revocarent ingentia beneficia toti humano generi creatione mundi, Iudaico verò populo liberatione Ægyptiaca, ſuſtentatione in deſerto, & promulgatione Legis peculiariter exhibita, utque rerum futurarum etiam, præcipuè autem venturi Meſſiæ, cujus typi & umbrę erant, recordarentur. Ea quoque ad certa tempora, & certas temporum circumſtantias ita ſtrictè & præciſè alligavit Deus, ut ad mortem peccaſſent, ſi aut intermiſiſſent, aut aliis diebus & temporibus celebraſſent, adeóque hæc temporum obſervatio non libera, aut in hominum arbitrio poſita, ſed ex præcepto Dei præciſè erat neceſſaria. Sic denique ſanctè ac religioſè hæc Feſta obſervari voluit, ut in Sabbatho vel ligna colligentem lapidibus obruere juſſerit, & de prophanatione Sabbathorum per Prophetas ſæpiſſimè graviter admodum conqueſtus ſit. Quæ quum ita ſint, mirandum non eſt Feſtos hos dies, & Sacrum in eis otium, Dei authoritate inſtitutum, & jam inde à mundi origine religioſiſſimè ſanctiſſiméque uſurpatum, ab ipſo quoque Filio Dei Domino ac Servatore noſtro Ieſu Chriſto in aſſumpta humanitate in terris obſervatum fuiſſe. Nam & Sabbatho docuit, & aliorum concionibus interfuit. Ad diem quoque Feſtum Paſchæ Hieroſolymam eum aſcendiſſe Evangelica hiſtoria teſtatur. Fecit hoc non tam ut adimpleret legem, quàm ut Feſtos dies, cœtibus Sacris deſtinatos, ſuo exemplo comprobaret, & eos etiam in Novo Teſtamento à fidelibus ſuis obſervari debere demonſtraret. Non quòd Feſta Moſaica in Chriſti Eccleſia locum amplius habere debeant: nam quia, ſicut diximus, vel in memoriam revocabant beneficia Iſraëlitis peculiariter exhibita, vel typi & umbræ fuerunt Meſſię & Redemptionis humani generis: ideò liberavit ab eis nouū ſuum populum, & abrogavit Feſta Legalia, cum ſuis ceremoniis, & præciſa ac ſervili illa temporum obſervatione, in Cruce morte ſua Filius Dei Ieſus Chriſtus: quod ipſe etiam atteſtatus eſt in Cruce clamans, Conſummatum

eſt,

eſt, nimirum quod de noſtrę Redemptionis negotio Deus ab æterno conſtituerat, & quę jam inde ab origine mundi multis ac variis ceremoniis adumbrata, promiſſa etiam, & à Prophetis prædicta fuerant, & quorum exequutorem ipſum eſſe oportuit: hæc, inquam, omnia unica hac voce teſtatur impleta, & quæcunque tantùm ad tempus διορτώσεως inſtituta fuerunt, abrogata eſſe. Docet hoc etiam Paulus, qui Coloſſ. 2. cap. dicit, Feſta Veteris Teſtamenti fuiſſe umbras futurorum, corpus autem Chriſti: quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Feſta illa Moſaica fuiſſe adumbrationes Chriſti, & rerum quæ per illum perfici debuerint: quia verò Chriſtus corpus illarum adumbrationum exhibitus ſit, & omnia adimplerit, ceſſaſſe umbras: undè eodem loco vult, ne quis poſthac fideles Novi Teſtamenti judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei Feſti. Et ad Galatas ſcribit, ſe timere, ne fruſtrà laborarit inter eos, quum dies ad veterum morem & conſuetudinem obſervent Menſes & Annos. Sed hoc tantùm vult exemplo ſuo nos docere Servator noſter, ut habeamus certos dies cœtibus Sacris, ac Religionis exercitio deſtinatos & conſecratos, eóſque religioſiſſimè ſanctiſſiméque colamus & obſervemus. Requirit hoc etiam à nobis Deus præcepto quarto Decalogi, in quo jubet nos feriari ab omnibus operibus externis & corporalibus, tùm ut vacemus Deo, rebúſque Divinis, & ut conveniamus ad audiendum verbum Dei, ad preces & uſum Sacramentorum, tùm etiam, ut quies concedatur ſervis & operariis. Hæc lex non ſublata eſt per Chriſtum, quemadmodum nec reliquæ Decalogi leges, ut quę non per Moſem, ſed per ipſum Filium Dei, Angelum fœderis promulgatę, digito etiam Dei tabulis lapideis ſcriptæ, in Arcam, quę typus Chriſti fuit, impoſitę, denique ab ipſo Chriſto & Apoſtolis illuſtratę & confirmatæ fuerunt. Vnde D. Irenæus etiam contra Hæreſes lib. 4. cap. 31. Decalogum à cæteris legibus ſic diſtinguit, ut illum dicat eſſe amicitiæ cum Deo, & concordię cum proximo, & vitę: reliqua verò præcepta, ſtatuta & judicia eſſe ſervitutis & ſigni. Servitus autem Veteris Teſtamenti ejúſque ceremoniæ & ſigna ſublata quidem ſunt, amicitia verò cum Deo, & concordia cum proximo, ſeu dilectio fraterna & Chriſtiana nequaquam. Veriſſimè igitur Philo Iudæus, in libro Biblicarum Antiquitatum, Decalogum vocat Legem Teſtamenti ſempiterni, & præcepta æterna, quę non tranſeant. Proinde Petrobruſianorum ſententia locum nullum inter Chriſtianos habere debet, qua docuerunt Feſta prorſus nulla in Chriſti Eccleſia eſſe debere. Dies verò illi cœtibus Sacris conſecrati, eorúmque determinationes debent eſſe liberę, adeóque non ſic in Novo, ut in Veteri Teſtamento obligant in conſcientia, ſed tantùm ſcandali & contemptus ratione: nec etiam ita certis temporibus ſunt affixi & alligati, ut ſi ex uſu Eccleſiæ eſſet, ipſáque neceſſitas poſtularet, non liceat mutare, & in alios commodiores dies transferre: proindéque dies iſti determinati ad feriandum non debent etiam, in & per ſe conſiderati reliquis diebus haberi Sanctiores & Sacratiores, ſed ſolùm tanquam determinati & inſtituti diſciplinæ, politiæ & ordinis gratia, ſecundùm quem omnia in Eccleſia fieri debere Paulus monet, & propterea cum hac determinatione conſiſtat æqualitas dierum. Docet hoc manifeſtè D. Hieronymus in epiſtolam ad Galatas: Ne inordinata, inquit, Congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea dies aliqui conſtituti ſunt, ut in unum pariter omnes veniremus. *Non quo celebrior ſit dies illa qua*

convenimus: ſed quò, quacunque die conveniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia major oriatur, &c. Quamobrem etiam de Apoſtolis legimus, eos quidem ad cœtus Sacros determinatis diebus veniſſe, & in iis docuiſſe: illam verò determinationem nulla lege ſanxiſſe, ſed liberam reliquiſſe, Socrates in Eccleſiaſtica hiſtoria clariſſimè docet, Nuſquam, inquiens, Apoſtolus, nec ipſa Evangelia jugum ſervitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, ſed Paſchatis Feſtum, & alios dies Feſtos ipſi homines ſuis quique locis propter remiſſionem laborum, & memoriam ſalutiferæ paſſionis, *ſicuti voluerunt*, ex conſuetudine quadam celebrarunt. Neque Servator ut Apoſtoli hoc nobis lege aliqua obſervandum eſſe mandarunt, neque pœnam nobis aut ſupplicium Evangelia vel Apoſtoli, ſicut Iudæis lex Moſis, comminatur. Et mox: Erat igitur, ait, ſcopus Apoſtolis, non de Feſtis diebus leges ferre, ſed rectam vitam ac pietatem inducere. Etſi verò Chriſtus & Apoſtoli inſtitutionem & determinationem Feſtorum dierum arbitrio & judicio cujuſque Eccleſiæ liberam reliquerint, tamen ad trecenteſimum uſque à nato in carne Filio Dei annum, dies Feſtos ac Solennes pauciſſimos habuerunt primi illi Chriſtiani, nimirum Dominicam diem, Paſcha, Aſcenſionem, Pentecoſten & Natalem Domini. Nam quia Chriſtus Adventu & Morte ſua liberavit Eccleſiam Novi Teſtamenti à jugo ceremoniarum Veteris, noluerunt ii qui Apoſtolos proximè ſequuti ſunt Doctores, & Eccleſiarum Rectores aliud rurſus fidelium cervicibus imponere, ſed in id potius omni opera, ſtudio ac diligentia incubuerunt, ut otium illud Feſtorum auditu Verbi Dei, memoria beneficiorum à Chriſto humano generi exhibitorum, precibus, eleemoſynis, & Sacramentorum adminiſtratione, quarum rerum cauſa datum & inſtitutum eſt, conſumeretur. Fuiſſe autem hæc primorum Chriſtianorum exercitia in ſuis illis pauciſſimis Feſtis ex Iuſtini antiquiſſimi Martyris Apologia ſecunda intelligitur: Omnes, ait, urbani & ruſtici ex agris in unum congregantur, & primò leguntur Scripta Prophetica & Apoſtolica. Secundò, Præſes orationem habet & exhortationem, ut bona quę lecta ſunt imitentur. Tertiò Cœtus omnis ſurgit ad preces. Quartò, celebratur Communio Euchariſtię. Quintò, conferuntur Eleemoſynæ ad ſuſtentationem pauperum, pupillorum, ægrotantium, exulum, &c. Hanc libertatem, quam Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit Eccleſię ſuę, & ſimplicitatem venerandę antiquitatis poſteros firmiter retinere & conſervare decebat: ſed dici non poteſt, quàm longè progreſſu temporis ab hac Regia via deflexerint. Nam primò, Feſta inſtituere cœperunt in honorem, non ſolùm Sanctorum, ſed vel opinione ſaltem talium. Scribit enim Sulpitius tempore Martini accidiſſe, ut nonnulli pro Martyre quendam Feſto die coluerint, de quo tandem compererint, quòd latro fuerit, & ob ſua ſcelera extremi ſupplicii pœnas ſolverit. Deinde, creſcente numero Divorum, Divarúmque, crevit etiam numerus Feſtorum, quę calamitoſioribus deterioribúſque ſubinde ſuccedentibus ſeculis, fæcéque mundi, ita prodigiosè accumularunt, ut non ſolùm Iudæorum conditio ſub lege tolerabilior fuerit, quàm Chriſtianorum noviſſimis his ſeculis ſub Evangelio, ſed etiam Chriſti ejúſque Feſtorum nulla vel parva admodùm ratio ſit habita ampliùs, Sancti verò cum ſuis Feriis ſoli imperium in Eccleſia obtinuerint. Tertiò, dies hos Feſtos verè aliis eſſe Sanctiores & Sacratiores docuerunt, ob typum

nimirum,

nimirum, myſterium, umbram & figuram: nec eſſe ſublatam, ſed mutatam tantùm in Novo Teſtamento ſignificationem & diſcretionem dierum, quæ fuit in Veteri Teſtamento Ieſuitas hodie palàm docere non pudet. Hac autem ratione Iudaiſmum in Chriſti Eccleſiam manifeſtè reducunt, colorem quidem aliquem inducendo, myſterii ſcilicet & piæ ſignificationis nomine, par tamen jugum Religionis & Obſervationis ceruicibus fidelium imponendo. Quartò, Obſervationi Feſtorum, ſicut etiam aliarum ceremoniarum, adſcripſerunt cultum & meritum, qui comes eſt numeroſarum ceremoniarum: nam illarum ſplendore & pompa mentes hominum mirificè capiuntur & faſcinantur, ac mox iſta perſuaſione imbuuntur, quòd earum obſervatione Dei gratiam, favorem, & per conſequens Remiſſionem peccatorum ac vitam æternam promereantur. Vltimò, hos dies Feſtos ritibus & ceremoniis quibuſdam non ſolùm ridiculis, ineptis & ſuperſtitioſis, ſed etiam profanis & palàm impiis celebrauit poſteritas, quas partim ex Iudaiſmo, partim ex Gentiliſmo mutuata eſt. Quum enim ex Iudæis & Gentibus ſimul ad Chriſtianam Religionem paulatim homines converterentur, multa quiſque ex priſtino errore, cui aſſueverat, retinuit, quæ deinde ipſo uſu paulatim confirmata, vel paululum immutata, & minus rectè ad alios fines tranſlata ſunt. Vel ſi Ethnicorum Feſta à Chriſtianis in ſuas converterentur Solennitates, quod ſæpè factitatum legimus, nomen ſolùm mutatum fuit, ritus verò, ceremonię & ſuperſtitiones eædem manſerunt. Hoc autem ſic fieri voluit Gregorius Magnus Romanus Pontifex, qui lib. 9. cap. 71. præcipit, Feſta Paganorum ſenſim in Chriſtiana eſſe commutanda, & quædam ad ſimilitudinem eorum facienda. Rationem hanc reddit Beatus Rhenanus in ſuis ad Tertulliani librum de Corona militis Annotationibus, Opus fuiſſe olim multa Chriſtianis indulgere, quod ſenes plerunque ad noſtram Religionem converſi fuerint, ideóque haud facilè adduci potuerinr, ut ſemel receptam conſuetudinem abiicerent. Quæ tamen ratio, ſi eam ad verbi Dei regulam examinaverimus, valde infirma eſt. Paulus enim docet 2. Cor. 6. nullum conſortium eſſe juſtitiæ cum injuſtitia, luci cum tenebris, Chriſto cum Belial, nullam partem fideli eſſe cum infideli: non poſſe convenire Templo Dei cum Simulachris. Ergò ne conveniet Eccleſiæ Chriſti cum impiiſſimorum Gentilium ritibus ac ceremoniis impuriſſimis? Reſpondet etiam ad hanc rationem Tertullianus, qui in Apologetico cap. 42. Quis hoc, inquit, ſuſtinere aut defendere poteſt? Iudæis dies ſuos Feſtos exprobrat Spiritus Sanctus: Sabbatha, ait, veſtra, & Neomenias, & Ceremonias odit anima mea: nobis, quibus Sabbatha extranea ſunt, & Neomeniæ, & feriæ aliquando à Deo dilectę, Saturnalia, Ianuarię, & Brumę, & Matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenę conſonant, luſus, convivia cõſtrepant. O melior fides nationum in ſuam Sectam, quæ nullam Solennitatem Chriſtianorum ſibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecoſten etiamſi noſſent, nobiſcum communicaſſent, ne Chriſtiani viderentur. Nos, ne Ethnici pronuntiemur, non veremur. Vtitur argumento à minore ad majus: ac ſi diceret, Si Deus Iudæorum Feſta ptopter illorum abuſum odit, quæ tamen ab eo pręcepta & inſtituta fuerunt, quantò magis odio habet Ethnicorum Feſta & ritus à Diabolo ad Dei contumeliam excogitatos? Deinde, ſi hæc ipſa Iudæorum Feſta, quæ olim Deo grata fuerunt, nunc Chriſtianis abo-

minatio eſſe debent, quantò magis iidem alieni eſſe debent ab Ethnicorum Feſtis, quę Deo non modò nunquam grata, ſed ſemper inviſa fuerunt? Denique, ſi Ethnici tam ſtrenui ſunt Religionis ſuæ Cultores, ut nullam Chriſtianorum Feſtivitatem, vel Ritum aliquem obſervent, tantùm ne Chriſtiani eſſe videantur, quę ergò hæc eſt amentia atque perfidia, quòd Chriſtiani Ethnicorum Feſta colunt, eórumque ritibus & ceremoniis utuntur? Ex hoc igitur, hoc inquam fonte manarunt in Chriſtianam Religionem non modò ſuperſtitiones multæ ac varię, ſed etiam ritus profani & impii Bacchanalium, Stultalium, Lupercalium, Vinalium & ſimilium Feſtorum Ethnicorum, quibus etiam num hodie ita ſedulò utuntur homines, ac ſi lege aliqua ita fieri oporteat. Intelligitis, opinor, pro veſtra prudentia, Viri Ampliſſimi, ex his, quę hucuſque à me dicta ſunt, Feſtorum dierum Religionem Antiquiſſimam ſimul & Sanctiſſimam eſſe, & propterea quoque in Eccleſia Chriſti retinendam. Intelligitis, etiam, quàm procul in hoc uno Feſtorum negotio poſteræ ętates à Primitivę Eccleſię ſimplici quidem illa, ſed tamen abſolutiſſima perfectiſſimáque forma receſſerint. De his verò, quę pauciſſimis hic attigi verbis, in hoc toto libro, quem vobis offerimus, pluribus ago. Et primò quidem contra Petrobruſianorum errorem probo, Feſta ex Chriſti Eccleſia non eſſe ſublata, ſed ſemper debere eſſe ſtatos & certos dies, quibus tota Eccleſia ad Religionis exercitium congregetur, non obſtantibus quotidianis cœtibus & concionibus. Deinde libertatem Chriſtianam circa Feſta, quam ęternus Dei Filius ſanguine ſuo nobis acquiſivit, evidentiſſimis teſtimoniis Verbi Dei & SS. Patrum Veteris Eccleſiæ; rationibúſque firmiſſimis aſſero. Tertiò, non in creaturarum mortuarum, quantumvis Sanctiſſimarum, ſed in ſolius Dei honorem Feſta inſtituenda, in iíſque Deum unicum colendum & invocandum eſſe probo. Rationes autem, quibus in his & aliis ſimilibus contrariam ſententiam tueri ac defendere conatur *Robertus Bellarminus Ieſuita* in primo Tomo Diſputationum ſuarum, pro ea quam mihi Deus dedit gratia, refuto. Tum oſtendo, non ex noſtrorum, ſed Pontificiórum hiſtoriis ac ſcriptis, Originem, Progreſſum, Accumulationem, Ceremonias & Ritus, non tantùm Solennitatum, quas Generalia Feſtá vocant, quòd generatim in omnibus Eccleſiis Pontificiis celebrentur, ſed etiam Particularium Feſtorum, quæ ſolùm ab una coluntur Eccleſia in aliquâ Provinciâ, Epiſcopatu, aut Parochiâ, vel etiam Villâ, ut inde intelligatur, prodigioſum hunc cumulum Feſtorum, ſub quo hodie Chriſtiani gementes, & tantùm non oppreſſi jacent, in Eccleſia Chriſti primę & medię ętatis non fuiſſe, ſed ſerò tandem, creſcente Idololatriâ & Divorum Cultu, à ſuperſtitionum Patronis inductum fuiſſe, & proinde vel hac etiam de cauſa Pontificios fruſtrà, plenis, quòd dicitur, buccis, vetuſtatem ſubinde crepare. Sequutus autem ſum ordinem, quo in Calendario, ut vocant, nomina Sanctorum, quibus horum Feſtorum pars ſaltem aliqua celebratur, ſunt annotata. Feci hoc partim in Germanorum noſtrorum gratiam, qui iſtiuſmodi Calendariis potiſſimùm utuntur, & quodammodo delectantur, ut cognoſcant, plurimos eorum, quorum, ceu Deorum, nomina in ſuis iſtis Calendariis deſcripta habent, nihil minus quàm Sanctos & Deos aliquos eſſe: partim verò, ut ſic occaſio daretur, aliquo ſaltem modo detegendi fraudes, dolos, impoſturas & fabulas, quibus verè Sanctorum vitas otioſi Monachi commacularunt, & ſimul quoque de

multis

multis aliis dicendi, quę ad noſtram hiſtoriam Originum pertinent. Quum autem vetus ſit conſuetudo, multorum jam ſeculorum exemplis confirmata Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, Civitatibus, aut Magni Nominis, beneque de Eccleſia & patria meritis Viris libros, qui in lucem emittuntur, dedicare & inſcribere: ego, Viri, pietate & prudentia Ornatiſſimi, Vos potiſſimùm elegi, quibus hos meos labores conſecrarem: in quo Vir Nobiliſſimus *D. Ioannes Henric. Henzelius* à Dægerſtein, Dominus in Elgeuu, &c. veſtrę Vrbis Nominiſque Amantiſſimus, me plurimùm multas ob cauſas confirmavit. Eſt enim Civitas veſtra Municipium conjunctiſſimum fidiſſimúmque Vrbi & Reipublicæ Tigurinorum, ſub quorum etiam patrocinio longè florentiſſimum & feliciſſimum factum eſt. Nam non ſolùm libertatem illam corporum, quæ toti Helvetiæ communis eſt, ſed, quod omnium maximum, animarum quoque ſub eorum auſpiciis eſt adeptum, lucem nimirum Evangelii, quę, diſcuſſis, ſingulari Dei beneficio, denſiſſimis errorum nebulis, & obſcuriſſimis Antichriſtianiſmi tenebris, his poſtremis temporibus reuelata eſt. Accedit etiam læta & diuturna pax, qua ſub Magnificorum Dominorum Tigurinorum tutela, ſaluis ſuis priuilegiis & immunitatibus, ſecurè fruitur, in eáque & honoribus & opibus cùm publicis tùm privatis augetur in immenſum quotidie. Sed hæc Vobis communia ſunt cum aliis multis. Illud verò Ampliſſimi Viri, Veſtræ Pietati, Prudentię, & Liberalitati peculiariter tribuendum, quòd non ſolùm verbum Dei in Vrbe veſtra publicè annunciatur, & purè docetur, Miniſtri Eccleſiæ in pretio & honore habentur, ſed etiam, quòd ea æquitate & juſtitia in veſtro munere utimini, ut optimæ conſtitutæ Reipublicæ formam hodie apud Vos invenire liceat. Quòd in eo toti eſtis, ut Veſtra Iuventus, Seminarium Reipublicæ, Vera Religione, Pietate & bonis Moribus jam inde à cunabulis imbuatur: in cujus rei gratiam mox ab initio Reformationis Scholam in Vrbe veſtra aperuiſtis, quam ante annos haud ita multos, propter multiplicem eius fructum, in meliorem ordinem redegiſtis, ædificatis, ſumptibus non exiguis, in huius Scholæ uſum, magnificis ædibus, & Præceptoribus ſtipendiis, liberaliſſimè aſſignatis. Hanc Pietatem, hocque ſtudium verè Divinum & Chriſtianum licet etiam videre in Sanctiſſimis illis Veteris Eccleſiæ Monarchis, Regibus, Principibus, aliiſque Magiſtratibus, qui & Scholas inſtituerunt, & opibus, facultatibus, conſilio denique, authoritateque ſua eas juvarunt. Intellexerunt enim, quantum in Religione propaganda, & conſervanda momenti habeat vera & legitima Scholarum Inſtitutio. Animadvertit id etiam Iulianus Apoſtata, & propterea Scholas Chriſtianorum claudi præcepit, ut ignorantia & inſcitia impediti, ſuam Religionem adverſus Philoſophorum argutias amplius defendere non poſſent. Quum verò neque Religio abſque literis tradi commodè queat, neque Literæ & Scholæ florere abſque libris, neutra autem conſeruari, & ad poſteros tranſmitti poſſint, ſi vel nullę ſint Bibliothecæ, vel nulla earum cura habeatur, prudentiſſimè quoque ſapientiſſiméque judicaſtis utile fore, pro Schola & Vrbe Veſtra Bibliothecam, tanquam armamentarium quoddam Sapientiæ, inſtituere ac adornare: quod etiam ab antiquis temporibus multorum Potentiſſimorúmque Regum, Principum ac populorum opus fuiſſe legimus. In quo propoſito ſi ſtrenuè perrexeritis, non ſolùm veram Religionem & ſtudia bonarum literarum vehementer in urbe veſtra promouebitis,

Digitized by Google

bitis, ſed etiam Vobisipſis ſempiternam memoriam, & immortalem gloriam apud omnes bonos comparabitis. Veſtræ denique Beneficentiæ hoc quoque peculiariter adſcribendum, quòd Noſodochium pro alendis ſenibus, egenis & ægrotis ciuibus: Xenodochium etiam pro ſuſcipiendis pauperibus peregrinis opulentiſſimum habetis. Omitto ſummam humanitatem, qua omnes, qui vel ad Vos veniunt, vel per Vrbem veſtram in Germaniam proficiſcuntur, excipitis. Hæc & ſimilia, Ornatiſſimi Viri, me in veſtri amorem & admirationem abripuerunt, impulerúntque, ut hunc meum librum Vobis dedicarem atque offerrem. Vos igitur nunc, quod unum ſupereſt, Ampliſſimi Viri, rogo atque obſecro, ut hoc meum qualecunque in pietatem, aliáſque multas & præclaras virtutes veſtras, ſtudium & officium boni conſulere, & mei erga vos amoris & obſervantiæ perpetuum teſtimonium benignè recipere dedignemini. Deum Opt. Max. oro, ut Vos Incolumes, Veſtrámque Rempublicam florentem, quam diutiſſimè conſeruet, AMEN. *Datæ Tiguri Calendis Martii, Anno à nato in carne Filio Dei* 1593.

VESTRÆ AMPLITVDINIS

Obſervantiſſimus

Rodolphus HOSPINIANVS
Tigurinus.

DE ORI-

DE
ORIGINE, PROGRESSV, CEREMONIIS, & RITIBVS
FESTORVM DIERVM APVD CHRISTIANOS.

In Hiſtoriam de Origine & Progreſſu FESTORVM DIERVM *apud Chriſtianos*, PROLEGOMENA.

QVONIAM de Origine & Progreſſu Feſtorum dierum apud Chriſtianos hoc libro tractare conſtitui, haud inutilè fore arbitratus ſum, ſi prius, quàm in ſpecie ſingulorum Feſtorum Originem, Authorem, Tempus & Occaſionem referrem, in genere pauca quædam Προλεγομένων loco præmitterem: Primò, An ne dies aliqui conſecrandi ſint Cultui Divino, & obſervandi à nobis in Eccleſia Chriſti. Deinde quæ ſit libertas Chriſtianorum Novi Teſtamenti, quod ad Annos, Menſes, Dies & alias Circumſtantias ad Feſta pertinentes attinet: vt inde intelligatur, quæ fuerit in Veteri Teſtamento, quæque ſit in Novo de Feſtis Diebus ſententia & doctrina. Tertiò, in cuius honorem Feſta ſint inſtituenda & celebranda, in ſolius ne Dei, an etiam Sanctorum & Creaturarum mortuarum. Quartò, ſi breviter perſtringerem numerum, obſervationes & vſum Feſtorum dierum primitivæ, & recentioris Eccleſiæ: inde enim intellecturos facilè omnes ſperarim, quantus acervus & cumulus Feſtorum progreſſu temporis excreverit, qui abuſus, quæ κακοζηλίᾳ & ſuperſtitioſæ opiniones irrepſerint, & quàm longè à veræ Antiquitatis veneranda ſimplicitate ac veſtigiis Eccleſia vel hac ſaltem in parte paulatim receſſerit.

CAPVT I.

An ſint Feſti Dies à Chriſtianis celebrandi.

Petrobruſianorum error de non obſervandis Feſtis.

EX libri tertii capite quinto vitæ S. Bernardi intelligitur, Petrobruſianorum errorem fuiſſe, Feſtos dies omnes ad ceremonias Iudæorum pertinere, & propterea nullos eſſe debere apud Chriſtianos, quum ceremoniæ Veteris Teſtamenti omnes Chriſti adventu ſint impletæ, & ideò ſublatæ. Quorum etiam ſententiæ Anabaptiſtæ hodiè ſuffragari videntur. Iis annumerant nos quoque Ieſuitæ, quos falsò Lutheranos, Zuinglianos & Calviniſtas nominant, & ſcribunt, nos quidem admittere dies Feſtos, ita verò ac ſi non admitteremus: ſed quam inſignem nobis iniuriam faciant in ſequentibus demonſtrabitur.

Pro confirmatione autem ſuæ opinionis adduxerunt Petrobruſiani Apoſtoli Pauli authoritatem, qui ad Coloſſ. 2. cap. ſcribit, Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei — Petrobruſianorum argumenta.

Feſti. *Et ad Galatas* 4. Dies obſeruatis, Menſes & Annos: timeo vos, ne fruſtra laboraverim in vobis. *Ad Romanos cap.* 14. *inquit:* Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem. *Hoc eſt, alius putat unum diem eſſe Sanctum, alium Profanum: alius verò omnes dies putat eſſe æquales. Aiunt præterea eundem Apoſtolum ibi eodem modo reiicere dierum dedicationem, quo ciborum delectum: docere autem, nos Euangelica libertate ita liberatos eſſe à ciborum delectu, ut non tantùm non teneamur à carne ſuilla, vel ab alia abſtinere, ſed ut ne quidem fas ſit certas de delectu ciborum leges conſtituere in Eccleſia. Similiter igitur ſtatuendum, à dierum diſcrimine, & Feſtis diebus Sabbathorum, Pentecoſtes, Paſchatis & Tabernaculorum ſic nos liberatos eſſe, ut non liceat poſthac alias in priorum locum Ferias certis legibus indicere, & Dies Feſtos inſtituere. Eam denique aiunt libertatis eſſe rationem in Novo Fœdere, ut nos obſervemus perpetuũ Sabbathum, de quo Iſaias 66. cap. Quemadmodum enim Iudæi ab operibus ſervilibus abſtinere & ſic carnaliter obſervare Sabbathum debuerunt, ita nos Chriſtianos abſtinere à peccatis & per omnem noſtram vitam feriari, adeòque perpetuum Sabbathum ſervare debere. Quare ſi rurſus certi dies inſtituantur, in ea re libertatem Chriſtianam graviter violari, & nos denuò Iudaicis legibus ac ceremoniis ſubiici volunt.*

Rationes contra Petrobruſianorum errorem.

Sed multa ſunt quæ hunc errorem oppugnant, non modò conſuetudo veteris Eccleſiæ, ſed rationes quoque momenti & ponderis non exigui. In primitiva enim Eccleſia ab Apoſtolorum ætate obſervatum fuiſſe videmus, ut licet homines ſingulis diebus ad audiendum Dei Verbum convenirent, nihilominus tamen haberent certos dies quibus in publicum cœtum magna frequentia congregarentur: ex eorum numero potiſſimùm dies, quem Dominicum vocamus fuit, quemadmodum ſuo loco indicabitur. Eiuſmodi autem conventus Eccleſiaſtices non ſolùm veteris Eccleſiæ exemplo, ſed etiam expreſſa Chriſti promiſſione fuiſſe probatos ex cap. decima octave Matthæi intelligitur, vbi inquit, Si duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, illic ero in medio eorum. Quod ſi verò duorum vel trium cœtui intereſt Dominus, non dubitandum, ſi univerſa Eccleſia in nomine Domini conveniat Deum Spiritu ſuo in media eius eſſe. Niſi autem ſtati ſint, & ſuos habeant conſtitutos dies eiuſmodi cœtus, quomodo haberi poſſunt? Omnia decenter & ordine gerenda inter nos ſunt, ex Apoſtoli ſententia, 1. Corinth. 14. Qui autem hoc fieret ſi alius pridiè, alius hodiè, alius poſtridiè ad cœtum ſacrum conveniret, & quiſq; ſuo arbitrio ageret? nonne hoc eſſet chaos quoddam & confuſio quædam? Tantùm igitur abeſt, quin decorum & ordo, niſi iſta politia & moderatione, conſervari poſſit, ut præſentiſſima impendeat Eccleſiæ perturbatio & ruina, ſi diſſolvatur. Equidem optandum vehementer eſſet, vt quotidiè conveniremus, quo ſic tolleretur omnis dierum diſcretio, & Deo eiuſque cultui quotidiè decideretur particula aliqua temporis. Experientia autem ſatis docet, quàm vix id ab Eccleſia obtineri poſſet: alii enim avocantur propter victum parandum: alii ſunt negligentiores: alii ex contemptu, vel etiam impietate quadam rariùs accedunt. Quod ſi igitur à multorum infirmitate, ne quid graviùs dicam, obtineri non poteſt, vt quotidiani conventus agantur, & charitatis ratio plus ab illis exigere non permittit, cur non pareamus rationi, quam nobis videmus Dei voluntate impoſitam? Adhæc in illa veteri Iudaica Eccleſia quotidiè in templo ſtata & certa ſacrificia habebant, licebat his intereſſe Fidelibus quicunque ad Templum convenire poterant, & ibi commemorare promiſſiones atque invocare Deum: nihilominus tamen Sabbathum magna religione à Deo præceptum, & à Populo veteri obſervatum fuit: Sabbathum etiam graviſſimè inculcarunt Prophetæ. Vt igitur quotidiana Sacrificia non obſtabant Iudæis, quo minus religioſiſſimè Sabbathum colerent, & in ea convenirent in Templo ac Synagogis: ita quotidiani cœtus & conciones non obſtabunt, quo minus certo die tota Eccleſia congregetur.

Reſponſio ad Petrobruſianorũ Argumenta. Explicatur locus Coloſſ. 2.

Quod verò obiicitur de obſervatione Dierum ex Apoſtolo, reſpondemus, Paulum Coloſſen. ſecundo, de Iudaicis Feſtis loqui, quorum ſuperſtitioſam obſervationem nonnulli in Chriſti Eccleſiam Apoſtolorum ætate introducere conabantur, illámque opinionem neceſſitatis ita vrgebant, vt dicere auderent, eos graviter peccare & Deum offendere qui in Novo Teſtamento Iudæorum Feſta non perinde vt in Veteri obſervarent. Apoſtolus igitur hanc partem Evangelicæ veritatis ſeu libertatis magna vehementia hoc loco aſſerit, & contrariam ſententiam acriter refutat. Dicit enim, Nemo vos iudicet, id eſt, conſcientiæ ſcrupulum iniiciat vel condemnet, ob cibum aut potum, aut ob partem Diei Feſti, aut Novilunii, aut Sabbathorum. Et addit rationem graviſſimam, Hæc, inquit, fuerunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti: hoc eſt, legalia illa diſcrimina ciborum & dierum fuerunt adumbrationes, & prima quaſi lineamenta perſonæ & officii Chriſti venturi: quia verò Chriſtus, corpus illarum adumbrationum, iam exhibitus eſt, ceſſarunt vmbræ. Inde verò non ſequitur, nullos Conventus publicos certis & ſtatis diebus agendos. Siquidem in Eccleſiis ab Apoſtolis inſtitutis Sabbathi loco Dominica dies in hunc vſum ordinata fuit. Illum enim diem præſcribit Corinthiis, quo ſymbola, ad ſublevandos egenos Hieroſalymitanos Fratres, colligantur. 1. Corinth. 16. Ita non ſequitur, veteris Teſtamenti ſacramenta ſunt abolita, & Apoſtoli graviter eos obiurgarunt qui circumciſionem

Eccleſiæ Chriſti obtrudere conabantur, Actor. 15. ergo in Novo Teſtamento nulla prorſus ſunt habenda ſacramenta. Vt igitur ſummatim dicam, Feſtorum Veteris Teſtamenti genus, quod morale & naturale eſt, abrogatum in Novo non eſt, vt nimirum homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum Divinis: ſed ſpecies tantùm, quatenus feſta illa expreſſo mandato Dei ad certas circumſtantias temporum determinata & alligata erant, quo ſcilicet die celebranda eſſent, quibus menſibus, quoto die menſis, quando inchoanda & finienda, ſub peccato mortali, & pœna damnationis. Hæ inquam circumſtantiæ, & neceſſaria earam obſeruationes, conſcientiis in Novo Teſtamento abrogata ſunt: ſed non ita, quaſi in Nouo abſque ordine meræ debebant eſſe confuſiones in Conuentibus Eccleſiaſticis. Etſi enim Paulus libertatem Chriſtianam in huiuſmodi circumſtantiis ſtrenuè hoc loco aſſerat, vult tamen alibi, vt in Conventibus Eccleſiaſticis omnia ordine fiant, & ita decenter, vt ſerviant ædificationi, & ſint incitamenta & retinacula pietatis, ac teſtimonia quòd Deus revera ſit in medio noſtri. Non enim Confuſionis Deus eſt, ſed Pacis, 1. Cor. 14. & Coloſ. 2. Gaudeo videns veſtrum ordinem.

Explicatur locus Gal. 4. *Locum Apoſtoli ad Galatas Ambroſius, quemadmodum & Auguſtinus in Enchiridio cap. 79. & in Epiſtola 119. ad Iannarium cap. 7. de Ethnicorum vana ac ſuperſtitioſa Dierum obſervatione exponunt. Sic enim Auguſtinus ad Iannar. ſcribit: Eos inculpat Apoſtolus, qui dicunt: Non proficiſcar, quia poſterus Dies eſt, aut quia Luna ſic fertur. Vel proficiſcar vt proſpera cedant, quia ita ſe habet diſpoſitio Syderum. Non agam hoc menſe commercium, quia illa Stella mihi agit Menſem: vel agam, quia ſuſcepit menſem. Non commercium, Non plantem hoc anno Vineam, quia biſſextus eſt. In expoſitione autem Epiſtolæ ad Galatas dubiò hunc locum interpretatur, primò de Gentilium, deinde verò de Iudæorum ritu exponens. Vulgatiſſimus, ait, error Gentilium eſt, vt vel in agendis rebus, vel in expectandis eventibus vitæ ac negotiorum ſuorum, ab Aſtrologis & Chaldæis notatos Dies, Menſes, Annos, & Tempora obſervent. Fortaſſe tamen non opus eſt, vt hoc de Gentilium errore intelligamus, ne intentionem cauſæ, quam ab exordio ſuſceptam ad finem vſque perducit, ſubitò in aliud temerè detorquere velle videamur, ſed de his potius, de quibus cauendis eum agere per totam Epiſtolam apparet. Nam & Iudæi ſeruiliter obſeruant Dies, Menſes, Annos, & Tempora in carnali obſeruatione Sabbathi, & Neomeniæ, & menſe nouorum, & ſeptimo quoque anno, quem vocant Sabbathum Sabbathorum. Quæ quoniam erant vmbra futurorum, iam adueniente Chriſto in ſuperſtitione remanſerunt, quum tanquam ſalutaria obſeruarentur à neſcientibus quo referenda ſint: vt tanquam hoc dixerit Apoſtolus gentibus, quid prodeſt vos euaſiſſe ſeruitutem qua tenebamini, quum ſeruiretis elementis mundi, quando rurſus ad talia reditis, ſeducti ab eis, qui nondum agnoſcentes Libertatis ſuæ tempus, inter cætera opera Legis quæ carnaliter ſapiunt, etiam temporibus ſeruiunt: quibus & vos rurſus vt antea ſeruire vultis, & obſeruare cum eis Dies, Menſes, Annos & Tempora, quibus ſeruiebatis antequam Chriſto crederetis. Hæc omnia Auguſtinus. D. Hieronymus quoque in Comment. ad Galatas, hunc locum Pauli ſimpliciter & rectè de Iudæorum Feſtis accipit. Siue autem de Iudæis, ſiue de Gentilibus intelligamus, neutro tamen modo ad confirmationem Petrobruſianorum ſententiæ facit.*

Explicatio loci, Rom. 14. *De eorundem Iudaicorum Feſtorum obſeruatione Paulus quoque Rom. 14. capite loquitur, Hieronymo teſte lib. 2. in Iouinianum: vt ſenſus ſit: Alius diſcernit inter diem feſtum, & profanum ſecundùm Legem, & obſeruat Iudæorum more Sabbathum, Neomenias, Paſcha, &c. & hoc infirmitati Fidei illorum tribuit, quod tamen in perfectioribus nequaquam tollerandum docet. Quamuis Origenes, Ambroſius, Oecumenius & alii hunc locum traduxerint ad abſtinentias à cibis, & à carnibus, quas Chriſtiani nonnulli tum temporis obſeruarint. Et hunc volunt eſſe ſenſum: alius indicat diem inter diem, alius omnem diem, id eſt, aliqui ieiunant certis Diebus, vt Feria 4. 5. & 6. vel Sabbatho: alii ieiunant omni die. Quæ interpretatio mirificè Ieſuitis placet: ſed vera non eſt: aut probent ex Pauli ſcriptis, fuiſſe qui Apoſtolorum temporibus certis aliquibus diebus abſtinuerint à carnibus, aut ab alio aliquo genere ciborum: alii verò omnes Dies exiſtimarint ſibi eſſe Liberos.*

Reſponſio ad Petrobruſianorum rationes. *Quod autem ad rationes attinet quas adducunt, reſpondeo ad primam, eodem modo reprobari à Paulo diſcrimen Ciborum & Dierum. Non autem propterea ſequitur inde quod volunt. Loquitur enim Apoſtolus de diſcrimine ex Lege Iudaica in Chriſti Eccleſiam inducto. Si enim certis & à Deo in veteri lege prohibitis cibis veſcerentur homines, mortaliter eos peccare docebant Pſeudoapoſtoli: ab hoc diſcrimine liberatos eſſe docet Fideles Paulus, & mundis omnia porrò munda eſſe inquit, proindeque certas leges de eiuſmodi diſcrimine in Chriſti Eccleſia non amplius ferendas. Similiter nec illud tollerandam ſcribit, vt Feſta Chriſtianorum ſic certis temporibus affigantur, vt non etiam aliis haberi & celebrari poſſint: quod in Veteri Teſtamento in vſu fuiſſe legimus, vbi Feſta ita certis diebus erant alligata, vt ſi ea aliis celebrare voluiſſent grauiſſimè peccaſſent.*

Digitized by Google

2. *Ad ſecundam dico, perpetuum quidem Sabbathum Fideles in his terris agere debere, ſic vt Spiritu Dei illuſtrati ſemper Deum inuocent, & à peccatis abſtineant: quia verò hoc illorum ſtudium ob carnis infirmitatem ſubinde interrumpitur, ideò ſolennes cœtus requiruntur, non ſolùm ad confirmandas mentes & alandas Verbo Dei ſed etiam vt alii hoc exemplo ad cognoſcendum Deum excitentur.*

Refutatio Ebionitarum hæreſis de ſeruãdo Sabbatho & Dominica die ſimul à Chriſtianis.

His teſtimoniis Pauli, & quæ de iis dicta ſunt, refellitur ſimul etiam Ebionitarum hæreſis, qui inter alia docebant, debere Chriſtianos ſeruare dies Feſtos Veteris & Noui Teſtamenti, Sabbathum nimirum & Dominicam diem, vt Euſebius refert lib. Hiſtor. cap. 27. Quem errorem Gregorii M. tempore nonnulli renouare voluerunt, vt eſt videre ex libro eius 11. Epiſt. 3. Ac referunt Chriſtianos qui hodiè in Æthiopia degunt, Sabbathum & Dominicam diem eodem honore habere & colere. Adeò autem apertè Paulus Ebionitarum opinionem confutauit, vt eum propterea non reciperent, ſed Apoſtatam eſſe dicerent, Euſebio teſte eodem loco, & Epiphanio hæreſi trigeſima, atque Irenæa libro primo, capite vigeſimo ſexto.

Paulus indifferenter obſeruauit Sabbathum & Dominicam diem.

Nec tamen mentiti ſunt Magdeburgenſes Centuriatores dicentes, Paulum ipſum indifferenter obſeruaſſe Sabbathum & Dominicam, vt Ieſuitæ calumniantur. Eius enim rei manifeſta extant teſtimonia in Actis Apoſtolicis. Nam decimo tertio cap. Paulus & Barnabas ingreſſi in Synagogam die Sabbathorum dicuntur. Eodem loco gentes rogabant eos, vt ſequenti Sabbatho ſibi loquerentur ſermonem. Et Paulus ac Silas die Sabbathorum egreſſi ſunt è Ciuitate ad flumen, ibique ſunt concionati, Actor. 16. Et Theſſalonica per tria Sabbatha diſſeruit Paulus. Rurſus Fratres vno Sabbathorum, id eſt, Dominica die, ad frangendum Panem conueniſſe dicuntur, Actor. 20. Primis enim annis aliquot Apoſtoli ceremonialia quædam Moſaica, vt res indifferentes, propter imbecilles, & nondum de abrogatione Legis Moſaicæ plenè edoctos, obſeruarunt, & Iudæis facti ſunt quaſi Iudæi, vt Iudæos lucrifacerent. Quum autem viderent falſos Fratres, & obſtinatos Iudæos, obſeruationem legis, tanquam neceſſariam ad ſalutem poſtulare, reſtiterunt eis Apoſtoli, & doctrinam de abrogatione legis, ac libertatem Euangelii ſtrenuè defenderunt. Imò Paulus Antiochia Petrum in gratiam falſorum Fratrum Iudaizantem grauiter reprehendit, Galat. 2. Idem Apoſtolus apertè docet, adeo eſſe abrogatam legem Moſis, vt ſi quis ea opinione circumcidatur, aut alias obſeruet legis ceremonias, quòd ſint neceſſaria ad ſalutem, non poſſit ſaluari, Galatas quinto cap. Quæ etiam cauſa fuit, quòd Ebionitæ Paulum Apoſtatam nominarunt: hoc ipſo enim nomine videntur ſignificare voluiſſe, eum ab initio ceremonias Legis obſeruaſſe, poſtea verò eaſdem repudiaſſe, & abrogationem illarum docuiſſe. Eundem errorem damnauit etiam Concilium Laodicenum, celebratum circa annos Domini 364. vel ſecundùm alios 368. in cuius 29. Canone ſub Anathematis pœna præcipitur, ne Chriſtiani Iudaizent, & in Sabbatho vacent, ſed operentur potius. Gregorius M. quoque hunc errorem refutauit Epiſt. 3. lib. 11. & inter alia ſcripſit, Antichriſtum renouaturum Sabbathi obſeruantiam.

Ad argumentum autem illorum, deſumptum ex illis verbis Exod. 31. Cuſtodite Sabbathum meum: Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſraël, ſignúmque perpetuum: *lib. 1. de Feſtis Iudæorum, &c. reſpondimus, vbi de Sabbatho egimus.*

Capvt II.

De Libertate Chriſtiana circa Feſta.

Feſta in veteri Teſtam. ad certa Tempora erant alligata.

Festi *Dies in Veteri Teſtamento, ad certa tempora, & certas temporum circumſtantias erant alligati: ita quidem vt Sabbathum hac tantùm ſeptima hebdomadæ Die, qua Deus à creandi opificio quieuit: Paſcha à decima quinto die iuxta legalem ſuppoſitionem à veſpera ad veſperam, per ſeptem continuos dies vſque ad vigeſimum primum menſis Niſan: Pentecoſte quinquageſimo die à craſtino Sabbathi Paſchæ: Tabernaculorum autem Feſtum à decimo quinto vſque ad vigeſimum primum incluſiuè Menſis Tiſchri, celebrari debuerint, ita ſtrictè & præcisè vt ad mortem peccaſſent, & damnationis pœnam incurriſſent, ſi aut aliis intermiſiſſent, aut aliis Diebus & Temporibus celebrare voluiſſent. Erat igitur hæc Temporum obſeruatio circa Feſta non libera, aut in hominum arbitrio poſita, ſed ex præcepto Dei præcisè neceſſaria.*

Feſtorũ Moſaicorum ſignificatio.

Adhæc Feſta illa Moſaica vel in memoriam reuocabant vetera Dei beneficia Iudæorum genti peculiariter exhibita, vel rerum futurarum, & præcipuè venturi Meſſiæ typi & vmbræ fuerunt. Sic Deus Sabbathum obſeruari voluit, cùm in memoriam rei admodum ſtupendæ & memorabilis, conditæ ab ſe machinæ Mundi, tùm etiam Liberationis Ægyptiacæ. Paſcha ex mandato Dei, non ſolùm propter memoriam redemptionis ex Ægypto, atque aliorum beneficiorum, quæ Deus tum in gentem Iudæam contulerat: ſed omnium maximè propter Typum Meſſiæ, qui ſanguine ſuo & morte genus humanum à captiuitate Peccati, Mortis, Diaboli & Inferni definito tempore liberaturus, & in libertatem Filiorum Dei vindicaturus erat, celebrari debuit.

Pentecoſtes Feſtum in memariam reuocabat promulgotionem legis Diuina in monte Sinai. Scenopegiorum ſeu Tabernaculorum ſolennitas inſtituta fuerat in memoriam beneficiorum, qua in deſerto populo Iſraelitico exhibuit Deus.

Feſtorū in Nouo Teſtamento ratio.

Hac verò ſimul omnia, non ſolùm pracifa & neceſſaria temporum obſeruationes, ſed & ipſa Feſta, conſcientiis in Naua Teſtamento abrogota ſunt penitùs. Non quòd Eccleſia Chriſti ſine ſtatis & certis Feſtis diebus vel poſſit vel debeat eſſe. Nam, vt alio loco docuimus, naturale eſt, vt dies ſint certi & determinati, quibus feriemur ab operibus externis & corporalibus, tùm vt vacemus Deo rebuſque Diuinis, & in iis conueniamus certo in loco ad auditum Verbi Dei, Preces & Vſum Sacramentorum: tùm etiam vt quies concedatur ſeruis & operariis noſtris. Hi verò dies, eorúmque determinationes, non ſic in Nouo, vt in Veteri Teſtamento obligant in conſcientia, ſed tantùm ſcandali & contemptus ratiane: nec etiam ita certis temporibus ſunt affixi & alligati, vt ſi ex vſu Eccleſia eſſet, ipſaque neceſſitas poſtularet, non liceat mutare & in alios commodiores dies transferre: proindéque etiam Dies iſti determinati ad feriandum non debent, in & per ſe conſiderati, reliquis diebus haberi Sanctiores, quaſi myſterium & figuram, vel ſignificationem aliquam, vt in Veteri Teſtamento, contineant: ſed ſolùm tanquam determinati diſciplina, ordinis ac politia gratiâ, & propterea cum hac determinatione conſiſtat aqualitas Dierum.

Teſtimonium 1. quo probatur pracifas & neceſſarias Feſtorū obſeruationes in nouo Teſtam eſſe ſublatas.

Sententia hac noſtra de Chriſtiana Libertate circa Dies Feſtos, confirmatur, PRIMO *teſtimoniis Apoſtoli, paulò antè quoque à nobis citatis. Nam ad Rom. 14. cap. ait:* Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnē diem. *Ad Galatas* 4. Dies obſeruatis, Menſes & Annos: timeo vos, ne fruſtrà laborauerim in Vobis. *Et ad Coloſſ. 2.* Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte Diei Feſti. *Et ad Hebraos hac omnia quaſi confirmans dicit:* Tranſlato Sacerdotio, neceſſario fit & legis tranſlatio.

2. SECVNDÒ *probatur Chriſti, Apoſtolorum & Primitiua Eccleſia exemplis, qua ſatis docent, Feſta in Nouo Teſtamento res eſſe indifferentes & medias, & propterea ſub nulla neceſſitate abſoluta Eccleſia Chriſti imponendas. Chriſtus enim in Sabbathis & reliquis Feſtis non ſolùm docuit, ſed aliorum Concionibus interfuit. Vt autem oſtenderet, ſe illud liberè, & non ex neceſſitate facere, contra opinionem neceſſitatis, de abrogotione Sabbathi Moſaici, & verbo docuit, cùm diceret, Filium Hominis Dominum eſſe Sabbathi: & factis ſapiùs Libertatem illam comprobauit, cùm Sabbathis ſanaret, & Diſcipulos ſpicas in Sabbatho confricantes, defenderet. Eam ob cauſam etiam Conuentus ſuos ad docendum Verbum Dei, aliis ſapius diebus extra Sabbathum celebrauit: atque labores, qui in caſu neceſſitatis & charitatis in ipſo Sabbatho ſuſcipiebantur, non damnauit, tantùm operas illas externas, qua Miniſterium & Sanctificationem turbant & impediunt, prohibitas eſſe, oſtendit Marc* 11. *cùm, docens in templo, non permiſit vt quiſquam vas deportaret per templum. Eodem modo Apoſtoli primùm tollerarunt illorum infirmitatem, qui ſine ſuperſtitione Moſaicos dies obſeruabant, vt patet ex* 14. *cap. Rom. Deinde oſtenderunt ſua exemplo, in Noua Teſtamento liberum eſſe, vel ſingulis diebus, vel quocunque die commodum videretur, ad tractandum Verbum & Sacramenta, & ad publica ſeu communia Pietatis Exercitia, conuenire. Ita die Sabbathi docuerunt, Acto.* 13. 16. 17. *&* 18. *Sic Pentecoſten quoque obſeruauit Paulus, Actor.* 20. *&* 1. *Corinth.* 16. *Praterea vt oſtenderent exercitia Eccleſiaſticorum conuentuum in Nouo Teſtamento non eſſe alligata ad certos dies, ipſi quotidiè perſeuerarunt in doctrinâ, in communicatione, Fractione Panis, & Precibus, Act.* 5.

In primitiuâ ſimiliter Eccleſiâ duarum pracipuarum Feſtiuitatum, diei Dominica & Paſchatis, ex quibus etiam de aliis leuioribus facilè iudicare licet, adeò non fuit aſtricta certo tempori obſeruatio, nec vlla etiam certa lege pracepta; quin ſimul etiam aliis diebus feriari & conuentus Eccleſiaſticas celebrare liceret. Nā prater Dominicam diem, quarta etiam & ſexta Feria hebdomoda, Epiphanio Teſte, conuentus Publicos celebrarunt. Poſt Chriſti quoque Aſcenſionē abſque vllo offendiculo nonnulli Chriſtianorum cum Iudais Paſcha celebrarunt, alii verò in Dominicam proximam poſt 14. *Luna reiecerunt, qua diuerſitas diu non eſt obſeruata, ne dum à quoquam reprahenſa. Sozomenus libro* 2. *cap* 19. *indicat. Conſtantinapoli, & alibi ferè vbique, Sabbatho & prima Sabbathorum conuentus Eccleſiaſticos celebraſſe Fideles. Idem libro prima, cap. octauo, & Euſebius libro quarto, vita Conſtantini, referunt, Imperatorem hunc lege edixiſſe, vt Dominicum diē, & eum qui Sabbathum antecedit, quem vulgus diem Veneris vocat, colerent, Illámque ipſam horum Feſtarum obſeruationem non alia conditiōne pracepit piiſſimus Imperator, quàm vt, ruri poſiti, ſi neceſſitas poſtularet, agrorum cultura liberè licentérque inſeruire poſſint, quum frequenter eueniat, vt non aptiùs alio die frumenta ſulcis, aut vites ſcrobibus commendari poſſint, ne fortè occaſione momenti pereat commoditas cæleſti prouiſione conceſſa: verba ſunt decreti Conſtantini ad Elpidium, in codicis libro* 3. *titul.* 12. *D. Auguſtinus*

quoque teſtatur Epiſt. 118. *alios quotidiè communicare Corpori & Sanguini Dominico: alios certis diebus accipere: alibi nullum diem intermitti quo non offeratur: alibi Sabbatho tantùm & Dominico: alibi tantùm Dominico. Tandem concludens,* TOTVM, *inquit,* hoc genus rerum LIBERAS habet Obſeruationes.

TERTIÒ *probatur noſtra ſententia teſtimonio Socratis, qui etiam dies Feſtos liberos, & ſub nulla neceſſitate, aut lege aliqua impoſitos in prima Eccleſia fuiſſe manifeſtiſſimè teſtatur lib.* 5. *cap.* 22. *hiſt. Eccleſiaſtica. Quum enim de Libertate Chriſtiana circa Feſtos dies, ciborum delectum & alia huiuſmodi eleganter differuiſſet ex Paulo, in hæc verba erumpit tandem:* NVSQVAM igitur Apoſtolus, nec ipſa Euangelia, iugum ſeruitutis illis imponunt, qui ad Prædicationem accedunt, ſed Paſchatis Feſtum, & alios dies Feſtos ipſi homines ſuis quique locis propter remiſſionem laborum, & memoriam ſalutiferæ Paſſionis, SICVTI VOLVERVNT, ex conſuetudine quadam celebrarunt. NEQVE Seruator aut Apoſtoli hoc nobis lege aliqua obſeruandum eſſe mandarunt, neque pœnam nobis aut ſupplicium Euangelia vel Apoſtoli, ſicut Iudæis lex Moſis, comminatur, &c. Et mox: Erat igitur, inquit, ſcopus Apoſtolis, non de Feſtis diebus ſancire, ſed rectam vitam ac pietatem inducere. *In eandem prorſus ſententiam, quin fermè totidem verbis, Nicephorus quoque libro* 12. *cap.* 32. Mihi, *inquit*, ſanè non rectè feciſſe videntur, qui olim de Paſchate tantopere diſſidentes contenderunt. Apoſtolus enim diſertis verbis ſanxit, non ſolùm de Circumciſione vetans, verùm etiam de diebus Feſtis cohortans, vt nequaquam diſceptantes ſegregemur. *Et mox*: Satis igitur, *inquit*, liquet, neque Sacrum Euangeliorum Librum, neque Apoſtolos, Chriſtianis ſeruitutem legis impoſuiſſe: ſed vt & Paſcha & reliquos Feſtos dies honorificè, QVANDOCVNQVE eis viſum fuiſſet, peragant, τῇ εὐγνωμοσύνῃ, id eſt, gratitudini eorum qui beneficio ſunt affecti, reliquiſſe. Proinde quia homines maximè Ferias amant, à laboribus in eis conquieſcentes, tum ſicuti cuique viſum erat, in regionibus paſſim, conſuetudine quadam per traditionem accepta adducti, ſalutiferæ Paſſionis memoriam colentes celebrarunt. Neque enim vel Seruator ipſe, vel eius Diſcipuli lege vlla, id obſeruandum eſſe ſtatuerunt: ſed neque in eum qui hoc ita non perageret, Condemnationem, aut Pœnam, aut Execrationem, ſicuti Moſis lex facere ſolita fuerat, vel Euangelica, vel Apoſtolica Scripta induxerunt, aut comminati ſunt. *Et paulò poſt*: Ipſis profectò Sanctis Apoſtolis conſilium illud propoſitum non fuit, vt ſibi de diebus Feſtis iudicium ſumerent, aut de eis leges ferrent: ſed potiùs Deo gratam vitam, virtutem & veram erga Deum pietatem traderent atque inducerent. *Hæc Nicephorus.*

QVARTÒ *confirmatur D. Hieronymi authoritate: nam in Epiſtolam ad Galatas, ad quæſtionem: An non etiam Chriſtiani Dies obſeruent, & ſua Feſta certis temporibus affigant, quum & ipſi ſtatis conueniant diebus, & Dominicam, Paſcha, Pentecoſten, &c. certis temporibus celebrent? ita reſpondet:* Ne inordinata, *ait*, Congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea Dies aliqui conſtituti ſunt, vt in vnum pariter omnes veniremus. NON quò celebrior ſit dies illa quâ conuenimus: ſed quò quacunque die conueniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia maior oriatur. Qui verò quæſtioni oppoſitæ acutiùs reſpondere conatur, illud affirmat, omnes Dies Æquales eſſe: nec per Paraſceuen tantùm Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere: ſed ſemper Sanctum Reſurrectionis eſſe Diem, & ſemper carne eum veſci Dominica. Ieiunia autem & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magis Sæculo vacant quam Deo, nec poſſunt, imò nolunt toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus, Deo orationum ſuarum offerre Sacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora vel ieiunandi ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: non ita & Iudæis fas eſt omni tempore immolare Agnum, Pentecoſten agere, Tabernacula figere, & ieiunare quotidie. 4

Porrò probari etiam poteſt noſtra ſententia rationibus: nam ſi Feſtorum dierum obſeruatio non eſt in Chriſti Eccleſia res libera, ſed eorum determinatio obligat ad peccatum, grauius & intollerabilius Chriſtianorum erit iugum, quàm fuerit Iudæorum, quum longè plura ſint Feſta Chriſtianorum, quàm Iudæorum? de quo tamen Petrus ait Actor. 15. *Nec nos, nec Patres noſtri portare potuimus.*

Deinde, Aureus Numerus, vt vocant, in hunc vſum excogitatus, vt Nouilunia & Plenilunia demonſtraret, quo ſemper & vbique die Dominica poſt verum Plenilunium Paſcha celebraretur, progreſſu temporis toties fefellit, vt luna exiſtente in cælo vel dimidia vel plena, Aureus Numerus tunc oſtendat, ſeu potiùs fingat

Nouilu-

Ratio 1. *qua probatur, præciſas & neceſſarias Feſtorum obſeruationes in N. Teſtamento abrogatas.* 2.

Digitized by Google

Nouilunium. Quò ſit vt contra Niceni Concilii decretum, ſæpius Paſcha celebratum ſit, & adhuc hodie celebretur in menſe Immundorum, rarò verò iuxta Nicenæ ſynodi mentem & ſententiam, Dominica proxima poſt decimam quartam lunam. Hanc autem aberrationem, quæ ſæpiſſimè propter Aureum Numerum accidit, ideò diuinitùs permitti uidetur aliquibus, vt reipſa oſtendatur, obſeruationes Paſchatis reliquorúmque Feſtorum dierum Liberas, nec opinione neceſſitatis ad certa tempora alligatas eſſe, ſed tantùm ordinis gratiâ ſeruari debere.

3 *Tertiò, ſi Feſti dies Chriſtianorum ſunt certis temporibus alligati, nec liberi, ſed abſolutè neceſſorii, & verè aliis diebus Sanctiores, cur reprehendimus Ethnicos, qui dies hos Fauſtos, illos Infauſtos dixerunt, & proinde etiam aliquos Feliciores, Religioſiores & ſacratiores aliis habuerunt.*

4 *Quartò, Propheta Daniel cap. 7. hoc Antichriſto tribuit, quòd dies & tempora mutaturus, aut ſaltem ſibi hanc poteſtatem vendicaturus ſit. Id autem à Pontifice Romano & Ieſuitis fieri, hos dies in & per ſe Religioſiores, & Sanctiores aliis ſtatuendo, nemo eſt, opinor, qui non intelligat.*

Ieſuitarum ſententia de obſeruatione Feſtorum dierum in N. Teſtamēto.

Contrà verò Pontificii & tota Ieſuitarum cohors docent, Feſta Chriſtianorum non ſolùm ratione Ordinis & Politiæ, ſed etiam ratione Myſte-ii celebrari, eſſéque dies Feſtos verè aliis Sanctiores & Sacratiores, & illorum obſeruationem obligare Fideles non ſolùm ratione ſcandali & contemptus, ſed etiam in conſcientia.

Confutationes Ieſuiticæ noſtrorū argumētorum, & ad eas reſponſio.

Quod autem ad Pauli teſtimonia attinet, quibus noſtram ſententiam confirmauimus, reſpondent primò, loqui ibi Apoſtolum de Iudæorum tantùm Feſtis, & propterea de Chriſtianorum Feſtis non eſſe intelligenda. Reſpondeo: *Falſa eſt argumentatio, Quæ Paulus de Iudæorum Feſtis loquitur, non ſunt ad Chriſtianorum Feſta trahenda. Nam ſi Chriſtiani iiſdem vel ſimilibus erroribus circa ſua Feſta ſunt implicitì, quibus Iudæi: Apoſtolus eos non tam in Iudæis, quàm etiam in Chriſtianis reprehendit & damnat, nam de ſimilibus idem eſt iudicium: alioquin Vetus Teſtamentum, in quo cum Iudæis tantùm agitur, & quæ in Nouo Seruator atque Apoſtoli in Iudæis & ſalſis Doctoribus ſui temporis reprehendunt, ad nos nihil pertinerent. At Chriſtiani eoſdem errores in ſuis Feſtis obſeruant, quos Iudæi: non minus enim illi quàm hi diſcrimen dierum obſeruant, dum Feſta ſua certis temporibus, non tantùm propter ordinem, ſed etiam ob Myſterium, Figuram & Significationem alligant, & ſic verè dies hos reliquis Sanctiores habent, ac Fideles non minus neceſſariò, quàm Iudæi ad illorum obſeruationem adſtringunt. Quare apud eos Moſaica ſeu Iudaica obſeruatio certorum Dierum non eſt ſublata, ſed mutata tantùm. Ergo.*

Deinde ex locis illis Pauli, præſertim eo qui eſt ad Coloſſ. 2. reſponſio grauiſſima ad Ieſuitarum argumentum elici poteſt à maiori ad minus. Si enim à Leuitico ſeu Moſaico dierum diſcrimine & obſeruatione in Chriſto liberi facti ſumus, quod Apoſtolus manifeſtè docet eo in loco, inquiens: Hæc fuerunt Vmbra futurorum; corpus autem Chriſti, hoc eſt, diſcrimina illa legalia ciborum & dierum fuerunt Adumbrationes, & prima quaſi lineamenta Chriſti venturi, quia verò Chriſtus, corpus illarum adumbrationum, iam exhibitus eſt, ceſſarunt vmbræ: multò minus igitur aliis decretis tenemur, quæ iuxta hominum Doctrinas & Mandata nouum dierum diſcrimen, adeoque etiam nouam ſeruitutem in Chriſti Eccleſiam inducunt.

Inſtant tamen Ieſuitæ ex Auguſtino, qui contra Adimantum cap. 16. ſic ait: Illi (Iudæi) ea ſeruiliter obſeruabant, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationes & prænunciationes pertinerent: hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus qui ſeruiunt Creaturæ potiùs quàm Creatori: nam nos quoque & Dominicum diem, & Paſcha ſolenniter celebramus, & quaslibet alias dierum Feſtiuitates: ſed quia intelligimus quò pertineant, non Tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur Temporibus. *Sed hæc falsò pro ſe & Pontificiis citant Ieſuitæ: & tam abeſt, vt ipſorum ſententia his Auguſtini verbis confirmetur, vt iis validiſſimè potiùs confutetur. Dicit enim, Paulum reprehendere in Iudæis, quòd dies ſuos Feſtos ſeruiliter obſeruent, non intelligentes quo pertineant: ſe verò intelligere quò Feſta ſua pertineant & quam ob cauſam inſtituta ſint ac celebrentur, & propterea non tempora obſeruare, ſed quæ illis ſignificentur. Hoc ſi facerent Pontificii quoque, ſi intelligerent finem dierum feſtorum, & propterea non obſeruarent tempora; non vtique detorqueretur in eos Pauli reprehenſio, & his Auguſtini verbis ſe quoque tueri poſſent: ſed quia verum finem ignorant, & propterea tempora non minus quàm Iudæi obſeruant, & hoc pacto Creaturæ, hoc eſt, diebus & temporibus potiùs quàm Creatori, ſeruiunt vt Iudæi, à Paulo etiam perinde vt Iudæi reprehenduntur, nec quicquam pro eis, ſed magis contra eos verba Auguſtini faciunt: dicit enim, quia ſeruiliter Iudæi Tempora obſeruarint, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationes pertinerent, idcirco eos ab Apoſtolo reprehendi,* ET OMNES eos, qui Creaturæ potiùs quàm Creatori ſeruiant: *eóque iuſtiùs reprehenduntur, quòd Pontificii non tantùm Creaturæ temporum, ſed Creaturis inſuper hominum mortuorum ſeruiunt, imò eas colunt &*

adorant contra manifeſtum Dei Verbum. Hoc ſimul refutatur etiam altera Ieſuitarum reſponſio: magnum nimirum eſſe diſcrimen inter noſtra & Iudæorum Feſta: nam illud diſcrimen non tollit id quod à Paulo reprehenditur: quodcunqae enim ſit diſcrimen, ſi eadem modo in Feſtis noſtris peccetur à nobis, quo peccatum fuit à Iudæis in ſuis, eodem crimine etiam tenebimur.

2. Ad exemplum Chriſti, Apoſtolorum & Primitiuæ Eccleſiæ conſuetudinem quod attinet, fatentur Ieſuitæ, Feſtorum obſeruationem ex ſe indifferentem eſſe, ſed poſita lege fieri neceſſariam. Reſpondeo: Si Lex Diuina vel Chriſti vel Apoſtolorum demonſtrari poſſet de obſeruatione eiuſmodi, neceſſaria vtiqae fieret. Sed nulla prorſus dari poteſt. Teſtem habeo Socratem, qui lib. 5. cap. 22. Hiſt. Eccleſiaſticæ aptiſſimè dicit: NVSQVAM Apoſtolus, nec ipſa Euangelia, iugum ſeruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, ſed Paſchatis Feſtum, & alios dies Feſtos ipſi homines ſuis quique locis propter remiſſionem laborum, & memoriam ſalutiferæ Paſſionis, SICVTI VOLVERVNT EX CONSVETVDINE quadam celebrarunt. Neque Seruator aut Apoſtoli hoc nobis lege aliqua obſeruandum eſſe mandarunt, neque pœnam nobis aut ſupplicium Euangelia, vel Apoſtoli, ſicuti lex Moſis, comminatur. Item. Erat ſcopus Apoſtolis, non de Feſtis diebus ſancire, ſed rectam vitam ac pietatem inducere. In eandem ſententiam Nicephorus etiam lib. 12. cap. 32. Satis liquet, inquit, neque Sacrum Euangeliorum Librum, neque Apoſtolos Chriſtianis ſeruitutem legis impoſuiſſe: ſed vt & Paſcha, & reliquos Feſtos dies honorificè, QVANDOCVNQVE eis viſum fuiſſet peragant. Item: Neque enim vel Seruator ipſe, vel eius Diſcipuli LEGE VLLA, id obſeruandum eſſe ſtatuerunt, &c. Rurſus: Ipſis profectò Sanctis Apoſtolis conſilium illud propoſitum non fuit, vt ſibi de Feſtis diebus iudicium ſumerent, aut de eis LEGES ferrent. Ergo ſi Eccleſia Chriſti Præceptoris & Apoſtolorum exemplum ſequi velint, determinabunt quidem Feſtos dies, illæ tamen determinationes liberæ erunt, non abſolutè neceſſariæ.

Quæ verò de Apoſtolorum & Pauli maximè exemplo diximus, ad ea reſpondent Ieſuitæ: Paulum non coluiſſe Sabbathum, concionatum quidem tunc aliquoties fuiſſe, quòd eo die congregatos Iudæos inueniſſet, non quia ipſe coleret Sabbathum. Reſpondeo, Docere, Ieiunare & ſimila peragere Sabbatho, eſt aliquomodo illud obſeruare & colere. Sed eſto non obſeruaris Paulus Sabbathum docendo in eo, tamen alias id ab initio facientes tolerauit, vt intelligitur ex 14. cap. Rom. Deinde Sozomenus lib. 2. cap. 19. & Auguſtinus Epiſtola 118. referunt, Conſtantinopoli, & alibi ferè vbique, Sabbatho & prima Sabbathorum conuentus Eccleſiaſticos celebraſſe Fideles. Quibus addo quòd Paulus Pentecoſten Iudæorum obſeruauit, vt eſt videre Actor. 20. & 1. Cor. 16. Quia enim multitudo frequens Iudæorum in Feſtis ſuis conueniebat, Paulus ea occaſione vſus eſt ad Euangelii propagationem. Conſtat etiam Apoſtolos ab initio naſcentis Eccleſiæ ceremonialia quædam Moſaica, vt res indifferentes, vſurpaſſe, propter imbecilles, & nondum de legis Moſaicæ abrogatione plenè edoctos, & Iudæis factos quaſi Iudæos, vt eos lucrifacerent.

Teſtimonium Societatis, quo probauimus dies Feſtos in Primitiua Eccleſia liberos fuiſſe, & ſub nulla neceſſitate impoſitos, Ieſuitæ hoc argumento eludere conantur, quòd dicunt, Socratem Hæreticum fuiſſe Nouatianum, & proinde teſtimonium eius in dogmatibus nullius eſſe momenti. Scio equidem Socratem à Nicephoro lib. 6. cap. 36. & lib. 9. cap. 13. vt Nouatianum traduci. Rectène autem ac verè hunc errorem ei impingat Nicephorus, affirmare non poſſumus, niſi quòd caput 28. libri 4. vbi originem Nouatianorum hæreſis deſcribit, facit, vt ei iniuriam ab eo factam eſſe ſuſpicemur. Neque etiam Nouato de tempore celebrandi Paſcha cum Occidentalibus Eccleſiis contentionem vllam fuiſſe eodem loco teſtatur. Sed age fuerit Hæreticus Nouatianus, ànne propterea teſtimonium eius verum non eſt recipiendum? Fuiſſe Tertullianum Montani hæretici erroribus imbutum, habuiſſe reliquos, & quidem ſummos in Eccleſia Doctores ſuas quaſdam opiniones parùm commodas, & ſuos quaſi næuos in confeſſo apud omnes eſt, an verò ea quæ iidem illi verbo Dei conformia docuerunt, propterea non eſſent recipienda? Eſſe autem hoc Socratis teſtimonium verum, ex iis intelligitur, quæ de Chriſto, déque Apoſtolorum & Primitiuæ Eccleſiæ conſuetudine ex Verbo Dei, Euſebio, Epiphanio, Auguſtino & Sozomeno in ſecundo argumento pro noſtra ſententia confirmatione ſuprà retulimus. Adde, quòd Nicephorus lib. 12. cap. 32. eadem de re totidem ferè verbis quot & quibus Socrates teſtatus eſt: quem tamen hæreticum fuiſſe, ne ipſi quidem Ieſuitæ dicent. Vt igitur Socratis maximè teſtimonium non recipiat Bellarminus, Nicephoro ſaltem fidem habeat, qui noſtram ſententiam non minùs quàm Socrates confirmat. 3.

In verbis D. Hieronymi duas ſolutiones ad obiectam quæſtionem eſſe fingunt Ieſuitæ: & in prima duas Hieronymum cauſas Feſtorum Chriſtianorum reddere dicunt. Vnam, vt honoremus Chriſti Reſurrectionem, & 4.

alia

alia Myſteria: & ex hac parte volunt diem Paſchatis celebriorem eſſe aliis diebus. *Verùm huius cauſa Hieronymus in hac parte reſponſionis ſua ne vno quidem verbo meminit, ſed Ieſuita pro more hoc ei affingunt, vt aliquid ſaltem habeant quod reſpondeant, Sed ſi maximè vt volunt Ieſuita, non tamen inde concludendum, Dies aliquos Celebriores eſſe aliis, alioquin Hieronymus ſibiipſi contradixiſſet. Alteram cauſam ob quam Hieronymus ſcribit Feſta apud Chriſtianos inſtituta, Ieſuita dicunt* eſſe, vt habeamus certos dies ordinis gratiâ: *& hac eſt vera ac ſola cauſa quam ibi Sanctus Pater reddit. In ſecunda ſolutione Hieronymus dicit,* Chriſtianis eſſe Dies omnes Æquales: *at hac non eſt noua ſolutio, vt volunt Ieſuita, ſed eadem cum priore: Si enim nulla dies celebrior eſt alia, ergo omnes ſunt Æquales:* Hæc autem verba dicunt hac æquitate temperanda, vt dicamus apud Chriſtianos eſſe inæqualitatem dierum, tùm ex præcepto Eccleſiæ determinantis dies, tùm ex ſignificatione & repræſentatione Myſteriorum. *Egregium ſanè temperamentum, ſi modò cum ſenſu verborum Hieronymi egregiè & probè conueniret. Non autem conuenire, & Ieſuitas in alium ſenſum verba Hieronymi violenter trahere, mox apparebit, ſi ad ſcopum propoſita quaſtionis diligenter attendamus. Obiiciebatur igitur S. Hieronymo, quum Paulus tam grauiter moneat, ne Dies, Menſes, & Annos obſeruemus, aut diem inter diem indicemus, hoc eſt, dies alios Sanctiores & celebriores aliis aſtimemus, an non id crimen incurrant Chriſtiani quartam Sabbathi obſeruantes, & Paraſceuen, & diem Dominicam & Paſcha Feſtiuitatem, & Pentecoſtes Latitiam? Reſpondet,* Non hoc fieri à Chriſtianis, quòd Dies illos, quibus conueniant, celebriores & ſanctiores æſtiment reliquis. *Et quia nominatim in quaſtione mentionem fecerat diei Dominica, Paſchatis & Pentecoſtes, intelligimus ex hac Hieronymi reſponſione, eum hos ipſos Dies Celebriores reliquis non reputaſſe: & proinde falſum eſſe quod Ieſuita dicunt,* Ratione honoris qui Reſurrectioni Chriſti & aliis diebus debetur, negari non poſſe, quin dies Paſchatis celebrior ſit quàm alii dies. *Qua igitur cauſa eſt, ob quam Chriſtiani certis diebus Feſta ſua celebrant?* Ne inordinata, *inquit Hieronymus,* congregatio populi fidẽ minueret in Chriſto. *En Ieſuita, propter ordinem & politiam Eccleſiaſticam hoc fieri manifeſtiſſimè dicit, nec aliam aſſignat cauſam. Paulò poſt apertiſſimè dicit,* Omnes Dies Æquales eſſe: nec per Paraſceuen tantùm Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere: ſed ſemper Sanctum Reſurrectionis eſſe Diem, & ſemper carne eum veſci Dominica. *Vnde colligimus non obſcurè, hanc diem Dominicam, & hanc diem Paſchatis, & hos ipſos dies, quibus reliqua Feſta celebramus, neque ſolos, neque in ſe & per ſe conſideratos Reſurrectionis, Paſſionis, Natiuitatis & ſimilium Myſteriorum nos admonere, ſed quoſcunque alios dies, & proinde vel per totam noſtram vitam omnibus & ſingulis diebus Paſcha, Pentecoſten, & Dominicam nos celebrare poſſe, iuxta Hieronymum, vel quocunque certo die libuerit, ſic vt Dominicam diem etiam, ſi Eccleſia commoditas poſtularet, mutare & in aliam transferre liceret, modò ea ſit ex ſeptem hebdomada diebus vna, & hac mutatio vel tranſlatio ſcandalum & confuſionem nullam in Eccleſiam inducat. Hoc non ſine cauſa addo: nam quum vero ſimile ſit, Apoſtolos diem Dominicam in locum diei Sabbathi Iudaici ſubrogaſſe, ex peculiari Spiritus Sancti ſuggeſtione, adeóque diſcrimen quoddam ſit inter hanc diem, & reliquas Chriſtianorum Feſtiuitates, non abſque graui ratione eam mutandam ſeu transferendam cenſeo, modò ne ſubiiciatur Eccleſia ſeruituti huius diei. Proinde nil impedit hoc loco ſignificatio Feſtorum: hac enim dies aquè nos poteſt admonere huius vel illius rei, vt alia, modò in ea conueniamus ad tractationem rerum illarum, quarum nos admonere debet. Neque etiam obſtat noſtra ſententia, vt volunt Ieſuita, Authoritas Eccleſia determinantis certos dies: nam hac determinatio debet eſſe libera. Deinde iam tum Hieronymi atate Dominica dies, Paſcha, & Pentecoſte erant determinata ab Eccleſia certis diebus, nihilominus dicit, hos ipſos dies non eſſe celebriores aliis, ſed omnes aquales eſſe.*

Confutationes Ieſuiticarum rationum noſtrarũ de libertate Chriſtiana circa Feſta & ad eas reſponſio.

Ad primam autem rationem, qua noſtram ſententiam de libertate Chriſtiana confirmauimus, reſpondent Ieſuita PRIMÒ. *ex Auguſtini lib. contra Adimantum cap. 16.* Seruare Feſta Iudaicè eſſe iugum, non autem more Chriſtiano. *Sic verò in ſenſum alienum trahunt verba Auguſtini: non enim probare vult, iugum eſſe ſeruare Feſta Iudaicè: ſed indicare, quid doceat Apoſtolus his verbis, Dies obſeruatis, Menſes & Annos. Illud nimirum, Tempora hac non eſſe ſeruiliter obſeruanda, ſed illa potiùs qua his ſignificantur. Hoc verò dicit Auguſtinus à Chriſtianis fieri, licet Dominicum diem, Paſcha & alias Feſtiuitates celebrent quia intelligant quò pertineant. Deinde ſi eſſet maximè hic ſenſus verborum Auguſtini, Feſta Iudaicè obſeruare eſſe iugum, non autem more Chriſtiano, quòd hi intelligant finem Feſtorum & Vacationis, illi non, tamen contra Pontificios hunc totum locum Auguſtini, non pro eis facere, ſuprà indicauimus, quum verum finem Feſtorum ignorent, & tempora non minus ſeruiliter quàm Iudai obſeruent, eóque modo creatura, id eſt, diebus ac temporibus potiùs*

quàm

quàm Creatori, perinde vt Iudæi, ſeruiant.

SECVNDÒ *dicunt*, Feſta Iudæorum verè fuiſſe grauia, quia cogebantur ſingulis Sabbathis non accendere ignem, non coquere cibos, non iter facere, niſi ad modicum ſpacium. Item oportebat eos ter in anno ex longinquo Hieroſolymam ad Feſta Maiora venire. In Paſchate cogebantur per ſeptem dies comedere Azyma inſipida, & Lactucas amaras, & alia multa, quæ Feſta onéroſa reddebant. Sua verò Feſta aiunt nihil habere laboris. *Reſpondeo primò, eſſe hanc fallaciam ſecundùm non cauſam vt cauſam. D. Auguſtinus Epiſtola* 118. *ad Ianuarium conqueritur, Chriſtianam Religionem iam ſuo tempore ita Traditionibus Humanis, Ceremoniis ac Ritibus oneratam fuiſſe, vt Iudæorum iugum tolerabilius fuerit ſub lege, quàm Chriſtianorum ſub Euangelio & Gratia. Quòd ſi hæc Ieſuitarum cauſa vera eſſet, ob quam Feſta Iudæorum aliiſque Ritus & Ceremonia verè graues fuiſſent, an non Sanctiſſimus hic Pater mendacii accuſari potuiſſet? quum Iudæorum iugum longè grauiùs fuiſſet ob immenſos ac penè infinitos labores, quos in Sacrificiis, Feſtis aliiſque Ritibus & Ceremoniis ſuſtinuerunt, præſertim quum Auguſtini tempore Eccleſia Chriſti nondum tot ceremoniis vt hodie onerata fuerit. Dicitur autem iugum Chriſtianorum grauius, quoad Feſta, iugo Iudæorum, ob multitudinem Feſtorum, cùm Chriſtiani longè plura habeant quàm Iudæi. Deinde quòd Chriſtianorum Feſta ab hominibus tantùm, Iudæorum autem à Deo fuerint inſtituta, & proinde legalibus tantùm ſarcinis, vt Auguſtinus loquitur, non etiam, vt Chriſtiani, humanis Traditionibus & Conſtitutiunculis ſubiecti fuerint. Verùm ſit hæc Ieſuitarum vera ratio, non tamen quod volunt obtinere poterunt, ſed fateri cogentur, Chriſtianorum Feſta centuplo Iudæorum Feſtis grauiora eſſe. Feſtis, aiunt, diebus non licebat eis accendere ignem, coquere cibos & iter facere. Sed an hæc grauia & moleſta fuerint, pigris præſertim hominibus, cuiuis iudicandum relinquo. Item, inquiunt, oportebat eos ter in anno ex longinquo ad Feſta Maiora venire: in Paſchate cogebantur Azyma inſipida & Lactucas amaras comedere. Eſt hoc aliquid, at ſi conſideremus, quibus rebus Pontificii in ſuis Feſtis occupentur, illa præ his ludum iocúmque dixeris. Falſiſſimum igitur eſt quòd dicunt, ſua Feſta nihil habere laboris.*

TERTIÒ, *dicunt, Petrum Actor.* 15. *Legem Iudaicam intolerabile iugum vocare, non propter Feſta, ſed propter alias minutiſſimas & innumeras Ceremonias, quas non tantùm obſeruare, verùm etiam memoria tenere fere impoſſibile erat. Verùm ô Sophiſtæ, non vocat hoc loco Apoſtolus legem Moſaicam iugum intolerabile, ob leniculas ſeu minutas aliquas ceremonias, ſed propter ſumma & præcipua eius capita, inter quæ Feſta non poſtrema erant: imò non tam ob legem Ceremonialem, quàm propter ipſam Moralem, ſiquidem Ceremonialia facilè ferebant, non autem Moralia.*

Hæc ſi diligenter conſiderentur, facilis erit ad Ieſuitarum argumenta reſponſio, quibus probare conantur, Dies Feſtos Chriſtianorum VERE aliis eſſe Sanctiores ac Sacratiores, ob Typum nimirum, Figuram & Myſterium, nec eſſe ſublatam, ſed mutatam tantùm in Nouo Teſtamento, ſignificationem & diſcretionem dierum, quæ fuit in Veteri Teſtamento. *Imprudentiſſima ſanè & Ieſuitis digna doctrina, quippe cùm abrogationem omnium legalium ceremoniarum Apoſtolus cùm alibi, tùm verò maximè ad Hebræos apertiſſimè doceat, adeóque nomine mutati Sacerdotii abrogationem quoque eius ſignificet, ipſi tamen inter abrogationem & mutationem diſtinguere audent. Sed ita ſe ſuo indicio produnt ſorices, vt dicitur. Verè enim non mutarunt Ceremonialem cultum, vt abrogarent Iudaiſmum, ſed in fronte ſcriptum habet meretrix Babylonica Myſterium magnum, interpolando cultum Iudaicum, & colorem alium inducendo, par tamen iugum religionis & obſeruationis imponendo, idque, vt Ieſuitæ aiunt, myſterii ratione & piæ ſignificationis.* *Reſponſio ad Ieſuitarum argumenta.*

Primum autem Argumentum eorum eſt, Diem Dominicam inſtitutam in memoriam Reſurrectionis Domini, Auguſtino teſte Epiſtola 119. ergo non ſolùm ratione ordinis Feſta celebrari, ſed etiam ratione myſticæ ſignificationis. *Reſpondeo, hanc diem in ſe & per ſe conſideratam, hanc ſignificationem non habere: quod etiam D. Hieronymus atteſtatur, inquiens,* Semper ſanctum eſſe Reſurrectionis Dominicæ diem. *Verbum autem Dei, quod hoc die annunciatur, Reſurrectionem Chriſti, & alia beneficia per eum nobis exhibita in memoriam nobis reuocat. Aſtipulatur nobis etiam D. Auguſtinus, qui citato loco non ſimpliciter dicit, celebrari diem Dominicam in memoriam Reſurrectionis, ita vt Reſurrectionem Chriſti ceu typo & figura quadam nobis adumbret & ſignificet,* ſed, *inquit,* vt in memoriam reuocemus quòd mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit. *Hoc autem non fit propter diem, vel ab ipſa die, ſed per verbum & ex verbo Dei, ob cuius auditum & meditationem diem hanc inſtitutam ſcimus.* 1.

Ad ſecundum argumentum idem reſponderi poteſt, vbi dicunt, Si Feſtis diebus nulla relinquitur ſignificatio & myſterium, tollendi erunt dies Solennes, Natalis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes. Nam, *vt antea diximus, verbum Dei, non dies, ad cuius auditum in Natali, &c.* 2.

conne-

conuenimus, nos de Natiuitate, Reſurrectione, Aſcenſione Chriſti, &c. admonet. At non inde ſequitur, propterea tollendos eſſe hos dies: quia ordinis cauſa ſunt inſtituti, vt nimirum in iis ex verbo Dei, de his rebus admoneamur. Ita non ſequitur, Præceptor ſolùm erudit Diſcipulum, non tempus, ergò nullum conſtitutum tempus, nulla certa hora debent eſſe, quibus Præceptorem adeat Diſcipulus.

Tertiò citant teſtimonia ex Patribus, vbi dies Feſti dicuntur Sancti, Sacri, Myſtici. *Reſpondeo: appellantur quidem ſic, verùm non in ſe aut per ſe conſiderati, ſed reſpectu rerum, quæ in iis peraguntur. Codex Biblicus dicitur Sacer, non quòd libro per ſe, & quoad chartas ſeu papyrum Sanctitas quædam ſit tribuenda, ſed propter res quæ in eo comprehenduntur & docentur. At Pontificii non contenti actione ſancta, ob quam dies Sancti appellantur, ipſos dies Feſtos per ſe aliis ſanctiores, & partem Diuini cultus faciunt, adeò, vt inter religioſam obſeruationem ceremonialem Iudæorum, & ſuam hac in parte nullum diſcrimen interſit. Fatentur hoc manifeſtè Ieſuitæ, cum dicunt*, dies Feſtos verè aliis eſſe Sanctiores, nec ſublatam in Eccleſia Chriſti, ſed mutatam tantùm eſſe ſignificationem & diſcretionem dierum legalium.

Hinc etiam reſponſio peti poteſt ad quartum argumentum, vbi dicunt: Si ratione ſolùm ordinis diſtinguerentur dies Feſti ab aliis, omnes dies Feſti eſſent æquales, nec vnus alio maior: vna enim eſſet ratio omnium. At non ita eſſe probant ex Ignatio, qui vocat diem Dominicam, diem Regalem, & Eminentiſſimam omnium dierum: ex Leone I. qui vocat diem Paſchæ, Feſtum Feſtorum omnium maximum: ex Nazianzeno, qui dicit Paſcha eſſe Feſtum Feſtorum, & Celebritatem Celebritatum, tantò cæteris omnibus maiorem, quantò Sol ſyderibus omnibus excellit: dicit idem, Paſchæ diem eſſe Regem dierum: ex Chryſoſtomo, qui Natalem Chriſti Feſtum maximum, & Feſtorum Metropolim vocat. *Reſpondeo, Vna eademque eſt ratio Feſtorum omnium, quoad dies, Hieronymo teſte, qui dicit,* omnes dies æquales eſſe, nec eſſe dies Feſtos, quibus conuenimus, aliis celebriores. *Quoad res autem, quæ in iis peraguntur, vna eſt præſtantior alia, cuius reſpectu dies ſic à Patribus appellantur. Ad hæc, non video, quodnam diſcrimẽ Patres inter Feſta citatis locis faciant. Ignatius vocat diem Dominicam, diem Regalem, & Eminentiſſimam omnium dierum. Leo vocat diem Paſchæ Feſtum Feſtorum omnium maximum. Nazianzenus dicit, Paſchæ diem eſſe Regem dierum. Chryſoſtomus Natalem Chriſti vocat Feſtum maximum, & Feſtorum Metropolim. Annon hæc coincidunt? Aut oſtendant Ieſuitæ magnum aliquod diſcrimen inter hos titulos, quibus Feſta diuerſa à Patribus ornãtur.*

Quintò aiunt, Obſeruatio Feſtorum quæ 5.
præcipitur Exod. 20. ad cultum Dei pertinet: ſed illud præceptum ad nos quoque pertinet: ergo etiam noſtra Feſta ad cultum Dei pertinent. *Reſpondeo primò: obſeruatio illa Feſtorum, quæ in quarto decalogi præcepto mandatur, aliquo modo ad cultum Dei ceremonialem pertinuit, qui Chriſti aduentu ſublatus eſt. Secundò, Lex illa Dei moraliter conſiderata, præcipit nobis, vt ſtati & certi ſint dies, quibus conueniamus: obſeruatio verò illa dierum non eſt cultus Dei, neque ea colitur Deus, ſed rebus iis, quæ his diebus peraguntur. Officina, in qua ars aliqua exercetur, non ideò pertinet ad artem, neque eſt pars artis. Deinde Sacræ Literæ non prohibent ea quibus colitur Deus: at prohibet Apoſtolus obſeruationem Dierum, Menſium & Annorum: ergò hæc obſeruatio non eſt cultus Dei.*

Sextò, probant Chriſtum conſecraſſe 6.
tempus, *id eſt*, dies illos, quibus natus, vel paſſus, vel redditus nobis fuit deuicta morte, eò quod naſcens conſecrarit præſæpe, moriens crucem, reſurgens ſepulchrum. *Huic argumẽto ineſt petitio principii, nam rem incertã per aliã longè incertiorẽ probare conantur. Nam ſi attactu ſuo præſepe crucem & ſepulchrũ ita conſecrauit, vt Sanctitatẽ aliquã inde conſequuta ſint, eodẽ etiam modo conſecrauit os Iudæ Proditoris, quo illum oſculatus eſt: ſanctificauit etiam ſceleratas impiiſſimorum militum manus, quibus ceperunt illum & abduxerunt Hieroſolymam: Sanctam etiam reddidit terram Iudæam, quam pedibus ſuis calcauit: quod falſiſſimum eſt, ſi qua enim hodie eſt terra maledictioni obnoxia, Iudæa eſt. Adhæc, ſi conſecraſſet maximè & ſanctum reddidiſſet tempus ſua Natiuitate, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, tunc præcisè illi ipſi dies, non alii, quibus eſſet natus, paſſus & redditus nobis à mortuis, obſeruandi & celebrandi eſſent. Sed hodiè Paſchatis, & proinde etiam Reſurrectionis & Aſcenſionis dies non ita celebrantur: non enim cum Iudæis celebramus Paſcha, vt debebamus, ſiquidem hæc Ieſuitarum ratio vera ſit. Similiter etiam dies Natiuitatis eius non ita celebratur, qui omninò incertus eſt, quando nullo teſtimonio ſacro demonſtratur. Recepta quidem eſt illorum ſententia, qui arbitrati ſunt natum Chriſtum 8. Calen. Ianuar. & hoc die vulgò celebratur hodiè Natalis Domini: ſed hæc opinio multis rationibus improbari poteſt. Sic Eccleſia Romana Feſtum Sancti Petri ad Vincula obſeruat Calend. Auguſt. at illo die Petrus in Carcerem non fuit coniectus, nec Carcer ab Angelo effractus, nam diebus Azymorum iſta facta deguntur*

Digitized by Google

guntur Actorum 15. *cap. Eadem ratio eſt diei Paßionis Dominicæ, quem fuiſſe dicunt alii* 7. *alii* 20. *alii* 22. *nonnulli* 25. *vel etiam* 31. *Martii: alii* 2. 6. *&* 23. *Aprilis.*

7. *Vltimò*, vt probent ad obſeruationem eorum etiam Feſtorum, quæ non à Deo, ſed ab Eccleſia inſtituta ſunt, obligari homines in conſcientia, adducunt authoritatem Eccleſiæ, cuius præcepta obligent in conſcientia. *Reſpondeo, Eccleſiæ mandata obligare tunc in conſcientia, ſi Eccleſia audiat vocem Sponſi ſui & Paſtoris, hoc eſt, ſi mandata eius conſentiant cum verbo Dei. Hæc autem obligatio aduerſatur verbo Dei, & in primis Apoſtolo Paulo, qui ad Coloſſenſes ſecundo capite ſcribit: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei Feſti. Et Galatas reprahendit, quòd Dies obſeruent, Menſes & Annos. Ergò hæc obligatio Romanæ Eccleſiæ eſt infirma.*

8. *Deinde* proferunt exemplum Mardochæi & Heſteræ Reginæ, qui Iudæos obligauerunt ad Feſtum Sortium, licet á Deo in particulari non fuerat mandatum: inde colligunt idem licere Eccleſiæ Chriſti. *Reſpondeo, exemplum non eſt lex. Deinde ſcimus in Veteri Teſtamento multos multa feciſſe, quæ nobis in Nouo non licent. Tertiò, non multùm fortaſſe aberrauerimus, ſi dicamus, hoc à Mardochæo & Heſtera ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu factum: hanc autem obligationem in Eccleſia Chriſti Spiritum Sanctum Authorem non habere, libertas per Chriſtum parta & verba Apoſtoli Pauli ſatis abunde docent.*

9. *Idem etiam reſpondemus ad Conciliorum decreta, quibus Feſta ſunt inſtituta. ad ea verò decreta quæ citant Ieſuitæ, peculiariter reſpondemus, contra nos non facere, nam nihil aliud præcipiunt, quàm vt dies Dominica ſeruetur, quod à Deo ipſo in quarto præcepto Decalogi mandatur.*

CAPVT III.

An Feſta in honorem Sanctorum Inſtituenda & Colenda? vbi & de MEMORIIS Martyrum.

Rationes ob quas Feſta nō Sanctis inſtituenda.

FESTOS *dies non in Sanctorum mortuorum, ſed ſolius Dei Viuentis honorem inſtituendos & celebrandos, aliquot rationibus probatur. Primò, pertinent feriæ ad tabulam Decalogi primam, in qua Deus Religionis officia præſcribit, quæ ad Numinis ſui peculiariter, non etiam ad Diuorum cultum pertinent.* 2. *Ergò Feriæ ſolius Dei ſunt: & proinde qui in creaturarum honorem eas celebrant, Idololatriâ peccant.*

Secundò, Lex Decalogi quarta, Sabbatha ſoli Domino Deo noſtro, non etiam Sanctis vendicat. Septimò, *ait*, die Sabbathum eſt Domini Dei tui. *Non dicit, Sabbathum eſt Abelis, Noachi, Abrahami, &c. Eodem modo etiam de reliquis Feſtis ſubinde in lege præcipitur, vt Domino Deo ſeruentur. Sic Leuit.* 23. *ſcribitur:* Hæ ſunt feriæ Domini, *&c. Et*, Sabbathum Domini eſt, *&c. Et*, Phaſe Domini eſt: *Item*, Solennitas Azymorum Domini eſt. *Rurſus*, Erunt à 15. die menſis ſeptimi Feriæ Tabernaculorum ſeptem diebus Domino. *Et Leuit.* 26. *ait Dominus*, Cuſtodite Sabbatha MEA. 2.

Tertiò, Ferias Diuis inſtituere, pugnat cum Veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſuetudine, quæ in ſolius Dei honorem, non etiam Diuorum Feſta celebrauit. Vetus enim Teſtamentum non habuit ex tanta Patrum Sanctiſſimorum copia quenquam, cui dies Feſtos ageret. Similiter nec Apoſtoli vel in Ioannis Baptiſtæ, vel Stephani Protomartyris, vel Iacobi, vel alterius honorem Feſta inſtituiſſe leguntur. 3.

Adhæc in Feſtis diebus non ſolùm ſpectatur otium, ſed etiam ſanctificatio, vt hi dies conſecrati ſint ſacris rebus, & nos ſanctè in iis geramus. Hanc autem Sanctificationem nemo niſi ſolus Deus poteſt præſtare: itaque nemini dies illi conſecrandi quàm Deo. 4.

His adde, quòd inſtitutio Feriarum in honorem Diuorum Gentiliſmum ſapit: Gentiles enim dies ſuos Feſtos non Opifici & Creatori rerum, ſed ſuis Diis, hoc eſt, Creaturis dicarunt, Ergò qui idem faciunt hodiè Gentiliſmum in Chriſti Eccleſiam reducunt. 5.

Ad primum verò argumentum reſpondent Ieſuitæ, ſe Deo inſtituere Feſta, ſed in memoriam Sanctorum. *Reſpondeo, propter quod vnumquodque tale eſt, illud magis eſt tale: ſed propter Sanctos, & eorum honorem, cultúmque inſtituunt Ferias Deo: ſin minus, cur non ſufficiunt illis ſolius Dei Feſta? ergò magis propter Sanctos, quàm propter Deum. Hoc verò pugnat cum verbo Dei, ac rationibus modò adductis, & eſt cultus Idolatricus, in quo non minimam Religionis ſuæ partem collocant. Atqui Auguſtinus in lib. de Vera Religione cap.* 55. *dicit:* Non ſit nobis Religio cultus hominum mortuorum. Quia ſi piè vixerint, non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti ſui nos eſſe conſeruos.

Reſponſio Ieſuitica ad 1. *noſtrū argumentum, & eius confutatio.*

Sed excipiunt, Cultum hunc, quem Sanctis tribuunt, inſtituendo in memoriam & honorem eorum Ferias, eſſe Duliam, non Latriam. Atqui, de re, non de voce quum ſit quæſtio, quis illis permittat tam ſecurè in re omnium maxima ludere? Verùm vt hoc amittamus, non aliud tamen conſequentur hac ſua diſtinctione, quàm cultum

Cultus Duliæ & Latriæ.

cultum ab ipſis vni Deo præſtari: Sanctis autem ſeruitium: λατρεία *enim Græcis, idem eſt quod Latinis cultus:* δουλεία *verò propriè ſeruitutem ſonat. Et tamen in Scripturis ſæpè confunditur hoc diſcrimen. Sed ſit perpetuum, nempe inquirendum eſt, quid vtrumque valeat;* δουλεία *ſeruitus eſt,* λατρεία *cultus. Maius autem quiddam eſſe ſeruire, quàm colere, nemo dubitat. Nam ei ſeruire durum eſſet ſæpenumerò, quem colere non recuſares. Itaque eſſet iniqua diſtributio, Sanctis aſſignare quod maius eſt, Deo quod minus eſt relinquere. Quæ cauſa eſt, quòd ne* δουλεία, *hoc eſt, ſeruitute quidem honorandos eſſe Sanctos, Auguſtinus velit. Scribit enim lib. de Vera Religione cap. 55. ſic:* Quare honoramus eos (*Sanctos*) Charitate, NON SERVITVTE. Nolunt enim ſe ſic honorari à nobis. *Et mox*, Qui autem nos inuitant vt ſibi SERVIAMVS, & tanquam Deos colamus, ſimiles ſunt ſuperbis hominibus, quibus ſi liceat, ſimiliter coli volunt: ſed iſtos homines perpeti minus, illos verò colere magis periculoſum eſt. Omnis enim hominum Dominatus in homines, aut Dominantium aut Seruientium morte finitur: ſeruitus autem ſub Angelorum Malorum ſuperbia, propter ipſum tempus, quod eſt poſt mortem magis metuenda eſt. *Hæc Auguſtinus. Quòd autem ſanctus Pater hoc loco dicit*, ne ipſos quidem Angelos ſeruitute ſeu δουλεία à nobis honorari velle, *non caret exemplo. Petrus & Ioannes quum adorare vellent Angelos, non cogitarunt & moliti ſunt defectionem à Deo, & pro Deo Angelos adorare ſtatuerunt: neque enim de tantis Apoſtolis tantum nefas cogitare fas eſt.* Δουλεία *ergò, vt vocant, (& vt Thomas Aquinas exponit) non* λατρεία *Angelos voluerunt colere: id eſt, Deum adorare & colere vt Deum: ſed Angelos aliquantò depreſſiùs, vt eximios Dei legatos. At eo re grauiter peccarunt, nec talem cultum agnoſcere voluerunt Angeli.*

Argumenta Ieſuitarum pro Feſtis Sanctorum, & ad ea reſponſiones.

1\. *Suam porrò ſententiam de ferijs in honorem Sanctorum inſtituendis, Ieſuita nullo prorſus vel teſtimonio, vel exemplo Sacrorum Literarum defendunt: ſed primò hac ratione:* Feſti, *inquiunt*, dies rectè inſtituuntur ad recolenda Diuina beneficia: *& hanc rationem fundatam eſſe dicunt in Verbo Dei:* At non paruum beneficium eſt conſummatio alicuius Sancti, præſertim per martyrium: ergò rectè in eius memoriam feriæ inſtituuntur. *Syllogiſmus hic eſt ſecundæ figuræ affirmatiuus, & propterea nihil concludit. Argumenti abſurditas perſpicua fiet, ſi reducatur ad primam figuram.*

Omnia dona Dei ſunt Feſtis diebus recolenda.

Sed conſummatio Sanctorum felix eſt donum Dei. Ergo.

Negatur hic maior, quæ vniuerſaliter falſa eſt, nec aliquo Teſtimonio Scripturæ probari poteſt.

2\. SECVNDÒ *probant Memorijs Martyrum Primitiuæ Eccleſiæ, quarum originem & rationem omnem paulò altiùs repetam, quum ad præſentem de Feſtis tractationem propriè pertineant, non autem alio loco commodior de ijs agendi occaſio futura ſit.*

DE MEMORIIS MARTYRVM.

Martyrum cura habita in primitiua Eccleſia dum adhuc viuerent.

V*Eteres Chriſtiani, vt teſtatur Tertullianus in libro ad Martyres, non ſolùm externam curam corporibus Martyrum impendebant, dum conſolarentur ipſos, & cibos eis in carcerem mitterent, aut ſi non admitterentur à Cuſtodibus ad colloquium, vel alioqui ad venire non liceret, mittebant libellos conſolatorios: ſed etiam ſpiritum eorum & ſanctum animi propoſitum precibus adiuuabant, quùm publicè in ſacrificiis, tùm priuatim in ſeceſſu Deum comprecantes. Sic etiam D. Cyprianus ad Confeſſores & Martyres captiuos ſcribens*, Et nos quidem, *inquit*, veſtri diebus & noctibus memores, & quando in Sacrificiis preces cum pluribus facimus, & cùm in ſeceſſu priuatis precibus oramus, coronis & laudibus veſtris plenam Domini fauentiam poſtulamus. *Et Epiſtola 6. lib. 3. monet Presbyteros & Diaconos Romæ conſtitutos*, vt his qui propter Chriſtum in carcere ſunt, omnia humanitatis officia præſtent, ne quid eis quo ad curam deſit. Atque vtinam, *inquit*, loci & gradus mei conditio permitteret, vt ipſe nunc præſens eſſe poſſem, promptus & libens ſolenni miniſterio cuncta circa fortiſſimos Fratres noſtros dilectionis obſequia complerem. Sed officium meum veſtra diligentia præſentet, & faciat omnia quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac virtutis ſuæ illuſtrauit Diuina dignatio. Corporibus etiam omnium (qui etſi torti non ſunt, in carcere tamen glorioſo exitu mortis excedunt) impartiatur & vigilantia & cura propenſior. *Hæc Cyprianus.*

Martyres defuncti à fidelibus non neglecti.

Verùm enimuerò vt adhuc in carne conſtituti Martyres veteribus illis Chriſtianis curæ erant, ſic nec defunctos negligebant. Diebus enim, quibus Martyrium fecerant paſſi, & ex hoc viſo exceſſerant, Memorias & commemorationes eorum celebrabant, apud ſepulchra eorum conuenientes: nec id ſemel tantùm, ſed ſingulis quibuſque annis factitabant, quum videlicet is dies recurriſſet, aut ſtatum commemorandarum paſſionum tempus aduenîſſet. Docet nos hoc Cyprianus Epiſtola 6. lib. 3. ita ſcribens: Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quanquam

Tertullus fideliſſimus ac deuotiſſimus Frater noſter inter cætera ſolicitudinem & curam ſuam cum Fratribus in omni obſequio operationis impartit, qui nec illic circa curam corporum deeſt, ſcripſerit ac ſcribat, ac ſignificet mihi dies quibus in carcere Beati Fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hîc à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum, Domino proſperante, celebrabimus. *Rurſum Epiſt. 5. lib. 4. hoc idem atteſtatur:* Sacrificia, *inquit*, pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. *Sic Smyrnenſis Eccleſia in Epiſtola ad Philomelienſes, cuius fragmentum extat apud Euſebium lib. 4. cap. 14. ſcribit, ſe diem martyrii Polycarpi, cum gaudio & exultatione, coacto cœtu Eccleſiaſtico, celebraturum.*

Martyrum paſſionis dies celebrati, non Natiuitatis.

Vbi obſeruandum, quòd Chriſtiani Primitiua Eccleſia, non Martyrum natiuitatis, vt Ethnici, ſed mortis vel paſſionis eorum potiùs dies celebrandos inſtituerunt. Quod apertiſſimè quoque teſtatur Ambroſius in Orat. de Fide reſurrectionis: Nos quoque ipſi, *ait*, natales dies defunctorum obliuiſcimur, & eum quo obierint diem celebrari ſolennitate renouamus. *Et tamen dies illas quibus Martyres pro Chriſto fortiſſimè oppetierunt mortem, γενέθλια, hoc eſt, Natalia, ſeu Natalitia ipſorum vocarunt, vt teſtatur Tertullianus in lib. de Corona militis: Origenes lib. 3. in Iobum, & Smyrnenſium Epiſtola apud Euſebium. Factum hoc ideò à priſcis illis, quòd firmiter crederent, Martyres, ſicut etiam alios piè morientes, miſeram hanc vitam, quæ vallis lachrymarum dicitur, longè cum meliore commutaſſe, & ad æternam ac immortalem tranſiiſſe, ac verè iam regeneratos eſſe, ſecundùm illud Chriſti Ioan. 11. de Lazaro,* Non eſt mortuus, ſed viuit. *Item,* Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet. *Et rurſus:* Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſibit à morte in vitam. *Vnde etiam Origenes lib. 3. in Iobum, non diem mortis, ſed natiuitatis potiùs execrandum exiſtimat. In hanc ſententiam quoque in Sermone qui Euſebio Emiſſeno Epiſcopo adſcribitur de S. Geneſio ita legitur:* Beatorum Martyrũ paſſionis, Natales vocamus dies, quando eos martyrii vita, & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia breui dolori parturiit. Meritò planè dicendi Natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miſeriam, ſubitò renaſcuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine ſumentes. *Et Polydorus Vergilius lib. 6. cap. 8,* Feſtum, *ait*, alicuius Diui vocatur dies, & eſt ei ſacer, quo ille è vita migrauit ad cœlum. Nam quemadmodum quis naſci dicitur, quum de vtero matris in hanc prodit lucẽ, ita pari ratione poteſt meritò exiſtimari natus, cùm eius anima vinculis carnis ſoluta ad lucẽ redit ęternã. Vnde mos inoleuit, vt dies huiuſmodi diuorũ vitę extremos Natales, & Sacra illis ſolennia nõ Funebria, ſed Natalitia appellaremus. *Hæc Polydorus.*

Quando & à quibus Memoriæ Martyrum inſtitutæ.

De huiuſmodi autem Memoriis Martyrum nihil in ſacris literis, & ne in Apoſtolorum quidem ſcriptis quidquam exſtat. Libro quidem 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi Romano, qui Apoſtolorum tempore vixit, adſcribuntur, dierum Apoſtolorum & Martyrum mentionem facit caput 39. Verùm libri illi à Gelaſio Papa damnati & inter apocrypha numerati ſunt, vt eſt videre diſt. 15. Sancta Romana.

Smyrnenſes primi Memoriarum Martyrum mentionem faciunt.

Smyrnenſes primi omnium, quod quidem ſciam, mentionem harum Memoriarum faciunt. Vnde etiam veroſimile videtur, Polycarpum primum fuiſſe Martyrem, cuius memoria die anniuerſaria, ex magno zelo & bona animi intentione, à Smyrnenſibus, quorum paſtor erat celebrata fuerit. In maxima ſiquidem authoritate non ſolùm apud gregem ſuum, ſed etiam apud vicinas & exteras Eccleſias fuit, & quòd ſanctiſſima eſſet vita, & quòd Apoſtolos, eoſque qui Chriſtum viderant & audierant habuiſſet magiſtros. Vnde in Catalogo Hieronymus ſcribit, Polycarpum Aſiæ totius Principem fuiſſe. Huic verò authoritati & exiſtimationi eius poſt mortem plurimùm acceſſit, non ſolùm propter vocem de cœlo ſibi factam, ad locum ſupplicii tendenti, quam multi ex aſtantibus audierant, ſed etiam propter ingens miraculum in eius Martyrio editum: quæ omnia in Epiſtola Smyrnenſium apud Euſebium diligenter referuntur. Mirum igitur non eſt, quòd tanti, & Deo ſibique tam chari viri memoriam religioſiſſimè coluerunt Smyrnenſes. Accepit autem martyrii coronam Polycarpus circa annum Chriſti 170. iuxta Euſebium in Chronico. Vnde non obſcurè etiam conicitur, circa hæc demùm tempora prima fundamenta feſtiuitatum in Memoriis Sanctorum iacta eſſe. Poſt Smyrnenſium Epiſtolam Tertullianus meminit harum ſolennitatum in libro de Corona militis, & dicit, Annuas oblationes fieri ſolere pro natalitiis. *Simul tamẽ fatetur eas, ſicut etiã alia quædã, ſine lege Scripturæ, ſolius Traditionis titulo receptas fuiſſe. Meminit quoq; earũ Cyprianus & Origenes, vt in ſuperioribus videre licet.*

Memoriæ Martyrum annuæ vnde.

Vnde verò conſuetudo hæc de Anniuerſaria Martyrum memoria, quæ nullum expreſſum in ſpecie, vel Teſtimonium vel Exemplum habet, originem traxerit, Cyrillus lib. 6. non obſcurè indicat, vbi dicit, hoc ad Græcorum vetuſtiſſimorum imitationem fieri, apud quos ii qui

in

Digitized by Google

in Marathone cecidetant Anniuerſariis Laudibus eoronati fuerint.

Progreſſus Memoriarum Martyrum ſub Conſtantino M.

Cæterùm ex tam paruo initio res eò deuenit, vt huiuſmodi Memoriæ in omnibus penè Eccleſiis Conſtantini M. tempore ſolennes fuerint. Ac licet cauſa harum Memoriarum per Conſtantinum ſublata eſſet, ſcilicet vt in iis, quemadmodum mox dicetur, ad imitationem Fidei, Charitatis & Conſtantiæ Martyrum, reliqui inuitarentur in tam ſæuis perſequutionibus, res ipſa tamen manſit, & indies altiores radices egit. Refert enim Durandus lib. 7. cap. 1. Rationalis, Conſtantinum Imp. partes tranſmarinas petentem, inueniſſe Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum virum ſanctiſſimum, cui dixerit: Pete à me vnde Eccleſia tua ditetur: Euſebium autem reſpondiſſe, Eccleſia mea ſatis abundat in diuitiis, ſed rogo te vt mittas per partes mundi & nomina Sanctorum, & tempora paſſionum, & ſub quibus, & qualiter, & in quibus locis paſſi ſint reſcribas. Et refert Euſebius, quòd quolibet anni die plus quàm 5000. Sanctorum Feſta concurrant, excepta die Calend. Ianuar. qua intendebant Gentiles epulis & ſolennitatibus, non Martyriis Sanctorum. Imò ex Nazianzeni Oratione in Machabæos videre licet, etiam Machabæorum, Veteris Teſtamenti Martyrum, certa tempore memoriam celebratam fuiſſe. Sic enim ibi inquit: Machabæorum præſens eſt Feſtiuitas, qui licet minus honorentur à pleriſque, quòd non Chriſti gratia certarunt, omnibus tamen veneratione digni ſunt, quod ob leges paternas fortiter egerint. Quin vſu tandem venit, vt non ſolùm Martyrum, ſed etiam reliquorum Sanctorum, imò quorumcunque bonorum & laudatorum virorum, aut opinione ſaltem talium Memorias annuas iam tum Conſtantini M. tempore celebrare inciperent: quod de Palæſtinis teſtatur Sozomenus lib. 3. cap. 14. & Nicephorus lib. 9. cap. 15. vbi dicit, quòd iuxta hanc conſuetudinem ſuam Palæſtini memorias Hilarionis, Abrilli, Alexionis, Alophiique Monachorum publicè celebrarint: id quod ſequentibus ſeculis magis magiſq́ in conſuetudinem abiit.

Memoriæ omnium Martyrum non in omnibus Eccl. ſiis celebratæ.

Ex Hieronymo autem ad Galatas cap. quarta colligitur, non omnia Feſta tot Martyrum, vbique in omnibus & ſingulis Eccleſiis celebrata fuiſſe, ſed pro varietate regionum in illis tantùm Eccleſiis, vbi & Martyria perpeſſi & ſepulti erant: ſicut etiam ex Panegyricis veterum conſtat. Et in Concilio Africano, de Conſec. diſtinct. 1. placet. ſancitur, vt nulla memoria Martyrum probabiliter, ſine ſolenniter accipiatur, niſi aut vbi corpus Martyris, aut reliquiæ ſint, aut origo habitationis vel poſſeſſionis illius.

Forma Memoriarum Martyrum.

PORRÒ *Eccleſiaſticos hos conuentus ad Sepulchra Martyrum celebrarunt primitiuæ Eccleſiæ homines, tractatione verbi Dei, adminiſtratione Euchariſtiæ, Eleemoſynis & precibus. Vnde & Eraſmus in Concionatore ſuo*, Olim, *inquit*, certis diebus populus conueniebat ad nihil aliud quàm ad δοξολογίαν, ſic enim appellant & Græci gratiarum actionem. Illic Propheta aut Epiſcopus magnificis verbis attollebat in omnes creaturas Diuinam bonitatem: populus pſallebat hymnis & canticis ſpiritualibus Domino. Prædicabatur item laus Piorum, Martyrum maximè, qui morte ſua Deum glorificarunt, &c. *Miſſas autem in his Memoriis celebratas eſſe ex inſtitutione Felicis 1. Papæ, vt decretalis eius Epiſtola 2. Antoninus titul. 7. cap. 8. §. 16. Polydorus lib. 6. cap. 8. aliique afferunt, falſum eſt, quum eius tempore Miſſæ nomen, nedum res ipſa prorſus incognita fuerit. Pauli verò Epiſtolas lectas, quando ad martyrum Memorias agendas conueniſſent, Chryſoſtomus indicat in argumento Epiſtolæ ad Roman.*

Ad memorias Martyrum donaria allata.

Illud quoque ex Origenis lib. 3. in Ioëlem conſtat, Chriſtianos ad Defunctorum Memorias cibos, aliáque donaria ad pauperum & Clericorum vſum contuliſſe. *Teſtatur id etiam Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. vltima, inquiens:* Quicunque epulas ſuas ad Memorias Martyrum deferunt, quum appoſuerint, orant, & aufferunt vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur. *Et lib. 6. Confeſſionum cap. ſecunda indicat*, matrem ſuam ad Memorias Sanctorum attuliſſe Mediolani pultes, & panem, & merum. *Meminit huius ritus etiam Ephrem. lib. de Pænitentia cap. 2.* Cùm Sanctorum, *inquit*, memorias celebramus, memores ſimus omnium Debilium, Viduarum, Pupillorum, Peregrinorum & Pauperum.

Has autem Collationes ſeu diſtributiones Eleemoſynarum in Pauperes Tertullianus in libro de Monogamia, & de Corona militis, Auguſtinus Epiſt. 64. & Chryſoſtomus in Orat. de Martyribus Oblationes *vocant: quod etiam conſtat ex ſynodi 4. Carthagin. canonibus 93. & 95. diſt. 90. Oblationes. & 13. q. 2. Qui oblationes.*

Mos Commeſſandi in Diuinis Natalibus vnde.

Hæc verò conſuetudo afferendi cibos & donaria ad Memorias Martyrum mox exquiſitis conuiuiis in Natalitiis Sanctorum originem & occaſionem dedit. Theodoretus enim lib. 8. de Martyribus refert, ſuo tempore Sanctorum Martyrum ſolennitates populari epulo peractas fuiſſe. Author enim eſt Pontius Paulinus, populum, qui ad Natalem Sancti Felicis Nolam confluebat, epulari ſolitum in æde ſacra. Quam ob cauſam ipſe parietes templi picturis ex Veteri Teſtamento deſumptis, ornandos curauit, vt accumbentes in communi menſa ſpectandis

illis occupati, temperantius conuiuium exigerent. Vnde mos commeſſandi in Diuorum Natalibus antiquus eſſe intelligitur.

Factum autem ab ipſis, Theodoreto quoque teſte lib. 8. de Martyribus, & Concilio Africano cap. 27. ad Ethnicorum, Romanorum in primis imitationem, qui cùm ſuos, tùm aliorum & viuorum dies natales, genialéſue multis cum ceremoniis, Sacrificiis atque Conuiniis celebrare conſueuerunt, vt ex Poëtis & Hiſtoriis eorum probari poteſt. Et Romani congiaria, viſcerationes & ſportulas in funeribus populo largiti ſunt, eodem prorsùs modo, quo etiam Chriſtiani poſteà. Quæ cauſa fuit, quòd ii qui in pietate Chriſtiana meliùs inſtituti fuerunt, hunc ritum non obſeruarunt. Sic enim Auguſtinus libro octauo, capite vigeſimo ſeptimo, de Ciuitate Dei ſcribit : Quicunque epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla eſt talis conſuetudo : tamen quicunque id faciunt, quas cùm appoſuerint orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum. *Et libro 6. capite ſecundo refert*, Ambroſium Mediolani hæc à Chriſtianis, iis quoque qui ſobriè facerent, fieri vetuiſſe, ne vlla occaſio daretur ebrioſis ſeſe ingurgitandi, & quia illi quaſi parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimilima. *Cumque Mater Auguſtini Mediolani pultes, & panem & merum ad Memorias Sanctorum afferre vellet, iuxta Afrorum ritum & conſuetudinem, prohibita fuit ab Oſtiario, vt eodem loco ſanctus Pater teſtatur. Refert etiam B. Rhenanus in Annotat. ſuis ad librum Tertulliani de Corona Militis, hunc ritum Concilium Nicenum quoque & ſequentia apertè damnaſſe, quod primorum Conciliorum Canones oſtendant, quos in pluribus adhuc Bibliothecis extare dicit, digni profectò qui in lucem emittantur. Eos tamen qui hos alióſque ritus Ethnicos tollerarunt, B. Rhenanus eodem loco ſic excuſat, vt dicat, opus fuiſſe olim multa Chriſtianis indulgere, qui plerunque iam ſenes de paganiſmo ad religionem Chriſtianam conuertebantur.*

Finis Memoriarum Martyrum. 1.

In quem finem autem Memoriæ Martyrum hac forma, hócque modò celebratæ ſint illuſtri narratione explicatur in Smyrnenſium Epiſtola, qua apud Euſebium lib. 4. Cap. 15. extat. Indicat enim illa Epiſtola Iudæos ſimul & Gentes inſtituiſſe apud Præfectum, ne Polycarpi corpus Chriſtianis traderetur, quod cupidiſſimè petierant, Ne relicto crucifixo Polycarpum eius loco inciperent colere. Reſpondet huic calumniæ Smyrnenſis Eccleſia : Ignorant, *ait*, miſerrimi, quòd neque Chriſtum aliquandò poſſumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit, neque alium quenquam colere. *Quo igitur animi propoſito, quáue intentione huiuſmodi Memorias celebrarunt ?* Quoniam, aiunt, Verum Deum, & qui ſolus colendus ſit nouimus : Martyres verò tanquam Diſcipulos Domini diligimus & veneramur, quaſi integrè fidem Magiſtro ſeruantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perſeuerantia charitatis optamus eſſe participes. *Et paulò poſt :* Nos, inquiunt, ambuſta oſſa pretioſiſſimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta collegimus, ac ſicuti conueniebat ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præſtante Domino, Solennes agimus Celebréſque conuentus, maximè quidem in die paſſionis eius, ſed & cùm eorum memorias, qui prius paſſi fuerant, celebramus, vt ſequentium animi ad præceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur. *His verbis ſancta hæc Eccleſia Aſia, cultum Martyrum diſertis verbis negat : honores verò eorum, qui in his Memoriis eis ſunt exhibiti, eo pacto deſcribit, non quo Pontificii ſuos Sanctos colunt, ſed vt Sacræ literæ præcipiunt. Chriſtum, aiunt, aliquandò non poſſumus deſerere : quod perinde eſt ac ſi dixiſſent, Chriſtum nunquam poſſumus deſerere. Ratio : Quippe qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit. Sanguine ergo ſuo nos redemit, ſuúmque peculium fecit. Rurſus, Non poſſumus, aiunt, alium quenquam colere. Additur denuo cauſa : Quoniam Verum Deum, & qui ſolus colendus ſit nouimus. Verus, aiunt, Deus, & ſolus quidem colendus eſt. Dicat aliquis : Quo ergo loco Martyres habebuntur ? Reſpondent, Martyres vt Domini Diſcipulos veneramur ac diligimus, veluti eos qui Magiſtro ac Domino fidem ſeruarunt, optamúſque in fide & conſtantia illorum fieri conſortes. Ergò in quem finem collegerunt Martyres oſſa ? Non in alium, quàm vt ex more conderent, id eſt, ſepelirent. Quia apud omnes Gentes pietatis officium & vltimus videbatur honor, corpora iuſtè ſepelire. Cur autem memorias eorum celebrarunt, & in loco ſepulturæ eorum conuenerunt ? Non equidem ad cultum illorum, ſed, quemadmodum ipſi ſeſe interpretantur, vt ſequentium animi ad præceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur.*

Sanctorum verus cultus.

Huius finis Memoriarum Martyrum meminit etiam Origenes libro 3. in Iobum : Propterea, *inquit*, & Memorias Sanctorum facimus, & Parentum noſtrorum vel Amicorum in fide morientium, deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſumma-

ſummationem in fide poſtulantes. *Et rurſus :* Celebramus memoriam Defunctorum, religioſos cum Sacerdotibus conuocantes, Fideles vnà cum clero inuitantes, adhæc egenos & pauperes, Pupillos & Viduas ſaturantes, vt fiat Feſtiuitas noſtra in memoriam requiei Defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. *Quæ verba manifeſtè indicant, primitiuam Eccleſiam Memorias in die mortis ſuorum celebraſſe orationibus, eleemoſynis & ſynaxi, non quòd putarint eos cruciari in Purgatorio, vnde his exequiis redimendi ſint, ſed fuiſſe potiùs gratulationes, quòd Defunctorum animæ, ab omnibus doloribus liberatæ, ad æternam requiem & beatitudinem perveniſſent : facta item vota ibidem ad Deum, vt Eccleſia in his terris militans ſocia fieret Martyrum, cùm in virtutibus eorum in hac vita, & pia conſummatione in Fide, tùm in præmiis in æterna vita.*

In hunc finem celebratæ ſunt Memoriæ illæ Baſilii & Auguſtini adhuc ætate. Ille enim in Aſceticis cap. 40. Non decet, *inquit*, Chriſtianos aliam ob cauſam in Martyrum Memoriis, aut locis vicinis comparere, quàm vt precentur, & per recordationẽ Sanctorũ, quàm illi ſcilicet pro pietate ad mortem vſque conſtantes fuerint ad huiuſmodi zeli imitationem incitentur. *Et Homil. decimo nono.* Noſtri, *inquit*, profectus tantùm cauſa, ſat fuerit illorum *(Martyrum vel Sanctorum)* celebrare memoriam. Non enim noſtris indigent laudibus ornari, ſed nos ipſorum vitæ hiſtoria & commemoratione, imitationis gratia, indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat ſplendor, ex vngento quoque præſtanti diffunditur odor : ſic è Sanctorum commemoratione geſtorum, ad omnes prouenit vtilitas, &c. *Auguſtinus autem contra Fauſtum Manichæum ſic ſcribit :* Populus Chriſtianus Memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur atque orationibus adiuuetur : ita tamen vt nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, conſtituamus altaria. *Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum corporum aſſiſtens Altari, aliquandò dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? ſed quod affertur, offertur Deo qui Martyres coronauit, apud Memorias eorum quos coronauit, vt ex locorum ipſorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. Colimus ergò Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis quo in hac vita coluntur ſancti homines Dei quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tantò deuotiùs, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes. At illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, Latinè dici vno verbo non poteſt, quum ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus niſi Vnum Deum.* Quum autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, vnde Idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modò tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo : & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. Ipſi enim Sancti vel Homines vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. *Hoc deinde exemplis Angelorum, item Pauli & Barnabæ probat. Hic primò obſeruandum eſt, quòd dicit, populum Chriſtianum Memorias celebrare Martyrum ad excitandam imitationem, & vt eorum meritis, id eſt, æterna vita poſt victoriam conſociemur. Deinde quamuis addat, Et vt orationibus adiuuemur : mox tamen ſubiungit, Non ponimus Martyribus Altaria, nec offerimus illis Sacrificia. In lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 10. idipſum ſignificantiùs exponens dicit, Gentes Diis ſuis & Templa ædificauerunt, & ſtatuerunt Aras, & Sacerdotes inſtituerunt, & Sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus noſtris non Templa, ſicut Diis, ſed Memorias, ſicut hominibus mortuis; quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed vni Deo & Martyrum & Noſtro Sacrificium immolamus: ad quod Sacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur,* NON TAMEN A SACERDOTE QVI SACRIFICAT INVOCANTVR. *Quia Dei Sacerdos eſt non illorum. Ipſum verò Sacrificium eſt Corpus Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi. Et lib. 8. cap. 27. de Ciuit. Dei, Celebramus, inquit, Memorias Martyrum, vt ea celebritate, & Deo Vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem inuocato in auxilium ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt Memoriarum, non Sacra vel Sacrificia Mortuorum tanquam Deorum. Quicũnque etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt*

conſuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas quum appoſuerint, orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum, in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum, quòd Deo illic offertur Sacrificium.

Fabianus cur 7. Diaconis regiones vrbis Romæ diuiſerit.

In hunc finem, propter quem Memorias Martyrum celebratas ab initio diximus, Fabianus Epiſcopus Rom. ſeptem Diaconis regiones vrbis Romæ diuiſit, qui à Notariis res geſtas Martyrum colligerent, ad cæterorum nimirum exemplum, qui Chriſti fidem profitebantur.

Collectæ in Memoriis Martyrum vſurpatæ.

Huc pertinent etiam illæ Collectæ, *quæ in huiuſmodi Memoriis Sanctarum apud Veteres vſurpatæ fuerunt. Quales hæ ſunt:* Concede, vt quorum gaudemus virtutibus, accendamur exemplis. Vt quorum natalitia colimus, etiam actiones imitemur, & de eorum in æterna beatitudine ſocietate gaudeamus. *Item:* Vt fidem eorum lingua loquamur, & moribus fateamur, vtque tantæ fidei proficiamus exemplo. Tribue nobis, ex eorum imitatione, pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Præſta, vt quorum diem paſſionis annua deuotione recolimus, etiam fidei conſtantiam perſequamur.

Apud Memorias Martyrum abuſus illi non fuerunt olim qui hodiè ad Sepulchra Sanctorum.

Aberat igitur procul ab his Feſtiuitatibus, Adoratio Martyrum & cultus Sanctarum. Aberat & quæſtus, qui hodiè apud Sepulchra Martyrum longè eſt vberrimus, Nulla ibi dabatur abſolutio Peccatorum, quæ hodiè illic vænalis proſtat. Nullum ibi Sacrificium Propitiatorium, aut expiatio & redemptio animarum Defunctorum. Denique eiuſmodi loci homines tantùm, & vicini conueniebant, non erant illæ peregrinationes ex longinquis & remotis regionibus, aut ſi eſſent, non habebant opinionem Meriti, ſed vt admoneretur Defunctorum præclaras virtutes imitari, vtque diſcerent, quemadmodum Baſilius & alii teſtantur, de ſuis peregrinationibus.

Explicantur Phraſes, offerre pro Defunctis: Sacrificiũ pro dormitione eorum offerre.

Quæritur autem hoc loco, quid ſibi velint phraſes & locutiones illæ, Offerre pro Defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare. *Iis primi omnium, adeóque nouo & peculiari modo loquendi, vſi ſunt Cyprianus & Tertullianus, quorum ille lib. 1. Epiſt. 9. inter alia ſic ſcribit:* Anteceſſores noſtri ſalubriter cenſuerunt, ne quis Frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur. *Et lib. 4. Epiſt. 5.* Sacrificia, *inquit,* pro eis ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. *Similiter Tertullianus in libro de Corona militis,* Oblationes, *ait,* pro Defunctis natalitiis annua die facimus. *Pontificii hæc de Sacrificio Propitiatorio, & de Suffragiis pro expiandis & redimendis animabus defunctarum interpretantur. Sed ipſe Cyprianus in eadem Epiſtola interpretatur ſe,* quòd per Oblationes pro dormitione alicuius, intelligat ſportularum contributiones. Sacrificium verò pro dormitione celebrare, interpretatur ibidem, nomen alicuius in prece Sacerdotum, quæ in adminiſtratione Euchariſtiæ fiebat, nominare. Et pro aliquo ſacrificare, ibidem interpretatur, Deprecationem aliquam nomine eius in Eccleſia frequentare, *quod lib. 3. Epiſt. 14. vocat nomen alicuius offerre. Verba eius hæc ſunt. Hæc nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Eccleſia Domini ad ordinationem clericalem promouentur, nullo modo ab adminiſtratione Diuina auocentur, ne moleſtiis & negotiis ſecularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari & Sacrificiis non recedant, ac die & nocte cœleſtibus rebus ac ſpiritualibus ſeruiant. Quod Epiſcopi Anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro Dormitione eius celebraretur.* Neque enim ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros ſuos Leuitas auocare voluit: *Et ideò Victor quum contra formam nuper in conſilia à Sacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur. Et falſiſſimum eſt quod Bellarminus Ieſuita ſuarum diſputationum tomo 2. columna 1087. dicit, Cyprianum in hac Epiſtola ſcribere, Sacrificium celebrari pro Defunctis in Altari: ſed ita ſcribit: Neque ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece. Cyprianum autem prorsùs in illa ſententia non fuiſſe, quòd illa quæ appellabat Sacrificia pro Defunctis ſint Propitiationes aut Satisfactiones pro peccatis ipſorum, etiam ex eius Epiſtola 6. lib. 3. apparet,* vbi Oblationes & Sacrificia pro Martyribus celebrari dicit, quando commemorationes certaminum, & memoria glorioſæ mortis ipſorum celebratur. *Ita lib. 4. Epiſt. 5. de Martyribus ex Celerini familia loquens: Quas certè non in cruciatibus purgatorii ignis, ſed in gloria cœleſti eſſe ſentit, dicit:* Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies Anniuerſaria commemoratione celebramus. *Vnde etiam ad hæc verba Cypriani Beatus Rhenanus in Tertulliani libro ad Mar-*

Cypriani locus explicatur.

tyres

tyres hæc annotat. Quòd dicit, inquit, Sacrificia pro Martyribus offerri, ſic accipiendum ni fallor, vt pro eis, idem valeat, quod commemoratione eorum: veluti paſſione ſiue commemoratione paſſionis occaſionem oblationibus & ſacrificiis dante. Et mox: Gratulatoriæ ergo preces erant potius, quibus cùm Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantùm dignationis contuliſſet, tum ſimile donum cœlitùs ſibi dari concordibus votis flagitabant: ceu adhuc canit Eccleſia, Gaudeamus in Domino, &c. Id confirmat quoque Auguſtinus Tractatu 84. in Euangelium Ioannis, de Martyribus & Altari diſputans, his verbis: Ideò quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios, &c. Hactenus Rhenanus. Atque ideò Cyprianus lib.1. Epiſt. 9. non vult pro eius Dormitione offerri, & nomen eius ad Altare nominari, qui Presbyterum actorem ſeu tutorem nominauerat, non quòd ſentiret ipſum ideò in æternum damnatum eſſe, ſed Eccleſiaſtica celebratione poſt mortem honoraretur. Sic etiam pro viuis dicit Cyprianus offerri ſeu ſacrificari, quando in precibus, quæ fiebant in adminiſtratione Euchariſtiæ, gratiæ prò iis agebantur, vel aliquid orabatur: vt libro 3. Epiſt.1. ad Lucium ab exilio cum ſuis reuerſum, inquit: Hic quoque in Sacrificiis atque in orationibus noſtris, non ceſſamus Deo gratias agere, & orare pariter ac petere, vt qui perfectus eſt & perficiens cuſtodiat & perficiat in vobis confeſſionis veſtræ coronam. Ita etiam pro lapſis, qui iam reconciliati erant offerebatur, qui poſt confeſſionem criminis, & factam pœnitentiam, exomologeſinque finitam, poſt manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, hoc conſequebantur, vt facta pro eis oblatione & precationibus, Euchariſtiam acciperent, vt patet ex Cypriani Epiſt.15. & 16. lib 3.

Conſuetudo legendi nomina Defunctorum in Eccleſia.

Hæc quæ hactenus diximus, confirmat etiam conſuetudo illa Veteris Eccleſiæ, quæ poſt ſymbolum decantatum, & mutuam pacis conſalutationem, in Sacrificio ſeu Euchariſtiæ adminiſtratione nomina piè defunctorum conſcripta in ſcheda, quam in altari ponebant, recitabantur, non ſine laude & præconio virtutum, quæ in viuentibus eluxerant: quæ res fortaſſe poſtea concionibus ſeu præconiis illis, quæ in honorem & laudem Defunctorum habentur, originem & occaſionem dedit. Similiter & lapſorum poſt factam pœnitentiam, nomina deſcripta in ſcheda, & in altari poſita, recitabantur commemorando communibus Eccleſiæ precibus. Meminit huius ritus Cyprianus libro tertio, Epiſtola decima quarta, alterius verò Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia libro tertio, & Auguſtinus in libro de Virginitate. Id verò ea ætas vocabat etiam Offerre nomen alicuius: vt patet ex Cypriani

Leych-predig.

Offerre nomen alicuius quid?

Epiſtola decima quarta, libri tertii. Factum hoc autem à Priſcis illis, non quòd crederent Defunctis illud prodeſſe, quanquam hinc enata ſit poſterioribus ſeculis illa ſuperſtitio: multò minus factum hoc ab ipſis, vt homines docerentur ad Interceſſiones, Suffragia, Patrocinia & Auxilia Sanctorum Mortuorum confugere inuocatione ſua, ſicut ſequentibus temporibus, ex hac conſuetudine occaſione arrepta, fieri conſueuit. Sed Dionyſius has cauſas commemorationis nominum Sanctorum recitat: primò vt viuentes ad imitationem prouocarentur, & ad exemplum Beatorum ſanctè viuere, & piè in Domino mori docerentur. Secundò, vt Sancti illi prædicarentur eſſe non mortui ſed viui, qui ex morte ad vitam verè Diuinam tranſlati iam eſſent. Tertiò, vt oſtenderetur eos eſſe in memoria apud Deum. Quartò, vt indicaretur indiuidua ipſorum coniunctio, & ſanctiſſima vnio cum Chriſto. Epiphanius quoque indicat, ideò ſic proferri nomina Mortuorum ad altare, vt præſentes credant, quòd hi qui deceſſere, viuant & non ſint nulli, ſed ſint & viuant apud Deum, & quòd ſpes ſit, orantibus pro fratribus, qui in peregrinatione ſunt, &c. Quibus verbis apertè docet, duabus de cauſis ſic nomina illorum recitari: primò ut viui teſtarentur mortuos apud Chriſtum viuere. Deinde, vt occaſio ſit orandi pro fratribus viuentibus, qui eandem experiri debent aleam mortis, quos dicit adhuc in peregrinatione eſſe.

Epulæ in Memoriis Martyrum Sacrificia dicta.

Adhuc, illa quoque epulæ, quæ dabantur in his Memoriis, ab Auguſtino lib.8. de Ciuit. Dei Cap. 27. & Epiſt. 64. Sacrificia, à Tertulliano autem de Monogam. & de Corona militis, itemque à Chryſoſtomo in Orat. de Martyribus Oblationes appellantur. Quum enim eiuſmodi epularum mentionem feciſſet, hæc verba ſubiungit: Non autem iſta eſſe Sacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum, quod Deo illic offertur Sacrificium Chriſtianorum: Vt offerre Sacrificium ſeu Oblationes pro dormitione alicuius, interpretari etiam poſſumus, epulas ad Martyrum Memorias afferre, eáſque inter pauperes diſtribuere in memoriam dormitionis eorum.

A Memoriis Martyrum in Veteri Eccleſia abfuit Idololatria.

Ex his igitur manifeſtum fit, Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ cultum reliquiarum, interceſſiones & inuocationem Sanctorum Mortuorum in huiuſmodi Memoriis prorsùs ignoraſſe: ſed inprimis ibi propoſitam & recitatam fuiſſe Fidelibus conſtantiam Martyrum, in perferendis pro Chriſto omnis generis cruciatibus, vt hac ratione auditorum animi ad ſimilem conſtantiam excitarentur, propoſitis ſimul præmiis, quæ in æterna vita conſequuti eſſent. Intelligebant enim probè veteres Chriſtiani, apud Ethnicos, & à vera fide alienos multos ad conſtantiam & fortitudinem excitari, inde, quòd Viri Fortes, & qui ſtrenuè pro patria pugnando, nobili morte occubuerant,

buerant, anniuerſariis laudibus coronarentur, quum apud ſepulchra eorum conueniretur, ſicut de iis conſtat, qui ad Plataas caſi fuerant, & aliis quàm plurimis: ideóque exiſtimarunt in ipſa etiam Ecleſia Chriſti pari ratione multos ad Martyria fortiter pro Chriſto perferenda inflammari poſſe, vt Cyrillus indicat lib. 6. contra Iulianum, vbi de Martyrum honoribus agit. Quum igitur viderent multos Martyria auerſari, & in perſequutionibus eorum metu à vera fide deficere, inſtituerunt Martyrum Panegyres peculiari ſolennitate celebrandas, in quibus certamina ipſorum debitis laudibus efferebantur, memoria ipſorum grata prædicatione celebrabatur, Corona ac Palma, quibus à Deo donati eſſent Martyres, glorioſè prædicabantur, vt hoc modo Superſtites, ad futura certamina pro fide ſubeunda & perferenda præpararentur, excitarentur & confirmarentur, ne metu ſupplitiorum deficerent, & confeſſionem abiicerent.

Finis 2. Memoriarum Martyrum.

Fuit præterea alia quoque cauſa, ob quam Memoriæ illæ Martyrum inſtitutæ ſunt à veteribus, nimirum, vt iis auocarentur homines à Feſtis & Ritibus Ethnicis, adeóque prophanis. Vnde etiam nonnulla Feſta Chriſtianorum, quoad temporum rationem, admodum cum Feſtis Gentilibus congruunt: quoad ritus aliquos ab illis non multum diſcrepant. Fuit hoc peculiare Romanis, vt Calendis Ianuariis Stipem largirentur, & Dulciaria donarent: qui mos iam ab illo vſque tempore eodem die apud Chriſtianos in vſu eſt. Habuere Ægyptii & Græci, atque etiam Romani certa luminaria Feſta: ea conſuetudo videtur in diem Purificationis Mariæ tranſlata: quippe in proceſſione eius diei ſinguli candelas ardentes in manibus tenent, priùs tamen in Miſſa eodem die conſecratas & adiuratas. Habuerunt ſua Februa, Lupercalia, Bacchanalia, Stultorúmque Feſta, & Lemuria. Quis non videt, hanc conſuetudinem in Chriſtianam quoque Religionem deriuatam, quum noſtra Bacchanalia celebrantur? Habuere quoque Ethnici ſua Pithœgia, in quibus dolia primum relinebant, & vina noua guſtabant. In horum Feſtorum locum ſucceſſerunt apud Chriſtianos Martinalia, Othmaria & ſimilia Feſta. In Ioannis Baptiſtæ Feſto ignes accenduntur, quemadmodum & in Bacchanalibus: idem quoque factum in Palilius Romanis, & die natali Romæ. Voluere autem veteres Epiſcopi initio naſcentis Eccleſiæ, quum ipſi prædicatione Verbi Dei non poſſent homines à ſuperſtitionibus Gentium auocare, ſaltem hac ratione eas mitigare & in ſuam Religionem transferre, ſuis Sanctis eoſdem Dies & Ritus conſecrando. Fuit autem hoc clauum clauo trudere, ſuperſtitionem non tollere. Sic in locum Deorum Gentilium ſubſtituti Diui Chriſtianorum, quibus tandem idem honor, qui Gentium Diis, habitus eſt.

Similitudo Feſtorum Ethnicorum & Chriſtianorum.

Licet igitur principia huiuſmodi ſolennitatum tollerabilia primò fuerint, admixtis tamen paulatim ſuperſtitionibus, tandem in non diſſimulandum abuſum, & manifeſtum Idololatricum cultum euaſerunt, adeóque fons & origo plurimorum, & quidem horribilium errorum ac ſuperſtitionum fuerunt. Hinc enim inuocatio Diuorum Diuarumque nata eſt, & Doctrina de eorum interceſſione, cultúque reliquiarum: quæ tamen ab initio longiſſimè ab his Memoriis aberant, quemadmodum ex Auguſtino contra Fauſtum Manichæum, & lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 27. ac lib. 22. cap. 10. paulò ante intelleximus: mox verò Adoratio & Cultus Sanctorum in his Feſtis ſolùm habuit locum. Videre hoc licet in hymnis qui per circulum anni in Feſtis Sanctorum canuntur. In die enim S. Stephani ſic eum inuocant: Præſtans genti perſequenti preces pro lapidibus: Ne rependas te petenti Lapides pro precibus. Sed indulge piæ menti, plus quàm audet vocibus. Funde preces pro deuoto ſibi nunc Collegio, &c. *In die S. Ioannis Euangeliſtæ ſic orant:* Sancte Ioannes optime Abſolue noſtra crimina, &c. *In Feſto S. Nicolai ſic:* O venerande Pontifex pius nec tardus Opifex. Cunctis qui corde credulo. Te quærunt in periculo. Aufer mortis diſpendia. Confer vitæ ſubſidia, Vt poſt carnis exilia Tecum ſimus in gloria. *In die Purificationis Mariæ:* Te adeſſe depoſcimus Supplicibus nunc Vocibus. Iam veni dulcis Domina: Noſtra tolle incommoda. Dona confer cœleſtia: Vitæ beatæ præmia, Inſtanti prece flagita, in tui nati Patria. *Item* Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ: Tu nos ab hoſte protege. Et hora mortis ſuſcipe. *In Annunciatione B. Mariæ:* Aue maris ſtella Dei Mater alma, atque ſemper Virgo, Felix cœli Porta. Sumens illud Aue Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans nomen Euæ. Solue vincla reis, Profer lumen cæcis: Mala noſtra pelle, Bona cuncta poſce, &c.

Memoriæ Martyrum occaſionẽ dedere ad Idololatriæ & ſuperſtitioni.

Hinc etiam originem ſumpſerunt Peregrinationes ad ſepulchra Sanctorum. Hinc, tanquam ex Fonte, manarunt Feſti dies plerique, quibus hodiè Chriſtiani feriantur, vt apertè teſtatur Beatus Rhenanus in ſuis ad Tertulliani librum ad Martyres Annotationibus. Hinc enim originem habent Apoſtolorum Feſta, quæ poſterioribus ſeculis inſtituta ſunt: ab initio enim vix tribus Apoſtolis hic fuit honor habitus, eodem B. Rhenano teſte in libro Tertulliani de Corona Militis. Inde quoque exorta ſunt omnium Martyrum & Confeſſorum Feſtiuitates penè innumera, quæ in ipſorum Memoriis celebrata, & à Poſteris retenta, auctaque & ad hæc vſque noſtra tempora propagata ſunt. Quod ergo Iuſtinus antiquiſſimus ſanctiſſimuſque Martyr de Nata-

litiis

litiis Ethnicorum dixit, iure optimo quoque de Memoriis vel Celebratione Natalitiorum Martyrum dici poteſt: illi, *ait*, qui primùm Feſta ſaciáque in honorem Magnorum hominum inſtituerunt & peregerunt, poſteris obliuionem attulerunt Catholicæ ſeu vniuerſalis opinionis, nimirùm de vno Vero Deo mundi Monarcha: *lib. de Monarchia.*

Abuſus Memoriarum Martyrum I.

Quin etiam iam tum in Veteri illa Eccleſia, quum non ita pridem inſtituta eſſent Memoriales, duo non diſſimulandi Errores atque abuſus in eas irrepſerunt. Primus eſt, quod paſſim in agris & viis aras, veluti Memorias Martyrum, extruxerunt. Quam quidem rem neceſſe fuit ſeriò reprehendere, vt liquet ex Canone 14. Concilii Carthaginenſis 5. anno Chriſti 438. celebrati, vbi iſte abuſus damnatur, & ſancitur, vt Altaria, quæ paſſim per agros aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum probantur condita, ab Epiſcopis, qui iiſdem locis præſint, euertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non poſſit, plebs ſaltem admoneatur, ne illa loca frequentet, aut aliqua ibi ſuperſtitione deuincta teneatur. Statuitur item, vt omninò nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut reliquiæ aliquæ certa ſint, & vbi origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine tradatur. De Conſecrat. diſtinct. 1. Placuit. Voluerunt vtique Patres huius Concilii Idololatriæ de cultu Sanctorum, iam tum in Eccleſia radices agenti, reſiſtere.

2 *Alter abuſus eſt, quod Epulas illas allatas ab initio ad Martyrum aliorúmque Defunctorum Sepulchra, & inter egenos ſeu pauperes, vt eleemoſynæ, diſtributas, ſanctificari arbitrati ſunt per merita Martyrum: mox etiam in exquiſitiſſima, lautiſſima, luxurioſiſſimáque conuiuia degenerarunt, in quibus ſeſe ingurgitarunt vſque ad vomitum: & proinde Doctores eorum temporum hunc morem grauiter reprehenderunt. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 8. cap. vltimo,* Quicunque, *ait*, epulas ſuas ad Memorias Martyrum deferunt, cùm appoſuerint orant, & auferunt vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur: ſanctificati ibi eas volunt per merita Martyrum. *Vnde ſine dubio & alius error natus videtur, quòd nimirùm hæ epulæ, vana perſuaſione vulgi Sanctorum meritis ſanctificatæ, aliis venderentur, ſicut ex Auguſtini Epiſtola 64. intelligitur. Cyprianus de duplici Martyrio,* Temulentia, *ait*, adeò communis eſt Africæ noſtræ, vt propemodum non habeant pro crimine. Annon videmus ad Martyrum Memorias Chriſtianum à Chriſtiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen eſſe ducimus, quàm Baccho Hircum immolare? *Ambroſius in libro de Helia & Ieiunio cap. 17.* Sicut illi, *inquit*, qui calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri non poſſe credunt. O ſtultitia hominum, qui ebrietatem Sacrificium putant, qui æſtimant illos ebrietate placare, qui ieiunio paſſionis ſuſtinere didicerunt. *Similiter Auguſtinus lib. 6. Confeſſionum, luxum eiuſmodi epularum ſepulchralium damnat: & Pſal. 64. ac in Sermone quodam de Cathedra Petri, item Epiſtola 64. & 119. hunc morem ſublatum & abolitum eſſe optat, vel ob hanc cauſam maximè*, quòd iſta in Cœmeteriis luxurioſa conuiuia, non ſolùm honores Martyrum à carnali & imperita plebe credi ſoleant, ſed etiam ſolatia Mortuorum. *Et de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34.* Nolite, *inquit*, conſectori turbas imperitorum qui in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt. Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum Adoratores, noui multos qui cùm luxurioſiſſimè ſuper Mortuos bibant, & Epulas cadaueribus exhibentes ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliunt. *De abolenda quoque epulandi conſuetudine in Cœmeteriis, conſilia cum Aurelio Epiſcopo contulit Epiſtola 46.*

Reſponſio ad Argumentum Ieſuiticum ſuprà de Memoriis Martyrum allatum.

Quòd igitur à Ieſuitis Memoriæ Martyrum, de quibus hucuſque diximus, obiiciuntur, pro ſtabiliendis & confirmandis Sanctorum Feſtis in Chriſti Eccleſia, Reſpondeo, eas quidem pio zelo antiquitùs inſtitutas fuiſſe, & conſilio optimo: ſed non ſtatim omnia quæ pio animo & bono Zelo inſtituuntur, ſimpliciter & abſque omni inquiſitione recipienda ſunt, quandoquidem fructus plerunque oſtendunt, non admodum commodè primam inſtitutionem factam. Sic Gedeon Ephod conſecrauit bono animo, & ad ſignum victoriæ ſibi & Iſraelitis à Deo conceſſæ, ſed fuit occaſio Idololatriæ horrendæ, ob quam illud auferre debuit: id quia non fecit, pertinuit ad ruinam & interitum totius Familiæ ſuæ. Cùm igitur intelligamus quot & quantis erroribus Memoriæ Martyrum, & Sanctorum Feſta occaſionem à prima inſtitutione ad hodiernum vſque diem dederint, præſtat illa prorſus eſſe abolita & ſublata, & eam ſimplicitatem retinere quam Deus in verbo ſuo præſcripſit nobis, in quo Memoriæ iſtæ nullum habent mandatum. Non enim videndum eſt, *inquit Cyprianus*, quid aliqui ante nos fecerint: ſed quid ille, qui ante omnes eſt, in ſuo verbo nobis faciendum præſcripſerit & præmonſtrauerit. Neque enim hominum conſuetudo, ſed Dei Veritas ſequenda. *Nec hominum vel priuatæ vel publicæ deuotiones, ſed ſola Sacra Scriptura Canon, Regula & Norma eſſe debet dogmatum & cultuum in Eccleſia. Quidquid igitur in Pa-*

trum

Digitized by Google

trum ſcriptis, & in antiquis conſuetudinibus eum hoc Canone congruit, recipimus: qui quid verò ab hac regula diſſentit, ſalua reuerentia, quæ talibus viris & vetuſtati debetur, reſpuimus.

CAPVT IV.

Hiſtoria primitiuæ & recentioris Eccleſiæ de Feſtis, eorúmque accumulatione & incremento.

Feſta pauca habuit primitiua Eccleſia.

FESTORVM *dierum in primitiua Eccleſia mira fuit paucitas. Etſi enim Veteres Chriſtiani ad auditum Verbi Dei, ad preces & celebrationem Sacramentorum quotidiè ferè conuenerint, conſtat tamen ex probatiſſimis Authoribus, ipſos ſeculo primo Eccleſiæ & Regni Chriſti, quo Apoſtoli adhuc plerique vixerunt, quodque ab Aſcenſione Domini in cœlos ad imperium Traiani, hoc eſt, ad centeſimum vſque annum à nato in carne Chriſto extenditur, dies Feſtos & Solennes plures quàm tres non habuiſſe, nempe* diem Dominicam, Paſcha & Pentecoſten: *aliorum nec ſacra litera, nec probata hiſtoria meminerunt. Fatetur hoc ipſe quoque B. Rhenanus antiquitatum peritiſſimus, in ſuis Annotat. ad Tertulliani librum de Corona Militis: vbi etiam addit,* vix tres Apoſtolos hunc honorem ab initio ſortitos fuiſſe, vt nimirum peculiaria Feſta ipſis inſtituerentur. *Et Origenes lib 8. contra Celſum inter celebriores Veterum Feſtiuitates numerat tantùm* Dominicam diem, Paraſceuen Paſchæ, & Pentecoſten.

Polydori Vergilii error.

Quocirca mirandum eſt, qua audacia Polydorus Vergilius pleroſque dies, qui poſterioribus demùm temporibus Feſtiui cœperunt haberi, ab Apoſtolis inſtitutos & ordinatos eſſe dicat lib. 6. cap. 8. de Inuent. rerum: vt Aduentum Domini, Natalem & Circumciſionem eiuſdem, Epiphaniæ, Purificationem Mariæ, dies Quadrageſimales, Dominicam Palmarum, diem Cœnæ Domini, & Aſcenſionem. De horum enim Feſtorum nullo expreſsè quidquam apud probatos Authores hoc adhuc ſeculo legitur. Imò ne Paſcha & Pentecoſten quidem lege aliqua ſanxiſſe Apoſtolos, nedum alia, Socrates teſtatur lib. 5. cap. 22. hiſt. Eccleſiaſtica, inquiens: NVSQVAM Apoſtolus, nec ipſa Euangelia, iugum ſeruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: ſed Paſchatis Feſtum, & alios dies Feſtos, ipſi homines, ſuis quique locis propter remiſſionem laborum, & memoriam ſalutiferæ Paſſionis, ſicuti voluerunt, ex conſuetudine celebrarunt. Neque Seruator hoc, aut Apoſtoli lege aliqua obſeruandum eſſe mandarunt. *Et mox:* Erat igitur ſcopus Apoſtolis non de Feſtis diebus ſancire, ſed rectam vitam & pietatem inducere. Rurſus: Nemo Apoſtolorum quicquam de illo (*Paſchatis Feſto*) ſanciuit.

Meminit quidem Ignatius in Epiſtola ad Philadelphienſes Hebdomadæ Paſſionis, *quam non vult negligi, quibus autem ritibus obſeruata, & an tota Feſta fuerint, non exprimit, nec ex alio Authore huius ſeculi intelligi poteſt, quum nullus eorum, præter Ignatium, eius mentionem faciat.*

Retinuerunt hæc tria tantùm Feſta duobus etiam ſequentibus ſeculis, quæ ab initio Imperii Traiani ad Conſtantinum M. hoc eſt, à centeſimo ad trecenteſimum vſque à nato Chriſto annum extenduntur: Niſi quòd ex Tertulliano intelligitur, iam ſuo tempore Quinquaginta *illos dies, qui ſunt à die Paſchæ vſque in Pentecoſten omnes Feſtos fuiſſe. Nam in libro de Idololatria ſic ſcribit:* Si ſingulæ Gentium ſolennitates numerentur, non poſſent implere noſtram Pentecoſten, hoc eſt, quinquaginta illos dies Feſtos, intra Paſcha & Pentecoſten. *Sub quinquaginta his Feſtis diebus comprehenſum fuit* Aſcenſionis in cœlos Feſtum. *Cùm verò illi non omnes vbique Feſti ampliùs haberentur, peculiaris ſolennitas facta eſt, cuius primò meminit Auguſtinus Epiſtola 119. & Paſſioni Domini, reſurrectioni, & Miſſioni Spiritus Sancti annumerat. Apud Vetuſtiores Auguſtino peculiaris eius non fit mentio.* Natalem *quoque Domini circa annos Chriſti 190. plurimis in locis celebrem fuiſſe, ex Theophili Cæſarienſis Epiſcopi Paſchali Epiſtola colligitur. Mentio quoque eius fuit à Nicephoro in hiſtoria Perſequutionis ſub Maximino Imp. mota.*

Legitur equidem & de aliis Feſtis: vt de Feſto Epiphaniæ, de Dominica in albis, & de Natalitiis Apoſtolorum. *Sed quia hæc non niſi in Romana Eccleſiæ hiſtoria, & Decretalibus Pii Pontificis ſolùm inueniuntur, non magni facienda ſunt, quum Epiſtola illa non abſque cauſa ſuſpecta ſint.*

Memoriarum etiam Martyrum ex omnibus ferè horum temporum Authoribus fit mentio, &, vt diximus, circa annum Chriſti 170. primùm inſtituta videntur. Non tamen ab initio Feriæ ſeu Feſta, ſed Memoriæ tantùm fuerunt, in quibus Paßio & Conſtantia Martyrum prædicabatur, vt Fideles, qui præſentes erant, ad ſimilem virtutem incitarentur: deinde ad ſua quiſque vocationis labores reuertebatur. Mox verò in Feſta mutata ſunt, & pepererunt nobis pleraſque Feſtiuitates Sanctorum Diuorúmque quibus hodiè Chriſtiani feriantur, B. Rhenano Teſte.

Memoriæ Martyrum numerū historiis auxerūt.

Eam rem plurimum adiuuit & promouit Conſtantinus Magnus, qui ſingulatum Gen-

Conſtantinus M. Feſta auxit.

tium

tium Præſidibus legem dedit, vt Martyrum dies honorari curarent, & Feſtorum tempora Eccleſiis decernerēt, *vt Euſebius indicat lib. 4. de Vita Conſtantini. In quem vſum proculdubio, ſi verum eſt, quod Durandus refert in Rationali lib. 7. cap. 1. vndique in prouinciis, petente id Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo, nomine Sanctorum Martyrum, & tempore, modúmque paßionis eorum diligentiſſimè conquiſiuit, & literis accuratè mandata Euſebio tranſmiſit. Hæc ipſo tamen Feſta Martyrum non vbique in omnibus Eccleſiis celebrata fuerunt, ſed pro varietate regionum in illis tantùm Eccleſiis, vbi & Martyria perpeßi & ſepulti erant, ſicut ex Hieronymo in cap. 4. Epiſtola ad Galatas, & ex Panegyricis Veterum conſtat.*

Idem quoque Conſtantinus Dominici diei Feſtiuitatem noua lege vbique terrarum diuulgata indixit. Statuit etiam, vt is dies qui Sabbathum antecedit, *quem vulgò* Veneris diem *vocant, Feſtus eſſet, & omnes eum venerarentur, ob memoriam earum rerum quæ eo die à communi omnium Seruatore geſtæ fuerunt, vt referunt Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini, & Sozomenus lib. 1. cap. 8. Paulus item Diaconus lib. 11. Rom. rerum narrat, Conſtantinum lege edixiſſe*, duas Paſchatis hebdomadas: *vnam ſcilicet ante, & alteram poſt reſurrectionem, ſine negotio eiuſque operis celebrandas eſſe.*

Inuentionis *quoque* crucis Feſtum *ab Helena Conſtantini Matre inſtitutum & ab Euſebio Papa confirmatum volunt: Ipſiúſque Helenæ Solennitati occaſionem Conſtantinum Imp. dediſſe, ex Nicephori lib. 8. cap. 20. non obſcurè intelligitur.*

Et ſi verum eſt quod Antonius Titul. 9. cap. 1. §. 1. & Petrus de Natalibus in hiſtoria Sanctorum lib. 2. cap. 22. ſcribunt, Silueſter I. Papa decreuit, quintum diem hebdomadæ *per vniuerſum annum, vt diem Dominicum celebrandum, quòd hoc die Chriſtus in cælos aſcendiſſet, & Sacram Cœnam inſtituiſſet: eius tamen rei Platina in Sylueſtri vita non meminit.*

Feſtorũ multitudini occaſionem dedit Laodicena ſynodus.

Porrò hunc numerum Feſtorum auxit decretum ſynodi Laodicenæ, circa annum Domini 364. iuxta Caranzam, habita: nam can. 37. & 39. ſancitur, Ne quis Feſta celebret cum Paganis ſiue Gentilibus, hæreticis & Iudæis. Quod etiam repetitum & confirmatum fuit in Concilio Conſtantinopolitano generali ſexto in Trullo celebrato anno 681. can. 62. & in Concilio quodam Martini, vt refertur 26. quæſt. 5. & ab Antonino titul. 13. cap. 1. §. 3. Quia verò difficile erat ſemel receptos ritus & ceremonias vel abiicere, vel è medio tollere, propterea Veteres Chriſtiani Feſta Ethnicorum & Iudæorum non quidem omninò ſuſtulerunt, ſed tantùm in Chriſtianorum Feſta, & plerunque nomine ſaltem immutato, commutarunt. Teſtem habeo Theodoretum, qui lib. 8. de Martyribus, Suos, *ait*, mortuos Dominus Deus noſter in templa pro Diis veſtris induxit. Ac illos quidem caſſos gloria vanóſque reddidit: ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diaſiiſque ac Dionyſiis, hoc eſt, Iouis, Liberíque Patris ſolennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliiſque Sanctis Martyribus ſolennitates populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obſcœnitate ac impudentia, fiunt modeſtæ, caſtæ ac temperantiæ plenæ Feſtiuitates: non illæ quidem mero delibutæ, non commeſſationibus leues, non cachinnis ſolutæ. ſed Diuinis canticis perſonãtes, ſacriſque ſermonibus audiendis intentæ in quibus ad Deum preces non ſine Sanctis Lachrymis ac Suſpiriis ſummittuntur. *Scribit quoque Gregorius M. lib. 9. cap. 71.* Paganorum Feſta ſenſim in Chriſtiana Feſta eſſe commutanda, & quædam ad ſimilitudinem eſſe facienda, ramis arborum & conuiuiis ſolennitates celebrando. *Rationem facti huius B. Rhenanus in Tertulliani librum de Corona militis hanc reddit: opus nimirum fuiſſe olim multo Chriſtianis indulgere, quòd ſenes plerunque ad noſtram Religionem conuerſi fuerint, ideòque haud facilè adduci potuerint, vt ſemel receptam conſuetudinem obiicerent: nam*

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu,

Hac igitur occaſione poſt Conſtantinum M. Feſto Petri & Pauli *Apoſtolorum*, Petri ad Vincula, Pontificum Romanorum & Encænnia *inſtituta ſunt.*

Feſtis occaſionem præbuerunt liberationes inſignes & victoriæ.

Præbuerunt occaſionem Feſtiuitatibus nonnunquam & inſignes liberationes & victoriæ: quales Conſtantinus poſt victorias de hoſtibus ſui Regni ſeu Eccleſiæ ferè indixit, poſt deuictum Licinium & alios hoſtes: poſt ſynodum item Nicenam, ſuperato hoſte Eccleſiæ, & inſtituto concordia. Has Feſtiuitates Euſebius lib. 10. cap. 9. & lib. 3. de Conſtantini vita Panegyricas appellauit. Huiuſmodi Feſtiuitatis diem Alexandrini etiam inſtituerunt ſub Iuliano Imp. eamque Memoriam dixere terræmotus, quò ex inundatione maris ſubinde recedentis & recurrentis ortus, Vrbem Alexandrinam concuſſerat: de qua Sozomenus lib. 6. cap. 2. Diem, *inquit*, illum, quo vndarum dilapſus accidit Alexandrini etiam num annuum Feſtum agunt, illumque plurimis lychnis per vniuerſam vrbem incenſis, ac Deo per ſupplicationes gratiarum actione oblata, admodum ſplendidè ac religioſè celebrant.

Sic

Sic etiam Ethnici, quum terramotus alicubi accidiſſent, Ferias indicere ſolebant, & eum Deum, quiſquis eſſet, aut Deam placare, vt Gellius teſtatur, lib. 2. cap. 28.

Ex Athanaſii quoque enarratione Euangelii, de Sancta Deipara, intelligitur, Annunciationis Mariæ Feſtum, cuius ille eo in loco primus meminit, iam ſuo tempore in aliquibus Eccleſiis in vſu fuiſſe.

Macchabæorum etiam memoriam aliquot in locis celebratam fuiſſe Nazianzeni tempore, ex Oratione eius in Macchabæos apparet, vbi ſic inquit: Macchabæorum præſens eſt Feſtiuitas, qui licet minùs honorentur à pleriſque quòd non Chriſti certarunt gratia, omnibus tamen veneratione ſunt digni, quòd ob leges paternas fortiter egerint.

Videntur & Natalium dies apud quoſdam, ſed priuatim Solennes & Feſtiuæ fuiſſe ſeculo quarto regni Chriſti. Sic enim Ambroſius ad Felicem Epiſcopum Comenſem, lib. 1. Epiſtolarum, Epiſtola 5. Natalem, inquit, tuum proſequamur noſtris orationibus, & tu noſtri in tuis votis ne obliuiſcaris. Dierum item, quibus dignitates ingreſſi ſunt. Sic enim ad eundem Ambroſius: Celebrem, inquit, vtrique noſtrûm annunciaſti diem affore, quo ſuſcepiſti gubernacula Summi Sacerdotii.

Feſta quæ ſeculo 5. à nato Chriſto inſtituta.

Seculo quinto quod eſt ab anno Domini 400. ad annum 500. quo Eccleſiæ Chriſti præcipui Doctores fuerunt Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Heſychius, &c. Feſtis ſuperiorum ſeculorum acceſſerunt de nouo Rogationum dies, ſeu Litaniæ, Circumciſio Domini, Dominico in ramis Palmarum, ſi veræ ſunt inſcriptiones quorundam homiliarum Maximi Taurinenſis, Cinerum dies, Stephani Inuentio, feriæ D. Michaelis Archangeli, Cathedra Petri, Quadraginta Martyrum, Thomæ cuiuſdam Monachi, Aduentus Domini, Natiuitas Ioannis Baptiſtæ, & Ioannis Chryſoſtomi. Celebratæ ſunt eodem ſeculo Memoriæ Sanctorum Martyrum Cypriani, Stephani, Laurentii, Agnetis, Vrſulæ, Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, & Lucanæ cuiuſdam, cuius mentionem facit Sidonius Aruernorum Epiſcopus, & dicit, quòd eius gratia & ipſe, & magna hominum vtriuſque ſexus multitudo conuenerint ad Sepulchrum, Iuſtino teſte Epiſtola ad Eriphium, lib. 5. Diem etiam tranſlationis reliquiarum Ignatii fuiſſe Feſtum, Euagrius indicat lib. 1. cap. 16.

Feſta cur hoc ſeculo aucta.

Crediderim autem hac occaſione numerum Feſtorum auctum hoc tempore, quòd ſub Theodoſio Iuniore multa Sanctorum corpora reperta eſſent, vt Nicephorus indicat lib. 14. cap. 10. Eſt & illud hoc quinto ſeculo obſeruandum, quòd Muſæus Presbyter Maſſilienſis, qui claruit circa annum Chriſti 440. hortatu S. Venerii Epiſcopi, ex Scripturis Sanctis excerpſit Lectiones & Reſponſaria, ſingulis diebus Feſtiuis totius anni apta, vt Geſnerus in Bibliotheca ſua indicat. Hoc tamen Virgilio Papæ à Bolæo in eius vita tribuitur.

Feſta huius ſeculi non vbique obſeruata.

Non autem hæc Feſta in omnibus & ſingulis Eccleſiis vſitata fuiſſe ex Hieronymo & Auguſtino, qui his temporibus floruerunt, facilè intelligi poteſt. Nam Hieronymus in Comment. ad cap. 4. Epiſtolæ ad Galatas Feſtorum ſui temporis mentionem faciens, enumerat tantùm Paraſceuen, diem Dominicam, Paſcha Feſtiuitatem, Pentecoſtes lætitiam, & pro varietate regionum diuerſa in honore Martyrum conſtituta tempora. Ita etiam Auguſtinus Epiſt. 118. Paſſionis Dominicæ, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis in cælum, & Aduentus de cælo Spiritus Sancti ſolùm meminit. Sexto ſeculo Feſtum Ὑπαπαντῆς, hoc eſt, Exceptionis Chriſti, quod poſteà in Purificationis Mariæ Feſtum mutatum eſt, itemque Dormitionis ſeu Aſſumptionis Mariæ, inſtitutum eſt.

Feſta ſeculo 6. à nato Chriſto inſtituta.

Natalitia etiam Sanctorum religioſiore ſtudio, quàm hactenus nunquam ſub Gregorio M. celebrari cœperunt: Meminit ille primus Natalis Felicitatis, in Euangelia homilia 3. Marcellini & Petri, homilia 6. Sylueſtri, homilia 9. Felicis, homilia 13. Pancratii, homilia 27. Nerei & Achillei, homilia 28. Andreæ, homilia 5. Mammæ, homilia 35. Apollinaris, lib. 4. epiſt. 10.

Feſta ſeculo 7. inſtituta.

Acceſſit his ſeculo ſeptimo Feſtum Natiuitatis Mariæ à Sergio I. Pontifice inſtitutum. Feſta item Omnium Sanctorum, Martini & Valentini: quorum primum Bonifacius IIII. vel iuxta alios 3. in honorem Omnium Martyrum inſtituit, ſed poſtea in Feſtum Omnium Sanctorum conuertit: alterum Martinus I. tertium Benedictus II. Pontifices Romani ſeruare mandarunt. Leo II. Dominicæ Cœnæ Feſtum in Aprili obſeruari præcepit, vt liber Pontificialis in Leone teſtatur. Feſtum verò Exultationis Crucis Heraclius Imp. ordinauit, ob memoriam Crucis Perſico Regi Coſroe ereptæ, & Hieroſolymam reductæ anno Chriſti 631.

Fuerunt & Natales, & Laudatorum quorundam virorum memoriæ hoc ſeculo primùm ſolennes habitæ, veluti Anaſtaſii Perſæ, cuius Feſtiuitas celebrata eſt 10. Cal. Febr. Supplem. Chronicorum. Iſidori Hiſpalenſis, 18. Cal. Febr. ibidem. Vandregiſili, Anſberti & Vulfranii, prid. Cal. Aprilis. Vincentius libro 23. cap. 131. Richarii Pontiuenſis, 4. Cal. Maij: Vincent. libro 23. cap. 97. Furſei, 4. non. Maij: idem libro 23. cap. 85. Leonis Papæ, 4. Cal. Iunij: Supplementum Chronicorum. Eutropii Epiſcopi Hiſpani, 6. Idus Iunij: ibidem. Arnulphi, 17. Cal. Septemb. Vincent. lib. 23. cap. 78. Lupi, Calen-

dis

dis Septembris: idem libro eodem Cap. 10. Salabergæ *Abbatiſſa*, 16. *Cal. Octob. eodem lib. cap.* 30. Auicæ *Abbatiſſa*, 4. *Non. Octob. Vincent. lib.* 23. *cap.* 71. Magnobodi *Andegauenſis Epiſcopi*, 17. *Cal. Nou. idem libro eodem cap.* 19. Pharonis *Epiſcopi Meldenſis*, 5. *Cal. Nou. lib* 23. *cap.* 19. Eligij, *pridie Calend. Decemb. Supplementum Chronicorum.*

Feſta 8. ſeculo à nato Chriſto inſtituta.

Superioribus Feſtis adiecta ſunt ſeculo octauo Præſentatio Mariæ, Transfiguratio Chriſti, Dominicæ imaginis Paſſio: *Itemque* S. Auguſtini, Bonifacij, Angli & ſociorum eius, Benedicti Nurſini, Mauri, Scholaſticæ, & Vuillehadi *memoria.*

Feſta quando à veſpera ad veſperam celebrari cœperunt.

Eadem etiam tempore mos iſte inualuit, vt Feſtos dies à veſpera ad veſperam celebrare inciperent: quod poſtea Alexander 3. Papa lege faciendum edixit, vt eſt videre lib. 2. Decretal. tit. 9. cap. 2. Et veſperi quidem diebus Sabbathinis initia feriarum campanis pronunciabantur, quo ſigno audito Operarij omnes à labore diſcedebant, vt annotat Author vitæ Crodegangi, cap. 11. Et à veſpera vſque ad veſperam diem Dominicam ſeruari debere, Carolus M. iuxta Laodicenſe Concilium ſtatuit, in Aquiſgranenſibus legibus.

De feriarum numero primùm certæ leges latæ ſeculo 9.

Hactenus tamen per octingentos annos à nato in carne Chriſto nulla de feriis certæ leges latæ erant. Primus omnium Carolus Magnus, in Conſtitutionibus quas per vniuerſum Romanum Imperium promulgari curauit, legem de Feſtis & certo eorum numero edidit, quæ extat lib. 1. cap. 158. & ſic habet: Hæ ſunt Feſtiuitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangeliſtæ, Innocentum, Octauæ Domini, Epiphaniæ, Octauæ Epiphaniæ, Purificatio Mariæ, Paſchæ dies octo, Letania maior, Aſcenſus Domini, Pentecoſte, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Petri & Pauli, S. Martini, S. Andreæ. De Aſſumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.

Vitæ Sanctorum, Lectiones item & hymni eorum feſtis conuenientes quando primùm conſcripti.

Paulus quoque Æmilius libro ſecundo de Francis, & Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 18. referunt, eundem Carolum Paulo Diacono mandaſſe, Vitas & Lectiones cuilibet *Feſtiuitati Sanctorum conuenientes ex Patrum ſcriptis ſeligere. Paruit ille Imperatori & inſuper Vitis ac Lectionibus* hymnos *addidit: quæ omnia ſtatutis diebus in Eccleſiis legi præcepit Carolus. Sigebertus refert hæc ad annos Chriſti* 807. *Lectiones autem & hymni illi poſtea ita corrupti & immutati ſunt, vt vix à ſuo authore, ſi reſurgeret, agnoſcerentur.*

Sequutum eſt Concilium Moguntinum anno Chriſti 813. *celebratum Caroli Magni iuſſu, quinto Idus Iunij, ab Epiſcopis* 30, *Abbatibus* 25. *& plurimis Sacerdotibus, Comitibus & Iudicibus. In eo decretum eſt, hos dies Feſtos in anno celebrare:* diem Dominicam Paſchæ, cum omni honore & ſobrietate. Similiter feriam ſecundam, tertiam & quartam. A feria quinta ante Miſſam, licentia ſit arandi, vel ſeminandi, & hortum & vineam excolendi, & ſeptem circumcludendi. Ab alio verò opere ceſſare decreuerunt. Poſt Miſſam autem ab opere vacare: diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter, vt in Paſcha. In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem vnum. Natiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ: Aſſumptionem S. Mariæ: Dedicationem S. Michaelis: Natiuitatum S. Remigij, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octauas Domini, Epiphaniam Domini: Purificationem Sanctæ Mariæ. Et illas feſtiuitatis Martyrum, vel Confeſſorum obſeruare decreuimus; quorum in vnaquaque parochia ſancta corpora requieſcunt. Similiter etiam dedicationem templi. *Hac occaſione* Felicis & Regulæ *Thebææ legionis Martyrum*: Othmari *Abbatis Sangallenſis Cœnobij*: & Vualpurgæ *Feſtiuitates inſtituta ſunt ſeculo nono à nato Chriſto.*

Durandus in ſuo Rationali Diuinorum Officiorum lib. 7. cap. 34. affirmat, Gregorium 4. qui Pontificatum Romanum tenuit circa annos Chriſti 834. decreuiſſe, vt Feſta celebrentur non ſolùm in honorem Apoſtolorum & Martyrum, ſed etiam Trinitatis, Angelorum, Confeſſorum, & generaliter Omnium Sanctorum, Sanctarum & Electorum. *Adhæc feſtum* Sanguinis Chriſti *à Leone 3. Papa, &* Calendarum Septembrium *ab Arnulpho Imp. inſtitutum fuit, hoc, anno* 895. *illud circa annos* 810.

Feſta ſeculo 10. inſtituta.

Quibus acceſſit ſeculo decimo Feſtum *ſeu* Commemoratio omnium Sanctorum, & Huldrici Auguſtani Epiſcopi.

Feſta ſeculo 11. inſtituta.

Nona inſuper à ſuperſtitioſis hypocritis XI. *ſeculo Feſta ſunt inſtituta, nempe* Liberij, Clementis 2. Papæ, Gerardi & Vuolfgangi. *Refert etiam Herman. Gigas in ſuis Floribus, Gregorium 7. ſanxiſſe, vt omnium Romanorum Pontificum, qui Martyres fuiſſent, Feſta ſolenniter celebrarentur. Hinc originem ſumpſerunt Feſta* Antheri, Theleſphori, Cleti, Hygini, Marcelli, Lucij, Euſebij, Alexandri, Aniceti, Gaij, Vrbani, Eleutherij, Felicis, Syluerij, Pij, Stephani, Sixti, Zepherini, Lini, Calixti, Pontiani, Clementis & Meltiadis, *quibus Eccleſia caruit annis plus minus* 1075.

Feſta Epiſcoporum Romanorum quando inſtituta.

Feſta Imperatorum quando inſtituta.

Imperatores quoque hoc primùm ſeculo colere cœperunt Feſtis diebus. Nam Nicephoro

teſte lib. 17. cap. 31. Ioannis Chalcedonis filius quum Conſtantinopolitana Eccleſiæ præeſſet Alexij Comneni Imperatoris tempore, circa annos Chriſti 1090. Iuſtiniani *Imperatoris Feſtum diem inſtituit eumq́; ipſe primus cum toto populo magnificè celebrauit: idemq́; Epheſi in delubro Ioannis Euangeliſtæ factam eſt, quia id templum conſtruxerat Iuſtinianus. Fecit fortaſſe hoc ad Gregorij 7. imitationem, quem Pontificum Rom. Feſta inſtituiſſe diximus. Factum autem ab vtroque ad conſuetudinem Ethnicam. Gentes enim ſuos Principes, eorúmque Liberos inter Numina retulerant olim, aut per reuerentiam Regum, aut metum Tyrannorum: vt in Creta Iupiter, in Arcadia Mercurius apud Indos Dionyſius, apud Ægyptios Iſis & Oſiris. Ita quoque Romanus Senatus ſuos ab origine Imperatores, aut omnes, aut ſaltem eos quos ipſi libitum fuit, cælo ariſq́; dedicauit, legibúſque & Senatusconſultis Deos eſſe iuſsit. Sic Priſci Græcorum Dij, Iupiter Neptunus, Apollo, Vulcanus. Mercurius, Iuno, Ceres, Pallas, Diana, Theſei edicto accepere Numen & Diuinitatem Athanaſio contra Idola, & Arnobio lib. 1. teſtibus.*

Fit etiam mentio hoc ſeculo primùm, quod ego quidem ſciam. Feſtorum Iacobi, Matthiæ, Simonis & Iudæ *Apoſtolorum, &* Marci *Euangeliſtæ. Quumque in Catalogis Feriarum à Carolo M. & Moguntina Synodo editis non extent, credibile eſt hoc demùm tempore peculiariter celebrari cœpiſſe. Sicut etiam* Geruaſij *&* Protaſij, Coſmæ *&* Damiani, Amandi, Prothi *&* Hyacinthi.

Feſta ſeculo 12. inſtituta.

Seculo duodecimo primò mentionem faciant Hiſtorici Thomæ, Bartholomæi *&* Barnabæ *Apoſtolorum*, Diuiſionis eorundem, & Conuerſionis Pauli, Lucæ Euangeliſtæ. *Item Martyrum & Confeſſorum* Theodori, Thomæ *Cantuarienſis*, Georgij, Lamberti, Alexij, Hieronymi, S. Galli, Vndecies mille Virginum, Mariæ Magdalenæ, S. Bernardi, Othonis Epiſcopi, Caroli M. & Henrici Imp. Helenæ ex Suecia oriundæ, *& cuiaſdam* Dauidis *Angeli*. Calendæ *quoque* Auguſtæ *vt Sacra haberentur ob quandam victoriam hoc tempore decretum fuit. Et ob eandem cauſam Ioannes Conſtantinopolitanus Imp.* Pazinacarum Feſtum *inſtituit: quemadmodum etiam Innocentius* 3. Kunegundis *Imperatricis.*

Canonizationem Sanctorum auxerunt numerum feſtorum.

Etſi verò ſinguli ferè dies apud Chriſtianos hoc pacto Feſtiui eſſent, creuit tamen calamitoſioribus deterioribúſque ſubinde ſuccedentibus ſeculis, fecéque mundi, non tam numerus, quàm ſuperſtitio feriarum. Quem errorem plurimùm promouit, quòd Alexander 3. Papa Sibi ſuiſque Succeſſoribus ſolis Canonizationem Sanctorum *vindicauit. Ea enim occaſione poſteriores Pontifices, cæco quodam furore erumpentes, numerum iſtum, alioquin moleſtum, conduplicarunt propè, atque ſuperſtitionem ſupra modum auxerunt & miſeram plebem onere non ferendo tantùm non oppreſſerunt.*

Oxonienſis ſynodi decretum de numero feſtorum.

Ac primò quidem in Oxonienſi Synodo, anno 1222. in ANGLIA *celebrata, ſub Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo, cap. 1. hæc Feſta ſeruanda mandantur cum omni veneratione*: Omnes dies Dominici, Sancti dies Natalitij, Circumciſio, Epiphania Domini, omnia feſta B. Mariæ (præter feſtum Conceptionis, cuius celebrationi non impoſita tum fuit neceſſitas) Conuerſio S. Pauli, Cathedra S. Petri, Apoſtolorum omnium Feſta, feſtum S. Gregorij, dies Paraſceues, feria Secunda, Tertia & Quarta in hebdomada Paſchali, dies Aſcenſionis Domini: feria Secunda, Tertia & Quarta in hebdomada Pentecoſtes: feſtum S. Auguſtini in Maio: feſta Sanctæ Crucis: translatio S. Thomæ Martyris: vtrunque feſtum S. Ioannis Baptiſtæ: feſtum S. Margarethæ, Mariæ Magdalenæ, Petri ad Vincula, Laurentij, Michaelis, feſtum Omnium Sanctorum, S. Martini, Edmundi Confeſſoris, Edmundi Regis & Martyris, feſtum S. Catharinæ, Clementis, Nicolai, feſtum Dedicationis cuiuſlibet Eccleſiæ in ſua parochia: & quodlibet feſtum illius Sancti, in cuius honore fundata eſt Eccleſia.

Decretum etiam eſt in eadem Synodo, vt alia feſta à Rectoribus Eccleſiarum & Capellanis in obſequio diuino & laude deuotiſſimè celebrentur, minoribus operibus ſeruilibus, ſecundùm conſuetudinem loci, illis diebus interdictis: feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani: S. Agnetis, S. Vincentij: S. Blaſij: S. Agathæ: S. Felicis: S. Georgij: S. Ioannis ante portam Latinam: S. Dunſthani: S. Albani: S. Emeldridæ: Inuentionis ſanctæ Crucis: S. Stephani: S. Hieronymi: S. Fidis: Dedicatio S. Michaelis in monte Tumba: S. Dionyſij: feſtum Animarum: S. Cæciliæ: S. Luciæ: Sancti Leonardi.

In eadem denique Synodo, poſt Miſſam, non antea, opera ruſticana in his feſtis concedebantur: Octaua Epiphaniæ: in feſtis Petri & Pauli: in Translationibus SS. Benedicti & Martini.

Gregorij 9. de feſtis decretum.

In Decretali autem epiſtola Gregorij 9. hæc Feſta ſtatuta dicuntur: Natalis Domini: S. Stephani: Ioannis Euangeliſtæ: Innocentium: S. Syluestri: Circumciſionis: Epiphaniæ: ſeptem dies Dominicæ Paſſionis: Reſurrectionis, cum ſeptem ſequentibus: Aſcenſionis: Pentecoſtes cum duobus qui ſequuntur: Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ: feſtiuitatum omnium Virginis.

Digitized by Google

Virginis glorioſæ : Duodecim Apoſtolorum, & præcipuè Petri & Pauli : B. Laurentij : Dedicationis Beati Michaelis: Solennitatis Omnium Sanctorum, Dominicarum dierum, cæterarumque ſolennitatum, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus cum Clero ac Populo duxerint ſolenniter venerandas : *Lib. 2. Decretal. tit. 9. cap. 5.*

Concilij Lugdunenſis de feſtis decretum ſeculo 13.

Sequutum mox eſt, anno ſcilicet 1244. *Lugdunenſe Concilium, ſub Innocentio quarto celebratum, in quo decretum fuit, vt* Dies Domini à veſpera in veſperam obſeruentur. *Deinde vt hæ feriæ per anni circulum deinceps celebrentur* : Natalis Domini : S. Stephani : S. Ioannis Euangeliſtæ : Innocentium : Syluestri : Circumciſionis : Theophaniæ ſiue Epiphaniæ : Paſcha cum tota præcedenti & ſequenti hebdomada : Rogationes cum tribus diebus : Aſcenſio Domini : Pentecoſte cum duobus diebus ſequentibus : S. Ioannis Baptiſtæ : duodecim Apoſtolorum : S. Laurentij : Feſtiuitates B. Mariæ : Omnes dies Dominici : Dedicatio S. Michaelis : Dedicatio cuiuſlibet Oratorij: feſtum Omnium Sanctorum : S. Martini : feſtiuitates Sanctorum Canonizatorum, quas Singuli Epiſcopi in ſuis Eccleſiis cum Clero & populo decreuerunt celebrandas. Reliquis verò feſtiuitatibus, quæ per annum ſunt, non eſſe plebem cogendam ad celebrandum ſiue feriandum, neque etiam prohibendam, *eadem Synodus decreuit. De Conſecr. diſt. 3. cap. 1. extrà de fer. cap. fina.*

Circa eadem tempora Feſta Antonij *Minoritæ* : Elizabethæ *Landgrauiæ Haſſiæ* : Franciſci *Minoritarum Ordinis Authoris* : Dominici *Ordinis Prædicatorum Inuentoris, à Gregorio 9. inſtituta ſunt : Quando etiam* Lamberti *feſtum per vniuerſum Ciſtercienſem Ordinem ſolenniùs celebrari cœpit. Circa annos Domini* 1252. Petro Mediolanenſi *Inquiſitori*, Edmundo Cantuarienſi *&* Stanislao Polono, *Epiſcopis, ab Innocentio quarto peculiares Feſtiuitates decretæ ſunt: qui Pontifex etiam* Natiuitatis Mariæ Octauam *ſacram eſſe voluit. Et* Clara *ab Alexandro quarto canonizata legitur. Idem quoque Pontifex* Viſitationem Occiſorum à Tartaris Sendomiriæ, *quæ fit poſtridie Calend. Iunij, dedicauit.* Corporis *etiam* Chriſti ſolennitas *inſtituta eſt anno Domini* 1264. *ab Vrbano* 4. Heduuigæ *à Clemente* 4. Ludouici *Francorum regis à Bonifacio* 8. *qui etiam* Duplex Maius, *&* IVBILEVM *annum primus inſtituit.*

Feſta ſeculo 14. inſtituta.

Porrò ſeculo XIIII. *inſtituta ſunt Feſta*, Ludouici *Epiſcopi Toloſſani*, Thomæ *Aquinatis*, *&* Thomæ *Epiſcopi Herueldenſis, à Ioanne* 22. Cœleſtini 5. *Papæ, à Clemente* 5. Lanceæ Chriſti feſtum *Innocentius* 6. Brigidæ *Bonifacius 9. inſtituit.*

Feſta ſeculo 15. inſtituta.

Cæterùm vt cœlum Diis ſuis omninò replerent, ſeculo XV. *canonizati ſunt* Nicolaus de Tolentino *Monachus ab Eugenio* 4. Bernardinus *Minorita à Nicolao* 5. Vincentius *Dominicanus Monachus à Calixto* 5. SS. Anna & Ioſephus *&* Bonauentura *Minorita à Sixto* 4. Leopoldus *Dux Auſtriæ ab Innocentio* 8. Catharina *Senenſis à Pio* 2.

Feſta ſeculo 16. inſtituta.

Seculo verò XVI. Antoninus *Archiepiſcopus Florentinus, &* Benno *Miſnenſis Eccleſiæ Præſul, ab Adriano 6. & vt Feſtis diebus honorarentur, mandatum. Leo quoque* 10. Franciſcanis ſeptem *à Saracenis occiſis anno* 1221. *feſtum diem inſtituit, quemadmodum &* Brunoni *Carthuſianorum Patriarchæ.* Commemoratio ſeptem dolorum B. Mariæ, *à Georgio Hallero monacho inſtituta eſt circa annos demùm Chriſti* 1545.

Feſtorum Multitudo in ipſo quoque Papatu multis diſplicuit.

Mirum igitur non eſt, ſi plurimi pietate & doctrina Excellentes Viri, de Multitudine tanta feriarum grauiſſimè conqueſti ſunt, & de reformanda Eccleſia & ſcribere & concionari cœperunt. In Concilio Carthaginenſi 5. multitudo Memoriarum Martyrum damnatur : & ſancitur, vt nulla deinceps Memoria alicuius Martyris celebretur, niſi aut vbi corpus Martyris, aut reliquiæ ſint, aut origo habitationis vel poſſeſſionis illius. De Conſecr. diſt. 1. Placet.

Concilium Carthaginen. 5.

Floruit circa annos Chriſti 1102. POTHON, *Prumienſium presbyter : is lib. 2. de Statu domus Dei, acriter reprahendit feſtorum accumulationem, & multitudinem. Ecce, inquit, vita Monaſtica, quæ erat columna & firmamentum Religionis, in qua videlicet viguit Diſciplinæ cenſura, morum grauitas, maturitas conſiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis inſigne, in Eccleſiaſticis officiis repentinis viſa eſt nouitatibus acquieſcere, & quaſi iuuenili paſſa eſt decolorari leuitate. Miramur ergò ſatis, quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam monaſteriis, mutare colorem optimum, nouas quaſdam inducendo Celebritates. Numquid Patribus doctiores, aut deuotiores ſumus? Superba mente præſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia prætermiſit. Neque verò nos in huiuſmodi aliquid inuenire poſſumus, quod illorum quiuerit diligentiam præteriiſſe: Quæ igitur ratio hæc Feſta celebrandi nobis*

Pothon.

induxit? Feſtum videlicet S. Trinitatis, & Feſtum Transfigurationis Domini. Additur his à quibuſdam, quod magis abſurdum videtur, Feſtum quoque Conceptionis S. Mariæ. Nos in his omnibus deuotioni Fidelium minimè derogamus dum rationem quærimus qua rationabile obſequium noſtrum offerre Domino debemus, ne fortè à via recta deuiantes, præſumptionis ſpiritu ſeducamur. Hæc Pothon.

Michael Altiſiodorenſis.

Ducentis ab hinc annis aut eò amplius, Michael Altiſiodorenſis Archiepiſcopus claruit. Is, vt Nicolaus Clemangis in ſuo libello de Nouis Feſtis teſtatur, congregata Prouinciali Synodo pleraque Feſta aboleuit. Credo, vt etiam Clemangis teſtatur, offenſum eſſe variis abuſibus, non ſolùm Epicuræorum, Ebrioſorum, Scortatorum, Luſorum, aliorúmque flagitioſorum hominum, qui diebus feſtis toti effunduntur in omne nefas: ſed quòd videret tot Diuorum Feſtis homines induci ad cultum Creaturarum, Deique veri, qui ſolus coli vult, obliuionem.

Clemangis.

Clemangis quoque Magiſter Pariſienſis, & Archidiaconus Bareenſis, homo pius ac doctus, politioriſque ſermonis & literaturæ Sectator, in ſuo libello quem contra noua Feſta Sanctorum edidit circa annos Chriſti 1416. inter alia probat, vetera aliqua Feſta potiùs eſſe abolenda, propter ingentem abuſum, quàm noua inſtituenda recipiendáque. Queritur item in eodem ſcripto, longè diligentius & ardentius obſeruari hominum traditiunculas, grauiúſque earum transgreſſiones ab Epiſcopis puniri, quàm mandatorum Dei. *NOTA.* *Queritur quoque tam multa de Sanctis legi ac dici in templis, vt iam Sacrarum Literarum Lectio planè omittatur. In antiqua autem Eccleſia planè diuerſum fuiſſe morē. Itaque iam Deum ſuo loco detruſum & deturbatum eſſe, & Sanctos pro eo in templis regnare.*

Petrus de Aliaco.

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, in libro quem de Reformatione Eccleſiæ, Sigiſmundi Imp. iuſſu, ſcripſit, & Patribus in Conſtantienſi Concilio obtulit anno 1415. inter alia putat, ſuperfluum Feſtorum numerum minuendum eſſe. Verba eius hæc ſunt: Prouidendum eſſet ne tot noua Feſta ſolennizarentur, & tot Noui Sancti canonizarentur: vt præterquàm Dominicis, & Maioribus Feſtis ab Eccleſia inſtitutis, liceret operari poſt auditum Officium, cùm quòd in feſtis ſæpè magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis, aliis laſciuiis, quas docet otium: tùm quia dies operabiles vix ſufficiunt pauperibus ad vitæ neceſſaria procuranda: item vt in huiuſmodi Feſtis Scripturæ Apocryphæ, aut Hymni Noui, vel Orationes, ſeu alia voluntaria voluntates non legerentur omiſſis antiquis, & authenticis, & iam in Eccleſia conſuetis. Hæc Cardinalis ille.

Polydorus.

Polydorus Vergilius quoque de Feſtorum *Vergilius.* *Multitudine & Abuſu hoc modo conqueritur lib. 6. cap. 8. de Inuent. rerum. Dies, inquit, alij aliis, ſiſti Feſtis ex paruis quãdoque cauſis accumulati ſunt: id quod haud ſcimus an expedierit, cũ præſertim videamus eò rediiſſe Chriſtianorum mores, vt quàm olim ex Religionis vſu erat hæc inſtituere, tam nunc præſtare videatur eadem antiquare, cùm bona pars hominum otium iſtud feſtorum dierum non ad orandum, non ad Diuina Scripta audienda, cuius rei cauſa datum eſt, ſed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, indies magis magiſque impudenter conſumat, dictitans ſe id animi gratia facere, quaſi planè ſentiens cum Platone, qui ob illud ipſum, Deum eiuſmodi Feſta Sacra inſtituiſſe aiebat. Atque ita bellè Ethnicos, perinde in hac re, vt in nimis multis aliis, æmulamur: quod tantùm abfuit, vt Maiores noſtri fecerint, vt etiam illud ipſum audacter iiſdem Ethnicis vitio dederint, teſte Tertulliano in Apologetico, cùm de Cæſarum Solennibus Sacris loquitur. Et mox: Faxit igitur (inquit) Deus, vt Pontifices noſtri tandem aliquandò iſtos Feſtos dies Vtiles reddant: quod facient, ſi minuendos, & caſtè agitandos curarint.*

Germaniæ grauamina.

Inter grauamina item centum, quæ imperante Carolo 5. anno Domini 1522. in Comitiis Noribergæ Legato Pontificio oblata ſunt, cap. 37. de eadem re ſic habet: Inſuper & Feriarum, Feſtorúmque tanta copia laicorum vulgus non mediocriter vrgetur: Nimirùm, quum tot ſint Religioſi facti dies, vt vix ægrè tempus agricolis ſuppetat, quo fructus agri, tot ſudoribus è terra pellectos, aliquandò aquo, pluuia immodicóque æſtu, non rarò etiam grandine, aliáue tempeſtate periclitantes, in horrea conferant: quos tamen fructus, ſi non feriarum ſolennibus præpediti forent, commodè ac citra iacturam ex agro legere, domúmque ferre potuiſſent. Adde, quòd feriatis quoque diebus, qui dubio procul bono conſilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primùm benè ſunt feriati, innumera perpetrantur delicta, peccata & ſcelera, potiùs quàm his Omnipotens colatur, veneretúrne. Id quod res ipſa notorium facit, tantùm abeſt, vt teſtibus hoc egeat. Eamque ob cauſam Sacri Romani Imperij Status laici conſultiùs putant, ac Reipub. Chriſtianæ conducibiliùs, ſi effrenis feriarum (quæ animis, quàm externo cultu, Chriſtianis, hoc eſt, his quibus à peccatis ſemper feriandum eſt, rectiùs celebrantur) Feſtorúmque dierum numerus paulò coerceatur in arctum, minuatúrque.

Eraſmus

Queſtus eſt etiam de eodē non immeritò Deſ. Eraſmus haud vno in loco. In Annotationibus ſuis ad N. Teſtamen. in cap. 11. Matth. Iam olim (inquit) D. Auguſt. in epiſt. ad Ianuar. ſtomachatur & deplorat Eccleſiam Chriſti ſic premi, vt tollerabilior propè fuerit Iudæorum quàm Chriſtianorum conditio. Et tamen ille ob

friuola

friuolo quadam nudipedalia neſcio quæ deſtomachatur. Quid ſi videret liberum illum Chriſti populum, tot legibus, tot ceremoniis, tot laqueis impetitum? Item: Quin & Feſtorum apud Hebræos mediocris erat numerus. Ætas Hieronymi præter Dominicum diem pauciſſima nouerat Feſta. Nunc Feriarum neque Finis, neque Modus: quæ cùm primitùs ad pietatis vacationem pauca ſint inſtituta, nunc ad ſcelerum excluſionem tolli debebant, niſi Sacerdotum auaritia ſuis rebus conſuleret potiùs, quàm veræ Religioni. Hæc Eraſmus.

Laurentius Campegius. *Contra Multitudinem quoque Feſtorum apud Chriſtianos huiuſmodi decretum editum fuit anno 1524. Ratisbonæ per Laurentium Compegium Presbyterum Cardinalem.* IVSTIS *de cauſis adducti Feſtorum Multitudinem conſtringendam eſſe duximus: ſtatuentes & ordinantes, vt de cætera* Dominica dies, *quæ in gloriam Dominicæ Reſurrectionis ad nos vſque à primitiua Eccleſia maximè celebris habita eſt. Dies quoque [Natiuitatis Chriſti, S. Stephani, Ioannis & Innocentium: Circumciſionis: Epiphaniorum: Paſchæ, cum Feria ſecunda & Tertia duntaxat: Aſcenſionis, Georgii, Pentecoſtes, cum Feria Secunda & Tertia duntaxat: Corporis Chriſti, & præſertim quatuor B. Virginis, Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis & Natiuitatis: Natalitia Apoſtolorum: Ioannis Baptiſtæ, Magdalenæ: Laurentii: Dedicationis Michaelis: Omnium Sanctorum: Martini: Nicolai & Catharinæ:] & per diœceſim Salzburgenſem* Feſtivitates S. Ruperti, *ſicut hactenus obſeruata fuêre, celebres quoque & Feſti habeantur. In cæteris autem Feſtiuitatibus, quacunque ratione vel inſtitutis vel receptis, & quæ ſub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberúmque cuique facimus, vt Miſſa audita operas ſuas, quibus ſuam ſuorúmque alimoniam quærere cogitur, redire poſſit: Feſtis tamen Dedicationum & Patronorum Principalium, nihil derogantes, quoad eorum celebrationem in cathedrali Eccleſia, Ciuitatéque ac loco etiam Epiſcopalis reſidentiæ duntaxat. cap. 20.*

CAPVT V.

Diuiſio Feſtorum.

HORVM *autem Feſtorum omnium quædam ſunt* generalia, *quædam* particularia. *Generalia ſunt, quæ generatim ab omnibus celebrantur, & vocantur* SOLENNITATES: *vt ſunt* Circumciſio Domini, Epiphania eiuſdem, Conuerſio Pauli, Purificatio B. Mariæ, Cathedra Petri, Annunciatio B. Mariæ, Paſſio Domini, Paſcha, Inuentio S. Crucis: Dies Rogationum, Aſcenſio Domini, Pentecoſte, Feſtum Trinitatis, Feſtum Corporis Chriſti, Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ, Viſitatio B. Mariæ, Vincula Petri, Aſſumptio B. Mariæ, Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ, Natiuitas B. Mariæ, Exaltatio Crucis, Feſtum S. Michaelis & Omnium Angelorum, Feſtiuitas Omnium Sanctorum, Commemoratio Omnium Defunctorum, Præſentatio B. Mariæ. Aduentus Domini, Conceptio B. Mariæ, Natiuitas Domini, Feſta omnium Apoſtolorum, & Feſtum Dedicationis Eccleſiæ.

Feſta autem Particularia ſunt, quæ tantùm ab vna coluntur Eccleſia in aliqua Prouincia: vel etiam quæ in vno ſiunt Epiſcopatu, vel in vna Parochia aut Villa.

Rursùs horum Feſtorum alia ſunt Mobilia, *ſicut* Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, Quadrageſimæ, Paſcha, Pentecoſte, *&c.*

Alia ſunt Fixa, *ſicut Feſtum* Natiuitatis Chriſti, Circumciſionis, B. Virginis, Apoſtolorum, Martyrum, *&c.*

CAPVT VI.

De Canonizatione Sanctorum.

QVIA Canonizationes Sanctorum, *quas, omnibus in deterius ruentibus in Eccleſia, Romani Pontifices ſibi ſolis vendicarunt, numerum Feſtorum in immenſum auxerunt, idcircò de iis aliquid dicendum nobis, vt quo in pretio habendæ ſint cognoſci poſſit.*

Canonizatio Sanctorum quid?

E*St igitur* Canonizatio *ſecundùm Ieſuitas, Pontificis Rõ. Approbatio ſeu Teſtimonium publicum, de Sanctitate & Gloria alicuius hominis Defuncti: & ſimul eſt iudicium ac ſententia, quâ decernuntur illi Diuini honores, & ſuperſtitioſi cultus. Antoninus etiam parte 3. Summæ, tit. 12. cap. 8. ſic Canonizationem definit, quòd per eam Sancti proponantur à Papa, vt exemplar Fidei & vitæ ſanctæ, & ab omnibus* ADORANDI *& in neceſſitatibus* INVOCANDI. *Marſilius Patauinus in Defenſore Pacis parte 2. cap. 21. Canonizationem definit eſſe inſtitutionem venerationis Sanctorum.*

Ritus Canonizationis: ac primò de Præparatione ad eam.

E*A autem fit tali forma, & ritibus huiuſmodi. Rogatus Pontifex Romanus, vt aliquem iam vita functum adſcribat in Sanctorum*

Catalogo, & Venerandum, vt Sanctum, decernat, ille facta inquiſitione de vita, obitu & miraculis canonizandi, quæ poſt mortem edere dicitur, tandem definit Pontifex, ſed mediante magna vi auri, Canonizationem eſſe faciendam. Fit igitur poſt hæc publicum Conſiſtorium, in quo Pontifex cum plunuiali rubeo, & mitra pretioſa reſidet, & Aduocatus cauſæ longa oratione proponit Vitam, Geſta & Miracula Canonizandi, & demùm ſupplicat nomine eorum, qui de ea re ſcripſerunt, talem aſcribendum eſſe à ſua Sanctitate in Catalogum Sanctorum Chriſti: vtque à cunctis Fidelibus pro Sancto veneretur decernendum Pontifex audito Aduocato, laudat eius facundiam: dicit libenter ſe audiuiſſe tam miranda illius Viri præconia: velle tamen ſuper hac re cum Fratribus ſuis maturiùs deliberare: & ſic finitur Conſiſtorium. In alio deinde Conſiſtorio exquirit ſententias Cardinalium, & vbi ex illis intellexerit eſſe omninò eum, de quo fabula agitur, Canonizandum, deliberatur dein de die Canonizationis, poſtea paratur & conſtruitur ſuggeſtus ligneus tantæ amplitudinis in Baſilica Petri, vt ſuper illum inſtituatur, aptetúrque Capella cum Altari, Credentiis, throno Pontificiali, Sedibus Cardinalium aſſiſtentium Papæ, Oratorum Prælatorum, choro pro Cantoribus & locis omnium Ordinum Romanæ Curiæ, ad inſtar Capellæ Palatii Apoſtolici à cancellis, & ſuprà quoad formam ſedilium, & capacitatem. In eo ſuggeſtu ſunt duæ Sedes Papales, vna eminens ad ſiniſtram partem, & alia eſt amobilis. Aſcenditur ad ſuggeſtum per pontem, cum duplici oſtiolo à capite, & in imo: ornatur ſuggeſtus in extremitatibus circùm circà cum herbis & floribus, & intùs cum pannis & tapetis opportunis ornatur Eccleſia, & ſuſpenduntur per totum Inſignia Pontificis, Eccleſiæ & Imago Canonizandi, atque etiam inſignia Procurantium Canonizationem. Fit baldachinum nouum, cum inſignibus Pontificiis, Procurantium Canonizationem, & Imagine Sancti: ea ſuſpenditur ſupra Altare, vbi Pontifex celebrat. Fit etiam Vexillum magnum cum Imagine Sancti, quod portatur ante illos qui procurant Canonizationem, & ponitur ſupra Oſtium & ſupra Suggeſtum. Cùm Pontifex præfinito die venit ad Eccleſiam, ponuntur circùm circà ſuper deambulatorium intorticia numero octuaginta, vel circa ſex librarum pro qualibet, quæ ardeant dum fit officium. Parãtur cera diſtribuenda, inprimis pro Pontifice duæ ceræ albæ duodecim librarum pro qualibet, pro Cardinalibus quatuor libræ. Item pro Eleuatione Sacramenti duodecim intorticia librarum ſeu pro qualibet: pro Altari ſex cerei, & duo pro Credentia duarum librarum. Item pro Offertorio duo magni cerei duodecim librarum, quos offert primus Cardinalis. Item tres cerei ſex librarum, quos offerunt tres Oratores, ſeu deputati cum tribus Cardinalibus. Et omnes cerei ſuprà dicti ſunt albi, præter octuaginta intorticia Eccleſiæ. Ordinantur etiam cerei de cera communi pro Prælatis, Oratoribus & magnis nobilibus duarum librarum pro Officialibus & Cantoribus vnius libræ: pro Clero & aliis vt placuerit. Intimatur etiam Clero vrbis, vt ſummo manè conueniant ſupplicantes in porticu Eccleſiæ S. Petri.

De his quæ fiunt in die Canonizationis.

STatuta igitur die Canonizationis Pontifex paratus Pluuiali rubeo & Mitra pretioſa, cum Cardinalibus, Prælatis & Officialibus paratis proceſſionaliter deſcendit ad Eccleſiam ſub Baldachino. In camera paramenti diſtribuuntur cerei, & ab omnibus portantur accenſi. Cùm verò Pontifex peruenerit ad porticum S. Petri, excipitur ibi à clero vrbis in modum ſupplicantium parato. Intrat Eccleſiam Pontifex, & aſcendit ſuggeſtum cum Prælatis & aliis Officialibus: Clerus verò ſuggeſtum circumſtat. Pontifex oratione facta ante Altare, aſcendit Eminentem Sedem, & accipit Cardinales & Prælatos paratos ad reuerentiam. Qua facta deſcendit, & ſuper aliam ſedem ſibi ante Altare paratam ſedet verſus renes ad Altare, vbi facit ſermonem, referens quæ geſta ſunt, & vitam ac Miracula Sancti in genere. Demùm hortatur omnes, vt ſecum orent Dominum, ne permittat errare Eccleſiam ſuam in hoc negotio. Surgit deinde, remouetur ſedes, & procumbit ſuper Faldiſtorium cum mitra. Cantantur Litaniæ à Cantoribus, & nulla fit mentio de canonizando, omnibus in terram genuflexis orantibus. Finitis Litaniis Diaconus à dextris ſurgit, & verſus ad populum alta voce dicit. Orate: iterum genuflectit, & omnes prolixiùs orant: tum Diaconus à ſiniſtris ſurgens, eodem modo dicit, Leuate, & omnes ſurgunt. Tunc Pontifex ſtans ſine mitra incipit in voce, Veni Creator Spiritus, & tam ipſe, quàm alii omnes genu flectunt ad primum verſum. Cantores proſequuntur in hymnum, & Pontifex cum mitra aſcendit ad ſedem eminentem, & mitra depoſita expectat finem hymni: quo completo, duo Cantores dicunt verſum: Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & alii reſpondent, Et renouabis faciem terræ. Tum Pontifex, Oremus: Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c. Tunc Procurator cauſæ inſtanter petit à Pontifice nomine procuratorio, pronunciari & declarari N. N. in Sanctorum Catalogum aſcribendum, & vt Sanctum venerandum à Chriſti Fidelibus. Poſt hæc Pontifex

tifex alta voce, ſedens tamen cum mitra, pronunciat in hunc modum: Ad honorem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Chriſtianæ, ac Catholicæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu ſpeciali decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. N. in cæleſti Hieruſalem inter Beatorum choros iam receptum, æternaque gloria condonatum, Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum: ipſúmque catalogo huiuſmodi adſcribimus ſtatuentes, vt ab Vniverſali Eccleſia anno quolibet, in Menſe N. & die tali Feſtum ipſius, & Officium ſicut pro vno Confeſſare (ſi ſit Confeſſor) vel Martyre (ſi ſit Martyr) deuotè & ſolenniter celebretur, & ab eo ſuffragia à Chriſti fidelibus implorentur & expectentur. Inſuper eadem quoque authoritate omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ad ſepulturam eiuſdem in die tali deuoti acceſſerint, vnum annum & 40. dies: accedentibus verò annis ſingulis in octauas dicti Feſti ad ſepulturam quadraginta de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Quibus finitis, Procurator fiſcalis rogat Protonotarios &c. de proteſtatione facta per Papam, & Procurator cauſæ ſimpliciter rogat de ſolenni pronunciatione Canonizationis, & petit inſtrumentum, & à Papa decerni Bullas ſuper his opportunas. Et mox ſurgit Papa ſine mitra & incipit, Te Deum laudamus & chorus ad finem vſque proſequitur. In illius fine Cardinale Diacono à dextris in cantu dicente, Ora pro nobis beate N. N. & Choro reſpondente, vt digni efficiamur Promiſſionibus Chriſti, Papa illicò propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantat, dicens: Seruitutis noſtræ tibi Domine iura ſaluentes, quæſumus, vt Beati N. N. patrocinio ſuffragante in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduerſis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Finita oratione Diaconus à dextris ſtans ante Pontificem, dicit altè: Confiteor Deo Omnipotenti &c. & poſt Apoſtolos nominat Sanctum N. N. & Papa ſine mitra cruce ſua præſente dicit, Precibus & meritis &c. & in fine dat indulgentias omnibus officio tunc aſſiſtentibus.

His finitis, Pontifex incipit Tertiam, & accipit ſandalia, vel ſi magis placet, dimiſſa Tertia accipit paramenta omnia Pontificalia, & canit Miſſam ſolitis ceremoniis, vel de Sancto Illo: vel ſi aliqua ſolennitas eſſet, cantat de die cum commemoratione de Sancto: & ſi non poſſet, aliquis Cardinalis celebrat pro eo. Dum cantatur Credo, tres Cardinales Commiſſarii deſcendunt ad portam inferiorem ſuggeſtus, & ordinant Offertorium: & poſteà antequàm Papa lauet manus in ſede eminenti veniunt ordinatè. Et primus, id eſt, Epiſcopus Cardinalis offert duos magnos cereos, & cum eo primus Orator offert cereum ſuum, & caniſtellum deauratum cum duabus turturibus: Tum Presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & ſecundus Orator cereum ſuum, & caniſtellum argenteum cum duabus columbis albis: vltimò Diaconus Cardinalis offert duo vaſa vini: & tertius Orator ſuum cereum, & caniſtellum diuerſorum colorum cum variis auiculis. Cardinales oſculantur genu, alii pedem Summi Pontificis: proceditur deinde in Miſſa, vt aliàs. Deſumpta hæc ſunt partim ex libro 1. Ceremoniarum Rom. Eccleſiæ, Sect. 6. partim verò ex Bulla ſuper Canonizatione Franciſci de Paula à Leone 10. edita quæ extat apud L. Surium tomo 2. de vitis Sanctorum.

In canonizatione Sanctorum 7. honores eis tribuuntur.

Hac autem Deificatione ſeptem honores Sanctis mortuis tribuuntur, vel ipſis Ieſuitis teſtibus. PRIMÒ enim inſcribuntur in Catalogo Sanctorum, id eſt, ſtatuitur ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur & dicantur Sancti. SECVNDÒ, inuocantur in publicis Eccleſiæ precibus. TERTIÒ, templa, & aræ in eorum honorem inſtituuntur. QVARTÒ, Sacrificia tam Euchariſtiæ, quàm laudum & precum, quod vulgò officium, ſiue hora canonica nuncupatur in honorem eorum publicè offeruntur. QVINTÒ, dies Feſti in eorum memoriam celebrantur. SEXTÒ, pinguntur eorum Imagines, addito certo quodam lumine in ſignum gloriæ, quam habere creduntur in cælis. SEPTIMÒ, eorum reliquiæ pretioſis thecis includuntur, & publicè honorantur.

Canonizationes Sanctorum ſiunt ad morẽ Ethnicũ.

Fit hoc planè ad morem & conſuetudinem Ethnicam. Apud Gentes enim mos hic fuit antiquiſſimus, & conſentiens obſeruatio, vt eximios præclaróſque viros, qui obuiam eundo periculis, Rempub. auxiſſent, ob egregia facinora, & eximia beneficia patriæ, ciuibus aut cunctis mortalibus exhibita, in Deorum ſedes receptos conſecrarent, & in cælum tollerent, illiſque Diuinos honores, & humana faſtigio ampliora decernerent: templáque, flamines, puluinaria, aras ac ſedes Immortalitatis exhiberent. Hæc præmia & honores clarorum virorum Plinius lib. 2. cap. 7. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, Euſebius de præp. Euangelica lib. 2. cap. 9. recenſent. Ob id Ægyptii Bacchum, quòd vitem plantaſſet: Oſiridem, quòd ex hordeo zythum decoquere: Proſerpinam, quòd ex frugibus Siculos pinſere panes docuiſſet: Iſidem, quòd morborum medicamenta reperiſſet, eaq; per ſomnium ægrotis ſuggeſſiſſet, in Deorum Numerum retulerunt, & vt Sacroſancta Numina venerati ſunt. Nec hominibus modò ſed Belluis, Crocodilo, Felibus & Cercopithecis hunc honorem detulerunt: quorum exemplo aliquid quod homini vel ad vitæ, aut

agrorum cultum vſui foret, reperiſſent. Herculi Thebano Menetius Actoris Filius, annua in Opunto Sacra inſtituit: mox eum Athenienſes inter Deos retulerunt: ſecutus inde cætera Græciæ, aliarúmque Gentium conſenſus, Sabellicus lib.6. Enne.1. Imò Græci propter beneficia viuentes etiam cælo conſecrarunt, & immortalitate donare conſueuerunt. Sicut de Platone & Ageſilao legimus, atque aliis, qui in cætu cæleſtium recepti, in vita Diuinos honores meruêre, illiſq́. Certamina, Ludos & Sacra anniuerſaria dicàrunt, tanquam Numinibus: illis præſertim qui Tyrannos exegerunt, aut vindices libertatis fuerunt: hi tanquam mortale faſtigium egreſſi omnium conſenſu in conſilio cæleſtium aſciti, pro Diis haberi & coli cœpti ſunt. Thuiſconem Germanorum Regem Priſci communi omnium ſuffragio, ob miraculum ſapientiæ & bonitatis, ſicut indigetem & Dei Interpretem ac nuncium, conſecrarunt, eundémque pro Deo habere cœperunt. Matrem quoque eius Nertham, hoc eſt, terram, ex qua editum crediderunt, Numinibus aſcripſerunt. Rhodii obſeſſi per annum à Demetrio Polioroete, Ptolemæo, quòd tum opem eis tuliſſet, ſoluta obſidione, delubrum in vrbe quadrangulum extruxerunt, & Diuinos honores detulerunt.

Romani ſuos Imperatores canonizarunt.

Romani autem præcipuè ſuos Imperatores, quorum opera & virtute res eorum creuerant, poſt funera immortali honore conſecrarunt, & in Deos receperunt, qui ob æternam gloriam Dii indigetes dicti ſunt: Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 4. Sic Iulius Cæſar poſt mortem in Deorum numerum relatus eſt, non ore modò Decernentium, ſed & perſuaſione Vulgi. Siquidem ludis, quos primò conſecratos ei hæres Auguſtus adidit, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam. Creditumq́. eſt, animam eſſe Cæſaris in cœlum receptis: Suetonius. Nero Claudium Patrem apparatiſſimo funere elatum laudauit, & in Deorum numerum referre præcepit, multis ei decretis cæleſtibus honoribus: Cuſpinianus. Cyziceni Adrianum Imperatorem tredecimum eſſe Deum promulgarunt. Sed & ipſe Adrianus ſuum Amáſium Antinoum in numerum Deorum retulit. M. Antonino Philoſopho mortuo Diuini honores ab omni ſexu, ordine & ætate habiti. Populus, Senatuſque propitium Deum dixit, eoque proceſſit vana perſuaſio, vt pro ſacrilego haberetur, qui defuncti Imaginem non domi coleret. Templum publicè conſtitutum: flamines, ſodaléſque dati: Sabellicus lib.4. Enneadis 7.

Ritus canonizandi Imperatores Romanos.

Ritus autem, quo conſecrabantur ſeu canonizabantur Imperatores, ab Herodiano lib. 4. ita ferè deſcribitur. Defunctum vita corpus ſumptuoſo funere verè ſepeliunt. Poſteà verò Imaginem defuncto quàm ſimillimam fingunt, eam in Regia veſtibulo locant ſupra eburneum lectum auro ſtratum: recumbitque pallida effigies in modum ægrotantis. Circa lectum maximam diei partem aſſidet Senatus omnis ad læuam pullis veſtibus amictus, ad dexteram lectæ ex omni nobilitate Matronæ in albis veſtibus: is enim color lugubris fuit in muliere olim, omni alioqui ornatu detracto. Id ſeptem diebus Defuncto datur, Medicis velut adhuc ſpirantem interuiſentibus, denunciantibúſque in dies morbum ingraueſcere. Ad poſtremùm, quaſi tùm demùm vita Defunctum Equeſtris Senatoriique Ordinis iuuenes per viam Sacram in forum deferunt, lecto in roſtris depoſito. Pueri Puellæque Patricii generis, compoſito ab vtraque parte cætu hymnos in Defunctum canunt flebili carmine emodulatos. Deinde eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium tranſlato, ingens ibi ſuggeſtus, quadrata forma, lignea tantùm materia contexitur, multis gradibus in Phari ſpeciem faſtigio aſſurgentibus. Singuli auro & purpura inſtructi, ſignis ex ebore factis variiſque picturis inſigniter excoluntur, ac quo altiores illi minúſque patentes, eò minores his imagines prominebant. Interiùs eſt moles aridis referta fomitibus, effigie ſecundo gradu collocata, omnibúſque odoramentorum generibus omnifariam admotis, quæ certatim à tota ciuitate eò congeruntur. Nobiliſſimi iuuenes Equeſtris ordinis trabeati tabernaculo obequitant, motu quodam pyrrichio, ſolennique decurſu. Circumaguntur & currus, quibus inſident Rectores perſonas illuſtrium Principum gerentes: ac tùm demùm ab imperii Succeſſore face admota circumfuſa multitudo ab imis partibus molem incendit, ac ſimul ignis coepit inualeſcere, ex ædificii faſtigio aquila emittitur, quæ Principis animam in coelum ferre putatur. Qui per hæc conſecratus eſſet, inter Deos colebatur. Sic Herodianus. Eadem referunt Alex. ab Alexandro lib.6 cap.4. Polydorus Vergilius de Inuent. lib.6. cap. 8. & Auentinus lib. 2. Annal. in vita Antonii Pii. Hanc canonizandi conſuetudinem & rationem poſteritas ſumpſiſſe videtur ex Cæſaris Dictatoris funere, cuius forma non multùm ab ea diuerſa fuit. Sabellicus lib. 5. Enne. 7. Inde autem effectum, quemadmodum etiam apud Chriſtianos poſteà, vt tam numeroſa Deorum phalanx & caterua, de qua Plinius lib.2. cap.7. Euſebius lib.5 cap.3. Lactantius etiam & Tertullianus, ab Ethnicis conſcripta ſit, quæ immenſas Xerxis Perſarum Regis copias excederet, quarum equos flumina exhauſiſſe, milites ſpiculis ſeu telis vnà arcu extortis ſolem aut eius iubar obumbraſſe, hiſtoria Græcorum teſtatur.

Multitudinis Deorum Ethnicorum cauſa.

Canonizationes Sanctorum præſumptuoſa.

Porrò Canonizatio eiuſmodi Pontificia non modò Ethnica, ſed etiam inſtitutum admodùm præſumptuoſum eſt: quaſi cœlitibus aliquid accedat aut decedat Mortalium authoritate & ſuffragiis. Auentinus lib.2. Annal. in vita Antonini

Digitized by Google

tonini Pij, miratur Ethnicos tàm dementes fuiſſe, vt diuinitatem, quam Mortales ſtultiſſimi non poſſidebant, ſeſe tribuere aliis poſſe opinarentur: & tàm ſtolidos extitiſſe, qui iſtis ineptiſſimis ludibriis cœlum aperire crederent. Nos verò multò magis miramur, Chriſtianos in tanta luce verbi Dei & Euangelij tam dementes & ſtolidos eſſe, vt in eadem opinione ſint cum Ethnicis. Imò ſtultitia hæc Græca & Romana creandi Deos irriſa eſt iam olim etiam ab ipſis Gentilibus: ac ſapientiſſima eſt in hac re Ageſilai ſententia, qui, cùm Thaſij illum viuentem inter Deos retuliſſent, dixiſſe fertur: Si Deos faciendi poteſtatem haberent, prius ſeipſos Thaſij Deos facerent, poſteà demùm Ageſilaum quoque deificarent.

Ageſilai prudens dictum.

In canonizandis Sanctis errari poteſt.

Tertiò, in hac Apotheaſi ſeu Canonizatione facilè poteſt errari, ita vt damnati ſæpè Sancti pronuncientur, & pro Beatis colantur: ſicut occidiſſe ſcribit Sulpitius tempore Martini: quum enim populus quidam coleret neſcio quem pro Martyre, tandem manifeſtatum fuit, Latronem quendam fuiſſe, qui ob ſua ſcelera extremi ſupplicij pœnas luiſſet. Vnde etiam D. Hieronymus fatetur in Eccleſiaſt. cap. 8. ſe vidiſſe impios cum tali opinione mortuos, & ſic ſepultos, vt Sancti æſtimarentur in terra, qui etiam dum viuerent, habiti ſint Eccleſiæ Principes. Et D. Auguſtinus quodam in loco ſcribit, Multorum corpora honorari in terris, quorum animæ torqueantur in gehenna. Quapropter eodem iure Chriſtiani reprehendi & irrideri poſſunt, quo Græci à Nicephoro libro decimo, cap. 36. vbi inquit: Græcos pudore potiùs affici conueniebat, vt qui homines multos in Deorum numerum retulerunt: atque eos quoſnam quæſo? Optandum ſanè eſſet iuſtos eos & temperantes, aut aliter morum integritate probatos fuiſſe. Verùm contraria omnia in eis reperiuntur: quippe qui iniuſtitia, ebrietate & ſtupris probroſis vitam tranſegerint. Declarat hoc Hercules, Dionyſius & Æſculapius: per quorum numina dum Libanius continuè in libris ſuis iurat, non erubeſcit tamen.

Ieſuitarum argumenta pro canonizationibus, & ad eas reſponſiones.

Superſtitionem tamen hanc Ethnicam Ieſuitæ aliquot rationibus & argumentis defendere conantur, tanquam rem vtilem & neceſſariam. Primò dicunt: Deum ipſum voluiſſe à Sanctis Scriptoribus annotari glorioſam vitam & mortem ſuorum Seruorum. Probant hoc ex Eccleſiaſtico qui cap. 44. & aliquot ſequentibus laudat & ad cœlum vſque extollit Sanctos plurimos, Enochum, Noe, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Moſem, Aaronem, Phineen, Iaſuam, Calebum, Samuelem, Dauidem, Heliam & alios. Sanctum quoque Lucam in Actis canonizaſſe volunt Stephanum, Iacobum, Petrum, Paulum, Barnabam, Silam & ſimiles: Credibile igitur eſſe, eodem modo Deum velle, vt deinceps etiam fiat. Reſpondeo, pro paribus hic ſumi à Ieſuitis, quæ ſunt imparia. Quum enim Eccleſiaſticus, Lucas & alij laudant Fideles Dei Seruos, non eos canonizant Pontificio more & conſuetudine: ſed extollunt tantùm eorum fidem & ſimiles virtutes: non iubent illos in publicis Eccleſiæ precibus inuocare, Templa & Aras in eorum memoriam extruere, eis Sacrificia afferre, dies Feſtos in memoriam eorum celebrare, Imagines eorum pingere, denique eorum Oſſa, aliáſque Reliquias eorum precioſis thecis includere, & publicè honorare: qui honores omnes creaturis mortuis in canonizatione pontificia tribuuntur & decernuntur: ſed dehortantur potiùs Sancti illi Scriptores omnes & ſingulos ab his, ſimilibúſque Idololatricis cultibus. Quantùm itaque cœlum à terra diſtat, & Oriens ab Occidente, tantùm differt Sanctorum illorum ſcriptorum factum, à Canonizatione iſta Pontificia.

Eccleſiaſticus 44. cap. explicatur.

Secundò dicunt, Scripturam præcipere, vt Sanctos honoremus & laudemus. Reſpondeo, hoc nos non negare, eſt enim quaſi naturale præmium virtutis honor: & Eccleſiaſticus dicit 44. cap. de Sanctis, ſapientiam eorum narrent populi, & laudem eorum nuntient Eccleſiæ. At non inde ſequitur, Sanctos canonizandos, hoc eſt, cultus illos Idololatricos, quorum modò meminimus, in eorum honorem inſtituendos, qui in Pontificia canonizatione eis decernuntur. Quaſi Scriptura genus tantùm tradat (Sanctos eſſe honorandos) nobis verò liberum relinquat excogitare qualeſcunque cultus: & quaſi omnia, quæcunque ſint & quomodocunque fiant, modò fingantur in honorem Sanctorum fieri, Deo placeant, etiamſi honor ſoli Deo debitus, ad Sanctos transferatur. Honorandi ſunt à nobis Sancti Dei Serui, verùm non eo modo quo à Pontificiis honorantur & coluntur, ſed vt Sacræ Literæ præcipiunt. Hoc pacto Smyrnenſis Eccleſia honorauit & coluit Polycarpum Martyrem. Cùm enim Ethnici dicerent Smyrnenſes reliquiſſe ſuum Crucifixum Chriſtum, & eius loca iam Polycarpum colere, hanc ignominiam ita diluunt: Chriſtum, aiunt, nunquam poſſumus deſerere, quippe qui Mortem pro totius mundi Salute ſuſtinuit. Addunt, Non poſſumus alium quenquam colere, quoniam ſolum Deum, & qui ſolus colendus ſit nouimus. Quomodo ergò Polycarpum & alios Sanctos honorarunt & coluerunt? Ad hoc ita reſpondent Martyres, vt Domini Diſcipulos veneramur ac diligimus, veluti eos qui Magiſtro ac Domino fidem ſeruarunt, optamúſque in fide & conſtantia illorum fieri conſortes. Denique

Sancti quomodo à nobis colendi.

causam

cauſam ſubiiciunt ob quam Polycarpi oſſa collegerint: non equidem vt precioſis thecis includerent, & publicè honorarent, ſed vt ex more conderent & ſepelirent. *Auguſtinus etiam contra Fauſtum Manichæum egregiè docet, quomodo Sancti à nobis ſint honorandi & colendi.* Colimus, *inquit*, Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, *&c. Et mox:* At illo cultu qui Grecè λατρεία dicitur, nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deum. *Quum autem ad hunc cultum pertineat Oblatio Sacrificij, vnde Idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Sancto Angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. Ipſi enim Sancti vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt, &c. De Ciuit. Dei cap. 10. id ipſum ſignificantiùs docet: Nos, inquit, Martyribus noſtris non templa, ſicut Diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed vni Deo & Martyrum & noſtro Sacrificium immolamus: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui ſacrificat inuocantur, &c. Quibus vtique longè alia ratio docetur honorandi Sanctos, quàm ea quæ in Canonizationibus Pontificiis obſeruatur.*

3. *Tertiò, probant & defendunt Canonizationes ex ratione imitationis.* Sancti, *inquiunt*, ſunt exempla quædam virtutum, quæ imitari nos conuenit. At non poſſumus accendi ad imitationem, niſi ſciamus qui ſint imitandi, quid illi egerint aut paſſi ſint: id quod fit per Canonizationem. *Reſpondeo, Spiritum S. ob oculos poſuiſſe nobis in Verbo Dei eos, quorum virtutes imitari debemus, vt hac in parte Demonſtratore & Doctore Pontifice Rom. opus non habeamus, qui plerunque in ſuis Canonizationibus Idololatras & Superſtitioſos homines ad imitandum proponit. Deinde, ſi in Deificationibus iſtis Papiſticis virtutes tantùm vitæ Sanctorum recitarentur, & ad imitationem proponerentur, ferri aliquo modo illæ poſſent. At hoc non fit, ſed ſimul eis quoque decernuntur Diuini honores, videlicet templa & aræ: inuocatio: ſacrificia: dies feſti: reliquiarum etiam veneratio & cultus.*

4. *Quartò, probant ex coniunctione, quam cum Sanctis mortuis habemus.* Sumus, *aiunt*, membra vnius corporis, & membra inuicem compatiuntur & congaudent: oportet ergò eos nobis compati, & pro nobis ſolicitos eſſe: & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum gloria Deo gratias agere: ſed hæc ſine particulari notitia fieri non poſſunt. *Hîc quæro à Ieſuitis, vndénam ſit (ſi eſt aliqua) illa Sanctorum in cælis compaſſio & ſolicitudo pro nobis? Si dicant ex canonizatione, vt in hoc argumento velle dicere videntur, ſequitur non canonizatos nobis non compati, nec pro nobis ſolicitos eſſe: at contrarium docent aliis in locis. Deinde quantùm ad nos, ſi propterea Sancti canonizandi ſunt, vt illis congaudere poſſimus, & pro illorum gloria Deo gratias agere, ſequeretur omnes homines qui moriuntur in vera fide, & regni cæleſtis hæredes ſiunt, canonizandos eſſe, hoc enim officium cunctis Fidelibus præſtare tenemur. Vnde intelligitur rationem hanc nullam eſſe.*

Vltimò, probant ex incommodis: niſi enim iudicio Eccleſiæ certi Sancti proponerentur colendi, facilè fieri poſſet, vt populus ſæpè erraret, & damnatos pro Beatis coleret. *Reſpondeo, idem periculum metuendum, etiamſi quis à Pontifice Rom. canonizetur. Poſſem nominare quàm plurimos Canonizatos, qui in terris Idololatræ, Verbi Dei hoſtes, & ſuperſtitionibus horrendis dediti fuerunt: & tamen coluntur, adorantur, inuocantur, &c. quum de illorum Beatitudine non immeritò dubitetur. Obiiciunt quidem hîc Ieſuitæ rationes aliquas, quibus probare nituntur, Pontificem non errare in Sanctorum Canonizationibus, ſed ita elumbes & frigidas, vt reſponſione non ſint dignæ.* 5.

Cuius ſit Sanctos Canonizare.

Sanctitatem aliquam homini impartiri, nullius hominis, ſed ſolius Dei opus eſt, habere etiam aut iudicare aliquem pro Sancto non in hominum arbitrio, quos ſæpè falli & decipi ſcimus, ſed in Spiritus Sancti iudicio poſitum eſt, quod in Verbo Dei expreſſum habemus. Multò minus licet cuiquam Diuinos honores mortali alicui tribuere & decernere.

Sanctitatem alicui impertiri Dei opus eſt.

Hanc tamen Poteſtatem audaci & ſacrilego conatu homines ad ſe rapuerunt, & ſibi vendicarunt. Fecerunt hoc primò Epiſcopi, qui in ſuis Prouinciis & Diœceſibus quos voluerunt Sanctos pronuntiarunt, & colendos decreuerunt, qui tamen aliis prouinciis penitùs ignoti fuerunt. Sic canonizauit Vualpurgam Abbatiſſam Heydenheimenſem Odogerus Epiſcopus Eichſtadienſis, circa annum Domini 870. Surio & Molano teſtibus. Alij alias.

Canonizationes Sanctorum vendicarunt primò ſibi Epiſcopi, dein Pontifices Rom.

Sequuti ſunt Pontifices Romani Alexander III. & Innocentius III. qui canonizationes ſibi ſolis vendicarunt, & prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coleretur, ſine Romani Pontificis

tificis approbatione, vt patet ex lib. 3. Decretal. tit. 45. c. 1. Audiuimus. Item extrà de reliquiis & Veneratione Sanctorum cap. 1. & 2. extrà de Teſtamento venerabili. Referunt etiam Durandus in Rationali lib. 7. cap. 1. Baleus, Panthaleon, Cranzius in Metropoli libro 1. cap. 25. Prætenderunt illi quidem abuſus & errores qui circa particulares iſtas Canonizationes interdum acciderunt ſic vt ſæpè Damnatos pro Beatis coluerint, ſed ſpe lucri maximi, quod inde ad Papas redit, hoc ab eis factum, dubitare nemo debet. Similiter Pontifices Maximi apud Ethnicos ſoli ſolebant decreta facere de conſtituendis Religionibus, De Feriis, de Diis, &c. teſte Gellio lib. 2. cap. 28. Lege quoque apud Romanos ſancitum erat, ne quis pro Deo coleretur, qui non à Senatu Romano canonizatus & in numerum Deorum relatus eſſet. Vnde quum Tiberius Cæſar ad Senatum retuliſſet, cum prærogatiua ſuffragij ſui, vt Chriſtus pro Deo reciperetur, Senatus hanc vnam ob cauſam id reſpuit, quòd ipſe non primò ante Imperatorem ea de re appellatus eſſet. Auentinus libro 2. Annal. & Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 4. Marſilius igitur Patauinus in Defenſore Pacis parte 2. cap. 21. cenſet authoritatem canonizandi Sanctos ſoli Concilio generali Fidelium committendam.

CAPVT VII.

De Vigiliis Feſtorum.

Vigiliæ Feſtorum vnde originem traxerint.

APOSTOLORVM *temporibus, & aliquandiu poſt ea, quum Chriſtianis propter inſidias & perſecutiones aſſiduas Tyrannorum & Hoſtium Religionis interdiu vix prodire liceret in publicum, non niſi noctu & antelucanis horis ad Sacra ſua peragenda conuenerunt, ſicut ex Plinij ſecundi epiſtolis, & Scriptoribus Eccleſiaſticis intelligitur. Fuit & hoc vſitatum pluribus in locis in prima illa Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora, vt etiam extra perſecutionis metum, tota Paſchali hebdomada, præſertim verò nocte præcedente Dominicam Reſurrectionis, in templis publicè vigilarent & ieiunarent. Sic enim Tertullianus lib. 2. ad vxorem ſcribit:* Quis Solennibus Paſchæ abnoctantem vxorem ſecurus ſuſtinebit? *Et Euſebius de Vita Conſtantini lib. 4. refert*, Conſtantinum Paſchales illas peruigilationes ornaſſe lampadibus, & accendiſſe per totam vrbem columnas ſeu moles cereorum. *Ex Nazianz. etiam Oratione in S. Paſcha apparet, noctem eam ante diem Reſurrectionis, peruigilem totam fuiſſe Chriſtianis, luminibus vbique & publicè & priuatim accenſis. Et Ambroſius Serm. 60. in Paſchate, inquit*, Ieiunauimus Sabbatho, Vigilias celebrauimus, & Orationibus perconctanter inſtitimus. *Rursùs Vigiliarum Paſcha meminit Euſebius in hiſtoria Narciſci Hieroſolymitani Epiſcopi, de quo ſcribit lib. 6. cap. 9.* quòd in Vigiliis Paſchatis, deficiente oleo, oratione impetrarit, vt aqua infuſa lampadibus, ad præbendam lucem facta fuerit idonea.

Ex his verò conſuetudinibus & ritibus originem poſteris ætatibus ſumſerunt Vigiliæ & Ieiunia in profeſtis magnarum Solennitatum ad templa & cœmeteria, in publicis congreſſibus tàm mulierum quàm virorum. Theodoretus in Tripartita hiſt. lib. 5. cap. 32. Vigiliarum ad ſepulchra Martyrum Authores facit apud Antiochenos Flauianum & Diodorum. Iſti (*inquit, Flauianus & Diodorus Antiocheni*) Diuinos amatores ad ſepulchra Martyrum prouocantes, Vigilias celebrabant, cum illis Deum laudantes. Hæc Leontius (*Antiochenus Epiſcopus*) intuens prohibere quidem iudicauit inconſultum, quum videret multitudinem valdè viris illis optimè adhærere. Sed vtens manſuetudine verborum, poſcebat ab eis, vt has Feſtiuitates in Eccleſiis potiùs celebrarent. Et illi quidem quod iubebatur egerunt & Amatores ſuos ad Eccleſias congregarunt, vt alacriter Deum concordi voce laudarent. *Ad quæ verba B. Rhenanus in margine libri annotat*, ſic multa in Eccleſiam introducta eſſe. *Facta hæc ſunt circa annum Chriſti 375. tempore Gratiani Imp.*

Vigiliæ nocturnæ mulieribus interdictæ.

Sed quia hæc nocturna Sacra multorum ſcelerum cauſa progreſſu temporis eſſe cœperant, idcò acceſſus ad ea mulieribus interdicitur Canone 35. Elibertini Concilij, vbi ita præcipitur: Placuit prohibere, ne fœminæ in cœmeterio peruigilent, eò quòd ſæpè ſub obtentu Orationis ſcelera latenter committantur. *Extat quoque Conſtantij conſtitutio libro 16. integri Theodoſiani Codicis, vt aboleantur Nocturna Sacrificia, Magnentio Authore permiſſa. Vigilantius etiam ob eandem cauſam has excubias maximè omnium impugnauit, publicèque execratus eſt. Contrà verò Hieronymus grauiter repugnabat, argumentans paucorum culpam Religioni damno eſſe non debere: quia qui peccarent Vigilando in templis, poſſent etiam in ſuis vel alienis domibus eadem facere.*

Vigiliæ abolitæ & in earum locum huiuſmodi in profeſtis inſtituta.

Sed tamen res ſubinde in peiùs ruit, ſic vt in his conuentibus nocturnis Pueri Puellæque amores iam licentiùs meditarentur, Iuuenes palàm ſtuprum offerrent, Senes lenocinium facerent: & Matronæ paſſim corrumpi minùs erubeſcerent vt Polydorus Vergilius ſcribit lib. 6. cap. 4. Quum itaque domus Dei hoc modo facta eſſet ſpelunca latronum, id eſt, ſtupratorum & adulterorum, ne id malum latiùs ſerperet,

Digitized by Google

peret, tandem aliquando inſtituerunt Veteres loco Vigiliarum Ieiunia huius diei cuiúſque Feſti celebrioris: manſit tamen Vigiliarum id eſt officÿ nomen huiuſmodi Ieiuniis, quæ æquè obſeruantur ac Quadrageſimalia. Tale remedium datum eſt creſcenti huic morbo, poſt tempora Hieronymi, qui obiit anno reparatæ Salutis 420. Polydorus ibidem. De hoc Mantuanus ita canit lib 1. Faſt.

> Quòd noſtri in templis ataui Vigilare ſolebant,
> Excubiáſque pati Solennia mane ſequenti
> Feſta recepturi: morem noua ſuſtulit ætas.
> Nam quia nox ſceleri ſolet eſſe occaſio, & illud
> Obſeruant qui furta volunt committere tempus
> Ieiunare diem viſum eſt ſapientiùs illam
> Quæ præit, & clauſo noctem dormire cubili.

Et Innocentius III. circa annos demùm 1210. Vigiliis Apoſtolorum ieiunandum eſſe populo Chriſtiano præcepit, præterquam in Ioannis, Philippi & Barnabæ, pro quibus Rogationum diebus ieiunare poßit, vt habetur in Chronico Æditui.

Ethnici quoque habuerunt Vigilias, ſed honeſti viri illas damnarunt.

Ethnici quoque ſuas Vigilias & Sacra nocturna habuerunt, quæ tamen ob impudicitiam & omnis generis libidines in iis perpetratas omnes honeſti viri damnarunt. In templis Iſidis & Æſculapÿ frequenter fuiſſe dicuntur Nocturnæ Vigiliæ: ſed propter quas dici de illis potuiſſet, quod de Adonidis templo aliquandò dictum fuit, ὐδὲν ἱερὸν. Apud Plautum in Aulularia Lyconides adoleſcens Filiam Euclionis in Cereris Vigiliis vitiaſſe dicitur. Sed & apud Euripidem in Bacchis Pentheus, quum audiret Orgia Sacra noctu celebrari, grauiter exclamat, id & vitioſum eſſe, & mulieribus periculoſum.

Pentheus.

> Τῦτ' εἰς γυναῖκας δόλιόν ἐςι καὶ σαθρόν.

Eupolis.

Quare & Eupolis vetus Poëta Comicus in ſuis Baptis nocturna illa Athenienſium Sacra, quæ Cotyttia dicebantur, quo minùs damnaret, ne mortis quidem periculo adduci potuit. Olim quoque apud Myenem vrbem τῶν θεῶν Μειλιχιῶν nocturna Sacra fuiſſe accepimus. Romulus etiam quum pro ſua prudentia intelligeret, nullam eſſe tàm caſtam religionem, quàm hominum libido atque impudicitia non contaminet, ſi & adſint latebræ, & abſit pudor, rectiſſimè ſapientiſſiméque legem tulit, NE VIGILIÆ nocturnæ in templo Romæ haberentur. Nam quum ſuos ciues ſæpè conuenire vellet Religionis cauſa, & hos tamen cœtus congreſſúſque virorum atque mulierum caſtos eſſe optaret, noluit in templis locum eſſe latendi, ne tandem ea eſſent luſtra aut lupanaria magis quàm templa. Imò etiam arcanas Bacchi initiationes ſummouit. Sic enim Dionyſius ſcribit grauiter eum damnaſſe Διαπανυχισμὸς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξὶν, καὶ τὰς βακχείας & τελετὰς ἀπῤῥήτους. Hanc ſi Romani legem, qua oportebat & diligentia, & ſeueritate, perpetuò ſeruaſſent, non contaminaſſet ſua libidine Sacra Bonæ Deæ Clodius: non irrepſiſſent in vrbem nocturna illa nefandáque Bacchanalia, quæ vix tandem ab vrbe condita annis 568. ſublata ſunt grauiſſimo Senatus conſulto referente ſapientiſſimo Conſule Sp. Poſthumio Albino. Neque verò id M. Tullius in ſuis legibus omiſit. Vidit enim quàm Reipub. intereſſet, diligenter ſeruari, quod Romulus initiò ſanxerat. Sic itaque & ipſe ſtatuit: NOCTVRNA mulierum ſacrificia ne ſunto, præter illa, quæ pro populo ritè fiant. Néue quem initianto, niſi, vt aſſolet, Cereri, Græco ſacro. Sed audiamus & eius, & Attici hac de re quam ſubiecit diſputationem, atque iudicium. Extat enim apud eum libro ſecundo de Legibus, his verbis: M. At verò quod ſequitur, quomodo aut tu aſſentiare, aut ego reprehendam, ſanè quæro Tite? A. Quid tandem id eſt? M. De Nocturnis Sacrificiis mulierum. A. Ego verò aſſentior, excepto præſertim in ipſa lege ſolenni Sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidæque veſtri, & auguſta illa Myſteria, ſiquidem Sacra nocturna tollimus? non enim Populo Romano, ſed omnibus bonis firmíſque populis leges damus. A. Excipis credo illa, quibus ipſi initiati ſumus. M. Ego verò excipiam: nam multi cùm multa eximia diuináque videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vitam hominum attuliſſe: tùm nihil meliùs illis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati ſumus: Initiáque, vt appellantur, ita reuera principia vitæ cognouimus. Neque ſolùm cum lætitia viuendi rationem accepimus, ſed etiam cum meliore ſpe moriendi. Quid autem mihi diſpliceat in Nocturnis, Poëtæ indicant Comici. Qua licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille, qui in Sacrificium cogitatam libidinem intulit, quò ne imprudentiam quidem oculorum adiici fas fuit? A. Tu verò iſtam Romæ legem rogato: nobis noſtras ne ademeris. M. Ad noſtra igitur reuertor, quibus profectò diligentiſſimè ſanciendum eſt, vt mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat: initientúrque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere ſeueritatem maiorum Senatus vetus authoritas, de Bacchanalibus, & Conſulum exercitu adhibito, quæſtio, animaduerſióque declarat. Atque omnia Nocturna (ne nos duriores fortè videamur) in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua ſuſtulit. Nouos verò Deos, & in his colendis Nocturnas Peruigilationes ſic Ariſtophanes faceti ſſimus Poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alÿ Dÿ de peregrinis iudicati, de ciuitate eÿciantur. Hæc ille.

Cicero.

Romulus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De DOMINICA Die, & eius Antiquitate.

Dominica dies antiquiſſima.

DOminicam Diem mox poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem, & quidem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe nemini dubium eſſe debet. Habemus enim ea de re teſtimonia non obſcura ſcripturæ. Actor. 20. cap. dicitur, Diſcipulos conueniſſe τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων vna Sabbathorum, ad frangendum Panem. Et Paulus. 1. Corinth. 16. cap. ſcribit, vt vnaquaque die Sabbathorum quiſque apud ſe recondat, &c. Vbi omnes interpretes per VNAM SABBATHORVM diem Dominicam intelligunt Sic Marci vltimo dicitur, Mulieres ad monumentum Chriſti veniſſe ſummo mane: μιᾷ σαββάτων vna die Sabbathorum. Et quia non habetur VNA SABBATHI, ſed VNA SABBATHORVM, ne quis intelligeret fortè vnum aliquem dierum Paſchalium, quod Paulus à Middelburg. Foroſempronienſis Epiſcopus lib. 1. de die Paſſionis Domini cap. 2. fecit, quòd multùm intereſſe putauit dicere, VNA Sabbathi, & VNA Sabbathorum, quòd vna Sabbathi ſignificet primam ſeptimanæ diem poſt Sabbathum, ſed eo ſenſu non poſſe exponi vnam Sabbathorum: idcircò Marcus Euangeliſta ſeipſum & reliquos quaſi declarat & interpretatur, verſu 9. dicens, Reſurrexiſſe Ieſum manè πρώτῃ σαββάτου prima die Sabbathi, hoc eſt, ſeptimanæ, ſeu prima die poſt Sabbathum Paſchæ. Dicitur autem dies Dominica VNA Sabbathi, id eſt, prima dies hebdomadis, phraſi Hebraica, qua vnum accipitur pro primo, & Sabbathum pro hebdomade, vt Hieronymus aduerſus Vigilantium ſignificauit. Deinde Apoſtolus & Euangeliſta Ioannes in Apocalyp. cap. 1. diſertè mentionem facit τῆς κυριακῆς ἡμέρας Dominicæ diei. Et quia expreſſe addit articulum præpoſitiuum, non de quauis die (ſunt enim omnes dies Domini) ſed de certa aliqua, & quidem de illa tantùm loquitur quæ nobis adhuc hodiè eſt religioſa ac celebris.

Explicatur locus Marc. 16

Dies Dominica cur vna Sabbathi dicatur.

Poſt tempora autem Apoſtolorum vetuſtiſſimi etiam Authores diei Dominicæ, & conuentuum quos Chriſtiani in ea celebrarunt, mentionem ſubindè faciunt. Iuſtinus Martyr in Apologia 2. ſcribit, die Solis, id eſt, die Dominica Chriſtianos ſolitos fuiſſe ad Sacrificium Euchariſtiæ conuenire. Meminit eius etiam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus in fragmento epiſtolæ ad Romanos, quod extat apud Euſeb. lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. in quo inquit: Sanctam hodiè Dominicam diem peregimus, &c. Vixit ſub Vero & Commodo Imp. circa annos Chriſti 174. Tertullianus quoque, qui vicinus fuit valdè Apoſtolorum temporibus, in libris ſuis paſſim diei Dominicæ meminit: & in libro de Idololatria, inter Chriſtianorum Solennitates primo loco numerat Dominicam diem, & ait, Chriſtianis octauo quoque die Feſtum vel ſolennitatem eſſe.

Cur Chriſtiani Sabbathi Iudaici loco Diem Dominicam obſeruent.

HAnc autem diem Dominicam Apoſtoli in locum reiecti Sabbathi Iudaici ſubſtituerunt & ordinarunt, in qua ipſi ſuos cœtus & conuentus Eccleſiaſticos celebrarunt: PRIMÒ, Ne viderentur Iudaiſmo, & Iudaicis ceremoniis, vel potiùs ſuperſtitionibus aſtricti & alligati: & ſic teſtarentur ſimul abrogationem Moſaicorum Feſtorum, libertatémque Chriſtianam. Hanc rationem affert Ignatius, qui Apoſtolorum ætatem mox eſt conſecutus, in epiſtola ad Magneſios. Vnde in Laodiceno Concilio quoque, quod celebratum eſt poſt mortem Iouiniani Imp. circa annos Domini 364. ſancitur can. 20. Non oportere Iudaizare Chriſtianos, & in Sabbatho vacare, ſed potiùs operari in eadem die, Dominicam præponendo Sabbatho. Quòd ſi inuenti fuerint Sabbathum Iudæorum obſeruantes, anathemate ibidem feriuntur. SECVNDÒ, quòd die Solis, vt Mathematici Dominicam vocant, Deus mundum creauit. TERTIÒ, quòd Chriſtus hac die à mortuis reſurrexit, & redemptionem humani generis perfecit, & ſic in gloriam regni Noui Teſtamenti intrauit. Has duas rationes Iuſtinus profert Apologia 2. Et poſteriorem Auguſtinus quoque reddit epiſt. 119. vbi inquit: Dies Dominicus Chriſtianis Reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo cœpit habere Feſtiuitatem ſuam. Idem etiam teſtatur de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 30. Et De verbis Apoſtoli Serm. 15. Domini, ait, Reſuſcitatio promiſit nobis Æternum diem, & conſecrauit nobis Dominicum diem, qui Dominicus vocatur, quia eo Dominus reſurrexit. Maximus Taurinenſis Epiſcopus homilia 3. de Pentecoſte indicat, Dominicum diem ideò ſolennem eſſe, quia in eo Saluator velut Sol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce Reſurrectionis emicuerit. In hiſtoria quoque Tripartita lib. 1. cap. 9. Sozomenus refert, Conſtantinum Imp. honoraſſe Dominicum diem, quia in eo Chriſtus reſurrexiſſet à mortuis. Hugo in Pſal. 119. Patres, ait, Veteris Teſtamenti hebdomadi, id

eſt, ſeptenario ſeruiebant, obſeruantes Septimam diem, Septimam ſeptimanam, Septimum menſem, Septimum annum decadis, qui dicitur Iubilæus; Patres verò Noui Teſtamenti Ogdoadi ſeruiunt, id eſt, Octonario, ſeruantes Octauam diem, id eſt, Dominicam, ob reuerentiam Dominicæ Reſurrectionis, & Miſſionis Spiritus ſancti. QVARTÒ, *Cælius Rhodig. lib. 7. cap. 42. Antiq. Lect. Sabbathi loco Chriſtianos diem Solis, vt Mathematici vocant, colere, eúmque Domino adſcripſiſſe, dicauiſſéque, & illius cultui totum mancipaſſe prima Eccleſiæ Fideles ſcribit, quòd nulla magis re imaginari præpotentis, ac vniuerſa ſupereminentis Chriſti Maieſtatem congruentiùs poſſimus, quàm per ſplendidiſſimum Solis lumen. Nam ſcriptum eſt*, Et in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Et exiit de tribu Iuda, cuius ſignum Leo eſt, ſolare animal. *Sed & in Repub. Plato viſibilem Filium Dei Solem dixit, quem nos intelligimus Imaginem inuiſibilis Filij, qui Lux vera, illuminans omnem mentem, expreſſiùs habet ſimulachrum Solem hunc, qui Lux, eſt imaginaria, illuminans omne corpus.*

Dominicæ diei libera fuit obſeruatio.

Etſi verò ex his conſtet, Dominicum diem iam tùm Apoſtolorum temporibus Iudaici Sabbathi loco Solennem fuiſſe, non inuenitur tamen vel Apoſtolos, vel alios lege aliqua & præcepto obſeruationem eius inſtituiſſe: ſed illam fuiſſe liberam inde colligitur, quòd non ſolùm Dominica die, ſed Quarta etiam & Sexta feria Eccleſiaſticos conuentus celebrarunt, vt Auguſtinus & Epiphanius indicant. Et Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſt. libro 5. cap. 22. de diuerſa Paſchatis, aliorúmque rituum obſeruatione prolixè diſputans, clarè inquit: Nemo Apoſtolorum quicquam de illo (Paſchatis feſto) ſanciuit. Et paulò antè: Nuſquàm, ait Apoſtolus, nec ipſa Euangelia, iugum ſeruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: ſed Paſchatis feſtum, & alios dies Feſtos, ipſi homines ſuis quique locis propter remiſſionem laborum, & memoriam Salutiferæ Paſſionis, ſicuti voluerunt ex conſuetudine celebrarunt. Neque Seruator hoc, aut Apoſtoli, nobis lege aliqua obſeruandum eſſe mandarunt. Quod propterea repeto, vt videas, quam in primitiua Eccleſia ipſius quoque Dominicæ diei obſeruatio, nulla certa lege præcepta, ſed libera fuerit, quàm iniquè Antichriſtus cum Eccleſia Chriſti poſterioribus ſeculis egerit, qui Feſta plurima non in honorem Chriſti, ſed Sanctorum mortuorum inſtituta, ſumma deuotione Chriſtianis colenda obtruſit, pro quibus etiamnùm hodiè Ieſuitæ, tanquam pro aris & focis, depugnant.

Conſtantinus M.

Conſtantinus Magnus Chriſtum verâ fide amplexus obſeruationem & ſanctificationem huius Diei primus ſanciuit: noua enim lege diuulgata indixit, vt per vniuerſum orbem terrarum omnes Dominicam diem celebrarent & venerarentur, vt Euſebius indicat in vita eius libro quarto, & Sozomenus libro primo, capite octauo. Quod etiam ſequentes ipſum Imperatores fecerunt.

Dominica n diem primò lege præcepit.

Cur Chriſtiani Primitiuæ Eccleſiæ ſuum Sabbathum Dominicam diem appellarint: vbi & de nominibus dierum Septimanæ apud Chriſtianos.

Iudæi dies hebdomadæ per ſabbatha computarunt.

IVdæi dies Septimanæ Sabbathorum nominibus computarunt: diem enim Septimam, qua ab omni opere, iuxta præceptum Domini, quieuerunt, Sabbathum: proximam ſequentem, quæ nobis Dominica eſt, primam Sabbathi, vel vnam Sabbathi, aut Sabbathorum, & ſic deinceps nominarunt. Non quòd omnes Sabbathorum, hoc eſt, Requietionum dies eſſe potuerint: ſed quòd à Requietionum die, quæ ſuo nomine & cultu ſingularis excellebat, prima Sabbathi, vel Secunda Sabbathi aut Sabbathorum, vel Tertia, vel cætera ſuo quæque cenſerentur ex ordine, vt Beda teſtatur lib. de Natura rerum cap. 2. Verùm ne hæc quidem ratio ab initio obſeruata fuit in populo Dei, ſed, vt Philaſtrius in libro de Hæreſibus teſtatur, dierum numerus, Primus, Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, Sextus, Septimus, à Deo primò appellatus fuit.

Ethnici diebus hebdomadæ planetarum nomina impoſuerunt.

Gentiles autem quum obſeruationem hebdomadæ vel à Iudæis vel à Chriſtianis didiciſſent, mox hanc in laudem ſuorum deflexere Deorum: primam diem Soli, ſecundam Lunæ, tertiam Marti, quartam Mercurio, quintam Ioui ſextam Veneri, ſeptimam Saturno conſecrantes: qua de re plura alio loco diximus.

Chriſtiani ab initio ſeptimanæ dies etiam per ſabbatha computarunt, Sylueſter autem Papa per ferias computare iuſſit.

Iudaicam dierum hebdomadæ computationem per Sabbatha Chriſtiani diu retinuerant, imò Epiphanius adhac dies ſic numerat. Sylueſter autem Rom. Pontifex huius nominis primus, nec Iudæos, nec Gentiles imitari volens, ſtatuit vt dies hebdomadæ, ad numerum FERIARVM *digererentur, vocarentúrque Prima, Secunda, Tertia, Quarta, &c. feria, ad eum propè modum, quo apud Hebræos dies appellatione Sabbathorum diſtincti erant, niſi quod nomina ſunt diuerſa. Saturni verò diem antiquo legis vocabulo Sabbatham, & Primam feriam, quæ in locum diei Solis ſubiecta fuerat, Dominicam appellari voluit: idque feciſſe dicitur rogatu Conſtantini M. vt Durandus in Rationali libro 7. cap. 1. & Polydorus Vergilius libro 6. cap. 5. de Inuent. rerum indicant. Gyraldus in libro de Annis & Menſibus ex*

Nicephori

Nicephori quadam Oratione & Politiano, hoc inuentum Conſtantino M. ſoli tribuit, ſimul tamen refert, virum multæ lectionis & diligentiæ Bedam hoc Syluestro aſcribere.

Metaphraſtis error

Quòd autem Simeon Metaphraſtes apud Aloyſium Lippomanem & Laur. Surium tomo 6. de Vitis Sanctarum indicat, Syluestri inuentum eſſe, vt Primus dies hebdomadis Dominicus nominaretur, falſum eſt: iam antea enim hic dies Domino ſacratus erat, & Ioannes in Apocalypſi expreſſe Dominica diei mentionem facit: Credibile autem iſtud inſtitutum fortè hoc temporis minùs ſeruatum Conſtantinum & Syluestrum per hunc modum innouare voluiſſe.

Prima dies hebdomadæ cur Dominica dicatur.

Cæterùm quòd diem hanc non Ieſu, vel Chriſti, aut ſimili nomine, ſed Domini ſeu Dominicam diem appellarunt, factum eſt in Chriſti Domini noſtri honorem, vel vt refricaretur memoria rerum ab ipſo hac die geſtarum: vnde Auguſtinus dicit, De verbis Apoſtoli Serm. 15. Dominicus hic dies idcircò dicitur, quia eo die Dominus reſurrexit: vel vt ipſo nomine docerent illum totum Domino conſecratum eſſe debere. *Ob has cauſas ipſæ ædes quoque, in quibus ſacri cogebantur cœtus* DOMINICA *veteribus dici cœperunt. Nam B. Rhenanus, diligentiſſimus vetuſtatis Indagator, in ſuis ad Euſebij Eccleſiaſticam Hiſtoriam Scholiis*, Primi, *ait*, illi Chriſtiani templa in honorem Chriſti Domini erecta DOMINICA appellabant, in quibus Precum, Sacrarum Lectionum, Euchariſtiæque cauſa conueniebatur. Erat autem apud veteres DOMINI vocabulum paulò frequentiùs quàm Chriſti, iuxta conſuetudinem Apoſtolicam, & ſolennem Euangelicæ hiſtoriæ modum. Proinde, quoniam Dominum ſemper habebant in ore, etiam ipſa loca, in quibus propter Dominum coibant appellarunt DOMINICA. Vnde Germani etiamnùm Epiſcopalia templa, quæ certè Primaria ſunt, & reliquis Antiquiora Dom̃ vocant, & illorum Canonicos Dom̃herren. *Hæc Rhenanus. Pari ratione & diei primæ hebdomadis hoc nominis inditum videtur.*

Dies ſeptimanæ cur Feriæ dicantur.

FERIAS *autem dies ſeptimanæ nominarunt, à Feriando: quia toto tempore à vitiis feriari debemus, non quòd ſit à neceſſariis vitæ operibus feriandum. Vel dicuntur à Fando, id eſt, loquendo: quoniam, ſicut legitur Geneſ. 1. Dominus dixit & facta ſunt. Durandi Ration. lib. 7. cap. 1. Ethnici dies illos quibus feriabantur, & nullum opus fieri licebat, vocarunt* Ferias, *à feriendis victimis, quæ tunc immolabantur: vel à ferendis epulis, quæ cùm maximè ex pecorum frugúmque prouentibus fiebant. Polydorus libro ſexto, cap. quinto.*

Hæc autem dierum ratio ſic à Syluestro I. inſtituta, hodiè in rebus diuinis tantùm locum habet, aliàs nomina priſtina Ethnicorum Deorum recuperarunt. Pudendum autem eſt, ſimúlque dolendum, Deos Gentium inter Chriſtianos, & quidem Euangelicos tàm memorabile monimentum habere. Vnde non immeritò Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, non ſpernendæ eruditionis Præſul, cuius & honorificè in Epiſtolis ab Auguſtino facta eſt mentio, in eo libro quem de Hæreſibus ſcripſit, hanc quoque conſuetudinem pro hæreſi habendam eſſe putauit. Eundem errorem damnauit etiam Diuus Auguſtinus in Pſalmum nonageſimum tertium.

Non eſſe Ieiunandum diebus Dominicis.

NOn eſſe Ieiunandum Dominicis diebus ex Ignatij epiſtola ad Philadelphianos intelligitur. Vbi tamen nimis violenter contrà doctrinam Apoſtolorum, & libertatem Chriſtianam in hæc verba erumpit: Quicunque Dominicam & Sabbathum (*hic aliqui interponunt* NON, *ſed in Græco non extat, nec conuenit cum ſententia eius*) Ieiunauerit, præter vnum Sabbathum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti Interfector. *Quæ tamen planè ſuppoſititia eſſe videntur. Nam Tertullianus in libro de Corona militis teſtatur quidem, quòd ſua ætate ieiunium Dominico die nefas duxerint: fatetur tamen veteres hoc obſeruaſſe ſine vllo Scripturæ teſtimonio, ſolius traditionis titulo & conſuetudinis patrocinio. Meltiades autem Papa circa annum Chriſti 313. hoc lege primùm conſtituit, quòd eo die Ethnici & Manichæi Hæretici deuotè ieiunarent. Sic enim ad Hiſpaniarum Epiſcopos inter alia ſcribit:* Ieiunium Dominicæ diei, & Quintæ feriæ nemo Celebrare debet, vt inter Ieiunium Chriſtianorum & Gentilium, veraciter credentium, & infidelium, atque hæreticorum vera, & non falſa diſcretio habeatur. *Diſtin. 3. de Conſecr. c. Ieiunium. Sequutum eſt Gangrenſe Concilium circa annum Chriſti 324. celebratum, in cuius can. 18. ita ſancitur:* Si quis, tanquam hoc continentiæ conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit, aut in eiuſdem diei contemptum, Anathema ſit. *Diſt. 30. Si quis, tanquam. In Carthaginenſi 4. Concilio habito anno 401. iuxta Proſperum, iuxta Marianum autem 418. can. 64. præcipitur,* Vt Dominico die Ieiunans, non credatur Catholicus. *In Cæſarauguſtana Synodo anno 517. in Hiſpaniis habita ca. 2. ſancitur*, Ne quis Ieiunet die Dominica cauſa temporis (*de Conſec. diſt. 3. Ne quis, timoris, legitur*) aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis, &c. *Diſtinct. 30. c. ſi quis Presbyter. Ex Concilio quodam*

Martini Papæ huiuſmodi Canon contra Manichæorum ſuperſtitionem citatur : Si quis Preſbyter, propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, abſque aliqua neceſſitate die Dominica pro quadam religione ieiunauerit, ſicut Manichæi, Anathema ſit. *Epiphanius quoque tom.1.lib.3.hæreſi* 75. *indicat*, diem Dominicam à ieiunio exceptam fuiſſe in ipſa etiam Quadrageſima: *quod etiam teſtatur in Compendiaria via de fide Catholica. Idque poſteà lege ſancitum fuit in Agathenſi Synodo cap.*12.

Die Dominica non Flexis Genibus orandum.

A*Pud Veteres quoque Chriſtianos diebus Dominicis nefas erat de Geniculis adorare: hoc eſt, non licebat Flexis Genibus, ſed ſtando precari, vt teſtatur Tertullianus in libro De Corona militis. Ad quem locum B. Rhenanus,* Hodiè, *inquit*, hoc tantùm fit ad lectionem Sacroſancti Euangelij, item in veſpertino Sacro-paſchalis hebdomadæ, ex vetuſtate relictum. Geniculari in adorando velut pœnitentis eſt. Qui ſtans adorat, tanquam iam veniam conſequutus, gratias agit. *Hæc ille. Quia ergò Chriſtus ſua Reſurrectione, in cuius memoriam Dominica dies celebratur, vicit mortem, ideò inſtitutum fuit à Veteribus hac die hilari animo gratias pro tanto beneficio agere Domino. Fatetur tamen Tertullianus citato loco*, Chriſtianis hoc in more fuiſſe ſine vllo Scripturæ Sacræ loco, ex ſola traditione & conſuetudine, *Vnde apparet qua fide dignum ſit, quòd diſt.* 30. *c. Si quis Presbyter. ex Concilio quodam Martini Papæ canon citatur, in quo indicatur*, ab Apoſtolis traditum eſſe, vt per omnes Dominicas, & per omnes dies Paſchæ vſque ad Pentecoſten, non proſternant ſe in oratione causâ humilitatis : ſed recto vultu ad Dominum fungantur orationis officio, quòd in his diebus gaudium Reſurrectionis Dominicæ celebretur. *In Concilio autem Niceno* 1. *can.* 20. *primò ſancitum eſt lege*, vt Dominica die non Genua Flectentes, ſed Stantes ad orationem, vota Domino reddant. *De Conſecr. diſtin.* 3. *Quoniam ſunt. Et repetitur in generali Concilio Conſtantinop.* 6. *cap.* 90. *ſed eſt vnus, vt multi alij huius Synodi, ex ſuppoſititiis canonibus. Meminit huius ritus etiam Hilarius in Pſalmos : Ambroſius Sermone* 62. *& Auguſtinus epiſt.* 119. *cap.* 15. *Alexandri III. quoque hac de re lib.*2. *Decretal. tit.* 9. *c.* 2. *Quoniam in parte huiuſmodi decretum extat :* Diebus Dominicis & aliis præcipuis Feſtiuitatibus, ſiue inter Paſcha & Pentecoſten, Genuum flexio nequaquam fieri debet, niſi aliquis ex deuotione id velit facere in ſecreto, &c. *Ex quo intelligimus poſt huius demùm Pontificis tempora, qui Pontificiam ſedem occupauit, anno Chriſti* 1160. *hunc ritum ceſſaſſe.*

Dominica die Proceſſiones habendæ.

A*Gapetus Papa circa annum Chriſti* 585. *decreuit*, vt diebus Dominicis Proceſſiones in Eccleſiis fierent. *Balæus in eius vita. Caranza in Marginalibus annotationibus ad Epitome Conciliorum fol.*194.

IANVARIVS.

Feſta & Memoriæ Sanctorum quę menſe IANVARIO à Chriſtianis celebrantur: vbi primò de CALENDIS IANVARIIS & CIRCVMCISIONIS Feſto.

Circumciſionis Feſtum recens eſt

CIRCVMCISIONIS *Feſtum admodùm videtur eſſe recens. Nam non ſolùm Veteres Patres eius mentionem nullam faciunt, ſed ne Iſidorus quidem, Micrologus, Amalarius, Rabanus, Vualfridus, & Straba, qui deſcribunt officia omnium Feſtorum. In Conſtitutionibus etiam Caroli M. & Synodi Moguntinæ de Feſtis, Circumciſionis nulla fit mentio, ſed eius loco* OCTAVÆ *Natiuitatis Chriſti : quemadmodum & in ſequentibus Canonibus Synodorum*, Calendarum Ianuariarum. *Iuo Carnotenſis, qui floruit circa annos Domini* 1090. *& S. Bernardus qui claruit anno* 1140. *Sermones habent de ipſo Feſto Circumciſionis, adeóque illi primi ſunt, quod ego quidem ſciam, qui eius meminerunt. Poſteà in Concilio Oxonienſi anno Do.* 1222. *& Vniuerſali Lugdunenſi anno Chriſti* 1244. *celebrato, in Catalogo feſtorum per anni circulum ſeruandorum, primò quoque ponitur. Maximi quidem Taurinenſis Epiſcopi, qui circa annum Domini* 450. *claruit, quædam homilia hunc inſcriptum habet titulum*, In Circumciſione Domini : *ſed quia mox ſequitur*, Siue de Calendis Ianuarij, *videtur prior illa inſcriptio à recentioribus addita. Nam Circumciſionis mentio nulla fit per totam homiliam.*

Calendæ Ian. à Priſcis Chriſtianis celebratæ.

Certum tamen eſt iam olim in Veteri Eccleſia Calendas Ianuarias *à Chriſtianis obſeruatas fuiſſe, & in Chriſtianum Feſtum commutatas, ſic tamen vt ritus & ſuperſtitiones Ethnicas, hoc die vſitatas, non abiecerint, ſed retinuerint potiùs, & poſteris ſuis etiam quaſi per manus tradiderint. Omnes enim illæ ſuperſtitiones Ethnicæ, quas lib. de Feſtis Ethnicorum in Calendis Ianuar. commemorauimus,*

& olim

Digitized by Google

& olim hoc die ſunt obſeruata à Chriſtianis, & etiamnùm hodiè pertinaciter obſeruantur à nobis. Calendæ Ian. Ethnico more à Chriſtianis celebrantur. *Diſcurrunt námque noctu tam ſenes quàm iuuenes promiſcui ſexus, cantantes præ foribus diuitum, quibus felicem annum cantando precantur & optant. Hoc autem quum noctu fiat, nemini dubium eſſe debet, quin ſub hoc prætextu multa obſcœna & turpia perpetrentur ſimul. Eadem nocte plurimi menſam varij generis epulis parant & ornant, putantes ſe per totum anni ſpacium talem ciborum abundantiam habituros. Alij poculum plenum aqua vel vino in menſa ponunt, quòd ſi exundet, & vltra margines poculi intumeſcat, Fertilitatem: ſin minùs, Caritatem eius anni ominantur: quam conſuetudinem D. Hieronymus lib. 18. in Iſaiam indicat, veterem fuiſſe Idololatriam apud Ethnicos in cunctis vrbibus, maximè verò in Ægypto, & Alexandria. Totus dies per omnes vrbes, vicos & compita, compotationibus comeſſationibúſque, non ſolùm in publicis, ſed etiam priuatis ædibus conſumitur, non ſine choreis ſaltationibúſque impudiciſſimis. Bonifacius Germanorum Apoſtolus ad Zachariam Papam ſcripſit, veniſſe ad ſe, qui dixerint, ſe vidiſſe annis ſingulis in ipſa vrbe Roma, & iuxta Eccleſiam S. Petri in die noctéque Calendarum Ianuar. Paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes Sacrilegas celebrare, menſáſque illa die vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo ſua ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle: nec id Zacharias negauit.*

Strenas quoque vltrò citróque mittimus, & Dulciariis nos mutuò honoramus, quæ nos vocamus [illegible] & [illegible].

Ab hoc deniquе Circumciſionis feſto vſque ad Quadrageſima Ieiunium, perſonæ induuntur & veſtium mutationes fiunt, viciníque ad vicinos hac ratione commeant, turpi inſaniendi bacchandíque ſtudio. Quam veſtium mutationem nos Germani hodie noſtra lingua Mum[illegible] *vocamus, à Latina voce mutare. Iis etiam, qui ita laruati vicinos ſuos ſalutant, ocilla & oſcilla ſecum deferunt, & ita pecuniam extorquent: quod nos vernaculo ſermone* ein vmbſ[illegible] *appellamus. Hoc prorsùs fit ad imitationem ludorum Sigillariorum, Oſcillariorum & Occillatorum, qui pars erant Saturnaliorum, & circa menſem Ianuarium paſſim in domibus priuatim, non publicè, exercebantur inter familias: Macrobio, Polydoro lib. 5. cap. 2. Lazio lib. 10. cap. 10. de Repub. Romana, & Langio epiſtola 61. teſtibus.*

De his ritibus & conſuetudinibus Thomas Naogeorgus libro 4. Regni Papiſtici ita cecinit:

Poſt caſis Iani tribuuntur dona Calendis,
Atque etiam ſtrenæ charis mittuntur Amicis:
Coniugibúſque viri donant, gnatíſque Parentes,
Et Domini famulis, anni felixque precantur
Principium gentis Pagano more togatæ.
Debita nemo petit totis his octo diebus,
Selectíſque onerant dapibus menſáſque focúmque.
Panéque veſcuntur miro, magníſque placentis.
Ludunt, compotant, ineunt conuiuia læti:
Vt ſi fortaſſis cœpto moriantur in anno,
Se tamen explerint prius, antiquámque nouarint
Hoc modo amicitiam.

Et ſic quidem annum veterem terminamus, nouúmque auſpicamur, inauſpicatis prorsùs diriſque auſpiciis. Adeóque bellè Gregorij M. conſilio paremus, qui Paganorum Feſta ſenſim in Chriſtiana Feſta commutanda, & quadam ad ſimilitudinem facienda eſſe voluit, lib. 9. ca. 71.

Multa autem in huiuſmodi ſuperſtitiones ſcripſit Tertullianus in libro de Idololatria, aliíque graues authores. Ritus quibus vtuntur Chriſtiani in Calen. Ian. damnati. *Maximus Taurinenſis Epiſcopus, in illa homilia quam in Circumciſione Domini, ſiue de Calendis Ianuariis habuit, Chriſtianos ab his ludis Bacchantium Ethnico more ſeriò dehortatur: & morem iſtum vt prorsùm hominibus, nedum Chriſtianis indignum grauiter reprehendit & inſectatur. Cauſa 16. quæſt. 7. citatur locus ex Auguſtino, in quo præcipitur*, ne obſeruentur Calendæ Ianuarij: in quibus cantilenæ quædam, & comeſſationes, & ad inuicem dona donentur, quaſi in principio anni, boni fati augurij: nam qui hæc obſeruet, magis ad ſui damnationem, quàm ad ſalutem tendere. *Eadem de re Conſtantinopolitani Concilij ſexti Canon. 62. ſic habet:* Calendas quæ dicuntur, & vota Brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Martij menſis die fit, conuentum ex Fidelium ciuitate omninò tolli volumus: ſed & publicas mulierum Saltationes multam noxam exitiúmque afferentes: qui etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Græcos Dij nominati ſunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt Saltationes ac Myſteria more antiquo & à vita Chriſtiana alieno, amandamus & expellimus, ſtatuentes vt nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conueniente. Sed neque comicas vel ſatyricas, vel tragicas perſonas induat, néque execrandi Bacchi nomen, &c. *In Turonenſi Synodo 2. ſtatuitur ca. 23.* ne pro Chriſtianis habeantur, qui Calendas Ianuarij colant. *In Synodo Antiſiodorenſi, anno 614. celebrata, ſancitur ca.* 1. non licere Calendis Ianuariis vecolo aut ceruolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſeruare: ſed illo

die ſic omnia præſtanda, vt etiam reliquis diebus. *Bonifacius ille, de qua anteà, petit à Zacharia Papa, vt huiuſmadi ritus Calendarum Ianuar. Roma aboleantur, quo extera nationes quoque faciliùs in officia cantineantur. Zacharias ergò conuocata Synada anna 742. tale decretum fuit:* Si quis Calendas Ianuarias, & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut menſas cum dapibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos, & plateas cantiones, & choros ducere præſumpſerit, quod magna iniquitas eſt coram Deo, Anathema ſit. 26. q. 7. *Polydarus Vergilius etiam canſuetudinem hanc induendi perſonas, & mutandi veſtes grauiſſimè inſectatur lib. 5. cap. 2. de Inuent.* Noſtri, *inquit*, morem induendi perſonas ad imitationem Ethnicorum non vno vel altero die, nec Sacrorum cauſa, ſed turpi inſaniendi ſtudio, duos continuos Menſes ante Quadrageſimæ initium, ſtolidè ſeruant, ſub quibus inueterata iam laſciuiendi licentia, ſexcenta flagitia quotidiè faciunt, & illud impunè: perinde quaſi eo modo cuique liceat eſſe ſcelerato, nihilúe maleficij credatur committi, ſi vera hominis facies non videatur, perinde ac ſi non pateamus etiam Deo, quem nemo ambigit, fandi atque nefandi iuſtum eſſe Iudicem, qui & improbos pœna & probos præmio ſemper afficiat. Vna omnium regionum Anglia eiuſmodi perſonatas belluas hactenus non vidit, nec quidem vult videre, quando apud Anglos, in re hac præ aliis, certè ſapientiores, lex eſt, vt capitale ſit, ſi quis perſonas induerit. *Hac ille. Apud Rom. etiam infame fuit, fæminam pro mare, vel marem pro fæmina laſciuè ſe gerere. L. veſtis. §. muliebria, & ſeq. ff. de auro & arg. leg. cuius quidem legis Cammentatares nannulli tradunt, eos infames qui ſic ſe veſtiant. Athen. iſtiuſmodi γυναικώδεις & Euiratas homines appellarunt* Batalos, *ab abſcœno quodam Tibicine & hiſtrione, cui nomen Batalus: qui primus ſandaliis & veſtimentis muliebribus in ſcenam prodiit. Galli retinent adhuc iſtud nomen, & vocant Bateleurs. Batali meminit Plut. in vita Demoſth. & Suidas, qui ſcripſit, βαταλίζεσθαι eſſe μαλακῶς & αἰσχρῶς διάγειν, molliter ac turpiter viuere. Rothomagenſes miſerabiliter anno 1430. combuſſerunt Fæminam armis viri Indutam: quod etiam probibet Deus cap. 22. Deuter.*

2. MACARIVS, *cuius memaria celebratur 4. Non. Ianuar. Monachus fuit Scythia: qui quum pulicem ſe pungentem occidiſſet, & ſanguis exiſſet, ſeipſum accuſans, quàd propriam iniuriam vindicaſſet, nudus ſex menſes propterea in deſerto manſit, vbi tandem à Crabronibus laceratus è vita exceſſit hoc die. Iacobus de Varagine Legenda 18. & Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 35. de Sanctis.*

ANTHERVS *Papa 20. occiditur ſub Maximino Imp. & ſepelitur in cæmiterio Caliſti via Appia 3. Non. Ianuarij. Platina & alij.* 3.

GENOFEVA *Virgo Pariſienſis eodem die à Canciuibus ſuis colitur, ob multa miracula quibus patriam à plurimis periculis liberauit, idque ex inſtitutione Innocentij Papa, vt Iacobus de Varagine Legenda 113. indicat, non tamen quotus hic Innacentius fuerit refert. Pingitur cum candela in manu & Dæmonia ad pedes ligato: nugantur enim, quòd duo cerei in manu eius accenſi ſiut: & quòd plures obſeſſos à Dæmonio, oratione & crucis ſignacula emundarit.*

DANIELIS *Leuita & Martyris feſtum 3. Non. Ianuar. quoque celebratur à Patauinis, non quòd eo die occiſus, ſed corpus eius inuentum ſit. Petrus de Natalibus lib. 2. ca. 40.*

PRISCVS *Presbyter, Priſcillianus & Benedicta Roma ſub Iuliana Apoſtata comprehenſi, gladio occiſi ſunt prid. Non. Ian. & propterea earum memoria hoc die celebratur. Pet. de Natalibus lib. 2. cap. 42.* 4.

TELESPHORVS *Epiſcopus Romanus 9. Nanis Ianuarij colitur quòd eo die ſub Antanino Imp. Martyria coronatus & ſepultus eſſet in Vaticano iuxta B. Petri corpus. Pet. de Nat. lib. 2. cap 46.*

SIMEON *Stylites, qui annis quadraginta, haud procul ab Antiochia, in columna duodecim, paſteà verò 40. cubitorum, inſtar cicaniarum, vixit, hac ipſa die hanoratur Feſta, quòd tunc in ſuo illo nida expiraſſet. Vide hiſtoriam apud Euagrium lib. 1. cap. 13. Metaphraſtem, Lippomanem, Surium & Pet. de Natal. lib. 2. cap. 45.* 5.

EPIPHANIA. 6.

EPiphaniæ *vocabulum Græcum eſt, Latinis* Apparitionem *ſeu* Manifeſtationem *ſignificat. Nomen eſt autem Feſti, cuius primò mentionem faciunt Nazianzenus Oratione in ſancta lumina, & Chryſoſtomus de S. Philogonio, quocunque tandem tempore cœperit. Græci autem Ægyptij Feſtum hac ſic nominarunt ab ea, quàd per Baptiſmum mundo Chriſtus manifeſtatus eſſet. Quia verò Natiuitatem Domini & Baptiſmum eadem die factum putarunt, idcircò vtrámque feſtiuitatem vno & eodem ſimul die ſalenni celebrarunt: quemadmadum indicatur in argumenta Epiſtalarum Theophili, libris Paſchalibus præfixo, per Caſſianum Scytham. Sic enim ibi dicitur:* Intrà Ægypti regionem mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracta Epiphaniarum die, quam prouinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici Baptiſmi,

Epiphaniæ etymon.

Natiuitas Chriſti & Epiphania à Græcis ſimul celebrata

ptiſmi, vel ſecundùm carnem Natiuitatis eſſe definiunt: &c. *Et Friſingenſis lib 7. cap.* 32. Græci, *inquit*, Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas Feſtiuitates vnam faciunt. *In Occiduis autem Eccleſiis Natiuitatis Chriſti & Epiphaniarum duæ diſtincta ſemper fuerunt Feſtiuitates, vt in eodem argumento Epiſtolarum Theophili oſtenditur & Durandus etiam teſtatur in Rationali lib 6. cap. 16. Et quidem tertiadecima die à Natiuitate Chriſti Epiphania celebratur ab Occidentalibus, propter triplicem Chriſti apparitionem hac die factam: vnde & in antiquis libris dies Epiphaniarum ſemper pluraliter legitur: atque ideò etiam triplici nomine inſignitur, ſcilicet* Epiphania, Theophania & Bethphania.

In Occiduis Eccleſiis Natiuitas Chriſti & Epiphania diuerſa ſunt Feſta.

Epiphania quid. Epiphania *dicitur, quantùm ad illam apparitionem Domini, quæ facta eſt Magis per ſtellam. Inſcriptio Orationis ſecundæ Nazianzeni in Sancta Epiphaniarum lumina, etiam* τῶν φώτων ἑορτὴν, *id eſt* Luminarium diem *idem Feſtum appellatum fuiſſe indicat, fortaſsis propter lumina vbique in eo accenſa, in memoriam eius ſtellæ quæ Magis in Oriente apparuit.*

Theophania quid. Secunda apparitio fuit eadem die in Baptiſmo, multis tamen à Natiuitate annis euolutis, ſcilicet die 13. triceſimi vel triceſimi primi anni. Et dicitur Theophania, *quia ibi Trinitas apparuit: Pater in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in columba.*

Bethphania quid. Tertiam apparitionem factam volunt anno à Baptiſmo Chriſti euoluto, quum eſſet 30. annorum, & 13. dierum, quando nimirùm ſe manifeſtauit vel declarauit eſſe Deum per mutationem aquæ in vinum. Hæc apparitio dicitur Bethphania, *quia facta fuit in domo quum eſſet in nuptiis. De his tribus Apparitionibus fit Solennitas hac die. Durandus in Rationali lib.6.cap.16.*

Phagiphania quid. Additur à quibuſdam huius Feſti quartum nomen Phagiphaniæ, *quòd hoc ipſo die quinque millia hominum quinque panibus ſatiauit, vt refert Iacobus de Voragine in Legenda aurea ex Beda, & hymno illo qui in multis Eccleſiis cantatur, & incipit, Illuminans altiſsimus. Dubitatur autem an hac die ediderit Chriſtus hoc miraculum, tùm quòd in originali Bedæ non ſic expreſſè legitur: tùm quòd Ioannes cap.6. vbi hoc miraculum deſcribit, dicit: Erat autem in propinquo Paſcha.*

Epiphaniæ origo. *Fuit autem hæc dies apud Romanos celebris olim in honorem Auguſti Cæſaris, propter Parthiam, Ægyptum & Mediam debellatam, & Romano imperio additam. Hanc ergo ſolennitatem in meliùs Eccleſia commutare volens, Epiphaniarum Feſtum in eius locum inſtituit. Durandi Rationale lib.6.cap.16.*

De Magis & Stella quæ eis apparuit in Natiuitate Chriſti.

QVum Epiphaniarum Solennitas celebretur inter alias cauſas, in memoriam Apparitionis ſeu Manifeſtationis Chriſti per ſtellam Magis factæ, non contra inſtitutum noſtrum erit indicare, quinam hi Magi fuerint, vnde venerint, & quæ aut qualis illa ſtella ſit quæ eis apparuit, quum res hæc tota fabuloſis & ſtolidis Monachorum & ſimilium narrationibus valdè obſcurata ſit: earum tamen aliquas referam, vt iſtius generis hominum audacia & ſtupiditas cognoſcatur.

Matthæus Euangeliſta eos, quibus ſtella in Oriente apparuit, Μάγους *Magos vocat. Eſt id Perſicum Vocabulum, quo peculiare ſapientiſsimorum hominum genus, ipſo quoque Cicerone de Diuinatione teſte, appellatum fuit, qui & augurandi & diuinandi ſcientia inſtructi, non ſolùm Religionem curarunt, ſed etiam Regibus à conſiliis fuerunt. Teſtatur hoc quoque Porphyrius*: Magus, *inquit*, Perſarum lingua idem ſignificat quod apud nos altiſſimarum rerum interpretes & Cultor. *Diogenes etiam Laertius ſcripſit*: Magos Deorum cultui inſiſtere, preces illis, vota & ſacrificia (quaſi ſoli ab iis exaudiantur) offerre: de Deorum ſubſtantia ac generatione aſſerere, diuinationem prædicationémque exercere, ſibi Deos apparere aſſerentes. *Plato in Alcibiade priore dicit*, Magos Perſarum fuiſſe Sapientiſſimos. *Et Strabo lib. 16. teſtatur*, Magos id fuiſſe apud Perſas, quod apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Græcos Philoſophi, apud Latinos Sapientes, apud Gallos Druydæ, apud Aſſyrios Chaldæi. *Vnde Bap. Mantuanus lib 1. de Feſtis ſic canit.*

Magus qui.

Ille penes Perſas Magus eſt, qui ſidera norit,
Qui ſciat herbarum vires, cultúmque Deorum:
Perſepoli facit iſta Magos prudentia triplex.

Officij igitur & Dignitatis nomine, quam apud ſuam Gentem habebant, eos appellat Euangeliſta, non ab illudendo, vt quidam volunt, quòd Herodem illuſerint, non redeuntes ad eum. Chryſoſtomus putat ſic eos nominatos, quòd fuerint Malefici: ſic enim Magi Pharaonis dicuntur etiam. Equidem negari non poteſt, in tantùm progreſſu temporis auctam Perſicorum Magorum vanitatem, vt non ſolùm obſeruatione ſyderum futura prædicerent, ſed artibus quibuſdam, & maleficiis & ſcire ſe omnia, & facere poſſe profiterentur. An verò hi Magi tales fuerint, affirmare pro certo non poſſum. Si fuerunt, admiranda eſt Dei bonitas, qui Chriſto vix dùm nato, tam procul (vt Theodoretus loquitur) Diaboli Vates ad ſui adorationem

 euocauit,

euocauit, & Gentium primitias ex ipſis inferorum penetralibus liberauit, idque per extraordinarium prorsùs Præconem, nouum videlicet ſydus.

Quicquid ſit, illud tamen hinc iam conſtare puta, Magos hos non fuiſſe REGES, ſicut temerè omninò, & falsò iam diu creditum fuit in orbe Chriſtiana. Teſtatur id etiam deſcriptio horum Magorum ab Euangeliſta facta, quæ certè nihil dignitatis Regiæ præ ſe fert. Adhæc non regiè ab Herode vocantur: mittuntur ab Herode, ac demùm inſidiis eius elabuntur. Adde, quòd iſtos, ſi Reges fuiſſent, & ab Arſacidis tunc Perſidis regione potitis, miſsi, non ita facilè admiſiſſet Herodes Parthorum hoſtis iuratus. Denique hiſtoria ſacra id non tacuiſſet. Vnde Bap. Mantuanus lib. de Sacris ſic canit:

Magi qui cum ſtella in Natiuitate Chriſti apparuit, non fuerunt Reges.

Nec Reges, vt opinor, erant: nec enim tacuiſſent.
Hiſtoriæ ſacræ Authores: genus iſtud honoris
Inter mortales quo non ſublimius vllum.
Adde quod Herodes vt magnificentia Regum
Poſtulat, hoſpitibus tantis Regale dediſſet
Hoſpitium, ſecúmque Lares duxiſſet in amplos.

Error autem ex ſiniſtro intellectu Pſalmi 72. eſt exortus, in cuius verſu 10. ſic legitur: Reges Tharſis & Inſularum munera offerent: Reges Arabiæ & Saba dona adducent. Hæc autem de ſpirituali regno Chriſti debent intelligi, ad quod Reges quóque acceſſuri ſint, vt Eccleſiæ nutritij fiant. Deinde ad Magos hos referunt, quos ab Oriente veniſſe Matthæus disertè dicit, quũ Pſalmus hic de Regibus Occidentis & Meridiei loquitur. Tharſis enim Iudææ reſpectu ad Occidentem ſpectat, Saba verò ad Meridiem.

Deinde verò veterũ hanc eſſe traditionem Eccleſiæ volunt: quod probare conantur ex Tertulliano, Auguſtino, Hilario, Hieronymo, & recentibus aliis nonnullis Scriptoribus. Etſi verò his opponere poſſemus non minoris authoritatis Patres, Chryſoſtomum, Theodoretum, Cyprianum, Nyſſenum & Cyrillum, qui ne verbo quidem Regiæ illius Maieſtatis mentionem faciunt, etiam vbi hanc hiſtoriam diligenter pertractãt: tamen inſpiciamus loca, quæ ex Patribus ab aduerſariis citantur, & illorum ſtupiditatem atque malitiam mox deprehendemus. Tertullianus in libro contra Iudæos, verba illius Pſalmi huc applicans, inquit: Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retrò deputabatur. Hîc verò bis hallucinatur Tertullianus. Primò quòd Magos hos ex Arabia, atque adeò Damaſco Iudææ admodum vicina regione fuiſſe putat, qui tamen ex Perſia aduenerunt. Deinde, quòd Orientem Magos ferè habuiſſe dicit. Nam Magos quidem in maxima authoritate apud Perſarum Reges fuiſſe, nemo negabit. Cicero lib. 1. de Diuinit. dicit, Nullum Perſarum Regem eſſe potuiſſe, qui non antè Magorum diſciplinam ſcientiámque percepiſſet. Adhæc ſine auctoritate & conſilio Magorum ne ipſis quidem Regibus quicquam agere licebat: Magos autem propterea dictos fuiſſe Reges aut habitos pro Regibus, nullo teſtimonio probari poterit. Et ſi maximè ſcripſerit hæc obiter Tertull. locum illum Pſalmi detorquens, non tamen ſequitur propterea Eccleſiæ fuiſſe traditionem.

Tertulliani lapſus.

Hilarius autem locum Iſaiæ 45. cum altero illo Pſal. 72. comparat quidem, ſed ita, vt iſtos minimè Reges fuiſſe dicat. In eo autem manifeſtè errauit, quòd laborem Ægypti partim allegoricè de Magia interpretatur, partim de itinere à Magis confecto in Bethleem intelligit: nam Ægyptus non fuit ad Orientem, ſed ad Meridiem Iudææ ſita. Hieronymus etiam in Pſal. 72. non dicit eos fuiſſe Reges, ſed Regum typos, qui ſecundum illam prophetiam ex regionibus iſtis ad Chriſti cognitionem ſint acceſſuri. In Auguſt. autem loco citando ſuam iſti homines ſtupiditatem & inſcitiam produnt. Sic enim legitur in eius libro 3. de Mirabilibus Scripturæ, cap. 4. Magi Hieroſolymam venerunt, inde, ineuntis Iſraelitarum oraculis Vatum de eodem nato vbi naſcendi locum acciperet, monente ſubdoloſo ſermone Reges alacres eunt. Quis enim non animaduertat corruptam & deprauatam eſſe lectionem, ſtudióne an ſecus incertum eſt, & monente ſub doloſo ſermone Regis (Herodis videlicet) vel vt in multis exemplaribus habetur, monẽte ſubdoloſo ſermone Rege (ſcilicet Herode) alacres eunt, legendum eſſe? Videtur igitur Ioan. Molano, & ipſi Pontificio cap. 57. de Picturis, receptam hanc opinionem de Magis iſtis primùm obtinuiſſe ex his quæ die Epiphaniarum in Eccleſiaſtico officio canuntur ex Pſalmis, Reges Tharſis & Inſulæ munera afferent, &c. quæ tamen ipſe quóque, vt nos ſuprà, interpretatur: & adducit Lindanum, qui dicit, Authores Veteres, qui Magos hos Reges eſſe ſcripſerint, probabilibus tantùm coniecturis, non hiſtoriæ authoritate innixos.

Hilarij error.

Auguſtini locus corruptus.

Ex hac autem vana perſuaſione natum eſt, vt Feſtum hoc vulgò Trium Regum Solennitas diceretur. Tres enim fuiſſe inde colligunt, quòd tres munerum ſpecies à Matthæo deſcribuntur, Aurum, thus, & Myrrha. Egregia certè ratio, qua probabitur iuſtum exercitum ſecum habuiſſe Abigaelem, quum obuiam iret Dauidi, eíque offerret ducentos panes, duos vtres vini, quinque arietes, quinque ſata polentæ, centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum. Non autem quid ſinguli, ſed quid illi ſimul omnes Chriſto obtulerint, ab Euangeliſta narratur. Quidam ex Veteribus quatuordecim illos fuiſſe aſſeuerarunt: quod tamen ipsũ quóque

Epiphania cur vulgò Feſtum trium Regum dicatur.

nulla

nulla certa ratione nititur. Numerus eorum incertus eſt.

Magorum nomina ficta.

Verumenimverò non hic ſubſiſtit illorum hominum impudentia, quin nomina quoque Magorum commenti ſunt, quæ Hebraicè dicantur Appellius, Amerius, Damaſcus: *Græcè,* Galgalath, Magalath, Sarachin: *Latinè,* Caſpar, Balthaſar, Melchior, *vt refert Iacobus de Voragine in Legenda 14. Et vt nihil deeſſet ad impiam prophanationem, mos etiam iſte verè magicus inoleuit, vt fictis his Caſpari, Balthaſaris, & Melchioris nominibus, cum crucis ſigno ter repetito, pura charta vel pergameno inſcriptis & collo appenſis, quoſuis morbos, ſcilicet, depellant.*

Magi venerunt ex Perſia.

Veniſſe autem eos ex Perſia Chryſoſtomus apertè teſtatur. Et proinde falſum eſt, quod dicunt ex Tharſi, Arabia & Saba veniſſe: quod figmentum ſuprà quoque refutatum eſt. Falſum eſt etiam, quod tertium ex his Magis Æthiopem eſſe dixerunt, propter Sabam nimirùm; quæ Æthiopiæ ſedes Regia olim fuit. Probant hoc etiam picturæ paulò vetuſtiores, & Colonienſes recentiores quoque, in quibus omnes tres candidi pinguntur, Ioan. Molana de Picturis teſte. Volunt denique nonnulli veniſſe eos ex Vrbe Suſa, in qua Academia fuit liberalibus ſtudiis celeberrima, itinere ducentorum & triginta milliarium.

Chriſtus reuelatus Magis in Perſia per ſtellam.

Quomodo autem, & qua ratione Chriſtus Magis his in Perſia, longiſſimo itinere diſtantes à Iudæa reuelatus fuerit, illi ipſi indicant, quando apud Matthæum Stellæ *mentionem faciunt, quam viderint in Oriente, & ab eadem illos poſteà Bethlehemum vſque deductos fuiſſe Euangeliſta teſtatur.*

Stella quæ Magis in Perſia apparuit, qualis fuerit.

Quæritur hic primò quæ, aut qualis hæc Stella fuerit? Aſtrologi reſpondent, Stellam fuiſſe primam, hoc eſt, cæleſtem à ſolis Magis & Sapientibus obſeruatam: quod etiam Chryſoſtomus innuere videtur, quum dicit, Stellam hanc ab omnibus viſam fuiſſe, ſed non ab omnibus intellectam. Aſſerunt porrò Aſtrologi fuiſſe hanc Stellam conſtellationem quandam ſyderalem, hoc eſt, plurium ſtellarum concurſum & congreſſum, puta, ſuperiorum Planetarum, Saturni videlicet ac Iouis conuentum. Huiuſmodi autem coniunctiones, rarò admodùm contingentes, ſi in capite Zodiaci, vel in principio alicuius triplicitatis acciderint, ſignificare putantur, iuxta Aſtrologorum doctrinam maximas in mundo alterationes, & non ſolùm regnorum mutationes, ſed & nouos hominum conuentus, nouas religionum ac ceremoniarum leges portendere. Sic coniunctio illa Saturni & Iouis quæ anno Chriſti 1500. accidit, nouos illorum ſacrorũ ritus ab Hyſmaële Sophi inductos, & reformationem paulò poſt in Eccleſia Chriſti factam, nec non morbum illum contagioſum, medicis antea incognitum, quem alij Gallicum, alij Hiſpanicum morbum vocant, ſignificaſſe creditur. Alij non cæleſtem Stellam ſed elementarem fuiſſe arbitrantur, ex genere Cometarum vel impreſſionum ignitarum, quas in aëre nonnunquam apparentes Aſtrologi Stellas ſecundas *vocant. Sed Sydus Nouum & Extraordinarium fuiſſe tota narratio declarat. Nam ſi fuiſſet Stella aliqua ex iis quæ in firmamento fixæ ſunt, aut aliàs ſuas in ſuperiori mundi parte certas periodos habent, anteà quoque conſpecta eſſet tot ſeculis, iam à mundi initio elapſis. Deinde differt proprietatibus ab aliis Stellis. Primo loco: nam in aëre, & quidem regione eius inferiori ſeu propinqua apparet. Demonſtrat etiam Magis iter, ac teſtatur Matthæus, quòd ſuprà eam domum conſiſterit, ac indicis certiſſimi vice fuerit, vbi Puer Ieſus tùm egit. Aliæ Stellæ naturales propter ingentem à terris diſtantiam, non poſſunt aliquam domum ita exactè oſtendere. Secundò, motu. Nam cæteræ ſtellæ ſuum habent motum, à quo non aberrant. Cometæ quòque ſequuntur illud ſydus, à quo maximè excitati & accenſi ſunt, & tandem plerùmque ad Septentrionem feruntur. Hæc autem Stella accomodat ſe Magis iter facientibus, non celeriùs properat, non tardiùs ſubſequitur: non declinat à certa via, ſed quaſi fax quadam ratione prædita Magis prælucet, ac deducit ad eum ipſum locum, quò tendunt: monſtrat eum, quem toto pectore videre cupiunt. Tertiò, reliquæ ſtellæ noctu tantùm fulgent, interdiu radiis ſolis oppreſſæ latitant. At hæc Stella nihil obfuſcatur Solis radiis, ſed interdiu lucem clariſſimam fundit, quum Magis Dux viæ fuerit. Quartò, ſignificatione. Nam nulla alia Stella, præter hanc, ſignificauit vnquam Meſſiam promiſſum eſſe natum. Eadem cauſæ probant, hanc ſtellam non fuiſſe quoddam Meteoron, aut impreſſionem aliquam ignitam, in aëre temerè generatam. Nam ea citò diſparent, aut alios habent motus ac ſignificationes. Non temerè igitur à Chryſoſtomo in caput 2. Matthæi affirmatur, conſentaneum eſſe, quandam inuiſibilem virtutem in ſpecie ſyderis figuratam, ſeu, vt paulò poſt loquitur, virtutem quandam plenam rationis fuiſſe. Talia enim ſunt huius Stellæ opera, vt nonnulli non inconuenienter exiſtimarint, Angelum ſtellæ ſpecie, iuſſu Diuino Magis præluxiſſe. Teſtantur enim Hiſtoriæ Sacræ, aliàs quòque Angelos flammarum ſpecie conſpectos fuiſſe: hæc ſententia eſt Chryſoſtomi. Alij dicunt, non fuiſſe impoſſibile Omnipotenti Deo, & Authori totius machinæ mundi; in honorem Filij ſui Ieſu Chriſti nouam Stellam condere, eique peculiare hoc officium demandare, vt hoc pacto Magos ad Meſſiam deduceret: eóque peracto, eam poſteà rurſùs ſubtrahere, & in præiacentem materiam conuertere. Nonnulli Spiritum Sanctum fuiſſe volunt, qui iam in ſpecie ignis*

apparuerit,

apparuerit, ſicut poſteà in forma columbæ. Has ſententias enumerat Auguſtinus lib. 3. de Mirabilibus Scripturæ cap. 4. Remigius in Originali, & Iacobus de Voragine Legenda 14.

Stella quæ apparuit Magos, vt docuerit eos natum Chriſtũ.

Hæc verò muta Stella docere per ſe Magos hos tantum myſterium non potuit, ſed acceßiſſe aliud oportuit, quo ad tantum ſuſcipiendum iter, & rem tam inuidioſam tanto feruore perſequendam impellerentur, prophetiam videlicet Bileami, vetuſtißimi & celeberrimi totius Orientis Magi. Eius Prophetiæ verba ſunt, Orietur Stella ex Iacob, *Num. 24. quæ vſque adcò cum Magorum percontatione congruunt, vt eò prorsùs reſpexiſſe videantur. Ac refert ſanè Iacobus de Voragine, & Petrus de Nata. cap. 47. lib. 2. Magos Perſidis elegiſſe ex ſeipſis duodecim, qui per ſingulos annos aſcenderint montem Victorialem, & tribus diebus ibi commorantes ſeſe lauiſſe, & oraſſe Deum, vt ſibi Stellam, de qua Bileam prædixerat, oſtenderet. In die igitur Natiuitatis Domini, dum iidem ſic ibi manerent, Stellam ad eos veniſſe, quæ habuerit formam pulcherrimi Pueri, ſuper cuius capite Crux ſplenduerit, & Magos ſic alloquutam eſſe,* Ite velociùs in terram Iuda, & ibidem Regem quem quæritis inuenietis. *Sed & Danielis olim apud Magos ſcripta dubium non eſt, quin fuerint pretioſa, ac fortaßis etiam accuratiùs quàm apud ipſos Iudæos obſeruata, in quibus doctrinam de Meßia ſumma fide & dexteritate tradidit, additis etiam quibuſdã præſagiis, quo tempore expectandus ille eſſet. Suetonius etiam in ſuo Veſpaſiano, & Tacitus referunt, in toto Oriente veterem & conſtantem opinionem fuiſſe, in Fatis eſſe, vt ex Iudæa oriundi rerum potirentur. Turpiter igitur ſeipſos fallunt Aſtrologi, quando Magos hos per Aſtrologiam in Chriſti natiuitatis cognitionem perueniſſe volunt, & inde ſuæ vanitatis & audaciæ prophanæ patrocinium captant. Nam Magi huius artis ductu in Chriſti cognitionem non venerunt, quam circa ſtellas naturales & earum motum ordinarium verſari ſcimus. Iſtam verò quæ Magos deduxit, non vulgarem fuiſſe probauimus: quemadmodum & illud, quòd muta hæc ſtella tantum myſterium per ſe Magos docere non potuerit.*

Aſtrologorum error.

Stellam quando primò viderint Magi.

De tempore etiam, quandò primùm hæc Stella exorta ſit, & Magi Bethleem peruenerint, an tempore puerperij, vel quoto tempore poſt quæritur? Epiphanius lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 51. aſſerit, ſecundo Natiuitatis anno Magos Chriſtum viſitaſſe: idque ex Herodis facto, qui Bimulos interfecit. Vſitata opinio eſt, decimo tertio die poſt Natiuitatem Chriſti Magos aduenisse. Vnde etiam die 13. à Natiuitate Domini hoc feſtum Epiphaniarum celebratur. Si quæras, qui fieri potuerit, vt in tam paruo tempore, per tanta terrarum ſpacia venire potuerint? reſpondet Iacobus de Voragine ex Hieronymo, vſos fuiſſe Dromedariis pro equis, qui vno die longius iter conficiant, quàm equus tribus diebus. Non autem habetur in Commentariis Hieronymi in Matthæum. Ex Remigio quoque dicit, Puerum, ad quem properarint, eos in tam breui ſpacio adducere potuiſſe.

Ritus in Epiphaniarum feſto.

Quia verò creditum fuit Magos hos Reges fuiſſe, propterea in honorem & memoriam eorum varij ritus hac die hinc inde obſeruantur. In Gallia vnus ex Miniſtris aulicis Regis eligitur Rex, cui Rex ipſe, cæterique Proceres inter epulandum miniſtrant. Idem etiam in Germania obſeruatur hoc die per Academias & vrbes à ſtudioſis & ciuibus: vt nimirum aliquem ex ſeſe Regem ſorte creent, cui apparatur conuiuium magnificum, in quo cæteri ipſi tanquam Regi, & ſimul hoſpiti miniſtrant. Fit hoc ad imitationem Gentilium. Apud Romanos enim Saturnaliorum diebus moris fuit, vt Domini famulos ſuos conuiuio exciperent, ipſique ſeruorum officio fungerentur.

De his autem aliiſque ritibus & conſuetudinibus, quæ in Epiphaniarum Solennitate obſeruantur, ita canit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papiſtici Regni:

Venit hinc lux alma Magorum,
Qui procul ex Perſis nato donaria Chriſto
Stella portarunt Duce. Reges hoſce fuiſſe,
Et tres duntaxat cenſent, credúntque Papiſtæ.
Conueniunt igitur multi certíque ſodales,
Atque creant aut ſorte, aut per ſuffragia Regem
Is creat inde ſibi regali more Miniſtros.
Tum conuiuantur multis ludúntque diebus,
Largo continuíſque trahunt ex ordine menſas,
Dum loculi vacui fiant, & creditor inſtet.
Horum etiam pueri confeſtim exempla ſequuntur,
Et Rege electo pompas menſáſque frequentant,
Vel nummis furto raptis, ſumptúue Parentum,
Vt ſimul & luxum diſcant, ſceleratáque furta.
Hac etiam luce ædium herus, comiſque patronus
Quiſque facit magnam pro opibus cuiúsque placentam,
Vnum cui nummum, ſimul vt conſpergitur, indit.
Hanc ſecat in multas, vt turba domeſtica ſuadet,
Particulas, dátque vni vnam cuique: attamen iſta
Lege, ſuas habeant puer, vt virgóque magique,

Quæ

Quæ dein pauperibus ſub eorum nomine dantur.
Aſt omnes inter cui pars fortè obtigit illa
Quæ nummum retinet, Rex ille agnoſcitur, & mox
Tollitur à cunctis clamare ad ſydera magno,
Qui creta accepta, crucibus laquearia pingit
Omnia: Vis ingens illis & magna poteſtas
Dæmonas aduerſum, lemuréſque, artéſque Magorum.
Tanta poteſt Rex, tanta cruces, quas dextera pingit
Aut pueri inſani, aut famuli, Dominiúe prophani.
Cuncti bis ſenas obſeruant denique noctes
A natali, vt thus ſuccendat in ædibus vnus
Quiſque pater, menſaque imponat nocte propinqua
Integrum panem, ad prunas & thuris odorem.
Cernuus ipſe aſtat primus, naréſque oculóſq;
Fumigat, ac aures, & aperto ore haurit odorem.
Hunc ſequitur coniunx, & tota domeſtica turba.
Hæc prodeſſe ferunt, ne dentes, lumina, nares
Atque aures anno morbus vexentur in illo:
Poſt quam omnes fumum thuris cœpere Sabæi,
Prunas inſperſo thure ilicet arripit vnus,
Aſt alter panem, reliqui quos ritè ſequuntur,
Circumeúntque ædes prælata lumine noctu,
Vt ne dira fames defectu panis & eſcæ
Intret, neu Sagæ noceant molimina diræ.
Sunt qui duntaxat faciant tria talia noctes,
De cauſis iiſdem, totum tutóſque per annum
Se credunt fore: ſe Chriſta audet credere nemo.
Noctibus his etiam diuinant, atque diebus,
Totius ingreſſi de tempeſtatibus anni,
Vnum menſem vni tribuentes forte diei.
His etiam coëunt Iuuenes per rura diebus,
Aſcaule aſſumpta, vicóſque vrbéſque propinquas
Veſtibus accedunt cultis, cantántque domatim
In propriam cuiuſque incondita carmina laudem.
Vnde ferunt nummos, magnámque per otia prædam
Vel ſibi, vel templa vici: quaſi non alioquin
Paſſim à mendicis populus, Monachiſque grauetur.
Sunt vrbes, vbi coniuncti pueri atque puellæ
Hæc eadem faciunt: ſimulac noteſcere cœpit,
Poma nucéſque ferunt cum nummis atque placentis.

In Italia quoque moris fuit olim hac die futurum Paſcha populo indicare & nominare, Sacerdos námque vel alius poſt Offertorium alta voce dicebat: Annuncio charitati veſtræ gaudium magnum, quod erit omni populo, quia Septuageſima erit tali die, & Paſcha tali. Id tamen non vbique in ipſa etiam Italia obſeruatum fuit. Durand. Rationale libro 6. cap. 16.

IVLIANVS *Antiochenus relicta Sponſa Baſiliſſa, cum qua iam cubile intrauerat, monaſterium extruit, in qua mille Monachorum Pater efficitur. Tandem ſub Diocletiano & Maximiano Imp. ſupplicia afficitur à Martiano Antiochen. Præſide, 7. Idus Ianuarij. Pet. de Natal. lib. 2. cap. 52.* 7.

ERHARDVS *Epiſcopus Friſingenſis obiit anno 453. tempore Childerici Regis Francorum: ſed canonizatus demùm eſt à Leone 9. circa annos Chriſti 1050. vt Auentinus teſtatur lib. 5. Annal. Eius feſtum celebratur die 8. Ianuarij.* 8.

MARCELLINVS *Anconitanus Epiſcopus, podagricis doloribus excruciatus, colitur 5. Id. Ian. quòd tunc mortuus eſſet. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 59.* 9.

PAVLVS *Eremita primus, inſidias ſub Decio ob Religionem Chriſtianam animaduertens, fugâ ſaluti ſuæ conſuluit, & annos natus 15. Eremum vaſtiſſimam adiit, vbi in ſpecum ſub montis radicem ſe recepit, vndè ad vitæ finem nuſquàm diſceſſit, hominem etiam nunquàm vidit, præterquàm ſuprema vitæ die Antonium & ipſum Eremitam. Moritur in illo ſpecu annos natus 113. quarto Idus Ianuarij, eámque ob cauſam memoria eius tunc celebratur. Hieronymus & alij in eius vita.* 10.

NICANOR, *qui fuit vnus ex ſeptem Diaconis, ab Apoſtolis electis, Actor. 6. in Cypro martyrio coronatus, ibique ſepultus eſt 4. Idus Ianuar. eodem die colitur: Hieronymus.*

HYGINVS *Epiſcopus Rom. 10. ſub Antonino Pio occiditur, & ſepelitur 3. Idus Ianuarij, quo & feſta honoratur. Platina.* 11.

SATYRIVS *quum in Achaia ſimulachrum præteriret, illúdque corrueret, ab Infidelibus comprehenſus & decollatus eſt pridie Id. Ian. vndè & feſtum eius tùnc celebratur. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 66.* 12.

HILARIVS *Pictauorum Epiſcopus, & Arianiſmi ſtrenuus Impugnator, de quo Iacobus de Voragine multa fabuloſa narrat, mortuus eſt anno Chriſti 372. ſub Valentiniano & Valente Imp. Idibus Ian. quibus & Feſto die colitur. Teſtatur id etiam Bap. Mantuanus lib. 1. de Feſtis ita canens:* 13.

Hic quóque Natalis tuus eſt memorandus Hilari
Tertia poſt decimam Iani cùm frigida tellus
Sub niue dormiret, te lux aſcendere ad aſtra
Vidit: &c.

FELIX *Presbyter ſub Diocletiano & Maximiano martyrium paſſus eſt Romæ, 19. Calend.* 14.

Digitized by Google

Calend. Fæbruar. iuxta portam Pincinam, vbi & ſepultus, & progreſſu temporis Eccleſia eius nomini dedicata eſt: Ipſe quoque Felix in Pincis inde cognominatus fuit. Pet. de Natalibus lib. 2. cap 74.

15. MAVRVS *Benedicti Abbatis Caſsinenſis cœnobij Diſcipulus mortuus eſt ex grauiſsimis lateris doloribus* 18. *Cal. Februar. quo die & memoria eius celebratur. Pet. de Natal. lib. 2. cap. 79.*

16. MARCELLVS *Epiſcopus Rom. 31. detruſus à Maxentio Imp. in catabulum ad cuſtodienda animalia publica, pedore ac ſitu ibi mortuus eſt, & ſepultus à Lucina 17. Cal. Februar. vnde & feſtum eius tunc celebratur. Platina.*

17. ANTONIVS *Ægyptius Eremita, ætatis ſuæ anno 20. vendidit quæ habebat, partémque ſorori conceſsit, reliqua pauperibus diſtribuit. Et initiò quidem locis à ſua villa remotioribus ſolus habitauit. Cùm autem annum ætatis 35. ingreſſus eſſet, in eremum ſeceſsit, duriorem quàm antè vitam ſibi proponens. Ibi quum per annos 20. latuiſſet in publicum tandem prodiit, & familiaritatem cum Monachis aliis, ad quos ſæpè acceſsit, coluit. Ingreſſus eſt & vrbes Chriſtum fideliter prædicans. Tandem inde rediens in duriſsimam eremum ſe contulit, vbi ad montem ſublimem habitaculum ſuum conſtituit, moritúrque anno Chriſti 361. 16. Cal. Feb. vnde & dies ille ei ſacer eſt. Hieronymus & alij. Romæ hoc die pueri S. Spiritus viſunt Sudarium.*

18. PRISCA *Nobilis & Senatorij ordinis ciuis Romani Filia, paſſa eſt ſub Claudio Imp. 15. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 96.*

19. PONTIANVS *Spoletanus, omni ſuppliciorum genere excruciatus tempore Antonini Imp. quòd idolis Ethnicis ſacrificare nollet, tandem martyrio coronatus, ſepultúſque eſt 14. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 102.*

20. SEBASTIANVS *ortus ex Narbonenſi Gallia, primæ cohortis Diocletiani Imp. Princeps, ſed Chriſtianus fuit, inſcio tamen Imperatore: qui multos Chriſti Fideles & Martyres exhortationibus ſuis ad conſtantiam animauerat & in fide retinuerat. Delatus igitur apud Imperatorem comprehendi iuſſus eſt, & in apertum campum deduci: vbi à militibus trunco arboris alligatus & ſagittis quàm plurimis transfixus, corpus verò eius in cloacam abiectum eſt. Bergomenſis lib. 8. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 106. Paſſus eſt, vt idem refert, circa annos Domini 288. 13. Cal. Febr. Sagittarij & Selopetarij patrocinio eius hodiè vtuntur, quòd ſagittarum ictibus interemptus ſit.*

21. AGNES *Nobiliſsima Romæ ciuis, ob inſignem & excellentem corporis formam, ab Ethnici cuiuſdam Prætoris vrbani filio adamata fuit. Sed eius connubium quum repudiaret Puella Chriſtiana, nuda in lupanar tracta eſt, vbi tamen mirabiliter pudicitia eius cuſtodita eſt, & Ethnicus repreſſus. In ignem etiam coniecta exuri non potuit, tandem iugulata eſt anno Chriſti 306. 12. Cal. Feb.*

Beleth in Rationali cap. 75. nugatur, Agnetis Feſtum celebrari cœpiſſe propter quoddam miraculum, quod octauo die eius parentibus ad tumulum Agnetis lamentantibus contigerit. De quo Antoninus tit. 8. cap. 1. §. 39. ita ſcribit: Cùm octauo die parentes eius iuxta tumulum ipſius vigilarent orando, viderunt chorum Virginum fulgidis veſtibus radiantem, inter quas viderunt B. Agnetem ſimili veſte fulgentem: & à dextris eius Agnum ſtantem niue candidiorem. Hinc Agnus à pictoribus ei ſemper adpingitur, & à Romanis mulieribus ei quotannis hoc die offertur, ex cuius lana pallia Archiepiſcopalia conficiuntur: de quo Naogeorgus lib. 4. Papiſtici regni ſic canit:

Virginis Agnetis ſequitur lux, haud ea ſanè
Germanis adeo ſolennis, feſtáque: verùm
Grata eſt Romana multùm primoribus aula,
Principium vt magna prædæ, quæſtúſque futuri.
Námque in ea binos agnos candore niuali
Agnetis templi monacha primam ſuper aram
Dum celebrantur Sacra, Dei cantatur & agnus,
(Ad rem nempè hæc cuncta) ſolent offerre quotannis.
Hos dein Pontificis mittunt in læta Miniſtri
Paſcua, tondendi dum opportuna appetat hora.
Candida dentoſa miſcetur cum altera lana,
Indéq; prægnanti torquentur ſtamina fuſo,
Ex quibus arguta texuntur Pallia dextra.

MENRADVS *ſeu* MEGINRADVS *Berchtoldi Comitis Sulgoun ad Danubium habitantis Filius, Augia diuitis relicto monaſterio, in tenebroſiſsimam ſolitudinem apud Heluetias anno Domini 860. conceſsit, ibique cellam ſibi extruxit, vbi tamen anno 863. à latronibus duobus (qui Tiguri poſteà capti rota ignique adiudicati ſunt) trucidatus, corpus autem ad Augiam diuitem reuectum, ibique honorificè ſepultum fuit, 12. Calend. Februarij, & proptereà memoria eius eo die quo Agnetis celebratur. Eleuatum tamen, & ad priſtinum locum, in quo occiſus erat, corpus eius tranſlatum fuit anno Chriſti 1039. 6. Octobris.*

VINCENTIVS *Hiſpanus fuit, Leuita Sanctiſsimus, qui Valentia ſub Præſide Daciano, anno 300. 11. Calend. Februar. martyrium fecit. De quo Bergomenſis in Supplemento ex Sermone quodam D. Auguſtini hæc citat: Magnum & admirandum ſpectaculum noſter animus cœpit: nec immaniſsimam & pernicioſiſsimam, ſicut ſolent in theatris, quarumcunque nugarum, ſed planè vtiliſsimam & fructuoſiſsimam voluptatem* 22.

oculis

oculis interioribus hauſimus, quum B. Vincentij paſſio legeretur. Iuuat videre inuictam Martyris animam contra inſidias antiqui hoſtis, contra ſæuitiam Daciani contra dolores mortis, carnis acerrima conflictatione certantem, & in auxilio Dei cuncta ſuperantem. Nam Dacianus ipſe, Sanctiſſimum hominem in equleo primùm leuatum toto corpore diſtendi fecit, diſtentúmque diuerſis vulneribus cruciari, cruciatum etiam pectinibus lacerari, carnificéſque ad crudelius ſæuiendum verberibus fecit vrgeri. Eiuſdem deinde corpus in craticula poſitum vncis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi, ac ſale ignito aſpergi, laceratúmque in teterrimo carcere fecit includi: ibique teſtas acutiſſimas congeri, in lignóque pedes eius affigi, & ſine humano ſolatio derelinqui. Verùm in probatis Auguſtini Sermonibus iſta hodie non leguntur, ſed apud Iacobum de Voragine Legenda 25. & Petrum de Natalibus lib. 2. cap. 111. vbi etiã addit, defuncti in carcere corpus in campum tractum, & feris auibúſque deuorandum expoſitum poſteà verò in mare proiectum fuiſſe, ſed in littore inuentum à piis quibuſdam ſepultum, & tandem Valentiam deductum eſſe,

23. EMERENTIANA & ipſa Ciuis Romana, Sociáque Agnetis in martyrio indiuulſa fuit. Quum enim Agnetis corpus à Chriſtianis ſepeliretur, vix Ethnicorum eos lapidibus impetentiũ, manus euaſerunt. Emerentiana autem ad ſepulchrum eius ſtans intrepida, quum Gentiles de impietate & crudelitate redargueret, lapidibus obrutæ interficitur. Eius corpus iuxta Agnetis à Parentibus eius ſepelitur, 10. Cal. Febr. Pet. de Natalibus libro 3. cap. 13. & Meffreth de Sanctis Sermone 1. de Agnete.

24. TIMOTHEVS Pauli Diſcipulus, natus fuit Lyſtris Lycaoniæ, vt putatur: quia ibi eum Paulus inuenit primùm, Act. 16. Adoleſcentem admodùm. Quum miniſtro & comite eo Paulus vti cœpiſſet, vſq; adeò eum temporis proceſſu deamauit, vt nec charius eo, nec pretioſius quicquam habuerit. Tandem rogatus à Paulo, vt Epheſi maneat, ibiq; Eccleſiam inſtruat, de qua re ei præcepta per totam priorem ad Timotheum epiſtolam præſcribit, Epheſi ſubſtitit. Qua occaſione Euſebius lib. 3. cap. 14. Sophronius & alij plerique, primum eum Epiſcopum factum Epheſiorum tradiderunt. Sed quomodo & quandiu Epheſinæ Eccleſiæ doctor & Gubernator præfuerit, certi & explicati nihil apud aliquem probatum Authorem traditur. Quare nec pro certo affirmare poſſumus, eum Epheſi, quòd ad porticum templi Dianæ propius accedens, Idololatriam Epheſiorum redarguiſſet, palis & lapidibus obrutum, martyrium conſummaſſe 9. Cal. Febr. quod pleríque tradiderunt, vt Antoninus, Vincentius lib. 38. cap. 10. & Petrus de Nat. lib. 3. cap. 17. ex Polycrate Presbytero.

CONVERSIO PAVLI, cuius hiſtoria legitur Actuum nono cap. facta dicitur 8. Calend. Februar. à Iacobo de Voragine Legenda 28. & Petro de Natalibus libro tertio, cap. 20. Vnde & tunc memoria eius celebratur. Mentio autem huius Feſti primò fit ſeculo demùm duodecimo à nato Chriſto à probatis Authoribus. Nondùm tamen vbique celebratum Innocentij tertij tempore, hoc eſt, circa annos 1200. ex eius Epiſtola patet, quæ extat inter eius Decretales libr. 1. in qua monet Vuormatienſem Epiſcopum, vt feſtum Conuerſionis Pauli ipſe celebret, & faciat per ſuam Diœceſin ſolenniter celebrari. 25.

Eſt hic dies apud plebem criticus, vtpote cuius ſerenitas fructuum abundantiam, venti bella, nebula peſtem, nix & pluuia caritatem indicare creduntur. Vnde hi ſunt verſiculi qui omnium ore circumferuntur:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.
Si fuerint Venti deſignant prælia Genti.
Si fuerint Nebulæ pereunt animalia quæque.
Si Nix, ſi Pluuia, deſignant tempora cara.

Sed concludendum:

Ne credas certè, nam fallit regula ſæpè.

Eſt enim hoc genus Diuinationis, quod μαντικὴν κοινὴν ἢ δημώδη, Latinè populare vel plebeium nominant, quia imperita plebi in vſu eſt, & proptereà etiam ſæpè fallit: nam non inquiſitis cauſis euentuum in natura, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu, ex iis ſolùm, quæ vt plurimùm eodem modo euenire iiſdem antegreſſis ſignis animaduerterunt ac notarunt, de multiplicibus euentibus, de tempeſtatum cœlique mutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate vel caritate annonæ, de aëris ſalubritate vel infectione, déque bellis & ſimilibus modò feliciter, modò infeliciter diuinant.

POLYCARPVS Celebris inter Apoſtolicos viros, qui nimirùm proxima poſt Apoſtolos ætate vixerunt, fuit Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus. In perſequutione autem ſub M. Antonino Vero mota, ad ipſos quóque Chriſtianos qui Smyrnæ agebant ventum eſt. Nullius verò tetri facinoris vir Sanctiſſimus reus agi poterat: ſed ideò tantùm trucidandus iudicabatur, quòd excellentiſſimus Doctor Chriſti hactenus fuiſſet, ſanámque doctrinam in Aſia propagaſſet, deniq; idola Ethnica demolitus fuiſſet. Non autem Præſes ſolùm eius loci lictoribus mandata de capiendo & perimendo integerrimo ſene dabat, ſed ipſimet auditores Polycarpi, ſententiam mortis in eum tulerunt, & adiudicatus igni à Præſide ſpontè odio furentes ſarmenta ad ignem comportarunt. Verùm hæc omnia, & quàm præclarè ſe in ipſo ſupplicio geſſerit, in epiſtola Smyrnenſium continentur, quæ extat apud Euſebium lib. 4. cap. 15. Paſſus eſt autem annum agens ætatis 86. 7. Cal. Febr. Hieronymus de viris illuſtribus. 26.

E IOANNES

27\. IOANNES CHRYSOSTOMVS mortuo Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo, communibus ſuffragiis populi & cleri, iuſſu Arcadij Imp. in eius locum electus eſt. Cùm autem in Epiſcopatu fidelem ſeſe exhiberet Dei miniſtrum, calumniis Falſorum Fratrum, virorum Politicorum, Aulicorum, Hæreticorum, Ethnicorum, & in primis Eudoxia Imperatricis, efficitur apud Imp. Arcadium, vt in exilium mitteretur: in itinere, dolore capitis & febri correptus, diem ſuum obiit 14. Nou. Socrates lib. 6. cap. 21. Sozomenus lib. 8. cap. 28. anno Domini 408. Proclus autem Epiſcopus Conſtantinop. corpus eius Conſtantinopolim tranſtulit, iuſſu Theodoſij Iunioris, multóque honore in Eccleſia Apoſtolorum condidit, anno 35. poſt depoſitionem eius, viceſima ſeptima Ianuarij, quo die memoria eius in Græcorum Eccleſia ex eo tempore celebratur. Socrates lib. 7. cap. 45.

28\. CAROLVS Magnus Imperator, circa annum Domini 1164. vel iuxta Auentinum 1166. de ſarcophago leuatus, & Sanctorum Catalogo aſcriptus eſt ab Adriano 4. Papa, Friderici primi Imp. interceſſione, in magno Epiſcoporum ac Principum conuentu, ac celebri feſtiuitate, tripudiantibus omnibus ad memoriam victorioſiſſimi quondam Imperatoris, & nunc Sanctiſſimi Principis. Feſtum autem eius celebrandum decernitur 5. Calend. Febr. quòd eo die ardenti febri correptus, laterum dolore, quem vocant pleuritidem, extinctus ſit, anno Chriſti 814. Cranzius lib. 6. cap. 46. Metropolis. Auentinus lib. 4. Annal. fol. 338. in German. edit. Munſterus lib. 3. cap 214.

IVLIANVS Epiſcopus Cenomanenſis, qui Simon ille Leproſus eſſe creditur, quem Dominus à Lepra liberauit, quique in Bethania eum conuiuio excepit, eodem die colitur cum Carolo, quòd tunc obiiſſet. Antoninus tit. 6. cap 25. §. 4. Petrus de Nat. lib. 3. cap 35.

29\. FABIANVS, quem Pet. de Nat. lib. 3. cap. 42. Sabianum nominat, paſſus eſt in territorio Trecoſſino ſub Aureliano Imp. qui dùm in Hiſpania & Gallia reſideret, & ad Trecas vrbem veniſſet, Fabianum Chriſtum prædicantem comprehenſum decollauit 4. Cal. Februar.

30\. ADELGVNDIS quam alij ALDEGVNDIM nominant, ex Reguli Proſapia orta anno Dominicæ incarnationis 630. in Francia regnante Dagoberto Clotarij Filio, nuptias honeſtas & à Deo conceſſas fugiens, in monialem conſecratur, & monaſterium Malbodienſe extruit, in quo cum multis ſui ſimilibus degens, tandem in dextera mamilla cancro morbo corripitur, qui corpus illius exæſtuans, vſque ad vltimum diem, qui 30. fuit Ianuarij, depaſtus eſt.

DE SEPTVAGESIMA, SEXAGESIMA & ſequentibus Dominicis in genere. 31.

QVia Septuageſima præſenti hoc anno Chriſti 1591. incidit in diem 31. Ianuarij, ideò de illa, quemadmodum & de Sexageſima, Quinquageſima, Quadrageſima &c. in genere dicendo occaſionem eſſe puto. Vbi ante omnia notandum, Dominicas ſeptem proximè ante Dominicam Paſſionis peculiaribus inſigniri nominibus. Prima enim ex ſeptem vocatur Septuageſima, ſecunda Sexageſima, tertia Quinquageſima, quarta Quadrageſima, ſeu prima Quadrageſima, quinta ſecunda Quadrageſima, ſexta tertia Quadrageſima ſeptima quarta Quadrageſima. Deinceps autem non dicitur quinta Quadrageſima, ſed Dominica Paſſionis.

Porrò Septuageſima, Sexageſima & Quinquageſima nomina apud nullum probatum authorem ante Gregorium M. inueniuntur. In Gregorij autem huius Antiphonario & Sacramentario officia harum Dominicarum deſcribuntur: quem etiam authorem horum nominum fuiſſe Eccius innuere videtur homilia 3. huius Dominicæ. Mentionem deinde earum faciunt multi Authores poſt Gregorium.

De nominibus autem Septuageſima &c. diuerſa ſunt ſententiæ. Beda, Alcuinus & alij dicunt, ad Ieiunium Quadrageſimæ additam eſſe à quibuſdam hebdomadam vnam, & illam conſequenter nominaſſe Quinquageſimam. Alios addidiſſe aliam, quam Sexageſimam vocarint: fuiſſe qui & tertiam adiecerint, eámque Septuageſimam nominaſſe. Alij volunt Dominicas has ſic nominari à dierum numero, quibus incipiunt & finiuntur. A Septuageſima enim vſque ad Sabbathum in Albis præcisè ſunt dies Septuaginta: à Sexageſima ad feriam quartam poſt Paſcha ſunt dies Sexaginta. A quinquageſima ad Paſcha vſque dies ſunt Quinquaginta. Verùm hoc pacto omnis Dominica Septuageſima, Sexageſima & Quinquageſima dici poſſet, ſi numerentur dies 70. 60. & 50. nec curetur vbi finiantur. Alij igitur aiunt, denominari quidem has Dominicas à Paſchate, ſed συνεκδοχικῶς: nam à Septuageſima ad Paſcha ſunt dies 70. id eſt, 64. à Sexageſima vſque ad Paſcha ſunt 60. dies, hoc eſt, 57. à Quinquageſima vſque ad Paſcha ſunt 50. dies. Verùm hac ratione Septuageſima eſſet potiùs appellanda Sexageſima: nam dies 64. magis dici deberent Sexaginta quàm Septuaginta. Rupertus Tuitienſis ergò, putat hæc nomina non à numero dierum deſumpta eſſe, ſed à numero Dominicarum. Voluerunt enim Veteres ante Dominicam Paſſionis præ-

mittere

mittere ſeptem celebres Dominicas, quibus in memoriam reuocarent ſpiritualem captiuitatem noſtram, ſicut per Paßionis Dominicam & ſequentem celebratur memoria Redemptionis noſtræ à captiuitate iſta. Hac ſententia prima Dominica ex ſeptem illis dicitur Septuageſima, quia eſt prima ex ſeptem. Secunda dicitur Sexageſima, quia eſt prima ex ſex. Tertia dicitur Quinquageſima, quia eſt prima ex quinque ſequentibus. Quarta dicitur prima Quadrageſima ob eandem cauſam, vt Rob. Bellarminus Ieſuita indicat.

De Septvagesima in ſpecie.

Septuageſima cur inſtituta,

SEptuageſima *inſtituta dicitur tres ob cauſas.* Primò, *propter ſuppletionem. Quidam enim non modò non feria quinta ieiunarunt, ob quam Sexageſimam inſtitutam fuiſſe, poſteà dicemus, ſed ne Sabbathis quidem. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 24. hoc Innocentio primo tribuit, quem decreuiſſe ait, ne Sabbatho ieiunarent, eò quòd Dominus in Sabbatho in ſepulchro quieuerit, in ſignum futuræ noſtræ quietis. Hoc verò falſiſſimum eſt: imò contrarium prorsùs decreuit Innocentius Epiſt. 1. ad Decentium: Sabbatho, inquit, ieiunandum eſſe ratio euidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum, ipſius Dei Imaginem frequentamus, ac ſexta feria propter Paßionem Domini ieiunamus: Sabbathum prætermittere non debemus: quoniam inter triſtitiam & lætitiam temporis illius videtur incluſum, &c. Extat etiam de Conſec. diſt. 3. Ieiunium. Idem author eodem loco, Iacobus etiam de Voragine Legenda 32. & Petrus de Natal. lib. 3. cap. 45. aiunt, ſed ſine authore, Meltiadem & Silueſtrum Papas, ſtatuiſſe, vt bis in omni hebdomade comederetur, ne propter abſtinentiam Sexta natura nimis debilitaretur. Tamen ex Auguſtino intelligitur Aſiaticos & alios nonnullos ex Apoſtolorum quadam traditione Sabbathis non ieiunaſſe. In ſuppletionem igitur ſeu redemptionem ſeptem dierum Sexageſima, adhuc vnam ſeptimanam addiderunt, quam Septuageſimam nominarunt.* Secvndò *celebratur Septuageſima propter Significationem. Per hoc enim tempus ſignificatur Pontificiis Deuiatio, Exilium & Afflictio humani generis ab Adamo vſque ad finem mundi: vnde & toto hoc tempore Septuageſimæ cantica lætitiæ intermittuntur.* Tertiò *propter repræſentationem Septuaginta annorum Babylonicæ Captiuitatis. Vndè ſicut Iſraëlitæ tunc organa ſua depoſuerunt, dicentes, Quomodo cantabimus Canticum Domini &c. ſic & Papiſtæ hoc tempore cantica laudis deponunt. Abſurdiſſimum autem eſt, inter dies Exilij, Deuiationis & Captiuitatis computare diem Reſurrectionis Domini, qui eſt dies Lætitiæ, Gaudij & Perfectæ libertatis.*

FEBRVARIVS.

Feſta & Memoriæ Sanctorum quæ Februario Menſe à Chriſtianis celebrantur.

IGnativs *Calendis Febr. colitur, quoniam tunc paſſus dicitur. Fuit Diſcipulus* 1.
Ioannis Euangeliſtæ, & poſteà tertius poſt Petrum Antiochenus Epiſcopus creatus. Cùm autem Traianus Imp. feliciter res in Oriente geßiſſet, capta Babylonia, & profligatis Perſis, qui in Aſiam irruptionem fecerant, cùm paſſim alibi, tùm verò vel in primis Antiochiæ Deos ſuos, tanquàm præclaræ huius victoriæ Authores, publicis encomiis ornari ac celebrari curauit, & in miſeros Chriſtianos, id facere detrectantes, ſæuire iuſſit. Iſta igitur crudelitate permotus Ignatius, ipſum Imperatorem, in ſua Eccleſia commorantem, adit, idololatriam & immanem perſequutionem redarguit. Conijcitur igitur in vincula & Romam vſque deducitur, vbi leonibus obijcitur. Illi carnibus & oßibus eius tenerioribus deuoratis, craßiora tantùm & firmiora ibi reliquerunt, Nicephoro teſte. Iacobus de Voragine Legenda 36. indicat, duos leones famelicos ipſum tantummodò præfocaſſe carnes eius non tetigiſſe: quam rem admirantem Traianum mandaſſe, ne prohiberentur ſi qui corpus eius ſepelire vellent. Eius oſſa poſt multos annos à Chriſtianis Antiochiam tranſlata ſunt. Ex quo tempore dies tranſlationis ſub Theodoſio poſteriore Imp. celebris haberi cœpit, circa annum Domini 450. iuxta Nicephorum lib. 4. cap. 44. quem deinde Gregorius Sacerdotum Princeps magnificentius celebrandum inſtituit, teſte Euagrio lib. 1. cap. 16.

Brigidæ *memoria eodem die celebratur, quòd tunc diem ſuum obierit. Fuit illa Virgo Scotica tempore Iuſtiniani Imp. Eam quum parentes eius nuptui tradere vellent, Virginitatem illa perpetuam elegit, cùmque lignum altaris pro more tetigiſſet, ſtatim viride factum fuiſſe dicitur in teſtimonium Sanctitatis eius & ſic manſiſſe vſque in præſens. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 69.*

2. PVRIFICATIONIS Mariæ Feſtum.

Feſti huius origo. PAulus Diaconus lib.16. de Romanorum geſtis refert, anno Iuſtiniani Imp.8. terræmotu & concuſſione ruptam terram, ac dimidiam vrbis Pompeiopolitanæ in Miſia partem abſorptam. Auditas eſſe voces miſerabiles hominum pereuntium, qui auxilium implorabant: verùm fruſtrà. Sanguinem quóque è nubibus decidiſſe, in hominum veſtimenta: ac ſubſecuta varia morborum genera, quibus miſeri mortales in ipſa quóque Imperatoria vrbe Conſtantinop. abſumpti ſint. Motus ergo tot, tantíſque calamitatibus & præſagiis maiorum malorum pius Imperator, inſtituit in Chriſti honorem Feſtum ſecundo die Febr. celebrandum, quod ὑπαντῆς, hoc eſt, obuiationis per Simeonem in templo factæ, dictum fuiſſe Nicephorus lib. 17. cap. 18. Eccius homilia 3. de Purificatione Mariæ ex Nicolao de Lyra & Vrſpergenſe in Iuſtiniano teſtantur: cuius obſeruatione ſe ab hac lue liberari poſſe ſperabant. Factum hoc anno Domini 542. vt Sigebertus, Paulus Diaconus & Funkius in Chron. referunt. Poſterioribus demùm temporibus à Pontificibus Rom. mutatum, nomen quóque nouum accepit, vt Mariæ eiúſque Purificationis Feſtum diceretur, quod prius Chriſti fuerat: in memoriam eius, quòd Maria ſecundùm præceptum Domini, quod extat Leuit. 12. in templum venit vt purgaretur, Luc. 2. Durand. Rational. lib. 7.

Inſtitutum eſt autem Feſtum hoc cum ſuis ceremoniis ad imitationem feſti Ethnici. Proſerpinam in principio menſis Febr. Pluto ob formam præſtantiſſimam rapuerat, & vxorem duxerat, iuxta Poëtarum fabulas, Deámque fecerat. Quam Ceres mater eius facibus accenſis in Athena Siciliæ monte diu quæſierat. Ideò Romanæ mulieres in huius rei memoriam Calendis Februarij feſtum luminum celebrarunt, de nocte vrbem luſtrantes, eam facibus & candelis ardentibus ambiendo. Secundò, de quinto in quintum annum luſtrarunt etiam vrbem cereis & facibus accenſis, in honorem Februæ Martis Matris, vt filius eius victoriam ſibi de hoſtibus concederet, cuius Matrem tàm ſolenniter honorarent. Tertiò per dies duodecim continuos huius menſis, Plutoni, cæteríſque Diis infernalibus iidem ſacrificabant. Iunoni etiam Februatæ hoc menſe rem diuinam fecerunt in Lupercalibus, quibus mulieres februabantur à Lupercis. Hæc feſta Februa vocarunt, non tàm quòd celebrarentur in honorem Febrúi & Februæ, quàm quòd eſſent Februa, id eſt, quædam luſtrationes, piamina & expiationes vrbis Romæ, præterea viuorum & mortuorum. Nam Sabinorum lingua Februum purgamentum ſignificabat. Vnde ab his Februis, id eſt purgamentis, menſi quóque, in quo fiebant, nomen eſt impoſitum. Hinc & Plutarchus in Romulo Februarium menſem Græcè καθάρσιον, hoc eſt, expiatorium ſonare indicat. In quam ſententiam etiam Iuba Maruſius nomen ei eſſe à tollendis atque abolendis ſpectrorum terriculamentis, Maniúmque, quibus parentabant, phantaſmatis ſcripſit, Athenæo teſte. Superſtitiones iſtæ Ethnicæ & profanæ obſeruabantur Romæ, poſt ea quóque tempora, quandò abiecto Gentiliſmo, Chriſtianam profiterentur religionem. Damnarunt quidem eas eius vrbis Epiſcopi: ſed quum haud facilè in vniuerſum tolli & abrogari poſſent, ipſi in melius eas commutare conati ſunt: quod tamen ſic factum ab ipſis, vt nomen ſaltem mutatum, eadem autem ſuperſtitiones & ceremoniæ impiæ retentæ ſint. Fatentur hoc ingenuè Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7. Beleth in Rationali lib. 7. cap. 18. Bernardinus de Buſto in Mariali par. 7. Serm. 1. Eccius hom. 3. de Purificatione Mariæ. Meffreth. ex Innocentio Sermone 1. de Purificatione Mariæ. Quibus etiam aſtipulatur B. Rhenanus, qui in Annotationibus ſuis ad lib. 5. Tertulliani contra Martionem, Negari equidem non poteſt, inquit, ardentium cereorum, quos hodie Chriſtiani eo die, qui Purificatæ Mariæ dicatus eſt, ex more circumferunt, à Februalibus Romanorum ſacris originem ſumpſiſſe. Pertinaci Paganiſmo mutatione ſubuentum eſt, quem rei in totum ſublatio potiùs irritaſſet.

De immutatione autem nominis huius feſti ex Paganiſmo in Chriſtianiſmum, ſic Iacobus de Voragine Sermone 82. de Sanctis ſcribit. Feſtum iſtud, ait, in hooorem Matris luminis tranſtulerunt: vt in eius hoorem deferamus lumina, quæ nobis genuit Verum Lumen: vt iam non fiat in honorem Proſerpinæ Sponſæ Dei infernalis, ſed ad hooorem Sponſæ Dei cœleſtis. Nec iam fiat ad honorem Februæ matris Dei belli, ſed ad hooorem Matris Dei pacis. Iam non fiat ad honorem eutiæ infernalis, ſed ad Reginæ omnium Angelorum. Et meritò tranſlatio iſta facta eſt. Honorabant Romani Proſerpinam, vt ſic à ſuo ſponſo acquirerent gratiam: honorabant Februam, vt ſic à Filio ſuo impetrarent victoriam: honorabant dæmones animas punientes, vt inclinarent eos ad miſericordiam. Sed iſta tria à Matre Dei recepimus, ſcilicet Gratiam, Miſericordiam & Victoriam. Et ideò cantat Eccleſia: Maria Mater Gratiæ, Mater Miſericordiæ &c. Ipſa enim viuis dat gratiam: ideò dicitur, Maria Mater gratiæ. Defunctis impetrat miſericordiam: ideo ſubditur, Mater Miſericordiæ. Et vniuerſali Eccleſiæ Nomen vnde hoc feſtum habeat.

Digitized by Google

Eccleſiæ de hoſtibus obtinet victoriam: ideò additur, Tu nos ab hoſte protege. *Sed hac blaſphema & impia ſunt in Filium Dei, qui ſic priuatur honore, de quo dicit apud Prophetam, quòd eum nemini daturus ſit.*

Ceremonia huius feſti. *Ceremonia autem huius feſti, qua in locum rituum ab Ethnicis obſeruatorum ſucceſſerunt, ha ſunt. Primùm qua allata ſunt ab vnoquóque in templum candela vel cerei & faces in Miſſa benedicuntur & conſecrantur: deinde diſtribuuntur: tertiò fit proceſſio, in qua plebs vniuerſa portans cereos ardentes in manibus, per Eccleſias procedit.*

Ritus conſecrandi CEREOS in Feſto Purificationis Mariæ.

RItus verò, quo à Pontifice Romano cerei in hoc Feſto benedicũtur & conſecrantur, ſic in libro 2. Ceremonialis Rom. Eccleſia deſcribitur. Primò ordinantur candela in loco conuenienti benedicenda, & diſtribuenda per illos, ad quos ſpectat: videlicet duo cerei magni ponderis, 20. librarum, deaurati, & depicti: & alius minor etiam pulchrè ornatus ponderis duorum librorum, vel circà, quem Pontifex in proceſſione in manu portat. Item facula cera alba pro Cardinalibus, Regibus, & maximis Principibus, ponderis trium librarum vel circà. Item facula in numero ſufficienti pro Oratoribus, & Pralatis cera communis, ponderis duorum librorum qualibet. Item facula vnius libra in numero ſufficienti pro Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Camera, Acolithis, Cubicularüs, Ceremoniariis, Scutiferis Papa & aliis Officialibus. Item facula media libra in numero copioſo pro populo. Admiſcentur etiam Credentiarij Papa, vt manè ordinent in eo loco, vbi Candelarum diſtributio futura eſt, in angulo ſuper altare, vel in alio loco condecenti, vaſa & aquam pro lauandis manibus Papa, cum mantili & gremiali, ac medulla panis: Praparent etiam Clerici Capella in loco conuenienti duo candelabra, & cum luminaribus vas aqua benedicta cum aſperſorio, & thuribulum cum nauicella. Item paret Baldachinum pro ſupplicatione habenda pro Pontifice. Deinde hora congruenti Papa indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluuiali rubro, & mitra ſimplicibus venit ad Capellam vel Eccleſiam, vbi candela ſunt benedicenda. Tunc facta oratione ante altare, cùm ſederit, Cardinales faciunt reuerentiam in cappis conſuetis, duo vltimi remanent in aſſiſtentia Papa. Et Diaconi duo aſſiſtentes vadunt ad capiendum paramenta: illis reuertentibus illi duo vltimi vadunt ad ſedes ſuas & ibi capiunt paramenta. Cardinales alij interim in locis ſuis, & Pralati extra Capellam capiunt paramenta violacei coloris ordini ſuo conuenientia. Diaconi Cardinales portant planetas plicatas ante pectus, quibus omnibus paramentis Pontifex benedicit candelas more ſolito. Solent tum, quando Papa benedicit, & diſtribuit candelas in paruo Capella ad euitandam frequentiam, Cardinales & alij Officiales omnes accipere paramenta in Camera, & venire cum Papa paratis Sacris veſtibus, non tamen Supplicantium more. Et tunc Cardinales cum paramentis ſupradictis faciunt reuerentiam pradictam Pontifici. Papa verò miniſtrantibus Epiſcopis librum & candelam, & aſſiſtentibus duobus Diaconis Cardinalibus more ſolito ſtans detracta mitra, benedicit candelas verſus ad illas ſubmiſſa voce legendo, dicens: Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Sancte Pater, &c. cum quatuor ſequentibus, prout in Ordinario. Incepta quinta oratione per Pontificem, vocatur prior Preſbyterorum Cardinalium, accedit ad Pontificem, cum eo duo Acolithi cum ſuperpelliciis induti, vnus cum thuribulo & nauicella, alius cum vaſe aqua benedicta, & aſperſorio. Finita benedictione, imponit incenſum in thuribulum more conſueto, deinde accepto aſperſorio de manu Presbyteri Cardinalis, ſtans ſine mitra aſpergit tertiò candelas, & deinde incenſat ducens ter thuribulum, ſedet poſt hac, & imponitur ei mitra. Tum prior Epiſcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarij, vel eius locum tenentis, cui clerici Camera eos ſubminiſtrant, & illos dat Papa cum debitis reuerentiis oſculando primò cereum, deinde manum Pontificis, cùm Pontifex eos tangit. Qui cerei deinde dantur ad mandatum duobus Nobilibus, quorum inſignior vadit ad dexteram, alter ad ſiniſtram Papa, & ibidem ſtantes eos tenent ad finem Miſſa. Poſt magnos cereos datur Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde ſeruat vnus ex Cubiculariis Camera. Iſto vtitur Papa in toto officio. Cùm Papa cerei dantur, Cantores incipiunt, Lumen ad reuelationem, &c. Cereos omnes diſtribuendos debent miniſtrare Clerici Camera ſtantes à loco vbi ſunt candela, vſque ad Papam, & illos dare vſque ad manum Diaconi Cardinalis Papa aſſiſtentis à parte candelarum, qui illas miniſtrat. Vt verò Papa accepit ſuas candelas, duo auditores à Credentiariis Papa mappulam ſumentes cum per Cardinales aſſiſtentes gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent. Et Pontifex incipit diſtribuere aliis, primò Cardinalibus ſecundùm ordinem, incipiendo à ſeniore, id eſt, ab eo qui ſibi cereos dedit, & Cardinalibus Officialibus, videlicet vice Cancellario, Camerario & Pænitentiario

die ſic omnia præſtanda, vt etiam reliquis diebus. *Bonifacius ille, de quo anteà, petit à Zacharia Papa, vt huiuſmodi ritus Calendarum Ianuar. Romæ aboleantur, quo exteræ nationes quoque faciliùs in officio contineantur. Zacharias ergò conuocata Synodo anno 742. tale decretum fuit:* Si quis Calendas Ianuarias, & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut menſas cum dapibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos, & plateas cantiones, & choros ducere præſumpſerit, quod magna iniquitas eſt coram Deo, Anathema ſit. 26. *q.* 7. *Polydorus Vergilius etiam conſuetudinem hanc induendi perſonas, & mutandi veſtes grauiſſimè inſectatur lib.* 5. *cap.* 2. *de Inuent.* Noſtri, *inquit*, morem induendi perſonas ad imitationem Ethnicorum non vno vel altero die, nec Sacrorum cauſa, ſed turpi inſaniendi ſtudio, duos continuos Menſes ante Quadrageſimæ initium, ſtolidè ſeruant, ſub quibus inueterata iam laſciuiendi licentia, ſexcenta flagitia quotidiè faciunt, & illud impunè: perinde quaſi eo modo cuíque liceat eſſe ſcelerato, nihilúe maleficij credatur committi, ſi vera hominis facies non videatur, perinde ac ſi non pateamus etiam Deo, quem nemo ambigit, fandi atque nefandi iuſtum eſſe Iudicem, qui & improbos pœna & probos præmio ſemper afficiat. Vna omnium regionum Anglia eiuſmodi perſonatas belluas hactenus non vidit, nec quidem vult videre, quando apud Anglos, in re hac præ aliis, certè ſapientiores, lex eſt, vt capitale ſit, ſi quis perſonas induerit. *Hæc ille. Apud Rom. etiam infame fuit, fœminam pro mare, vel marem pro fœmina laſciuè ſe gerere. L. veſtis. §. muliebria, & ſeq. ff. de auro & arg. leg. cuius quidem legis Commentatores nonnulli tradunt, eos infames qui ſic ſe veſtiant. Athen. iſtiuſmodi* γυναικώδας *& Euiratos homines appellarunt* Batalos, *ab obſcœno quodam Tibicine & hiſtrione, cui nomen Batalus: qui primus ſandaliis & veſtimentis muliebribus in ſcenam prodiit. Galli retinent adhuc iſtud nomen, & vocant Batelears. Batali meminit Plut. in vita Demoſth. & Suidas, qui ſcripſit,* βαταλίζεσθαι *eſſe* μαλακῶς καὶ αἰσχρῶς διάγειν, *molliter ac turpiter viuere. Rothomagenſes miſerabiliter anno* 1430. *combuſſerunt Fœminam armis viri Indutam: quod etiam prohibet Deus cap.* 22. *Deuter.*

2. MACARIVS, *cuius memoria celebratur* 4. *Non. Ianuar. Monachus fuit Scythia: qui quum pulicem ſe pungentem occidiſſet, & ſanguis exiſſet, ſeipſum accuſans, quòd propriam iniuriam vindicaſſet, nudus ſex menſes propterè in deſerto manſit, vbi tandem à Crabronibus laceratus è vita exceſſit hoc die. Iacobus de Voragine Legenda* 18. *& Petrus de Natalibus lib.* 2. *cap.* 35. *de Sanctis.*

ANTHERVS *Papa* 20. *occiditur ſub Maximino Imp. & ſepelitur in cœmiterio Caliſti via Appia* 3. *Non. Ianuarij. Platina & alij.* 3.

GENOFEVA *Virgo Pariſienſis eodem die à Conciuibus ſuis colitur, ob multa miracula quibus patriam à plurimis periculis liberauit, idque ex inſtitutione Innocentij Papæ, vt Iacobus de Voragine Legenda* 113. *indicat, non tamen quotus hic Innocentius fuerit refert. Pingitur cum candela in manu & Dæmonio ad pedes ligato: nugantur enim, quòd duo cerei in manu eius accenſi ſint: & quòd plures obſeſſos à Dæmonio, oratione & crucis ſignaculo emundarit.*

DANIELIS *Leuitæ & Martyris feſtum* 3. *Non. Ianuar. quoque celebratur à Patauinis, non quòd eo die occiſus, ſed corpus eius inuentum ſit. Petrus de Natalibus lib.* 2. *ca.* 40.

PRISCVS *Presbyter, Priſcillianus & Benedicta Romæ ſub Iuliano Apoſtata comprehenſi, gladio occiſi ſunt prid. Non. Ian. & propterea eorum memoria hoc die celebratur. Pet. de Natalibus lib.* 2. *cap.* 42. 4.

TELESPHORVS *Epiſcopus Romanus* 9. *Nonis Ianuarij colitur quòd eo die ſub Antonino Imp. Martyrio coronatus & ſepultus eſſet in Vaticano iuxta B. Petri corpus. Pet. de Nat. lib.* 2. *cap* 46.

SIMEON *Stylites, qui annis quadraginta, haud procul ab Antiochia, in columna duodecim, poſteà verò* 40. *cubitorum, inſtar ciconiarum, vixit, hoc ipſo die honoratur Feſto, quòd tunc in ſuo illo nido expiraſſet. Vide hiſtoriam apud Euagrium lib.* 1. *cap.* 13. *Metaphraſtem, Lippomanem, Surium & Pet. de Natal. lib.* 2. *cap.* 45. 5.

EPIPHANIA. 6.

EPiphaniæ *vocabulum Græcum eſt, Latinis* Apparitionem *ſeu* Manifeſtationem *ſignificat. Nomen eſt autem Feſti, cuius primò mentionem faciunt Nazianzenus Oratione in ſancta lumina, & Chryſoſtomus de S. Philogonio, quocunque tandem tempore cœperit. Græci autem Ægyptij Feſtum hoc ſic nominarunt ab eo, quòd per Baptiſmum mundo Chriſtus manifeſtatus eſſet. Quia verò Natiuitatem Domini & Baptiſmum eodem die factum putarunt, idcircò vtránque feſtiuitatem vno & eodem ſimul die ſolenni celebrarunt: quemadmodum indicatur in argumento Epiſtolarum Theophili, libris Paſchalibus præfixa, per Caſſianum Scytham. Sic enim ibi dicitur:* Intrà Ægypti regionem mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracta Epiphaniarum die, quam prouinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici Baptiſmi,

Epiphaniæ etymon.

Natiuitas Chriſti & Epiphania à Græcis ſimul celebrata

ptiſmi, vel ſecundùm carnem Natiuitatis eſſe definiunt: &c. *Et Friſingenſis lib 7. cap.* 32. Græci, *inquit*, Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas Feſtiuitates vnam faciunt. *In Occiduis autem Eccleſiis Natiuitatis Chriſti & Epiphaniarum duæ diſtinctæ ſemper fuerunt Feſtiuitates, vt in eodem argumento Epiſtolarum Theophili oſtenditur & Durandus etiam teſtatur in Rationali lib 6. cap. 16. Et quidem tertiadecima die à Natiuitate Chriſti Epiphania celebratur ab Occidentalibus, propter triplicem Chriſti apparitionem hac die factam: vnde & in antiquis libris dies Epiphaniarum ſemper pluraliter legitur: atque ideò etiam triplici nomine inſignitur, ſcilicet* Epiphania, Theophania & Bethphania.

In Occiduis Eccleſiis Natiuitas Chriſti, & Epiphania diuerſa ſunt Feſta.

Epiphania quid. Epiphania *dicitur, quantùm ad illam apparitionem Domini. quæ facta eſt Magis per ſtellam. Inſcriptio Orationis ſecunda Nazianzeni in Sancta Epiphaniarum lumina, etiam* τῶν φώτων ἑορτὴν, *id eſt* Luminarium diem *idem Feſtum appellatum fuiſſe indicat, fortaſſis propter lumina vbique in eo accenſa, in memoriam eius ſtellæ quæ Magis in Oriente apparuit.* *Theophania quid.* *Secunda apparitio fuit eadem die in Baptiſmo, multis tamen à Natiuitate annis euolutis, ſcilicet die 13. triceſimi vel triceſimi primi anni Et dicitur* Theophania, *quia ibi Trinitas apparuit: Pater in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in columba.* *Bethphania quid.* *Tertiam apparitionem factam volunt anno à Baptiſmo Chriſti euoluto, quum eſſet 30. annorum, & 13. dierum, quando nimirùm ſe manifeſtauit vel declarauit eſſe Deum per mutationem aquæ in vinum. Hæc apparitio dicitur* Bethphania, *quia facta fuit in domo quum eſſet in nuptiis. De his tribus Apparitionibus fit Solennitas hac die. Durandus in Rationali lib.6.cap.16. Additur à quibuſdam huius Feſti quartum nomen* Phagiphaniæ, *quòd hoc ipſo die quinque millia hominum quinque panibus ſatiauit, vt refert Iacobus de Voragine in Legenda aurea ex Beda, & hymno illo qui in multis Eccleſiis cantatur, & incipit, Illuminans altiſſimus. Dubitatur autem an hac die ediderit Chriſtus hoc miraculum, tùm quòd in originali Bedæ non ſic expreſſè legitur: tùm quòd Ioannes cap.6. vbi hoc miraculum deſcribit, dicit: Erat autem in propinquo Paſcha.*

Phagiphania quid.

Epiphaniæ origo

Fuit autem hac dies apud Romanos celebris olim in honorem Auguſti Cæſaris, propter Parthiam, Ægyptum & Mediam debellatam, & Romano imperio additam. Hanc ergo ſolennitatem in meliùs Eccleſia commutare volens, Epiphaniarum Feſtum in eius locum inſtituit. Durand. Rationale lib.6.cap.16.

De Magis & Stella quæ eis apparuit in Natiuitate Chriſti.

QVum Epiphaniarum Solennitas celebretur inter alias cauſas, in memoriam Apparitionis ſeu Manifeſtationis Chriſti per ſtellam Magis facta, non contra inſtitutum noſtrum erit indicare, quinam hi Magi fuerint, vnde venerint, & quæ aut qualis illa ſtella ſit quæ eis apparuit, quum res hæc tota fabuloſis & ſtolidis Monachorum & ſimilium narrationibus valdè obſcurata ſit: earum tamen aliquas referam, vt iſtius generis hominum audacia & ſtupiditas cognoſcatur.

Matthæus Euangeliſta eos, quibus ſtella in Oriente apparuit, Μάγους Magos *vocat. Eſt id Perſicum Vocabulum, quo peculiare ſapientiſſimorum hominum genus, ipſo quoque Cicerone de Diuinatione teſte, appellatum fuit, qui & augurandi & diuinandi ſcientia inſtructi, non ſolùm Religionem curarunt, ſed etiam Regibus a conſiliis fuerunt. Teſtatur hoc quoque Porphyrius*: Magus, *inquit*, Perſarum lingua idem ſignificat quod apud nos altiſſimarum rerum interpretes & Cultor. *Diogenes etiam Laertius ſcripſit*: Magos Deorum cultui inſiſtere, preces illis, vota & ſacrificia (quaſi ſoli ab iis exaudiantur) offerre, de Deorum ſubſtantia ac generatione aſſerere, diuinationem prædicationémque exercere, ſibi Deos apparere aſſerentes. *Plato in Alcibiade priore dicit*, Magos Perſarum fuiſſe Sapientiſſimos. *Et Strabo lib. 16. teſtatur*, Magos id fuiſſe apud Perſas, quod apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Græcos Philoſophi, apud Latinos Sapientes, apud Gallos Druydæ, apud Aſſyrios Chaldæi. *Vnde Bap. Mantuanus lib 1. de Feſtis ſic canit.*

Magus quis.

Ille penes Perſas Magus eſt, qui ſidera norit,
Qui ſciat herbarum vires, cultúmque Deorum:
Perſepoli facit iſta Magos prudentia triplex.

Officij igitur & Dignitatis nomine, quem apud ſuam Gentem habebant, eos appellat Euangeliſta, non ab illudendo, vt quidam volunt, quòd Herodem illuſerint, non redeuntes ad eum. Chryſoſtomus putat ſic eos nominatos, quòd fuerint Malefici: ſic enim Magi Pharaonis dicuntur etiam. Equidem negari non poteſt, in tantùm progreſſu temporis auctam Perſicorum Magorum vanitatem, vt non ſolùm obſeruatione ſyderum futura prædicerent, ſed artibus quibuſdam, & maleficiis & ſcire ſe omnia, & facere poſſe profiterentur. An verò hi Magi tales fuerint, affirmare pro certo non poſſum. Si fuerunt, admiranda eſt Dei bonitas, qui Chriſto vix dum nato, tam procul (vt Theodoretus loquitur) Diaboli Vates ad ſui adorationem

Digitized by Google

euocauit, & Gentium primitias ex ipſis infero-rum penetralibus liberauit, idque per extraordinarium prorsùs Præconem, nouum videlicet ſydus.

Magi quibus ſtella in Natiuitate Chriſti apparuit, non fuerunt Reges.

Quicquid ſit, illud tamen hinc iam conſtare puta, Magos hos non fuiſſe REGES, *ſicut temerè omninò, & falsò tam diu creditum fuit in orbe Chriſtiano. Teſtatur id etiam deſcriptio horum Magorum ab Euangeliſta facta, quæ certè nihil dignitatis Regiæ præ ſe fert. Adhæc non regiè ab Herode vocantur: mittuntur ab Herode, ac demùm inſidiis eius elabuntur. Adde, quòd iſtos, ſi Reges fuiſſent, & ab Arſacidis tunc Perſidis regione potitis, miſſi, non ita facilè admiſiſſet Herodes Parthorum hoſtis iuratus. Denique hiſtoria ſacra id non tacuiſſet. Vnde Bap. Mantuanus lib. de Sacris ſic canit:*

Nec Reges, vt opinor, erant: nec enim tacuiſſent.
Hiſtoriæ ſacræ Authores: genus iſtud honoris
Inter mortales quo non ſublimius vllum.
Adde quod Herodes vt magnificentia Regum
Poſtulat, hoſpitibus tantis Regale dediſſet
Hoſpitium, ſecúmque Lares duxiſſet in amplos.

Error autem ex ſiniſtro intellectu Pſalmi 72. eſt exortus, in cuius verſu 10. ſic legitur: Reges Tharſis & Inſularum munera offerent: Reges Arabiæ & Saba dona adducent. *Hæc autem de ſpirituali regno Chriſti debent intelligi, ad quod Reges quoque acceſſuri ſint, vt Eccleſiæ nutritij fiant. Deinde ad Magos hos referunt, quos ab Oriente veniſſe Matthæus disertè dicit, quæ Pſalmus hic de Regibus Occidentis & Meridiei loquitur. Tharſis enim Iudææ reſpectu ad Occidentem ſpectat, Saba verò ad Meridiem.*

Deinde verò veterũ hanc eſſe traditionem Eccleſiæ volunt: quod probare conantur ex Tertulliano, Auguſtino, Hilario, Hieronymo, & recentibus aliis nonnullis Scriptoribus. Etſi verò his opponere poſſemus non minoris authoritatis Patres, Chryſoſtomum, Theodoretum, Cyprianum, Nyſſenum & Cyrillum, qui ne verbo quidem Regiæ illius Maieſtatis mentionem faciunt, etiam vbi hanc hiſtoriam diligenter pertractãt: tamen inſpiciamus loca, quæ ex Patribus ab aduerſariis citantur, & illarum ſtupiditatem atque malitiam mox deprehendemus. Tertullianus in libro contra Iudæos, verba illius Pſalmi huc applicans, inquit: Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retrò deputabatur. *Hic verò bis hallucinatur Tertullianus. Primò quòd Magos hos ex Arabia, atque adeò Damaſco Iudææ admodum vicina regione fuiſſe, putat, qui tamen ex Perſia aduenerunt. Deinde, quòd Orientem Magos ferè habuiſſe dicit. Nam Magos quidem in maxima authoritate apud Perſarum Reges fuiſſe, nemo negabit. Cicero lib. 1. de Diuinit. dicit, Nullum Perſarum Regem eſſe potuiſſe, qui non antè Magorum diſciplinam ſcientiámque percepiſſet. Adhæc ſine auctoritate & conſilio Magorum ne ipſis quidem Regibus quicquam agere licebat: Magos autem propterea dictos fuiſſe Reges aut habitos pro Regibus, nullo teſtimonio probari poterit. Et ſi maximè ſcripſerit hæc obiter Tertull. locum illum Pſalmi detorquens, non tamen ſequitur propterea Eccleſiæ fuiſſe traditionem.*

Tertulliani lapſus.

Hilarij error.

Hilarius autem locum Iſaiæ 45. cum altera illo Pſal. 72. comparat quidem, ſed ita, vt iſtas minimè Reges fuiſſe dicat. In eo autem manifeſtè errauit, quòd laborem Ægypti partim allegoricè de Magia interpretatur, partim de itinere à Magis confecto in Bethleem intelligit: nam Ægyptus non fuit ad Orientem, ſed ad Meridiem Iudææ ſita. Hieronymus etiam in Pſal. 72. non dicit eos fuiſſe Reges, ſed Regum typos, qui ſecundum illam prophetiam ex regionibus iſtis ad Chriſti cognitionem ſint acceſſuri. In Auguſt. autem loco citando ſuam iſti homines ſtupiditatem & inſcitiam produnt. Sic enim legitur in eius libro 3. de Mirabilibus Scripturæ, cap. 4. Magi Hieroſolymam venerunt, inde, incuntis Iſraelitarum oraculis Vatum de eodem natu vbi naſcendi locum acciperet, monente ſubdoloſo ſermone. Reges alacres eunt. *Quis enim non animaduertat corruptam & deprauatam eſſe lectionem, ſtudióne an ſecus incertum eſt, &* monente ſub doloſo ſermone Regis *(Herodis videlicet) vel vt in multis exemplaribus habetur,* monẽte ſubdoloſo ſermone Rege *(ſcilicet Herode)* alacres eunt, *legendum eſſe? Videtur igitur Ioan. Molano, & ipſi Pontificio cap. 57. de Picturis, receptam hanc opinionem de Magis iſtis primùm obtinuiſſe ex his quæ die Epiphaniarum in Eccleſiaſtica officio canuntur ex Pſalmis, Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, &c. ea tamen ipſe quóque, vt nos ſuprà, interpretatur: & adducit Lindanum, qui dicit, Authores Veteres, qui Magos hos Reges eſſe ſcripſerint, probabilibus tantùm coniecturis, non hiſtoria authoritate innixos.*

Auguſtini locus corruptus.

Epiphania non rectè Feſtum trium Regum dicitur.

Ex hac autem vana perſuaſione natum eſt, vt Feſtum hoc vulgò Trium Regum Solennitas *diceretur. Tres enim fuiſſe inde colligunt, quòd tres munerum ſpecies à Matthæo deſcribuntur, Aurum, thus, & Myrrha. Egregia certè ratio, quâ probabitur iuſtum exercitum ſecum habuiſſe Abigaelem, quum obuiam iret Dauidi, eique offerret ducentos panes, duos vtres vini, quinque arietes, quinque ſata polentæ, centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum. Non autem quid ſinguli, ſed quid illi ſimul omnes Chriſto obtulerint, ab Euangeliſta narratur. Quidam ex Veteribus quatuordecim illos fuiſſe aſſeuerarunt: quod tamen ipsũ quóque*

nulla

nullis certa ratione nititur. Numerus eorum incertus eſt.

Magorum nomina ficta.

Verùm enimuerò non hic ſubſtitit illorum hominum impudentia, quin nomina quoque Magorum commenti ſunt, quæ Hebraicè dicantur Appellius, Amerius, Damaſcus: *Græcè,* Galgalath, Magalath, Sarachin: *Latinè,* Caſpar, Balthaſar, Melchior, *vt refert Iacobus de Voragine in Legenda 14. Et vt nihil deeſſet ad impiam prophanotionem, mos etiam iſte verè magicus inoleuit, vt fictis his Caſpari, Balthaſaris, & Melchioris nominibus, cum crucis ſigno ter repetito, pura charta vel pergamenu inſcriptis & collo appenſis, quoſuis morbos, ſcilicet, depellant.*

Magi venerunt ex Perſia.

Veniſſe autem eos ex Perſia Chryſoſtomus apertò teſtatur. Et proinde falſum eſt, quòd dicunt ex Tharſi, Arabia & Saba veniſſe: quod figmentum ſuprà quóque refutatum eſt. Falſum eſt etiam, quod tertium ex his Magis Æthiopem eſſe dixerunt, propter Sabam nimirùm; quæ Æthiopiæ ſedes Regia olim fuit. Probant hoc etiam picturæ paulò vetuſtiores, & Colonienſes recentiores quóque, in quibus omnes tres candidi pinguntur, Ioan. Molano de Picturis teſte. Volunt deniquc nonnulli veniſſe eos ex Vrbe. Suſo, in qua Academia fuit liberalibus ſtudiis celeberrima, itinere ducentorum & triginta milliarium.

Chriſtus reuelatus Magis in Perſia per ſtellam.

Quomodo autem, & qua ratione Chriſtus Magis his in Perſia, longiſſimo itinere diſtante à Iudæa reuelatus fuerit, illi ipſi indicant, quando apud Matthæum Stellæ *mentionem faciunt, quam viderint in Oriente, & ab eadem illos poſteà Bethlehemum vſque deductos fuiſſe Euangeliſta teſtatur.*

Stella quæ Magis in Perſia apparuit, qualis fuerit.

Quæritur hic primò quæ, aut qualis hæc Stella fuerit? Aſtrologi reſpondent, Stellam fuiſſe primam, hoc eſt, cæleſtem à ſolis Magis & Sapientibus obſeruatam: quod etiam Chryſoſtomus innuere videtur, cum dicit, Stellam hanc ab omnibus viſam fuiſſe, ſed non ab omnibus intellectam. Aſſerunt porrò Aſtrologi fuiſſe hanc Stellam conſtellationem quandam ſyderalem, hoc eſt, plurium ſtellarum concurſum & congreſſum, puto, ſuperiorum Planetarum, Saturni videlicet ac Iouis conuentum. Huiuſmodi autem coniunctiones, raro admodùm contingentes, ſi in capite Zodiaci, vel in principio alicuius triplicitatis acciderint; ſignificare putantur, iuxta Aſtrologorum doctrinam maximas in mundo alterationes, & non ſolùm regnorum mutationes, ſed & nouos hominum conuentus, nouas religionum ac ceremoniarum leges portendere. Sic coniunctio illa Saturni & Iouis quæ anno Chriſti 1500. accidit, nouos illorum ſacrorũ ritus ab Hyſmaële Sophi inductos, & reformationem paulò poſt in Eccleſia Chriſti factam, nec non morbum illum contagioſum, medicis antea incognitum, quem alij Gallicum, alij Hiſpanicum morbum vocant, ſignificaſſe creditur. Alij non cœleſtem Stellam ſed elementarem fuiſſe arbitrantur, ex genere Cometarum vel impreſſionum ignitarum, quas in aëre nonnunquam apparentes Aſtrologi Stellas ſecundas *vocant. Sed Sydus Nouum & Extraordinarium fuiſſe tota narratio declarat. Nam ſi fuiſſet Stella aliqua ex iis quæ in firmamento fixæ ſunt, aut aliàs ſuas in ſuperiori mundi parte certas periodos habent, anteà quóque conſpecta eſſet tot ſeculis, iam à mundi initio elapſis. Deinde differt proprietatibus ab aliis Stellis. Primò loco: nam in aëre, & quidem regione eius inferiori ſeu propinqua apparet. Demonſtrat etiam Magis iter, ac teſtatur Matthæus, quòd ſuprà eam domum conſtiterit, ac indicis certiſſimi vice fuerit, vbi Puer Ieſus tùm egit. Aliæ Stellæ naturales propter ingentem à terris diſtantiam, non poſſunt aliquam domum ita exactè oſtendere. Secundò motu. Nam cæteræ ſtellæ ſuum habent motum, à quo non aberrant. Cometæ quóque ſequuntur illud ſydus, à quo maximè excitati & accenſi ſunt, & tandem plerúnque ad Septentrionem feruntur. Hæc autem Stella accomodat ſe Magis iter facientibus, non celeriùs properat, non tardiùs ſubſequitur: non declinat à certa via, ſed quaſi fax quadam ratione prædita Magis prælucet, ac deducit ad eum ipſum locum, quò tendunt: monſtrat eum, quem toto pectore videre cupiunt. Tertiò, reliquæ ſtellæ noctu tantùm fulgent, interdiu radiis ſolis oppreſſæ latitant. At hæc Stella nihil obfuſcatur Solis radiis, ſed interdiu lucem clariſſimam fundit, cum Magis Dux viæ fuerit. Quartò, ſignificatione. Nam nulla alia Stella, præter hanc, ſignificauit vnquam Meſſiam promiſſum eſſe natum. Eadem cauſa probant, hanc ſtellam non fuiſſe quoddam Meteoron, aut impreſſionem aliquam ignitam, in aëre temerè generatam. Nam ea citò diſparent, aut alios habent motus ac ſignificationes. Non temerè igitur à Chryſoſtomo in caput 2. Matthæi affirmatur, conſentaneum eſſe, quandam inuiſibilem virtutem in ſpecie ſyderis figuratam, ſeu, vt paulò poſt loquitur, virtutem quandam plenam rationis fuiſſe. Talia enim ſunt huius Stellæ opera, vt nonnulli non inconuenienter exiſtimarint, Angelum ſtellæ ſpecie, iuſſu Diuino Magis præluxiſſe. Teſtantur enim Hiſtoriæ Sacræ, aliàs quóque Angelos flammarum ſpecie conſpectos fuiſſe: hæc ſententia eſt Chryſoſtomi. Alij dicunt, non fuiſſe impoſſibile Omnipotenti Deo, & Authori totius machinæ mundi; in honorem Filij ſui Ieſu Chriſti nouam Stellam condere, eique peculiare hoc officium demandare, vt hoc pacto Magos ad Meſſiam deduceret: eóque peracto, eam poſteà rurſus ſubtrahere, & in præiacentem materiam conuertere. Nonnulli Spiritum Sanctum fuiſſe volunt, qui iam in ſpecie ignis apparuerit,*

apparuerit, ſicut poſteà in forma columbæ. Has ſententias enumerat Auguſtinus lib. 3. de Mirabilibus Scripturæ cap. 4. Remigius in Originali, & Iacobus de Voragine Legenda 14.

Stella quæ apparuit Magis, vt docuerit eos natum Christū.

Hæc verò muta Stella docere per ſe Magos hos tantum myſterium non potuit, ſed acceſſiſſe aliud apertius, quæ ad tantum ſuſcipiendum iter, & rem tam inuidioſam tanto feruore perſequendam impellerentur, prophetiam videlicet Bileami, vetuſtiſſimi & celeberrimi totius Orientis Magi. Eius Prophetiæ verba ſunt, Orietur Stella ex Iacob, *Num. 24. quæ vſque adeò cum Magorum percontatione congruunt, vt eò prorſus reſpexiſſe videantur. Ac refert ſanè Iacobus de Voragine, & Petrus de Nato. cap. 47. lib. 2. Magos Perſidis elegiſſe ex ſeipſis duodecim, qui per ſingulos annos aſcenderint montem Victorialem, & tribus diebus ibi commorantes ſeſe lauiſſe, & oraſſe Deum, vt ſibi Stellam, de qua Bileam prædixerat, oſtenderet. In die igitur Natiuitatis Domini, dum iidem ſic ibi manerent, Stellam ad eos veniſſe, quæ habuerit formam pulcherrimi Pueri, ſuper cuius capite Crux ſplenduerit, & Magos ſic allocutam eſſe,* Ite velociùs in terram Iuda, & ibidem Regem quem quæritis inuenietis. *Sed & Danielis olim apud Magos ſcripta dubium non eſt, quin fuerint pretioſa, ac fortaſſis etiam accuratiùs quàm apud ipſos Iudæos obſeruata, in quibus doctrinam de Meſſia ſumma fide & dexteritate tradidit, additis etiam quibuſdā præſagiis, quo tempore expectandus ille eſſet. Suetonius etiam in ſuo Veſpaſiano, & Tacitus referunt, in toto Oriente veterem & conſtantem opinionem fuiſſe, in Fatis eſſe, vt ex Iudæa oriundi rerum potirentur.*

Aſtrologorum error.

Turpiter igitur ſeipſos fallunt Aſtrologi, quando Magos hos per Aſtrologiam in Chriſti natiuitatis cognitionem peruenisse volunt, & inde ſuæ vanitatis & audaciæ prophanæ patrocinium captant. Nam Magi huius artis ductu in Chriſti cognitionem non venerunt, quam circa ſtellas naturales & earum motum ordinarium verſari ſcimus. Iſtam verò quæ Magos deduxit, non vulgarem fuiſſe probauimus: quemadmodum & illud, quòd muta hæc ſtella tantum myſterium per ſe Magos docere non potuerit.

Stellam quando primò viderint Magi.

De tempore etiam, quandò primùm hæc Stella exorta ſit, & Magi Bethleem peruenerint, an tempore puerperij, vel quoto tempore poſt quæritur? Epiphanius lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 51. aſſerit, ſecundo Natiuitatis anno Magos Chriſtum viſitaſſe: idque ex Herodis facto, qui Bimulos interfecit. Vſitata opinio eſt, decimo tertio die poſt Natiuitatem Chriſti Magos aduenisse. Vnde etiam die 13. à Natiuitate Domini hoc feſtum Epiphaniarum celebratur. Si quæras, qui fieri potuerit, vt in tam paruo tempore, per tanta terrarum ſpacia venire potuerint? reſpondet Iacobus de Voragine ex Hieronymo, vſos fuiſſe Dromedariis pro equis, qui vno die longius iter conficiant, quàm equus tribus diebus. Non autem habetur in Commentariis Hieronymi in Matthæum. Ex Remigio quoque dicis, Puerum, ad quem properarint, eos in tam breui ſpacio adducere potuiſſe.

Ritus in Epiphaniarum feſto.

Quia verò creditum fuit Magos hos Reges fuiſſe, propterea in honorem & memoriam eorum varij ritus hac die hinc inde obſeruantur. In Gallia vnus ex Miniſtris aulicis Regis eligitur Rex, cui Rex ipſe, cæteriſque Proceres inter epulandum miniſtrant. Idem etiam in Germania obſeruatur hoc die per Academias & vrbes à ſtudioſis & ciuibus: vt nimirum aliquem ex ſeſe Regem ſorte creent, cui apparatur conuiuium magnificum, in quo cæteri ipſi tanquam Regi, & ſimul hoſpiti miniſtrant. Fit hoc ad imitationem Gentilium. Apud Romanos enim Saturnaliorum diebus moris fuit, vt Domini famulos ſuos conuiuio exciperent, ipſique ſeruorum officio fungerentur.

De his autem aliiſque ritibus & conſuetudinibus, quæ in Epiphaniarum Solennitate obſeruantur, ita canit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papiſtici Regni:

Venit hinc lux alma Magorum,
Qui procul ex Perſis nato donaria Chriſto
Stella portarunt Duce. Reges hoſce fuiſſe,
Et tres duntaxat cenſent, credúntque Papiſtæ.
Conueniunt igitur multi certíque ſodales,
Atque creant aut ſorte, aut per ſuffragia Regem
Is creat inde ſibi regali more Miniſtros.
Tum conuiuantur multis ludúntque diebus,
Largo continuiſque trahunt ex ordine menſas,
Dum loculi vacui fiant, & creditor inſtet.
Horum etiam pueri confeſtim exempla ſequuntur,
Et Rege electo pompas menſáſque frequentant,
Vel nummis furto raptis, ſumptúue Parentum,
Vt ſimul & luxum diſcant, ſcelerotáque furto.
Hac etiam luce ædium herus, comiſque patronus
Quiſque facit magnam pro opibus cuiúsque placentam,
Vnum cui nummum, ſimul vt conſpergitur, indit.
Hanc ſecat in multas, vt turba domeſtica ſuadet,
Particulas, dátque vni vnam cuique: attamen iſta
Lege, ſuas habeant puer, vt virgóque magique,

Quæ

Digitized by Google

Quæ dein pauperibus ſub eorum nomine dantur.
Aſt omnes inter cui pars fortè obtigit illa
Qua nummum retinet, Rex ille agnoſcitur, & mox
Tollitur à cunctis clamore ad ſydera magno,
Qui creta accepta, crucibus laquearia pingit
Omnia: Vis ingens illis & magna poteſtas
Dæmonas aduerſum, lemurêſque, artêſque Magorum.
Tanta poteſt Rex, tanta cruces, quas dextera pingit
Aut pueri inſani, aut famuli, Dominiue prophani.
Cautè bis ſenas obſeruant denique noctes
A natali, vt thus ſuccendat in ædibus vnus
Quiſque pater, menſaque imponat nocte propinqua
Integrum panem, ad prunas & thuris odorem.
Cernuus ipſe aſtat primus, naréſque oculóſque
Fumigat, ac aures, & aperto ore haurit odorem.
Hunc ſequitur coniunx, & tota domeſtica turba.
Hoc prodeſſe ferunt, ne dentes, lumina, nares
Atque aures anno morbis vexentur in illo:
Poſtquam omnes fumum thuris cœpere Sabæi,
Prunas inſperſo thure ilicet arripit vnus,
Aſt alter panem, reliqui quos ritè ſequuntur,
Circumeúntque ædes prælato lumine noctu,
Vt ne dira fames defectu panis & eſcæ
Intret, neu Sagæ noceant molimina diræ.
Sunt qui duntaxat faciant tria talia noctes,
De cauſis iiſdem, totum tutóſque per annum
Se credunt fore: ſe Chriſto audet credere nemo.
Noctibus his etiam diuinant, atque diebus,
Totius ingreſſi de tempeſtatibus anni,
Vnum menſem vni tribuentes forte diei.
His etiam coëunt Iuuenes per rura diebus,
Aſcaule aſſumpto, vicóſque vrbéſque propinquas
Veſtibus accedunt cultis, cantántque domatim
In propriam cuiuſque incondita carmina laudem.
Vnde ferunt nummos, magnámque per otia prædam
Vel ſibi, vel templo vici: quaſi non alioquin
Paſſim à mendicis populus, Monachíſque grauetur.
Sunt vrbes, vbi coniuncti pueri atque puellæ
Hæc eadem faciunt: ſimulac nocteſcere cœpit,
Poma nucéſque ferunt cum nummis atque placentis.

In Italia quoque moris fuit olim hac die futurum Paſcha populo indicare & nominare, Sacerdos námque vel alius poſt Offertorium alta voce dicebat: Annuncio charitati veſtræ gaudium magnum, quod erit omni populo, quia Septuageſima erit tali die, & Paſcha tali Id tamen non vbique in ipſa etiam Italia obſeruatum fuit. Durand. Rationale libro 6. cap. 16.

7. IVLIANVS *Antiochenus relicta Sponſa Baſiliſſa, cum qua iam cubile intrauerat, monaſterium extruit, in quo mille Monachorum Pater efficitur. Tandem ſub Diocletiano & Maximiano Imp. ſupplicio afficitur à Martiano Antiochen. Præſide, 7. Idus Ianuarij. Pet. de Natal. lib. 2. cap. 52.*

8. EKHARDVS *Epiſcopus Friſingenſis obiit anno 453. tempore Childerici Regis Francorum: ſed canonizatus demùm eſt à Leone 9. circa annos Chriſti 1050. vt Auentinus teſtatur lib. 5. Annal. Eius feſtum celebratur die 8. Ianuarij.*

9. MARCELLINVS *Anconitanus Epiſcopus, podagricis doloribus excruciatus, colitur 5. Id. Ian. quòd tunc mortuus eſſet. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 59.*

10. PAVLVS *Eremita primus, inſidias ſub Decio ob Religionem Chriſtianam animaduertens, fugâ ſaluti ſuæ conſuluit, & annos natus 15. Eremum vaſtiſſimam adiit, vbi in ſpecum ſub montis radicem ſe recepit, vndè ad vitæ finem nuſquàm diſceſſit, hominem etiam nunquàm vidit, præterquàm ſupremo vitæ die Antonium & ipſum Eremitam. Moritur in illo ſpecu annos natus 113. quarto Idus Ianuarij, eámque ob cauſam memoria eius tunc celebratur. Hieronymus & alij in eius vita.*

NICANOR, *qui fuit vnus ex ſeptem Diaconis, ab Apoſtolis electis, Actor. 6. in Cypro martyrio coronatus, ibique ſepultus eſt 4. Idus Ianuar. eodem die colitur: Hieronymus.*

11. HYGINVS *Epiſcopus Rom. 10. ſub Antonino Pio occiditur, & ſepelitur 3. Idus Ianuarij, quo & feſto honoratur. Platina.*

12. SATYRIVS *quum in Achaia ſimulachrum præteriret, illúdque corrueret, ab Infidelibus comprehenſus & decollatus eſt pridie Id. Ian. vndè & feſtum eius tùnc celebratur. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 66.*

13. HILARIVS *Pictauorum Epiſcopus, & Arianiſmi ſtrenuus Impugnator, de quo Iacobus de Voragine multa fabuloſa narrat. mortuus eſt anno Chriſti 372. ſub Valentiniano & Valente Imp. Idibus Ian. quibus & Feſto die colitur. Teſtatur id etiam Bap. Mantuanus lib. 1. de Feſtis ita canens:*

Hic quóque Natalis tuus eſt memorandus Hilari
Tertia poſt decimam Iani cùm frigida tellus
Sub niue dormiret, te lux aſcendere ad aſtra
Vidit: &c.

14. FELIX *Presbyter ſub Diocletiano & Maximiano martyrium paſſus eſt Romæ, 19. Calend.*

Calend. Februar. iuxta portam Pincinam, vbi & ſepultus, & progreſſu temporis Eccleſiæ eius nomini dedicata eſt: Ipſe quoque Felix in Pincis inde cognominatus fuit. Pet. de Natalibus lib. 2. cap 74.

15. MAVRVS *Benedicti Abbatis Caſsinenſis cœnobij Diſcipulus mortuus eſt ex grauiſsimis lateris doloribus 18. Cal. Februar. quo die & memoria eius celebratur. Pet. de Natal. lib. 2. cap. 79.*

16. MARCELLVS *Epiſcopus Rom. 31. detruſus à Maxentio Imp. in cacabulum ad cuſtodienda animalia publica, pedore ac ſitu ibi mortuus eſt, & ſepultus à Lucina 17. Cal. Februar. vnde & feſtum eius tunc celebratur. Platina.*

17. ANTONIVS *Ægyptius Eremita, ætatis ſuæ anno 20. vendidit quæ habebat, partémque ſorori conceſsit, reliqua pauperibus diſtribuit. Et initio quidem locis à ſua villa remotioribus ſolus habitauit. Cùm autem annum ætatis 35. ingreſſus eſſet, in eremum ſeceſsit, duriorem quàm antè vitam ſibi proponens. Ibi quum per annos 20. latuiſſet in publicum tandem prodiit, & familiaritatem cum Monachis aliis, ad quos ſapè acceſsit, coluit. Ingreſſus eſt & vrbes Chriſtum fideliter prædicans. Tandem inde rediens in duriſsimam eremum ſe contulit, vbi ad montem ſublimem habitaculum ſuum conſtituit, moritúrque anno Chriſti 361. 16. Cal. Feb. vnde & dies ille ei ſacer eſt. Hieronymus & alij. Romæ hoc die pueri S. Spiritus viſunt Sudarium.*

18. PRISCA *Nobilis & Senatorij ordinis ciuis Romani Filia, paſſa eſt ſub Claudio Imp. 15. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 96.*

19. PONTIANVS *Spaletanus, omni ſuppliciorum genere excruciatus tempore Antonini Imp. quòd idolis Ethnicis ſacrificare nollet, tandem martyrio coronatus, ſepultúſque eſt 14. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 102.*

20. SEBASTIANVS *ortus ex Narbonenſi Gallia, primæ cohortis Diocletiani Imp. Princeps, ſed Chriſtianus fuit, inſcio tamen Imperatore: qui multos Chriſti Fideles & Martyres exhortationibus ſuis ad conſtantiam animauerat & in fide retinuerat. Delatus igitur apud Imperatorem comprehendi iuſſus eſt, & in apertum campum deduci: vbi à militibus trunco arboris alligatus & ſagittis quàm plurimis transfixus, corpus verò eius in cloacam abiectum eſt. Bergomenſis lib. 8. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 106. Paſſus eſt, vt idem refert, circa annos Domini 288. 13. Cal. Febr. Sagittarij & Sclopetarij patrocinio eius hodiè vtuntur, quòd ſagittarum ictibus interemptus ſit.*

21. AGNES *Nobiliſsima Romæ ciuis, ob inſignem & excellentem corporis formam, ab Ethnici cuiuſdam Prætoris vrbani filio adamata fuit. Sed eius connubium quum repudiaret Puella Chriſtiana, nuda in lupanar tracta eſt, vbi tamen mirabiliter pudicitia eius cuſtodita eſt, & Ethnicus repreſſus. In ignem etiam coniecta exuri non potuit, tandem iugulata eſt anno Chriſti 306. 12. Cal. Feb.*

Beleth in Rationali cap. 75. nugatur, Agnetis Feſtum celebrari cœpiſſe propter quoddam miraculum, quod octauo die eius parentibus ad tumulum Agnetis lamentantibus contigerit. De quo Antoninus tit. 8. cap. 1. § 39. ita ſcribit: Cùm octauo die parentes eius iuxta tumulum eius vigilarent orando, viderunt chorum Virginum fulgidis veſtibus radiantem, inter quas viderunt B. Agnetem ſimili veſte fulgentem: & à dextris eius Agnum ſtantem niue candidiorem. Hinc Agnus à pictoribus ei ſemper adpingitur, & à Romanis mulieribus ei quotannis hoc die offertur, ex cuius lana pallia Archiepiſcopalia conficiuntur: de quo Naogeorgus lib. 4. Papiſtici regni ſic canit:

Virginis Agnetis ſequitur lux, haud ea ſanè
Germanis adeò ſolennis, feſtáque: verùm
Grata eſt Romanæ multùm primoribus aulæ,
Principium vt magnæ prædæ, quæſtúſque futuri.
Námque in ea binas agnos candore niuali
Agnetis templi monachæ primam ſuper aram
Dum celebrantur Sacra, Dei cantatur & agnus,
(Ad rem nempè hæc cuncta) ſolent offerre quotannis.
Hos dein Pontificis mittunt in læta Miniſtri
Paſcua, tondendi dum opportuna appetat hora.
Candida dentaſa miſcetur cum altera lana,
Indeq; prægnanti torquentur ſtamina fuſo,
Ex quibus arguta texuntur Pallia dextra.

MENRADVS *ſeu* MEGINRADVS *Berchtaldi Comitis Sulgouu ad Danubium habitantis Filius, Augia diuitis relicto monaſterio, in tenebroſiſſimam ſolitudinem apud Heluetios anno Domini 860. conceſsit, ibique cellam ſibi extruxit, vbi tamen anno 863. à latronibus duobus (qui Tiguri poſteà capti rota igníque adiudicati ſunt) trucidatus, corpus autem ad Augiam diuitem reuectum, ibique honorificè ſepultum fuit, 12. Calend. Februarij, & propterea memoria eius ea die quo Agnetis celebratur. Eleuatum tamen, & ad priſtinum locum, in quo occiſus erat, corpus eius tranſlatum fuit anno Chriſti 1039. 6. Octobris.*

VINCENTIVS *Hiſpanus fuit, Leuita Sanctiſsimus qui Valentiæ ſub Præſide Daciano, anno 300. 11. Calend. Februar. martyrium fecit. De quo Bergomenſis in Supplemento ex Sermone quodam D. Auguſtini hæc citat: Magnum & admirandum ſpectaculum noſter animus cœpit: nec immaniſsimam & pernicioſiſsimam, ſicut ſolent in theatris, quarumcunque nugarum, ſed planè vtiliſsimam & fructuoſiſſimam voluptatem* 22.

aculis

oculis interioribus hauſimus, quum B. Vincentij paſsio legeretur. Iuuat videre inuictam Martyris animum contra inſidias antiqui hoſtis, contra ſauitiam Daciani contra dolores mortis, carnis acerrima conflictatione certantem, & in auxilio Dei cuncta ſuperantem. Nam Dacianus ipſe, Sanctiſsimum hominem in equleo primùm leuatum toto corpore diſtendi fecit, diſtentúmque diuerſis vulneribus cruciari, cruciatum etiam pectinibus lacerari, carnificéſque ad crudelius ſauiendum verberibus fecit vrgeri. Eiuſdem deinde corpus in craticula poſitum vncis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi, ac ſale ignito aſpergi, laceratúmque in teterrimo carcere fecit includi: ibique teſtas acutiſsimas congeri, in lignóque pedes eius affigi, & ſine humano ſolatio derelinqui. Verùm in probatis Auguſtini Sermonibus iſta hodie non leguntur, ſed apud Iacobum de Voragine Legenda 25. & Petrum de Natalibus lib. 2. cap. 111. vbi etiã addit, defuncti in carcere corpus in campum tractum, & feris auibúſque deuorandum expoſitum poſteà verò in mare proiectum fuiſſe, ſed in littore inuentum à piis quibuſdam ſepultum, & tandem Valentiam deductum eſſe,

23. EMERENTIANA *& ipſa Ciuis Romana, Sociáque Agnetis in martyrio indiuulſa fuit. Quum enim Agnetis corpus à Chriſtianis ſepeliretur, vix Ethnicorum eos lapidibus impetentiũ, manus euaſerunt. Emerentiana autem ad ſepulchrum eius ſtans intrepida, quum Gentiles de impietate & crudelitate redargueret, lapidibus obruta interficitur. Eius corpus iuxta Agnetis à Parentibus eius ſepelitur, 10. Cal. Febr. Pet. de Natalibus libro 3. cap. 13. & Meffreth de Sanctis Sermone 1. de Agnete.*

24. TIMOTHEVS *Pauli Diſcipulus, natus fuit Lyſtris Lycaoniæ, vt putatur: quia ibi eum Paulus inuenit primùm, Act. 16. Adoleſcentem admodùm. Quum miniſtro & comite eo Paulus vti cœpiſſet, vſq; adeò eum temporis proceſſu deamauit, vt nec charius eo, nec pretioſius quicquam habuerit. Tandem rogatus à Paulo, vt Epheſi maneat, ibiq; Eccleſiam inſtruat, de qua re ei præcepta per totam priorem ad Timotheum epiſtolam præſcribit, Epheſi ſubſtitit. Qua occaſione Euſebius lib. 3. cap. 14. Sophronius & alij plerique, primum eum Epiſcopum factum Epheſiorum tradiderunt. Sed quomodo & quandiu Epheſina Eccleſia doctor & Gubernator præfuerit, certi & explicati nihil apud aliquem probatum Authorem traditur. Quare nec pro certo affirmare poſſumus, eum Epheſi, quòd ad porticum templi Dianæ propius accedens, Idololatriam Epheſiorum redarguiſſet, paliis & lapidibus obrutum, martyrium conſummaſſe 9. Cal. Febr. quod plerique tradiderunt, vt Antoninus, Vincentius lib. 38. cap. 10. & Petrus de Nat. lib. 3. cap. 17. ex Polycrate Presbytero.*

CONVERSIO PAVLI, *cuius hiſtoria legitur Actuum nono cap. facta dicitur 8. Calend. Februar. à Iacobo de Voragine Legenda 28. & Petro de Natalibus libro tertio, cap. 20. Vnde & tunc memoria eius celebratur. Mentio autem huius Feſti primò fit ſeculo demùm duodecimo à nato Chriſto à probatis Authoribus. Nondùm tamen vbique celebratum Innocentij tertij tempore, hoc eſt, circa annos 1200. ex eius Epiſtola patet, quæ extat inter eius Decretales libr. 1. in qua monet Vuormatienſem Epiſcopum, vt feſtum Conuerſionis Pauli ipſe celebret, & faciat per ſuam Diœceſin ſolenniter celebrari.* 25.

Eſt hic dies apud plebem criticus, vtpote cuius ſerenitas fructuum abundantiam, venti bello, nebula peſtem, nix & pluuia caritatem indicare creduntur. Vnde hi ſunt verſiculi qui omnium ore circumferuntur:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.
Si fuerint Venti deſignant prælia Genti.
Si fuerint Nebulæ pereunt animalia quæque.
Si Nix, ſi Pluuia, deſignant tempora cara.

Sed concludendum:

Ne credas certè, nam fallit regula ſæpè.

Eſt enim hoc genus Diuinationis quod μαντικὴ κοινὴ ἢ δημώδη, *Latinè populare vel plebeium nominant, quia imperita plebi in vſu eſt, & proptereà etiam ſæpè fallit: nam non inquiſitis cauſis euentuum in natura, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu, ex iis ſolùm, quæ vt plurimùm eodem modo euenire iiſdem antegreſsis ſignis animaduerterunt ac notarunt, de multiplicibus euentibus, de tempeſtatum cœlique mutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate vel caritate annonæ, de aëris ſalubritate vel infectione, déque bellis & ſimilibus modò feliciter, modò infeliciter diuinant.*

POLYCARPVS *Celebris inter Apoſtolicos viros, qui nimirùm proxima poſt Apoſtolos ætate vixerunt, fuit Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus. In perſequutione autem ſub M. Antonino Vero mota, ad ipſos quóque Chriſtianos qui Smyrnæ agebant ventum eſt. Nullius verò tetri facinoris vir Sanctiſsimus reus agi poterat: ſed ideò tantùm trucidandus indicabatur, quòd excellentiſsimus Doctor Chriſti hactenus fuiſſet, ſanámque doctrinam in Aſia propagaſſet, deniq; idola Ethnica demolitus fuiſſet. Non autem Præſes ſolùm eius loci lictoribus mandata de capiendo & perimendo integerrimo ſenè dabat, ſed ipſimet auditores Polycarpi, ſententiam mortis in eum tulerunt, & adiudicatus igni à Præſide ſpontè odio furentes ſarmenta ad ignem comportarunt. Verùm hæc omnia, & quàm præclarè ſe in ipſo ſupplicio geſſerit, in epiſtola Smyrnenſium continentur, quæ extat apud Euſebium lib. 4. cap. 15. Paſſus eſt autem annum agens ætatis 86. 7. Cal. Febr. Hieronymus de viris illuſtribus.* 26.

27. IOANNES CHRYSOSTOMVS *mortuo Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo, communibus ſuffragiis populi & cleri, iuſſu Arcadij Imp. in eius locum electus eſt. Cùm autem in Epiſcopatu fidelem ſeſe exhiberet Dei miniſtrum, calumnijs Falſorum Fratrum, virorum Politicorum, Aulicorum, Hæreticorum, Ethnicorum, & in primis Eudoxia Imperatricis, efficitur apud Imp. Arcadium, vt in exilium mitteretur: in itinere, dolore capitis & febri correptus, diem ſuum obiit 14. Non. Socrates lib.6. cap.21. Sozomenus lib.8. cap.28. anno Domini 408. Proclus autem Epiſcopus Conſtantinop. corpus eius Conſtantinopolim tranſtulit, iuſſu Theodoſij Iunioris, multóque honore in Eccleſia Apoſtolorum condidit, anno 35. poſt depoſitionem eius, viceſima ſeptima Ianuarij, quo die memoria eius in Græcorum Eccleſia ex eo tempore celebratur. Socrates lib.7. cap.45.*

28. CAROLVS *Magnus Imperator, circa annum Domini* 1164. *vel iuxta Auentinum* 1166. *de ſarcophago leuatus, & Sanctorum Catalogo aſcriptus eſt ab Adriano* 4. *Papa, Friderici primi Imp. interceſsione, in magno Epiſcoporum ac Principum conuentu, ac celebri feſtiuitate, tripudiantibus omnibus ad memoriam victorioſiſſimi quondam Imperatoris, & nunc Sanctiſſimi Principis. Feſtum autem eius celebrandum decernitur* 5. *Calend. Febr. quòd eo die ardenti febri correptus, laterum dolore, quem vocant pleuritidem, extinctus ſit, anno Chriſti* 814. *Cranzius lib.6. cap. 46. Metropolis. Auentinus lib.4. Annal. fol. 338. in German. edit. Munſterus lib.3. cap 214.*

IVLIANVS *Epiſcopus Cenomanenſis, qui Simon ille Leproſus eſſe creditur, quem Dominus à Lepra liberauit, quique in Bethania eum conuiuio excepit, eodem die colitur cum Carolo, quòd tunc obiiſſet. Antoninus tit.6. cap.25. §. 4. Petrus de Nat. lib.3. cap.35.*

29. FABIANVS, *quem Pet. de Nat. lib. 3. cap.* 42. Sabianum *nominat, paſſus eſt in territorio Trecaſſino ſub* °*Aureliano Imp. qui dùm in Hiſpania & Gallia reſideret, & ad Trecas vrbem veniſſet, Fabianum Chriſtum prædicantem comprehenſum decollauit 4. Cal. Februar.*

30. ADELGVNDIS *quam alij* ALDEGVNDIM *nominant, ex Regali Proſapia orta anno Dominicæ incarnationis* 630. *in Francia regnante Dagoberto Clotarij Filio, nuptias honeſtas & à Deo conceſſas fugiens, in monialem conſecratur, & monaſterium Malbodienſe extruit, in quo cum multis ſui ſimilibus degens, tandem in dextera mamilla cancro morbo corripitur, qui corpus illius exæſtuans, vſque ad vltimum diem, qui 30. fuit Ianuarij, depaſtus eſt.*

DE SEPTVAGESIMA, SEXAGESIMA & ſequentibus Dominicis in genere. 31.

QVia Septuageſima *præſenti hoc anno Chriſti* 1591. *incidit in diem* 31. *Ianuarij, ideò de illa, quemadmodum & de* Sexageſima, Quinquageſima, Quadrageſima *&c. in genere dicendo occaſionem eſſe puto. Vbi ante omnia notandum, Dominicas ſeptem proximè ante Dominicam Paſsionis peculiaribus inſigniri nominibus. Prima enim ex ſeptem vocatur Septuageſima, ſecunda Sexageſima, tertia Quinquageſima, quarta Quadrageſima, ſeu prima Quadrageſimæ, quinta ſecunda Quadrageſimæ, ſexta tertia Quadrageſimæ ſeptima quarta Quadrageſimæ. Deinceps autem non dicitur quinta Quadrageſimæ, ſed Dominica Paſsionis.*

Porrò Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ nomina apud nullum probatum authorem ante Gregorium M. inueniuntur. In Gregorij autem huius Antiphonario & Sacramentario officia harum Dominicarum deſcribuntur: quem etiam authorem horum nominum fuiſſe Eccius innuere videtur homilia 3. *huius Dominicæ. Mentionem deinde earum faciunt multi Authores poſt Gregorium.*

De nominibus autem Septuageſimæ &c. diuerſæ ſunt ſententiæ. Beda, Alcuinus & alij dicunt, ad Ieiunium Quadrageſimæ additam eſſe à quibuſdam hebdomadam vnam, & illam conſequenter nominaſſe Quinquageſimam. Alios addidiſſe aliam, quam Sexageſimam vocarint: fuiſſe qui & tertiam adiecerint, eámque Septuageſimam nominaſſe. Alij volunt Dominicas has ſic nominari à dierum numero, quibus incipiunt & finiuntur. A Septuageſima enim vſque ad Sabbathum in Albis præcisè ſunt dies Septuaginta: à Sexageſima ad feriam quartam poſt Paſcha ſunt dies Sexaginta. A quinquageſima ad Paſcha vſque dies ſunt Quinquaginta. Verùm hoc pacto omnis Dominica Septuageſima, Sexageſima & Quinquageſima dici poſſet, ſi numerentur dies 70. 60. *&* 50. *nec curetur vbi finiantur. Alij igitur aiunt, denominari quidem has Dominicas à Paſchate, ſed* συνεκδοχικῶς *: nam à Septuageſima ad Paſcha ſunt dies* 70. *id eſt,* 64. *à Sexageſima vſque ad Paſcha ſunt* 60. *dies, hoc eſt,* 57. *à Quinquageſima vſque ad Paſcha ſunt* 50. *dies. Verùm hac ratione Septuageſima eſſet potiùs appellanda Sexageſima: nam dies* 64. *magis dici deberent Sexaginta quàm Septuaginta. Rupertus Tuitienſis ergò, putat hæc nomina non à numero dierum deſumpta eſſe, ſed à numero Dominicarum. Voluerunt enim Veteres ante Dominicam Paſsionis præmittere*

mittere ſeptem celebres Dominicas, quibus in memoriam reuocarent ſpiritualem captiuitatem noſtram, ſicut per Paſſionis Dominicam & ſequentem celebratur memoria Redemptionis noſtra à captiuitate iſta. Hac ſententia prima Dominica ex ſeptem illis dicitur Septuageſima, quia eſt prima ex ſeptem. Secunda dicitur Sexageſima, quia eſt prima ex ſex. Tertia dicitur Quinquageſima, quia eſt prima ex quinque ſequentibus. Quarta dicitur prima Quadrageſima ob eandem cauſam, vt Rob. Bellarminus Ieſuita indicat.

De Septvagesima in ſpecie.

Septuageſima cur inſtituta.

SEptuageſima *inſtituta dicitur tres ob cauſas.* Primò, *propter ſuppletionem. Quidam enim non modò non feria quinta ieiunarunt, ob quam Sexageſimam inſtitutam fuiſſe, poſteà dicemus, ſed ne Sabbathis quidem Durandus in Rationali lib. 6. cap. 24. hoc Innocentio primo tribuit, quem decreuiſſe ait, ne Sabbatho ieiunarent, eò quòd Dominus in Sabbatho in ſepulchro quieuerit, in ſignum futura noſtra quietis. Hoc verò falſiſſimum eſt: imò contrarium prorsùs decreuit Innocentius Epiſt. 1. ad Decentium: Sabbatho, inquit, ieiunandum eſſe ratio euidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum, ipſius Dei Imaginem frequentamus, ac ſexta feria propter Paſſionem Domini ieiunamus: Sabbathum pratermittere non debemus: quoniam inter triſtitiam & latitiam temporis illius videtur incluſum, &c. Extat etiam de Conſec. diſt. 3. Ieiunium. Idem author eodem loco, Iacobus etiam de Voragine Legenda 32. & Petrus de Natal. lib. 3. cap. 45. aiunt, ſed ſine authore, Meltiadem & Silueſtrum Papas, ſtatuiſſe, vt bis in omni hebdomade comederetur, ne propter abſtinentiam Sexta notura nimis debilitaretur. Tamen ex Auguſtino intelligitur Aſiaticos & alios nonnullos ex Apoſtolorum quadam traditione Sabbathis non ieiunaſſe. In ſuppletionem igitur ſeu redemptionem ſeptem dierum Sexageſima, adhuc vnam ſeptimanam addiderunt, quam Septuageſimam nominarunt.* Secvndò *celebratur Septuageſima propter Significationem. Per hoc enim tempus ſignificatur Pontificiis Deuiatio, Exilium & Afflictio humani generis ab Adamo vſque ad finem mundi: vnde & toto hoc tempore Septuageſima cantica latitia intermittuntur.* Tertiò *propter repraſentationem Septuaginta annorum Babylonica Captiuitatis. Vndè ſicut Iſraëlita tunc organa ſua depoſuerunt, dicentes, Quomodo cantabimus Canticum Domini &c. ſic & Papiſta hoc tempore cantica laudis deponunt. Abſurdiſſimum autem eſt, inter dies Exilij, Deuiationis & Captiuitatis computare diem Reſurrectionis Domini, qui eſt dies Latitia, Gaudij & Perfecta libertatis.*

FEBRVARIVS.

Feſta & Memoriæ Sanctorum quæ Februario Menſe à Chriſtianis celebrantur.

IGnatius *Calendis Febr. colitur, quoniam tunc paſſus dicitur. Fuit Diſcipulus* 1.
Ioannis Euangeliſta, & poſteà tertius poſt Petrum Antiochenus Epiſcopus creatus. Cùm autem Traianus Imp. feliciter res in Oriente geſſiſſet, capta Babylonia, & profligatis Perſis, qui in Aſiam irruptionem fecerant, cùm paſſim alibi, tùm verò vel in primis Antiochia Deos ſuos, tanquàm praclara huius victoria Authores, publicis encomiis ornari ac celebrari curauit, & in miſeros Chriſtianos, id facere detrectantes, ſauire iuſſit. Iſta igitur crudelitate permotus Ignatius, ipſum Imperatorem, in ſua Eccleſia commorantem, adit, idololatriam & immanem perſequutionem redarguit. Conijcitur igitur in vincula & Romam vſque deducitur, vbi leonibus obiicitur. Illi carnibus & oſſibus eius tenerioribus deuoratis, craſſiora tantùm & firmiora ibi reliquerunt, Nicephoro teſte. Iacobus de Voragine Legenda 36. indicat, duos leones famelicos ipſum tantummodò praſocaſſe, carnes eius non tetigiſſe: quam rem admirantem Traianum mandaſſe, ne prohiberentur ſi qui corpus eius ſepelire vellent. Eius oſſa poſt multos annos à Chriſtianis Antiochiam translata ſunt. Ex quo tempore dies translationis ſub Theodoſio poſteriore Imp. celebris haberi cœpit, circa annum Domini 450. iuxta Nicephorum lib. 4. cap. 44. quem deinde Gregorius Sacerdotum Princeps magnificentius celebrandum inſtituit, teſte Euagrio lib. 1. cap. 16.

Brigidæ *memoria eodem die celebratur, quòd tunc diem ſuum obierit. Fuit illa Virgo Scotica tempore Iuſtiniani Imp. Eam quum parentes eius nuptui tradere vellent, Virginitatem illa perpetuam elegit, cùmque lignum altaris pro more tetigiſſet, ſtatim viride factum fuiſſe dicitur in teſtimonium Sanctitatis eius & ſic manſiſſe vſque in praſens. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 69.*

2. PVRIFICATIONIS Mariæ Feſtum.

Feſti huius origo. *PAulus Diaconus lib.16. de Romanorum geſtis refert, anno Iuſtiniani Imp.8. terramotu & concuſſione ruptam terram, ac dimidiam vrbis Pompeiopolitanæ in Miſia partem abſorptam. Auditas eſſe voces miſerabiles hominum pereuntium, qui auxilium implorabant: verùm fruſtrà. Sanguinem quóque è nubibus decidiſſe, in hominum veſtimenta: ac ſubſecuta varia morborum genera, quibus miſeri mortales in ipſa quóque Imperatoria vrbe Conſtantinop. abſumpti ſint. Motus ergo tot, tantiſque calamitatibus & præſagiis maiorum malorum pius Imperator, inſtituit in Chriſti honorem Feſtum ſecundo die Febr. celebrandum, quod ὑπαντῆς, hoc eſt, obuiationis per Simeonem in templo factæ, dictum fuiſſe Nicephorus lib. 17. cap. 18. Eccius homilia 3. de Purificatione Mariæ ex Nicolao de Lyra & Vrſpergenſe in Iuſtiniano teſtantur: cuius obſeruatione ſe ab hac lue liberari poſſe ſperabant. Factum hoc anno Domini 542. vt Sigebertus, Paulus Diaconus & Funkius in Chron. referunt. Poſterioribus demùm temporibus à Pontificibus Rom. mutatum, nomen quóque nouum accepit, vt* Mariæ *eiúſque* Purificationis Feſtum *diceretur, quod prius Chriſti fuerat: in memoriam eius, quòd Maria ſecundùm præceptum Domini, quod extat Leuit.12. in templum venit vt purgaretur, Luc.2. Durand. Rational. lib.7.*

Inſtitutum eſt autem Feſtum hoc cum ſuis ceremoniis ad imitationem feſti Ethnici. Proſerpinam in principio menſis Febr. Pluto ob formam præſtantiſſimam rapuerat, & vxorem duxerat, iuxta Poëtarum fabulas, Deámque fecerat. Quam Ceres mater eius facibus accenſis in Æthena Siciliæ monte diu quæſierat. Ideò Romanæ mulieres in huius rei memoriam Calendis Februarij feſtum luminum celebrarunt, de nocte vrbem luſtrantes, eam facibus & candelis ardentibus ambiendo. Secundò, de quinto in quintum annum luſtrarunt etiam vrbem cereis & facibus accenſis, in honorem Februæ Martis Matris, vt filius eius victoriam ſibi de hoſtibus concederet, cuius Matrem tàm ſolenniter honorarent. Tertiò per dies duodecim continuos huius menſis, Plutoni, cæteriſque Diis infernalibus iidem ſacrificabant. Iunoni etiam Februatæ hoc menſe rem diuinam fecerunt in Lupercalibus, quibus mulieres februabantur à Lupercis. Hæc feſta Februa vocarunt, non tàm quòd celebrarentur in honorem Februi & Februæ; quàm quod eſſent Februa, id eſt, quædam luſtrationes, piamina & expiationes vrbis Romæ, præterea viuorum & mortuorum. Nàm Sabinorum lingua Februum purgamentum ſignificabat. Vnde ab his Februis, id eſt purgamentis, menſi quóque, in quo fiebant, nomen eſt impoſitum. Hinc & Plutarchus in Romulo Februarium menſem Græcè καθάρσιον, hoc eſt, expiatorium ſonare indicat. In quam ſententiam etiam Iuba Maruſius nomen ei eſſe à tollendis atque abolendis ſpectrorum terriculamentis, Maniúmque, quibus parentabant, phantaſmatis ſcripſit, Athenæo teſte. Superſtitiones iſtæ Ethnicæ & profanæ obſeruabantur Romæ, poſt ea quóque tempora, quandò abiecto Gentiliſmo, Chriſtianam profiterentur religionem. Damnarunt quidem eas eius vrbis Epiſcopi: ſed quum haud facilè in vniuerſum tolli & abrogari poſſent, ipſi in melius eas commutare conati ſunt: quod tamen ſic factum ab ipſis, vt nomen ſaltem mutatum, eadem autem ſuperſtitiones & ceremoniæ impiæ retentæ ſint. Fatentur hoc ingennè Durandus in Rationali lib.7. cap.7. Beleth in Rationali lib.7. cap.18. Bernardinus de Buſto in Mariali par.7. Serm.1. Eccius hom.3. de Purificatione Mariæ. Meffreth. ex Innocentio Sermone 1. de Purificatione Mariæ. Quibus etiam aſtipulatur B. Rhenanus, qui in Annotationibus ſuis ad lib.5. Tertulliani contra Martionem, Negari equidem non poteſt, *inquit*, ardentium cereorum, quos hodie Chriſtiani eo die, qui Purificatæ Mariæ dicatus eſt, ex more circumfertur, à Februalibus Romanorum ſacris originem ſumpſiſſe. Pertinaci Paganiſmo mutatione ſubuentum eſt, quem rei in totum ſublatio potiùs irritaſſet.

Nomen vnde hoc feſtum habeat. *De immutatione autem nominis huius feſti ex Paganiſmo in Chriſtianiſmum, ſic Iacobus de Voragine Sermone 82. de Sanctis ſcribit.* Feſtum iſtud, *ait*, in honorem Matris luminis tranſtulerunt: vt in eius honorem deferamus lumina, quæ nobis genuit Verum Lumen: vt iam non fiat in honorem Proſerpinæ Sponſæ Dei infernalis, ſed ad honorem Sponſæ Dei cœleſtis. Nec iam fiat ad honorem Februæ matris Dei belli, ſed ad honorem Matris Dei pacis. Iam non fiat ad honorem curiæ infernalis, ſed ad Reginæ omnium Angelorum. Et meritò tranſlatio iſta facta eſt. Honorabant Romani Proſerpinam, vt ſic à ſuo ſponſo acquirerent gratiam: honorabant Februam, vt ſic à Filio ſuo impetrarent victoriam: honorabant dæmones animas punientes, vt inclinarent eos ad miſericordiam. Sed iſta tria à Matre Dei recepimus, ſcilicet Gratiam, Miſericordiam & Victoriam. Et ideò cantat Eccleſia: Maria Mater Gratiæ, Mater Miſericordiæ &c. Ipſa enim viuis dat gratiam: ideò dicitur, Maria Mater gratiæ. Defunctis impetrat miſericordiam: ideo ſubditur, Mater Miſericordiæ. Et vniuerſali

Eccleſiæ

Eccleſiæ de hoſtibus obtinet victoriam: ideò additur, Tu nos ab hoſte protege. *Sed hoc blaſphema & impia ſunt in Filium Dei, qui ſic priuatur honore, de quo dicit apud Prophetam, quòd eum nemini daturus ſit.*

Ceremonia huius feſti. *Ceremonia autem huius feſti, qua in locum rituum ab Ethnicis obſeruatorum ſucceſſerunt, hæ ſunt. Primùm quæ allata ſunt ab vnoquóque in templum candela vel cerei & faces in Miſſa benedicuntur & conſecrantur: deinde diſtribuuntur: tertiò fit proceſſio, in quo plebs vniuerſa portans cereos ardentes in manibus, per Eccleſias procedit.*

Ritus conſecrandi CEREOS in Feſto Purificationis Mariæ.

RItus verò, quo à Pontifice Romano cerei in hoc Feſto benedicũtur & conſecrantur, ſic in libro 2. Ceremonialis Rom. Eccleſia deſcribitur. Primò ordinantur candela in loco conuenienti benedicenda, & diſtribuenda per illos, ad quos ſpectat: videlicet duo cerei magni ponderis, 20. librarum, deaurati, & depicti: & alius minor etiam pulchrè ornatus ponderis duarum librarum, vel circà, quem Pontifex in proceſſione in manu portat. Item facula cera alba pro Cardinalibus, Regibus, & maximis Principibus, ponderis trium librarum vel circà. Item facula in numero ſufficienti pro Oratoribus, & Prælatis cera communis, ponderis duarum librarum qualibet. Item facula vnius libra in numero ſufficienti pro Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Camera, Acolithis, Cubiculariis, Ceremoniariis, Scutiferis Papa & aliis Officialibus. Item facula media libra in numero copioſa pro populo. Admiſcentur etiam Credentiarij Papa, vt manè ordinent in eo loco, vbi Candelarum diſtributio futura eſt, in angulo ſuper altare, vel in alio loco condecenti, vaſa & aquam pro lauandis manibus Papa, cum mantili & gremiali, ac medulla panis: Præparent etiam Clerici Capella in loco conuenienti duo candelabra, & cum luminaribus vas aqua benedicta cum aſperſorio, & thuribulum cum nauicello. Item paret Baldachinum pro ſupplicatione habendo pro Pontifice. Deinde hora congruenti Papa indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluuiali rubro, & mitra ſimplicibus venit ad Capellam vel Eccleſiam, vbi candela ſunt benedicenda. Tunc facta oratione ante altare, cùm ſederit, Cardinales faciunt reuerentiam in cappis conſuetis, duo vltimi remanent in aſſiſtentia Papa. Et Diaconi duo aſſiſtentes vadunt ad capiendum paramenta: illis reuertentibus illi duo vltimi vadunt ad ſedes ſuas & ibi capiunt paramenta. Cardinales alij interim in locis ſuis, & Prælati extra Capellam capiunt paramenta violacei coloris ordini ſuo conuenientia. Diaconi Cardinales portant planetas plicatas ante pectus, quibus omnibus paramentis Pontifex benedicit candelas more ſolito. Solent tum, quando Papa benedicit, & diſtribuit candelas in parua Capella ad euitandam frequentiam, Cardinales & alij Officiales omnes accipere paramenta in Camera, & venire cum Papa parati Sacris veſtibus, non tamen Supplicantium more. Et tunc Cardinales cum paramentis ſupradictis faciunt reuerentiam prædictam Pontifici. Papa verò miniſtrantibus Epiſcopis librum & candelam, & aſſiſtentibus duobus Diaconis Cardinalibus more ſolito ſtans detracta mitra, benedicit candelas verſus ad illas ſubmiſſa voce legendo, dicens: Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Sancte Pater, &c. cum quatuor ſequentibus, prout in Ordinario. Incepta quinta oratione per Pontificem, vocatur prior Preſbyterorum Cardinalium, accedit ad Pontificem, cum eo duo Acolithi cum ſuperpelliciis induti, vnus cum thuribulo & nauicello, alius cum vaſe aqua benedicta, & aſperſorio. Finita benedictione, imponit incenſum in thuribulum more conſueto, deinde accepto aſperſorio de manu Presbyteri Cardinalis, ſtans ſine mitra aſpergit tertiò candelas, & deinde incenſat ducens ter thuribulum, ſedet poſt hac, & imponitur ei mitra. Tum prior Epiſcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarij, vel eius locum tenentis, cui clerici Camera eos ſubminiſtrant, & illos dat Papa cum debitis reuerentiis oſculando primò cereum, deinde manum Pontificis, cùm Pontifex eos tangit. Qui cerei deinde dantur ad mandatum duobus Nobilibus, quorum inſignior vadit ad dexteram, alter ad ſiniſtram Papa, & ibidem ſtantes eos tenent ad finem Miſſa. Poſt magnos cereos datur Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde ſeruat vnus ex Cubiculariis Camera. Iſto vtitur Papa in toto officio. Cùm Papa cerei dantur, Cantores incipiunt, Lumen ad reuelationem, &c. Cereos omnes diſtribuendos debent miniſtrare Clerici Camera ſtantes à loco vbi ſunt candela, vſque ad Papam, & illos dare vſque ad manum Diaconi Cardinalis Papa aſſiſtentis à parte candelarum, qui illas miniſtrat. Vt verò Papa accepit ſuas candelas, duo auditores à Credentiariis Papa mappulam ſumentes eam per Cardinales aſſiſtentes gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent. Et Pontifex incipit diſtribuere aliis, primò Cardinalibus ſecundùm ordinem, incipiendo à ſeniore, id eſt, ab eo qui ſibi cereos dedit, & Cardinalibus Officialibus, videlicet vice Cancellario, Camerario & Pœnitentiario

dat duas candelas vno quolibet. Celebraturus autem quum primùm candelam ſuam acceperit, vadit ad faldiſtorium ſuum apud altare, & accipit paramenta omnia pro Miſſa conſueta, ſicque paratus expectat Pontificem more ſolito. Cardinales cùm candelas accipiunt, manum Papæ oſculantur, deinde genu, alij vero Prælati parati ter ante Pontificem genua flectentes, accepta candela oſculantur genu tantùm. Pœnitentiarij oſculantur pedem tantum. Omnes vero alij quicunque ſint genuflexi coram Pontifice accepta candela oſculantur eius pedem. Diſtributio autem fit ſecundùm ordinem conſuetum Curiæ. Ita tamen quod Prælati præferantur paratis Oratoribus Laicis, & Clericis non paratis quorumcúnque Oratores ſint, & quibuſcúnque etiam aliis Principibus exceptis illis, qui inter Cardinales ſeu in plano ſupremo ſolij Papæ locum habent. Illi autem ſtatim ſequuntur Cardinales aut Aſsiſtentes Papæ, & alios quoſcunque Prælatos. Finita diſtributione, portatur aqua ad abluendas manus Papæ per nobiliorem Curiæ, comitantibus ipſum ſeruientibus armorum, & Magiſtro Sacri palatij, ſeu hoſpitij, quem etiam duo auditores præcedunt, quorum vnus mappullam ad tergendas manus portat more conſueto. Et portatur cum aqua ſupra vas ipſum medulla panis pro mundandis manibus Papæ, per credentiarios parata, & prior Epiſcoporum Cardinalium adiuuat infundentem aquam manibus Papæ. Lotis manibus accedunt ante Pontificem duo Acolythi cum Candelabris, & Luminoribus, & deponitur mitra Papæ, qui ſurgit, & Epiſcopis aſsiſtentibus ex more librum Miniſtrantibus dicit cantando: Oremus. Et Diaconus à dextris dicit, Flectamus genua: & omnibus verſus altare genua flectentibus aliis Diaconis à ſiniſtris ſtatim continuat, Leuate. Surgunt omnes, & Papa cantat orationem. Exaudi Domine, &c. Qua finita Papa ſedet, & accipit mitram, & priore Presbyterorum Cardinalium & Acolytho miniſtrantibus imponit incenſum pro ſupplicatione more conſueto, & Cantores incipiunt Antiphonam, Cùm appropinquaret Dominus. Accenduntur candelæ, & fit ſupplicatio more ſolito vſque ad locum paratum, vnde proiicere debet candelas populo. Deinde ad Eccleſiam ſiue Capellam, vbi Miſſa dicenda erit, hoc modo proceditur. Scutiferi Papæ, quos ſequuntur alij more conſueto. Papa, Cardinales & alij omnes debent propriis manibus ſuas candelas portare ardentes à loco, vbi incœperit ſupplicatio, vſque ad locum vbi Miſſa erit dicenda. Cùm autem peruentum fuerit ad locum vbi candelæ per Papam populo ſunt proiiciendæ, manent omnes extra locum ſuo ordine, & cum Pontifice intrant Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarij, Clerici Cameræ miniſtrantes candelas, Epiſcopi aſsiſtentes Papæ, Diaconi aſsiſtentes Papæ & Cardinales, qui voluerint intrare pro loci capacitate, Cantores apud oſtium extrà cantant, alij Epiſcopi omnes parati ſtant hinc inde ordinatè extrà dictum locum, quouſque Papa candelas populo proiecerit. Papa venit ſub baldachino, quod per Nobiliores Curiæ more conſueto portatur, proiectis candelis reuertitur proceſsio eo ordine quo venit: vel ſi alibi celebrandum eſt quàm vbi candelæ benedictæ ſunt, proceditur vſque ad capellam vbi erit Miſſa dicenda, & Officiales & Prælati omnes extrà cancellum ſuperpellicia & paramenta deponunt, & cappas accipiunt, cum quibus intrant capellam. Cardinales autem intrant cum paramentis, quæ deponunt intus in ſuis locis, & extinguuntur candelæ omnes exceptis duobus cereis Papæ quos illi duo Nobiles deputati cõtinuò tenent ardentes. Papa cùm fuerit ante inferiores gradus altaris, vbi Miſſa dicenda erit, ſi in illa Capella candelas non benedixit, genuflectit in faldiſtorio, & depoſita mitra orat more conſueto. Cùm ſurgit, extrahuntur ſibi pluuiale rubrum & ſtola violacea, & accipit ſtolam, & pluuiale alba pretioſa. Si verò ibidem candelas benedicit, quia priùs ibi orauit, cum primùm ante altare fuerit, deponit paramenta ſimplicia prædicta, recipit alba & pretioſa, & ibidem ante altare cum celebraturo Cardinale facit confeſsionem, & incipitur Miſſa. Finita confeſsione accepta mitra pretioſa aſcendit ad ſedem eminentem, non fit ei amplius reuerentia & Presbytero Cardinali, aſsiſtente miniſtrante imponitur incenſum. Cardinales interim veniunt ad circulum, incenſatur altare, deinde Papa qui poſt dicit Introitum, & alia more ſolito. Finito Gloria in excelſis &c. Presbyter Cardinalis aſsiſtit vt moris eſt. Antequam incipiatur Euangelium, accenduntur omnes cerei, & per Papam, Cardinales & Prælatos, & alios omnes accenſi tenentur in manibus vſque ad finem Euangelij. Deinde redduntur ſeruitoribus qui eos ardentes tenent vſque poſt communionem: dicitur tantùm vna oratio & ordinariè non fit ſermo. Miniſtri vtuntur dalmatica & tunicella.

In aliis Eccleſiis ſimpliciter candelæ à populo aræ imponuntur, à Sacerdote conſecrantur, diſtribuuntur, & proceſsio fit. Sic enim Naogeorgus libro quarto Papiſtici Regni canit:

Poſt venit illa dies, qua Chriſtum Virgo Parenti
Obtulit in templo, Moſis præſcripta ſecundũ.
Tum candelarum vim magnam ſexus vterq́;
In delubra gerit, quas paſtor conſecrat ara.
Impoſitas, magna pompa, verbiſque tremendis.
Poſt accendit quiſque ſuam, dum Sacra trahuntur.
Sanctulus ille ſibi prorsùs, magnuſq́; videtur,
Qui

Qui multum cera candelam finxit in vnam:
Felix, clara & vina à cuius flamma reluxit.
Baptiſta quoque Mantuanus de re eadem in ſuis Faſtis ita cecinit, vbi Obuationis & Exceptionis Chriſti à Simeone facta meminiſſet.
Poſteritas huius facti memor annua Feſta
Inſtituit pompa & facibus celebranda quotannis.
Ecce Sacerdotum cera flagrante coruſcat
Agmina quæ turbam faculas iaculantur in omnem.
Irruit vndatim vulgus; puerique frequentes
Ad Sacra porrectis manibus munuſcula currunt.
Sæpius accenſis pubes villatica ceris
Laſciuire ſolet per ruſtica templa: quod olim
Me memini vidiſſe: faces immittere certant
Alter in alterius crines fumúmque ciere
Ludo incompoſito, tetris nidoribus aras
Inficiunt: riſúque leui delubra profanant.

Candelarum conſecratarum vis.

Porrò hìs ſic conſecratis candelis non minorem vim tribuunt, quàm olim Ethnici ſuis cereis & facibus: iam iis pro ἀλεξικάκῳ & amuleto vtuntur. De quo ſic Naogeorgus canit lib. 4. Regni Papiſtici:
Mira eſt candelis illis & magna poteſtas:
Nam tempeſtates creduntur tollere diras
Accenſa, ſimul & ſedare tonitrua cœli,
Dæmones atque malos arcere, horrendáque noctis
Spectra, atque infauſta mala grandinis atque pruinæ.
„ *Quàm facilè hi poſſunt omnes ſedare tumultus*
„ *Et cœli & terræ, pelagique: vt credere Chriſto*
„ *Nil ſit opus, veróque Deo committere cuncta.*
Vnde & in Conſecratione horum cereorum & candelarum his verbis vti ſolent. Rogamus te, *aiunt*, per inuocationem Sancti tui Nominis, & per Interceſſionem Mariæ B. Virginis, Matris Filij tui (cuius Feſtum cum ſumma deuotione hodie celebramus) & per omnium Sanctorum tuorum interceſſiones, vt conſecrare velis has Candelas, ad vtilitatem & commodum hominis, & ad ſalutem animæ & corporis eius ſiue in terra, ſiue in mari ſit. *Et mox:* Domine Ieſu benedicas obſecro hanc creaturam tuam ceram, & concede illi cœleſtem tuam benedictionem, per potentiam Sanctæ tuæ Crucis, vt ſicut data eſt humano generi ad effugandas tenebras, ita nunc eam quoque vim percipiat, per ſignum Sanctæ Crucis, vt vbicúnque accendatur & ponatur, Malignus Spiritus contremiſcat, & ita territus aufugiat cum omnibus ſeruis ſuis ex habitatione illa, nec deinceps vexet eos, qui tibi adhærent. *His ita peractis, adiurat deinde cereas candelas illas, his ferè verbis:* Adiuro te creaturam ceram, in nomine Domini noſtri & Sanctæ Trinitatis, vt ſis extirpatio & depulſio Diaboli, & ſpectrorum eius, &c. Omnes itaque (*inquit Eccius tom. 3. homil. 3. de Purificatione Mariæ*) Chriſtiani Luminaribus illis pio affectu vti debent, ſpe bona firmiter confidentes fore, vt ſic ab omnibus inſidiis & fraudibus Diabolicis virtute verbi & orationis huius liberentur. *Sed hæc eſt manifeſta blaſphemia & idololatria: dùm Sic in vanum ſumunt nomen Dei & S. Trinitatis, ceræ etiam tribuunt, quod Soli Chriſto & viuifica virtuti Spiritus Sancti aſcribendum eſt.*

Ab hac verò candelarum conſecratione, diſtributione & circumgeſtatione, quam in hoc feſto in Mariæ honorem vſurpant, Feſtum ipſum Candelarium & Luminarium dies *quoque appellatur: à Miſſa verò in qua benedicuntur hoc die, Germanicè Liechtmeß, dicitur.*

De authore autem, qui Luminaria Ethnicorum in Candelaria Chriſtianorum primò commutarit, diſcrepantes Authorum ſunt ſententiæ. Centuriatores Magdeburgenſes hoc Vigilio Papæ tribuunt Centuria 6. col. 673. qui Pontificiam ſellam aſcendit circa annos Chriſti 538. Balæus etiam Cent. 1. in Vigilio. Iacobus verò de Voragine Serm. 82. de Sanctis. Gregorio Magno: teſte quoque Meffreth. Petrus autem de Natalibus lib. 3. cap. 72. Meffreth Ser. 1. de Purificat. Mariæ, Iacobus de Voragine Legenda 37. aſcribunt hoc Sergio Papæ: non tamen indicant quotus is fuerit: quidam primum fuiſſe volunt, qui vixit in Pontificatu circa annos 689. alij verò tertium fuiſſe aiunt, qui Pontificatum tenuit circa annos Domini 907. Hanc verò diſcrepantiam authorum Valerius Anſelmus Ryd. tollere mihi videtur, quum dicit, Purificationis B. Mariæ ſolennitatem ſub Vigilio Romano Pontifice in Faſtos relatam contra peſtilentiam Conſtantinopoli: à Sergio Pontifice Cereis illuſtratam: Gregorium M. autem hoc feſtum, quemadmodum & alia, Proceſſione honoraſſe: in Catalogo gemino annorum & Principum ab orbe condito.

Quis Luminaria Ethnicorum in candelaria Chriſtianorum commutarit.

LVDI MARIARVM.

Hiſtri, qui olim Veneti nominis hoſtes erant acerrimi, Februario menſe in ædem D. Petro dicatam, quæ Oliuolenſis olim dicta, nunc Caſtellana appellatur, clàm Pyraticis nauibus ſuperato portu irruentes, Virgines non paucas, quæ in templum conuenerant de veteri more ciuitatis, vt nuberent, abduxerunt, magnáque inde præda ac cæde adita, Caprulas petiere. Quos, re ſtatim cognita, Petri Candiani Ducis ductu, ſeu magis (vt aliis conſtare video) Badoarij Principis auſpiciis, Veneti, non ſine tamen graui

certomine, oppreſſcre, omuibus fermè out captis, aut od vnum cæſis. Recepta itaque omni præda incolumi, vt memores ſeſe tanti beneficij ſupremo Numini exhiberent, LVDOS, iuſſu publico, qui MARIARVM ſunt dicti, inſtituerunt. Erant autem in his Ludis Virgines duodecim, omni ornatu inſtructæ: aderátque illis comes adoleſcens, ſub Angeli ſpecie, qui ſecundo Februarij menſis die magnam vrbis partem luſtrarent, præcipuo totius ciuitatis plauſu tripudióque. Ea res per trecentos & amplius annos ſtatis ſolennibúſque ceremoniis quum perſeueraſſet, tandem Genuenſis belli tempore ſublata penitùs eſt: quòd manifeſtò deprahenſum ſit, multa Religionis prætextu grauiſſima flagitia ob his commiſſi. Manſit tamen inde facti tam celebris perennis memoria, quòd Dux Senatúſque ipſe Diuæ Mariæ Formoſæ templum ſecundo Februarij luce celebri pompa inuiſit. Egnatius lib. 1. cap. 3.

3. BLASIVS Epiſc. fuit Sebaſtiæ Cappadocum. In perſequutione autem ſub Diocletiano & Maximiano ſtationem ſuam deſerens in ſpeluncam Argei montis auffugit, ibique Eremiticam vitam egit, & hominum pecorúmque morbos varios ſanauit. Inde verò ab Agricolai Præſidis militibus extractus in carcerem conijcitur. Sequenti die quum Ioui ſacrificare nollet iuſſu Præſidis fuſtibus cæditur, & rursùs in carcerem detruditur. Poſt aliquot dies iterum educitur inde, & ob eandem cauſam in ligno ſuſpenditur, vnguibúſque ac pectinibus ferreis laniatur: tandem decollatur 3. Non. Febr. Vnde Mantuanus in Februario:

Tertia Cappadocum Paſtor ſanctiſſime Blaſi
Lux tua.

In ſacris eius candela offertur: nugantur enim, viduam quandam porci mactati caput, pedes, candelam & panem Blaſio in carcerem attuliſſe: cui gratiis actis, iuſsiſſe eam ſingulis annis in Eccleſia ſui nominis [quaſi verò ſub Diocletiano & Maximiano Impp. multa Eccleſiæ in Blaſij honorem extructæ fuerint] candelam offerre: hæc verba ſubiunxiſſe, Tibi, & quicunque hoc fecerit benè erit. Illam ſic facientem multi imitati ſunt, & ſanitatem receperunt. Inde apud omnes paſsim in conſuetudinem abiit, vt ſi fortè ex dentibus, &c. laborarent, vel etiam ſi pecora ægrotarent, eius auxilium implorarent, & Candelas in eius honorem offerrent. Beleth. in Rat. cap. 82.

Solet etiam hodiè adhuc à ſuperſtitioſiſsimis hominibus angina aut aliquo gutturis morbo laborantibus inuocari. Sic enim Mantuanus eodem loco:

Adſis Sancte tuis, & nos dignare Clientes
Cuſtodire: nihil nobis angina, nec vlli
Officiant morbi: tua præſentiſsima nobis
Sit tutela ſalus: tibi mitia corda fuerunt
Semper, & es ſolitus voces audire Precantum:
Tu nurui reddis cicurem, tu guttura verbo
Suffocata aperis: & nos audire memento.

De origine & cauſa Idololatriæ huius Vincentius in Specul. libro decimo tertio, capite quadrageſimo quinto, Petrus de Natalibus lib. 3 cap. 76. & Iacobus de Voragine Legenda 38 ſic fabulantur. Quum duceretur, inquiunt, Blaſius ad carcerem, Mulier quædam filium ſuum in agone mortis exiſtentem, quòd in eius gutture os piſcis tranſuerſum eſſet, ad pedes eius attulit, & vt eum ſanaret cum lachrymis poſtulauit. Blaſius itaque, impoſitis ei manibus, orauit, vt Puer ille, & omnes, qui in eius nomine à ſimilibus morbis liberari peterent, ſanarentur: & ſtatim ſanatus eſt. Iidem referunt, quum duceretur ad locum ſupplicij oraſſe rursùs eum, vt quicunque pro infirmitate gutturis vel alia aliqua infirmitate eius patrocinio poſtularet, continuò exaudiri mereretur: & vocem de cælis auditam, ſe eſſe à Deo exauditum. Sed quis non intelligat hæc Sanctis affingi?

VERONICAM, aurea Legendæ Author, 4.
Mulierem illam fuiſſe tradit, quam profluuio ſanguinis liberatam à Chriſto Euangeliſtæ referunt, ob eáque ſudarium Chriſti, cui effigiem faciei ſuæ impreſsit, quum ſanguinis guttas abſtergere vellet, quod Romæ in æde Sancti Petri adhuc hodiè aſſeruatur, & populo quotannis in die Paſsionis Domini publicè monſtratur VERONICÆ nomen accepiſſe dicit, quòd id ei, cùm ad ſupplicij locum duceretur, dediſſet. Apud Surium autem tomo 4. de Vitis Sanctorum hæc fabula aliter narratur: nimirùm, Dominum Sudarium hoc apud Thomam depoſuiſſe, quúmque aſcendiſſet in cælos per Taddæum iuſsiſſe mitti ad Abagarum Edeſſæ Principem, ſicut ei literis fuiſſet pollicitus. Damaſcenus autem lib. 4. cap. 17. & Nicephorus lib. 2. cap. 7. indicant, Abagarum hunc miſiſſe pictorem ad depingendam imaginem Chriſti: quum verò Pictor ille propter ſplendorem vultus id præſtare non poſſet, Chriſtum ipſum ſudarium vultui admouiſſe, & ei imaginem ſuam impreſsiſſe, & Abagaro eam cupienti miſiſſe. Vides igitur vt nugatoribus iſtis inter ſe conueniat. Euſebius in fine lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſt. ſimpliciter teſtatur, ſe in archiuis Reipublicæ Edeſſenæ legiſſe, Abagarum per literas rogaſſe Ieſum, vt Edeſſam veniret, & ſe à graui morbo liberaret (non, vt imaginem mitteret.) Dominum verò literis reſpondiſſe, ſe poſt aſſumptionem ſuam miſſurum aliquem, qui hoc præſtaret. (Non ergò promiſit ei mittere imaginem ſuam.) Miſiſſe igitur poſt Aſcenſionem in cælis Taddæum Apoſtolum, qui impoſitis Abagaro manibus ipſum priſtinæ valetudini reſtituerit.

AGATHA Virgo Nobilis Cathaniæ vrbe 5.
Siciliæ, tempore Decij impetrat. à Quintiano

vira

Digitized by Google

viro Conſulari primò ad ſtuprum, deinde ad cultum Deorum alienorum ſollicitata, conſtantiſſimè tenuit. Deinde in equuleo ſuſpenditur: tertiò mamilla eius torquentur, & diutiſſimè torta abſcinduntur: miraculosè autem ſanata in carcere, teſtis fractis & carbonibus imponitur: terramotu autem facto, in carcerem reducitur, vbi & ſpiritum ſuum emiſit Nonis Febr. anno 252. quo die mulieres, & nurus præcipuè eam colunt, Sic enim Mantuanus in Feſtis.

Gloria Sicaniæ gentis pulcherrima Virgo
Diua Agathe nonas menſis tua Feſta ſecundi
Sacrauere: Nurus illo votiua ferentes
Dona die veniunt digitis fulgentibus auro:
Sericeiſque tuas adeunt in veſtibus aras.

Refert Durandus in Rat. lib. 7. cap. 6. ad caput Agathæ in ſepulchro poſitam fuiſſe tabulam, in qua ſcriptum fuerit: Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo patriæque liberationem. Hinc conſuetudo inoleuit apud Papiſtas, vt cum tabula eius imaginem continente, proceſſio fiat. Romæ quóque hoc die feriæ ſunt Puellarum & Matrum lactantium.

6. DOROTHEA *virgo Cæſarienſis Cappadociæ, quòd fidem in Chriſtum abnegare nollet, capta & palmis diutiſſimè cæſa, tandem data ſententia capitis ſupplicio affecta eſt anno Chriſti 282. 8. Idus Febr. Quum ad locum ſupplicij duceretur, quidam, quòd illa ad paradiſum ſponſi ſui tendere ſe diceret, per riſum ei dixerat, vt de paradiſo roſas ſibi mitteret, quod & illa promiſit. Dum autem iugulo ferienda eſſet, aſtitit ei Iuuenis qui Virginis in ſinum tria mala, & tres roſas poſuit: quem Sancta rogauit, vt eas homini iſti afferret: quod vbi factum eſſet, & ille miraculum agnouiſſet, ad fidem Chriſti conuerſus eſt, ſi verum eſt quod Pet. de Natalibus narrat lib. 3. cap 101. Hæc propterea tantùm adſcripſi, vt intelligatur, quam ob cauſam Dorothea in templis Chriſtianorum & locis aliis roſas in manibus geſtans pingatur.*

De SEXAGESIMA.

7. M*Elthiades Papa de Conſecr. diſt. 3. c. ieiunium inſtituit, vt nemo ieiunaret in quinta feria propter Domini Cœnam, & Aſcenſionem: ſicut nec in prima feria, quæ ſolennis eſt propter Domini Reſurrectionem, vt inter Chriſtianorum & Gentilium vera non falſa diſcretio ſit. Placuit igitur Priſcis in redemptionem quintarum feriarum Quinquageſimæ addere vnam hebdomadam in ieiunio: & vocatum eſt tempus illud Sexageſima.*

8. CORINTHA, *quam Pet. de Nat. lib. 3. cap. 106. Cointam vocat, Alexandriæ ſub Decio adorare idola nolens pedibus connexis per plateas vrbis trahitur, & horrendum in modum diſcerpitur 6. Idus Febr. anno 247.*

APOLLONIA *virgo Alexandrina, ſed Chriſtiana, quòd idola adorare nollet capitur, eique dentes primùm omnes excutiuntur, poſteà viua comburitur 5. Idus Febr. ſub Decio, quo etiam die quibuſdam in locis magnificè colitur. Sic enim Mantuanus in Faſtis:* 9.

Gloria fœminei ſexus Nilotica Virgo,
Quæ capus antiquo veniens ob Apolline nomen,
Nona dies menſis tibi conſecrata ſecundi,
Lampadas accendit, flammis & odoribus aras
Lætificat: magnóſque tibi perſoluit honores:
Tota tuas celebrat modulans Eccleſia laudes.
Et coniuncta choro ſalientibus organa pulſat
Articulis Pſaltes: reſpondet ad organa cantus.

Nugatur enim Meffreth, quum Apollonia ad locum ſupplicij ducta fuiſſet, rogaſſe Deum, vt ſuæ paſſionis facientes memoriam ab omni periculo animæ & corporis cuſtodiat, crimina eorum clementer dimittat, fomitem libidinis in eis extinguat, extremam paupertatem & ſubitaneam mortem videre non ſinat: mulieres in partu laborantes prolis datione exhilaret, mortíſque tempore eis benignus Cooperator appareat & aſſiſtat: & factam eſſe vocem de cœlo dicentem, Veni dilecta mea, accipe coronam tibi ab Æterno præparatam, ſciens pro certo te omnibus petitionibus tuis exauditam. Ideò ab iis, qui in his periculis conſtituti ſunt, inuocatur, quemadmodum etiam ab iis qui dentium doloribus laborant. Vnde ſic orat Eccleſia Papiſtica: Æterne ac mitiſſime Deus, concede propitius, vt qui beatæ & glorioſæ Virginis ac Martyris Apolloniæ, quam excuſſis pro tui nominis confeſſione dentibus, de morte acerbiſſima triumphare feciſti, martyrium recolimus, vt eius meritis & precibus à dolore dentium, & ab omni languore corporis & animæ protegi & eripi mereamur. Fabulatur idem Meffreth, Apolloniam, morſibus ſerpentum ſuccurrere, & corpora ab illis occiſa putrefieri non permittere.

SCHOLASTICA *Monialis, & Benedicti, monachatus in Occidente authoris ac fundatoris, Soror, moritur in ſuo cœnobio 4. Idus Febr. & in Caſſinenſi monaſterio ſepelitur. Gregorius M. Dialogo 2. cap. 34.* 10.

EVPHROSINA *filia Pannutij ciuis nobiliſſimi Alexandriæ fuit. Eam quum pater nobili iuueni deſpondere vellet, ipſa, relictis parentibus, monaſterium petiit, ibique, ſexum habitúmque mentita monachus fit, Smaragdum ſe nominans. Cùm autem eleganti eius forma cæteri Monachi aliquandò tentarentur, Abbatis conſilio ſeparatim cellulam inhabitauit, vbi 38. annis incluſa, omnibúſque incognita manſit. Tandem graui morbo correpta accerſi Pannutium iubet, cui rem totam, & quòd ſit Euphroſina ipſius filia narrat, certíſque indiciis probat, in cuiúſque* 11.

manibus

manibus ſpiritum emiſit 3. Idus Febr. Pet. de Nat. libro tertio, capite decimo quinto.

12. SEVERINVS *Abbas Aganienſis monaſterij fuit. Cùm Clodaueum Francorum Regem à febri ardentiſſima liberaſſet, nihil aliud pro munere petiit, licet multa pecunia ei fuiſſent oblata, quam vt in tota regno omnes captiui liberarentur: quod etiam factum eſt. Vnde à captiuis inuocari cœpit. Tandem moritur & ſepelitur prid. Idus Febr. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 115.*

IVLIANVS, *quem Mantuanus in Faſtis Iabanum nominat, eodem die cum Seuerino colitur, quòd tunc obiiſſet. Teſtatur id Author nominatus his verſibus de Iabano ſeu Iuliano ſic canens:*

Ipſa quoque membris egreſſa ſenilibus vmbra
Sancta viri terras tandem mutauit Olympo:
Cùm Februi biſſena dies decurreret: ipſa
Veris ingreſſu: &c.

Dixerat ei in venatione ceruus, quem inſequebatur, quòd vtrunque parentem interfecturus eſſet. Id ſcelus euadere tentans, relictis parentibus, ad Principem in remota regione profectus, ibi ita præclarè ſe domi bellique geſſit, vt Princeps nobiliſſimam Matronam ei in matrimonium daret. Qua re cognita parentes, longo itinere ad locum, vbi habitabat filius cum coniuge, perueniunt tandem. Aberat tunc fortè filius: coniunx autem eius quum intellexiſſet quinam eſſent, honorificè eas excepit, eóſque proprio dignata cubili eſt. Manè autem dum ſacris vxor intereſſet, maritus redit, thalamúmque ſubintrans, dum putat adulterum cum vxore ſua concumbere, vtrumque interficit. Reuerſa autem è templo coniunx rem ei omnem narrat:

Atque ſuos didicit lecto recubare parentes.
Obſtupuit: facinúſque animo defleuit amaro.
Et placare Deum cupiens diſceſſit ab armis.
Ac prope torrentis ripas, vbi magna ſolebat
Turba inopum ferri, rapidóque in flumine mergi,
Conſtituit tectum, quod prætereuntibus eſſet
Hoſpitium commune, dicans ſéque & ſua tali
Officia gratis: Coniunx cum prole ſequuta eſt
Sponte virum: cùm vellet ea migrare relicta
Non tulit antiqua pietas diuortia vitæ.
Manſit in his operis vſque ad ſuprema ſenecta
Tempora. Tum veniens ægri ſub imagine ab orbe
Stellifero diuorum vnus, poſt debita vitæ
Subſidia, & morbo certis accepta diebus
Se confeſſus ait: Gaude Iohane: redemit
Te pietas: Diuina tibi clementia parcit.
Dixit & in cœlum paſſis ſe ſuſtulit alis.

Recitat hanc fabulam Mantuanus in Faſtis: Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 116. Antoninus, & alij. Hinc autem Hoſpitator *ſeu* Hoſpitalis *dictus eſt, & à peregrè euntibus pro bono, apud Papiſtas, hoſpitio inuocari ſolet.*

AGABVS, *vt volunt aliqui, fuit vnus ex* LXX. *diſcipulis. Is, ſicut Act. 11. legitur, Apoſtolorum tempore Hieroſalymam veniens Antiochiam, ſignificabat per ſpiritum famem in vniuerſo orbe futuram: quæ facta eſt ſub Claudio. Idem etiam, quum Paulus eſſet Cæſarea, illuc ſuperueniens, tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes & manus, dixit per Spiritum Sanctum, virum, cuius erat zona illa, ſic alligandum per Iudæos in Hieruſalem, & tradendum in manus gentium: ſicut & rei euentus probauit. Antiochiæ in pace mortuus eſt, vt refert Pet. de Natal. Idibus Febr.* 13.

De QVINQVAGESIMA, & feriis BACCHANALIBVS quæ in ea à Chriſtianis celebrantur. 14.

QVum Pontificij ieiunare ſe ſimulent ante Paſcha quadraginta dies, ad imitationem Chriſti, quod tempus Quadrageſimam vocant, non autem ſint in Quadrageſima niſi 36. dies, Dominicis diebus exceptis, quibus propter lætitiam non ieiunatur, ideò pro ſuppletione Dominicarum, præcedentis ſeptimanæ additi ſunt Quadrageſimali tempori quatuor dies. Deinde, quia Teleſphorus Papa diſt. 4. Statuimus. & duobus ſequentibus; Gregorius etiam de Conſec. diſt. 5. Quadrageſimal. decreuerant, vt Clerici omnes duobus diebus ante quatuor illos ieiunare inciperent, quò, ſicut præcedunt populum ordine, ſic eundem præcedant ſanctitate: idcircò Quadrageſimæ ſeptimanis alia adhuc addita eſt, quam Quinquageſimam *appellarunt. Sic enim ſcribit Ambroſius in lib. Sermonum:* Quadrageſima ſex ſeptimanas habet, cui addidit Teleſphorus Pontifex ſeptimam hebdomadam, & vocatum eſt hoc tempus Quinquageſima. *Diſt. 4. A quo tempore, vſque ad octauas Paſchæ, cauſas non audiendas eſſe, in Erdfurtenſi Synodo decretum fuit. 15. q. 4. placuit.*

Quinquageſimæ origo.

Tribus verò primis huius ſeptimanæ diebus, per vniuerſum ferè orbem Chriſtianum, homines ſic prorſus inſaniunt, vt ſi quiſpiam Græcorum aut Romanorum illorum antiquiſſimorum ad nos rediret, ſua Bacchanalia & Lupercalia agi ſanctè iuraret. Imò ſi quæ de membro virili Bacchi atque Phallis alia loca ſunt recitata, excipias, non pauca reperires, quibus Chriſtiani Græcos & Romanos Ethnicos inſania atque furore ſuperant. Hi ſiquidem non nouis ſubindè, ſed iiſdem & quidem certis ritibus atque pompis, quas ſibiipſis præſcripſerunt, quotannis repetierunt. Chriſtiani verò ſingulis annis, ſingulis oppidis atque vicis nouas pompas producunt.

Inſania Chriſtianorum tribus primis diebus Quinquageſimæ.

Modò

Modò videas prodeuntes qui exhibent impexos agricolas, modò qui monſtroſa forma homines, quales in India aut apud Garamantas gigni creditum eſt, modò qui alias cuiuſcúnque conditionis perſonas, habitu, omnibúſque actionibus ad turpitudinem ſignificandam, aut minimùm ad riſum mouendum compoſitis, referunt. Omnes autem perſonis tecti, ne à quoquam agnoſcantur, & viri frequenter veſte fœminea, interdum etiam fœmina veſte virili, tanquam ſi pulchrum aut honeſtum foret ſexum mentiri. Nonnunquã inſuper quidam ſic deformati, vt figuram omnem humanam prorsùs exuiſſe diceres: nam cornuti, roſtrati, dentibus aprinis, flammantibus oculis, fumum & ſcintillas ex ore exhalantes, curuis vnguibus, caudati, hirſuti, denique & monſtroſi terribiléſque Cacodæmonas videri atque timeri affectant. Nonnulli in diuitum ædes ſeſe ingerunt, comœdias vel trogædias, eáſque non omninò turpitudine vacantes, exhibituri. Saltationes porrò iiſdem diebus fiunt admodùm lubricæ & impudicæ pars in foro & in plateis, pars in domibus priuatis, & noctu perinde atque interdiu. Accedunt luxurioſa ac temulenta conuiuia, ad intempeſtam noctem, ſi non ad crepuſculum protracta. Vbi obſcœna tam multa, támque varia ab Ethnicis facta leguntur?

Ethnica conſuetudo Chriſtianorum in Quinquageſima damnata.

Grauiter igitur admodùm, de hac impia & profana conſuetudine Chriſtianorum Mantuanus in ſuis Faſtis conqueritur, vbi etiam indicat, vnde in Chriſtianam Religionem ea manarit ſic canens:

Hic memorare libet quoddam graue temporis huius
Crimen: & ipſius ſubiungere criminis ortum.
Roma Lupercales ludos antiquitus iſto
Menſe celebrabat: poſita grauitate per vrbis
Compita curſabant ſtolidi ſine veſte Luperci,
Et ſcuticis olidi tractis de tergore capri
Pulſabant nuruum palmas: qui verbere tali
Pana Deum faciles credebant reddere partus.
Iſta ſuperſtitio, leuis hac inſania noſtros
Tranſiit in mores. Veteris contagia morbi
Hauſimus, & quodam ſimili langore tenemur.
Nam iuuenes iſtis facis inſanire diebus
Pan Deus Arcadiæ quondam: totáſque per vrbes
Currere: & acceptis facies abſcondere laruis.
Eſt pudor in facie: facies velata pudorem
Significat læſum: sciri laſciuia non vult,
Ora tegit: ſcelus eſt pauidum, metuiſſe videri.
Cuncta ſub ignotis petulantia vultibus audet,
Quæ ablegat grauitas, & quæ proſcribit honeſtas.
Per fora, per vicos it perſonata libido:
Et Cenſore carens ſubit omnia tecta voluptas:
Nec nuruum palmas, ſed membra recondita pulſat:
Pérque domos remanent fœdi veſtigia capri.
Hoc quoque Roma leni curſu gaudebat equorum
Tempore: & in Martis celebrabat Equiria campo.
Altera nil melior nuper dementia venit:
Sordida produxit vetitos comœdia ludos.
Scorta, ambubaias, balatrones & paraſitos,
Et genus id reliquos trahit in proſcenia menſis
Improbus: vnde trahunt iuuenilia pectora peſtem
Mortiferam: fiúntque ipſæ ſine fronte puellæ.
I pudor in villas, ſi non patiuntur eaſdem:
Et villa vomicas: vrbs eſt iam tota lupanar.

Verùm enimuerò non ſolùm tribus huius ſeptimanæ diebus iſta fiunt à populo, ſed eodem modo in ipſa Dominica Quinquageſimæ peccatur etiam à Clericis, crapula, ebrietate, luſibus & luxuria ad ieiunium, quod ſequenti die inchoant, ſeſe egregiè præparantes. Vnde & hæc Dominica à Germanis vulgo der Herren Faßnacht, hoc eſt, Clericorum ſeu Dominorum Bacchanalia appellatur.

Derren Faßnacht

Hoc ſcilicet eſt tempus illud, quod Papiſtis pœnitentiam & remiſſionem, nec non ſtatum beatitudinis æternæ ſignificare & repræſentare debet. Sed hæc ferri aliquo modo & excuſari poſſent in iſtis, vt qui maximam partem Religionis ſuæ ab Ethnicis mutuati ſunt. Illud verò dolendum eſt, ab Euangelicis, hoc eſt, iis qui Religionem Reformatam, & ab omnibus erroribus, ſuperſtitionibúſque repurgatam profitentur, eoſdem ritus impios, profanos & verè diabolicos etiamnùm hodiè obſeruari, nec vlla ratione tolli poſſe. Haccine eſt noſtra illa præparatio ad audiendam Domini & Seruatoris noſtri Paſſionis hiſtoriam, & celebrandum ſacroſanctum Cœnæ Dominicæ myſterium? Siccine viuere eos conuenit, qui morte filij Dei acerbiſſima à peccatis liberati, & in numerum Filiorum Dei adoptati videri volunt? Offerri ſacrificia in altari holocauſti, ſuffitus fieri in altari incenſi, multáque id genus, ipſemet Deus olim mandauit, & quæ in illis fieri deberent ſingula ad amuſſim præſcripſit. Poſteaquam autem Chriſtus in terris apparens docuit, eos qui adorare velint, oportere in ſpiritu & veritate adorare, & ſemel obtulit Deo Patri ſemetipſum gratiſſimam & ſuaueolentem hoſtiam, protinùs ſunt omnia illa abrogata: & ſi quis exhibere ea rursùs velit; tantùm abeſt vt referret gratiam, vt etiam in Dei offenſionem incurreret: ſicut eſt videre Iſa. 66. Hierem. 6. & aliis in locis. Quod ſi Deus tantoperè auerſatur quæ ipſemet priùs inſtituerat ſacrificia & incenſa, & tanquam ſacramenta voluerat in Eccleſia honorari: quomodò igitur laturum putabimus quæ excogitauit Diabolus, quæque nulli niſi impuriſſimi quique

Gentiles

Gentiles exercuerunt? Non vult Deus audiri ampliùs vocabula illa typica: non altare, ſed menſam: non ſacrificio, ſed Mortem & Meritum Chriſti: quare multò minùs Bacchanalia, Lupercalia, Stultalia, Encania & quæcunque ſimilia feſta locum aliquem hobere vult in ſua Eccleſia. Apoſtolus veriſſimè dixit, nullum conſortium eſſe iuſtitia cum iniuſtitia, luci cum tenebris, Chriſto cum Belial, nullam partem fideli eſſe cum infideli, non poſſe conuenire templo Dei cum ſimulachris: multò minus ergò Eccleſia Chriſti conueniet cum impiiſſimorum Gentilium ludis & ritibus impuriſſimis.

Quum autem Satyrici Poëtæ Gentiles, quamuis interdum ad ſcurrilitatem vſque petulantes, ne dicam obſcœni non tacuerint vbi ludos eiuſmodi vidiſſent: velut à Iunenale Satyra 6. ſcimus [illegible]*, id eſt, Bacchæ mulieres proſcindi: multò minùs in hoc negotio concionatores ſiue Doctores Eccleſiarum Chriſtianarum muti ſint, ſed inſtent tempeſtiuè & intempeſtiuè vt ſcelus hoc tollatur in Eccleſia Chriſti: arguant & obiurgent eos qui id abiicere nolunt. Fit quidem hoc à multis Fidis Paſtoribus Eccleſiarum, ſed, proh dolor pauci ſunt qui ſe corrigi patiantur: ſuas ergò proculdubio ſcopas aliquandò expediet Deus, quibus Eccleſiam ſuam cum multorum excidio ab his ſimilibúſque ſceleribus expurgabit.*

VALENTINVS *in ipſa Dominica Quinquageſima colitur, quòd eo die, hoc eſt, 16. Cal. Martij, Romæ ſub Claudio Imp. ob fidem in Chriſtum, à Placido vrbis Præfecto in carcere capitis ſupplicio affectus eſſet, Presbyter quum fuiſſet Ichtyran. vt refert Pet. de Nat. lib. 3. cap. 122. Liber Pontificalis teſtatur, Benedictum II. Papam Feſtum eius inſtituiſſe.*

15 FAVSTINVS *Presbyter Mediolanenſis ab Apollonio Epiſcopo ordinatus, Brixiæ Chriſtum prædicans, ab Adriano Imp. comprehendi iubetur, & quocunque ille iter faceret catenis ligatus duci. Tandem Fauſtinus & Iouita*

—poſt mille viarum,
Carceris & famis ærumnas, poſt probra, mináſque
Verbera, vincla, feras, ignes, capitale tulerunt
Supplicium Februo iam decreſcente, diéſque
Poſt decimum quintus cùm peruenisſe ad ortum:

vt Mantuanus in Faſtis canit.

16 IVLIANA *Nicomediæ oriunda, quum Præfecto eius vrbis nubere nollet, niſi Chriſtianus fieret, iuſſit eam quatuor virgis ad necem vſque cædi: deinde per ſex horas capillis appendi, & demùm plumbum liquefactum in caput eius perfundi. Illæſa autem conſeruata in carcerem detruditur: poſtero die in rota quadam ſic extenditur, vt omnia oſſa eius confringerentur: ſed per miraculum ſanitati reſtituitur. Tum in ollam plumbo liquefacto conicitur, ſed illæſa rurſus indè extrahitur. Tandem iuſſu Præſidis capitis ſupplicio afficitur 14. Cal. Mart. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 131.*

DE DIE CINERVM. 17.

M*Aximi Taurinenſis homilia extat, cum inſcriptione,* In die Cinerum, *inter homilias hyemales: vt ante eius tempora huius diei obſeruatio inſtituta videri poſſet: quod verum non eſt. Nam quatuor dies Quadrageſimæ Dominicam proximè præcedentes, videlicet Quarta, Sexta feria, & Sabbathum additi ſunt Quadrageſimali ieiunio à Gregorio Magno primùm, vt legitur de Conſecrat. diſt. 5. Quadrageſima: ac teſtatur Antoninus tit. 12. cap. 14. §. 14. & Balæus Cent. 1. Scriptorum Brit. vbi etiam addit, Gregorium hunc Quadrageſimæ ieiunium, cinerum aſpergine ſacraſſe, & cinerum conſecrationes inſtituiſſe. Quapropter ille diei Cinerum, & illius ceremoniæ, quæ illo die peragitur, Author & Inſtitutor erit.* *Diei Cinerum origo.*

Dies hic eſt caput ſeu initium Quadrageſimalis Ieiunij: in quo cineres ex ſacratis præteriti anni palmis vſtos primùm conſecrant, idque Collectis quatuor: in quarum priore Sacerdos orat Deum, vt mittere dignetur Angelum ſuum Sanctum de cœlo, qui cineres illos benedicat & ſanctificet, vt ſint remedium ſalutare omnibus nomen Sanctum Dei humiliter inuocantibus, ac ſemetipſos pro conſcientia delictorum ſuorum accuſantibus, vt ſic cineribus iſtis ſeſe aſpergant ad corporis ſanitatem, & animæ tutelam. *In ſecunda Collecta precatur Deum,* quatenus inſpiciat conditionis humanæ fragilitatem, vt hos cineres pro ſua pietate benedicere dignetur, quos cauſa proferendæ humilitatis atque promerendæ veniæ capitibus imponere decreuerint, vt qui cinerem eſſe, & ob prauitatis ſuæ meritum in puluerem reuerſuros cognoſcant, peccatorum omnium veniam, & veniam pœnitentibus repromiſſa miſericorditer conſequi mereantur. *In tertia Collecta orat:* Deus, qui humiliatione flecteris, & ſatisfactione placaris, aurem tuæ pietatis inclina preeibus noſtris, vt capitibus ſeruorum tuorum, horum cinerum aſperſione attactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos ſpiritu compunctionis repleas. *In quarta quóque Collecta ſic orat:* Omnipotens ſempiterne Deus, qui Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentibus indulgentiæ tuæ remedia præſtitiſti, concede propitius, vt ſic eos imitemur habitu, quatenus veniam proſequamur obtentu, &c. *Ritus qui obſeruantur in feſto Cinerum Conſecratio cineris blaſphema.*

Poſt conſecrationem & benedictionem hanc, aduentantibus ad aram hominibus Sacerdos cinerem, *Cinerum aſperſio.*

ciaerem,in ſignam pænitentiæ, in capito eorum ſolet conſpergere, & dicere : Memento homo, quia cinis es, & in cineeem conuecteris. *Quod ex Veteri Teſtamento deſumptum eſſe, Darandus probat in Rationali lib.6.cap.28.*

Papa in cinere aſpergatur & Cardinales.

Romæ prior. Epiſcoporum, iuxta antiqaam conſuetudinem,pluuiali indutus ſine mitra, velut aliquando ſeruatam fuit, & Bonifacius IX. ſtatuit: nunc verò celebraturus Cardinalis iam omnibus arnamentis ſacris pro Miſſa dicenda iadutus, demptis tamen chirothecis & annulo Pontificali,accedit ad Papam,& ſine mitra ſolus detecto capite facta Papæ Reuerentia, ſtans coram eo ſupra ſcabellum nihil dicens, imponit Papa ſedẽti cineres ſupra caput in formam Crucis, deinde deſcendit de ſcabello : amouetur ſcabellum, ſedet Papa, imponitur ei mitra, & accedunt duo Auditores portantes mantile, quod à Credentiarijs Papa acceperunt,illud hinc inde tenent ſuper gremio Papæ.qui illi Cardinali, à quo cineres accepit, inclinato capite coram ſe ſtanti dat cineres,dicens: Memento homo, quia cinis es & in cinerem cõuerteris *Accedunt poſt ſucceßiuè omnes alij Cardinales, Prælati,atque etiam Reges,Principes,Barones, Nobiles,&c.vnus poſt alium, & à Papa cineres accipiunt, vt legitur in Ceremoniali Rom. Eccleſiæ libro ſecundo. Vbi non prætereundum quod Platina refert, Bonifacium VIII. Pontif. Rom. venienti ad ſe Procheto Genuenſi Archiepiſcopo, ſed Gibellinæ factionis, & petenti ad pedes Papæ cineres hos, dixiſſe,* Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem conuerteris *: ſimul etiam patinam plenam cinere effudiſſe atque incaßiſſe in vultum & oculos Archiepiſcopi. Quod ſignum irreligioſi atque impotentis animi fuiſſe, ipſe quoque Platina in vita huius Bonifacij fateri cogitur.*

Bonifacij VIII. facinus.

Ritus Halberſtadij in die cinerum.

Halberſtadij in Saxonia cinericio die vnus aliquis è populo in templum Deiparæ Virginis ducitur(quo profanis olioqui non patet acceſſus, tantùm initiati id phanum ſubeunt) hominum opinione nequißimus. Hunc velato capite, pulla veſte Sacris admouent : quibus ritè peractis templo eiicitur, eiectus toto ieiuniorum tempore nudis pedibus vrbem pererrat, diuorum templa viſitandus:Sacerdotes illi victum ſuggerant. Mox in die Dominica Cœnæ iterum templo inductus poſt olei conſecrationem ab vniuerſo Clero expiatus dimittitur, eleemoſyna priùs accepta,quam offert templo.Hunc Adam *vulgò vocant,quòd,vt Protoplaſtus ille,omni vocet crimine, per eúmque tota ciuitas creditur expiata : Sabellicus Ennead.10.lib.8.& Alciatus de Adamo Halberſtadienſi. Sunt tamen qui putent, hanc conſuetudinem imaginem aliquam fuiſſe publicæ pænitentiæ,cuius frequens in iure Pontificio fit mentio.*

Ritus in die cinerum poſt meridiem.

Hæc verò omnia manè fiunt. Sacris autem & Ceremoniis iſtis peractis continuò ad vomitum, hoc eſt,ad ludos turpes,obſcœnos & palàm impios redeunt. Quo de re ita canit Naogeorgus lib. 4. Regni Papiſtici.

Nullus ſtultitiæ tamen eſt,nullúſque furoris
Terminus:intermiſſa inſtaurant prãdia læti:
Et ludos repetunt,& laruas nuper repoſtas.
Sunt qui laterna mœſti,dum lumina Titan
Præbet mundo,exacta herè Bacchanalia quærant,
Et clamant paßim:Quo Bacchanalia nobis
Auffugere?oben,veniunt Ieiunia dira.
Suſpendunt alij,portantq; in pertica halecem,
Clamantes:Vltra iam farcimina,haleces.
Adiungúntque ſuos ludos,& carmina riſu
Digna, & præterea quicquid confingere poſſunt
Stultum ac inſipidum, moueant vt vbique cachinnos.
Mutuo ſe capiant alij,ac in flumina portant
Contis impoſitos,vt feſti quicquid inhæſit
Stulti,tollat ſubmerſum fluuialibus vndis.
Alliciunt alij pueros nucibúſque pyriſque
Canticáque ut præcant, & tota per oppida cantant.
Eſt vbi ſe ſociant iuuenes tibicine ſumpto,
Et famulas rapiunt ex ædibus, atque ad aratrum
Iungunt,quas ſcutica pellíque atque dirigit vnus:
Vnus item ſtiuam tenet:at tibicen aratri
Conſidet in medio, ridendáſque occinit odas.
Vnus item ſequitur Sator,is vel ſpargit arenã,
Vel fatuo cinerem geſtu,vultúque ſereno.
Poſtquam luſerant ita per fora,perq; plateas,
Per riuum tandem ancillas & ducit aratrum
Rector,& ad cœnam madidas vocat,atque choreas.

Ritus Tiguri in die cinerum.

Tiguri in patria noſtra hoc die Lanij æreum Leonem quotannis ludicro quadam pompa circumgeſtare ſolent per omnes vicos & regiones vrbis. Donati ſunt hoc Leone æreo in memoriam eius virtutis,quam anno Chriſti 1350. nocte illa, quæ Matthiæ Apoſtoli diem,23. Martij ſequitur proximè,præſtiterunt:quum exules nonnulli cum multis coniurationis ſociis vrbem per proditionẽ capere,& omnes Senatorij ordinis Viros,cum aliis ſibi aduerſantibus iugulare conabantur.

SIMEON *Epiſcopus Hieroſolymitanus poſt Iacobum Fratrem Domini, cognatus & ipſe Chriſti ſecundùm carnem fuiſſe dicitur, ac filius Cleophæ, qui fuit frater Ioſephi Iuſti,vt Hieronymus refert. Hic quum annorum* 120. *eſſet, accuſatus ſub Traiano Imp. ab Attico Conſulari ob fidem Chriſtianam, comprehenditur, multíſque cruciatibus affectus,tandem patibulo crucis appenſus mortuus eſt, omnibus, ipſo etiam Iudice, potentiam eius admirante, in tam* 12.

Google

decrepita præſertim eius ætate. Martyrio autem coronatus eſt 12. *Cal. Mart. Pet. de Nat. lib.* 3. *cap.*135.

19. Gabinus *Presbyter, & nobilis Ciuis Romanus ex genere Diocletiani Imp. & frater Caij Papæ fuit. Is liberalibus ſtudiis dum adhuc eſſet gentilis egregiè eruditus, factus Chriſtianus & Presbyter, libros de fide Chriſtiana plurimos conſcripſit. Filiam habuit Suſannam Virginem pulcherrimam, & in ſacris literis ab infantia probè inſtitutam. Ea, quum ob nobilitatem & formæ elegantiam, à Maximiano Diocletiani filio in matrimonium peteretur, conſentire noluit, quòd Chriſtiana, ille verò idolorum Cultor eſſet. Accerſitus igitur Gabinus parens, rogatúſque filiæ iuſſes vt conſentiat, id recuſat prorsùs: in carcerem ergò conijcitur iuſſu Imperatoris, ibique fame & vinculis enecatur, ſepelitúrque à Caio fratre* 11. *Cal. Mart. Pet. de Nat. lib.*3.*cap.*136.

20. Fideles *multi Tyri beſtiis deuorandi obiicitur, quæ verò intactos illos reliquerunt: tandem gladio obtruncati, pro ſepultura in mare proiiciuntur* 10.*Calend. Mart. anno Chriſti* 281. *ſub Diocletiano Imperat. Eorum admirandam hiſtoriam lege apud Euſebium lib.*8.*cap.*7.

De Quadrageſima.

Quadrageſimæ origo.

Q*Vadrageſima incipit à Dominica in qua cantatur*, Inuocauit me, *&c. Quia enim in lege præceptum erat, vt primitiæ & decimæ darentur Deo, placuit Priſcis illis ſoluere decimas dierum, conſtituentes pro huiuſmodi decimis Quadrageſimam. Nam ab officio*, Inuocauit; *vſque ad Paſcha, demptis Dominicis diebus, ſunt dies* 36. *qui ſunt decima* 360. *dierum, ex quibus annus conſtat: Superſunt tamen quinque dies in anno, pro quibus quatuor præcedentis ſeptimanæ his* 36. *adiiciuntur. Hac autem Dominica feriis & ludis Bacchanalibus finis tandem imponitur,*

Ritus in Dominica Inuocauit.

Sic tamen, vt potent, nec poſſis alea deſit:
Poſtremò, Bacchanaliſ ita lux donatur & illa.

Ignes quóque hinc inde per vrbes & vicos accenduntur: & placentæ ſingulis in ædibus parantur, ad quas comedendas fratres, cognati, affines & vicini conueniunt, vt ſic mutuus amor conſeruetur, perinde vt in Romanorum Chariſtiis olim, quæ 11. *Cal. Mart. celebrabantur.*

De Dominicis Quadrageſimæ.

D*Ominicæ in Quadrageſima nomen habent à Cantionibus Eccleſiaſticis, quas vocant Introitus: quæque in iis cantantur. Hinc prima Dominica dicitur* Inuocauit, *à Cantione deſumpta ex Pſalmo* 90. *Secunda dicitur* Reminiſcere, *à Cantu ſumpta ex Pſalmo* 25. *Tertia* Oculi, *à Cantu deſumpta ex Pſal.* 25. *Quarta* Lætare, *à Cantione ex Eſaiæ* 66. *cap. ſumpta. Quinta vocatur* Iudica, *à Cantu ſumpto ex Pſal.*43.

Cathedræ Petri Feſtum.

Feſti huius origo.

C*Vr hoc Feſtum inſtitutum ſit Petrus de Natalibus lib.*3.*de Sanctis, cap.*140.*& Iacobus de Voragine de Sanctis Serm.* 1. *de Cathedra Petri atque Legenda* 44. *referunt. Nam mos fuit Gentilium ſingulis annis menſe Februario, & præſertim hac die, vinum & epulas offerre Diis ſupra ſepulchra parentum & cognatorum ſuorum, quas ab animabus circa ſepulchra aberrantibus, deuorari putabant: ſicut etiam teſtatur Ioannes Beleth in Rationali cap* 83. *& Durandus in Rationali Diuinorum lib.*7. *cap.* 8. *Calepinus in dictione Epularum teſtatur, apud Ethnicos plures teſtamenta legauiſſe epulum quotannis ad ſepulchrum, roſis ac variis reſperſum odoribus, pro hæredum facultatibus exhibendum. Et adducit teſtem Iuuenalem, qui Satyra* 3. *inquit: Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoreis: item Ciceronem pro Muræna, vbi dicit: Is cùm epulum Q. Maximus Africani patrui ſui nomine populo Rom. daret, rogatus eſt &c. In Chariſtiis, quæ Romæ celebrata ſunt* 19. *Febr. conueniebant, vt alio loco indicauimus, propinqui & affines, ac primum quidem cum mœrore recenſuerunt eorum nomina, quos per mortem amiſerant, & charos habuerant. Deinde viuos ſiue ſuperſtites de familia ſua commemorarunt: tùm commeſſationibus & conuiuiis ſeſe oblectarunt. Tribus autem de cauſis hanc Ethnicorum conſuetudinem Iacobus de Voragine reprehendit, inquiens: Error erat, quòd credebant animas defunctorum circa monumenta ſuorum corporum morari. Superſtitio erat, quòd cibaria & vina ſuper tumulos charorum ſuorum ponebant, credentes quòd animæ talibus indigerent. Illuſio autem, quòd Dæmones (imò Sacerdotes) nocte omnia cibaria abſumebant. Rectè quidem ille: ſed cur non eundem errorem, ſuperſtitionem & illuſionem apud Papiſtas vidit?*

Hunc igitur errorem veteres tollere & penitùs extirpare volentes, inſtituerunt in locum eius Feſtum Cathedræ Petri, *eius nimirùm quà Antiochiæ; non Romæ (vt diſertè Iacobus de Voragine in Legenda monet) ſublimatus eſſe perhibetur: quam ſublimationem quidam aiunt factam fuiſſe à Theophilo Principe Antiocheno, cuius filium defunctum poſt annos* 14. *Petrus ſuſcitarit, Cióbque Antiochenos conuerterit, propter quod ibi Eccleſiam conſtruxerint, in cuius medio excelſam cathedram collocarint, & Petrum, vt ab omnibus audiri & videri poſſet, in ea exaltarint.*

Verùm

Verùm ne ſic quidem à ſuperſtitione & crapula illa abduci potuerunt omninò quin ſubindè ad vomitum redirent: quod ex Synodo Turonen. 2 anno 570. celebrata, iuxta Panuiulum, cap. 23. intelligitur, vbi ſic præcipitur: Sunt qui in Feſtiuitate Cathedræ Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt, & poſt Miſſas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium reuertuntur errores, & poſt corpus Domini, ſacratas Dæmoni eſcas accipiunt. Conteſtamur iſtam ſolicitudinem tàm Paſtores, quàm Presbyteros gerere, vt quemcúnque in iſta fatuitate perſiſtere viderint, vel neſcio ad quas petras, aut arbores, aut ad fontes deſignata loca Gentilium perpetrare, quæ ad Eccleſiæ rationem non pertinent, eos ab Eccleſia ſancta authoritate repellant, nec participare Sancto altari permittant, qui Gentilium obſeruationes cuſtodiunt.

Ab his verò epulis tam Gentilium quàm Chriſtianorum, Feſtum hoc etiam appellari conſueuit, Feſtum B. Petri Epularum. *Beleth, Durandus, & Iacobus de Voragine.*

Cathedra Petri feſtum exoletum reſtituitur. *Hunc diem feſtum, qui antiquitùs in Rom. Eccleſia celebratus iam exoleuerat, Paulus 4. qui Pontificatum Rom. tenuit circa annos 1556. reſtituit, teſte Panuinio in Appendice ad Platinam in vita Pauli. Celebratur autem die 22. Febr. iuxta illud Mantuani:*

Petre Gubernator noſtræ Sanctiſſime cymbæ
Luce bis vndecima vernas Februarius auras
Spirat & exultans ſecum tua Feſta reportat,
Quæ veteres noſtræ gentis dixêre Cathedram.

23 Serenvs *Monachus, quum hortum cultiſſimum haberet, & vxor cuiuſdam aulici Imp. Maximiani eum ingreſſa eſſet, cum indignatione eam inde eiecit. Accuſatur igitur, vt Chriſtianus apud Imperatorem, cuius iuſſu capite caſus eſt 7. Cal. Martij. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 147.*

24 Matthias *vnus fuit ex Diſcipulis Domini, ac de numero* LXX. *Diſcipulorum, vt Euſebius lib. 2. cap. 1. & lib. 1. cap. 12. Sophronius, ac Epiphanius lib. 1. tom. 1. hæreſi 20. teſtantur. In Sacris Literis tantùm fit eius mentio, Act. 1. vbi in Synodo Apoſtolorum & Diſcipulorum, poſt Chriſti Aſcenſionem, in locum Iudæ Proditoris per ſortem electus à Luca dicitur. In aliis verò ſcriptis, ſed non probatis, legitur, quòd nobilis familiæ fuerit, & parentibus de Tribu Iuda diuitibus in Bethlehem, ac in Lege Dei ab ineunte ætate inſtitutus, & alia huius generis multa: quibus non immeritò annumerandum, quòd quidam referunt, Matthiam in diuiſione Apoſtolorum Iudæam in ſortem prædicationis accepiſſe: alij enim in Macedonia ipſum Euangelium annunciaſſe dicunt: Sophronius verò in Æthiopia quandam maximè agreſtem partem conceſſiſſe eum ſcripſit. De mortis eius genere variæ quòque ſunt & diuerſæ ſententiæ: ſic enim Mantuanus:*

De morte Matthiæ variæ ſententiæ.

Sunt qui pacifica dicunt te morte receptum
In ſuperos: ſunt qui Romano more ſecuri
Percuſſum exhalaſſe animam, cum ponere nolles
Sacra Ioui memorent.

Illud omnes vno ore fatentur, paſſum eſſe eum 6. Cal. Martij, & nonnulli affirmant, corpus eius Romam tranſlatum, & in Eccleſia Sanctæ Mariæ Maioris ſub Porphyretico lapide ſepultum eſſe: vbi adhuc hodiè caput eius demonſtratur. In quadam verò Legenda Treuirenſi legitur, vt Iacobus de Voragine teſtatur, corpus eius Romam quidem primò, ſed mox inde Treuirim tranſlatum eſſe: vnde ſequitur, in vno horum locorum falſum Matthiam populo demonſtrari, & coli.

Matthiæ feſtum in anno biſſextili quando celebrandum.

Quum autem in biſſextili anno conſtitutus eſſet intercalationi certus dies, is nimirum, qui eſt poſt diem 23. Febr. & duobus diebus continuis numerarent, ſextu Calendas Martias, duos dies, intercalarem & qui extra intercalationem 24. menſis dies erat, pro vno computantes: quærebatur olim an duobus his diebus Matthiæ feſtum celebrandum eſſet: ſin minus, an priore, aut poſteriore? Reſpondet Alexander tertius his verbis: Feſtum Beati Matthiæ iuxta conſuetudinem Eccleſiaſticam Vigilia eatenus præcedat, vt nec pro biſſexto nec pro quolibet alio inter Se & Solennitatem, aliam diem admittat; in qua vtique Vigilia (niſi venerit in Dominica) Ieiunium celebretur. Ipſum autem Feſtum, ſiue fiat in præcedenti die, ſiue in ſequenti (qui duo quaſi pro vno reputantur) nullus error, ſed conſuetudo Eccleſiæ teneatur. *Decret. Gregorij lib. 5. de Verborum ſignific. cap. 14.*

Victorinvs *in Ægypto ſub Numeriano Imp. in pillum vndique perforatam coniectus, & per ſingula foramina diuiſiſſimè tranſpunctus, tandémque capite truncatus eſſe perhibetur 6. Cal. Mart. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 151.* 25

Nestor *Epiſcopus Pamphiliæ, ob Religionem Chriſtianam comprehenſus, in equuleo ſuſpenſus & crudeliſſimè tortus, nolens Chriſtum abnegare, Cruci affigitur iuſſu Pollionis Præſidis ſub Decio quarto Calend. Mart. Petrus de Natalibus libro tertio, capite 152.* 26

Leander *ex Monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ, ſeu (vt alij) Toletanæ Epiſcopus factus eſt. Multa compoſuit tùm ad confirmationem Orthodoxæ Doctrinæ Chriſtianæ, tùm ad confutationem Arianæ perfidiæ, quàm Vandali ex Africa in Hiſpaniam à Belliſario pulſi ſecum detulerant, vt Platina refert in vita* 27

Benedicti primi. Is fuit od quem Gregorius Magnus libros Moralium ſcripſit. Obiit in poce 3. Calend. Mort. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 155.

28. Romanus *Abbas Lugdunen. & multorum Monachorum Pater, obiit in pace pridie Calend. Mart. Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 160. ex Iſuardo.*

MARTIVS.

Festa et Memoriæ Sanctorum, quæ Martio menſe à Chriſtianis celebrantur.

1. Albinus *primò Monochus, deinde Abbas, tertiò Epiſcopus Andegauenſis factus eſt: obiit Calend. Martiis tempore Caroli M. Petrus de Natalibus lib. 3. cop. 164.*

2. Simplicius *Pontifex 49. Roman. Eccleſia, poſt aliqua Antichriſti facto anno 484. 6. Non. Mart. hunc mundum deſeruit. Plotina.*

3. Kunegundis *Vxor Henrici 2. Imperatoris fuit: eius tamen Virginitatem violatam non fuiſſe multi affirmant. Mortua eſt 5 Non. Mart. anno Domini 1005. & ſepulta in Bambergenſi Eccleſia: canonizata autem ab Innocentio 3. qui pontificiam ſellam circa annum 1200. aſcendit. Ioannes Epiſcopus Baſilienſis anno 1348. quum diem obitus Henrici II. Imp. in ſuo Epiſcopatu feriandum inſtituiſſet, præcepit ſimul diem 9. Sept. in honorem Kunegundis Imperatricis, non quidem feriari, ſed deuotè celebrare, vt Vrſtiſius indicat Chron. lib. 3. cap. 10.*

4. Lucius *Epiſcopus Rom. 23. Romanus natione, in exilium miſſus à Chriſtiani nominis hoſte Gallo Hoſtiliano, demùm ad Eccleſiam ſuam reuerſus, à Valeriano Imp. capite truncatur quarto Nonas Martij, vt refert Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 173. & Horolanus in Calendario. Antoninus tit. 7. cap. 7. paſſum eum dicit tertio Non. Maij. Platina autem 8. Calend. Sept.*

5. Phocas *Antiochia paſſus eſt 3. Non. Mart. Petrus de Notalibus lib. 3. cap. 176. vbi etiam ex Adone refert, ſerpentes eius templo non appropinquare, & ſi quis ab eis morſus ianuam templi attigiſſet ſanatum fuiſſe: vndè etiam à veneno læſis inuocari ſolet.*

6. Fridolinus, *quem Bolaus Cent. 14.* Viatorem *nominat, ob magnas & difficiles peregrinationes, quas ob Euangelij prædicationem ſuſcepit, Regis Scotorum & Hiberniæ Filius fuit. Ex Scotia venit in Galliam, in qua circumquaque Chriſtum annuntiauit. Tandem Pictauiam ad Hilarium venit, quo mortuo, magnificum cœnobium in honorem Hilarij, quem de terra leuauit, Clodouei Regis auxilio erexit. Inde verò diſcedens, in Belgio ad Moſellam flumen rurſus in honorem Hilarij aliud monaſterium inchoauit. Relinquens autem & hunc locum in altis Voſagi montibus eidem Hilario templum extruxit. Idem fecit Argentinæ, Curiæ Rhetorum & in Burgundiæ locis plurimis. Poſtremò ad inſulam Rheni, vbi hodiè oppidum eſt Seccingen, ſedecim millibus paſſuum ſupra Baſileam, venit, vt ibi quóque ædiculam conderet: Sed ab Incolis malè acceptus, virgis cæſus, inſuláque eiectus fuit. Redit igitur ad Regem Clodoueum, cui quum aliquandiu verbum Dei prædicaſſet, ab eo poſſeſſionem totius inſulæ impetrauit, vbi pro octo Canoniſſis, & quatuor Canonicis, Cœnobium extruere cœpit, anno Domini 495. quod Seccingen adhuc hodie vocatur, à ſecato Rheno. Fuerunt illo tempore duo germani fratres, nobilitate & diuitiis clari* Fabula de Fridolino. *Glarona (pagus eſt octauus ex tredecim Heluetiæ) Vrſo & Landalfus: ex quibus Vrſo Fridolini pietatem, & honeſtam cum ſuis Diſcipulis conuerſationem videns, ſuarum poſſeſſionum integram partem, à fratris patrimonio ſeiunctam, Fridolino eiúſque cœnobio dicauit: ſcriptíſque diplomatibus, perpetuò poſſidendam tradidit & confirmauit. Mortuo Vrſone, quum Landalfus auaritiæ ſtudio bona Vrſonis monaſterio legata ad ſe rapere conaretur, Fridolinus coram Baldeberto Landgrauio de recuperanda poſſeſſione cum eo certauit. Vbi quum audiret, nihil ſe effecturum, niſi coram iudicibus ſiſteret Vrſonem donatorem, abiit Glaronam, & Vrſonem precibus ex mortuis ſuſcitauit, eúmque Glarona ad pagum Rheticum Rancquil vſque per ſex milliaria ſecum adduxit, vt coram Landgrauio cum fratre Landulfo expoſtularet iniuriam. Quo miraculo territus Landulphus, non ſolùm Cœnobio reddidit quæ Vrſonis prius fuerant, ſed ſua etiam omnia adiecit: & ſic Glarona, cuius hi duo fratres Domini erant, tota huic Cœnobio ceſſit. Vndè adhuc hodiè Glaronenſes in gentis ſuæ inſigniis Sancti Fridolini imaginem habent: qui mortuus dicitur pridie Non. Mart. anno Domini 500.*

7. Perpetua & Felicitas *in Mauritania temporibus Valeriani & Gallieni Impp. per plateas, ligatis poſt tergum manibus ducta, tandem beſtiis obiecta & ab iis deuorata ſunt, Non. Mart. Pet. de Nat. lib. 3. cop. 182.*

Thomæ *Aquinatis feſtum eodem die celebratur. Nam anno 1323. Ioannes 22. de conſilio Cardinalium, & aſſenſu omnium Prælatorum præſentium Auenioni, habita examinatione de vita, doctrina & miraculis Thomæ Ordinis Prædicatorum, cum conſueta ſolennitate Sanctorum Catalogo eum aſcripſit, omnibúſque Sacrarum Literarum interpretibus prætulit, & eius feſtum 7. die Martij celebrare mandauit,*

dsuit, quò l eo migraſſet ex hac luce apud monaſterium Foſſa noua in Campania anno Domini 1274. *Antoninus tit.* 21. *capite quinto .* §. 8. *& Tritbem. in Chron Hirſaugien. Platina hoc tribuit , quemadmodum & Panuinius , Ioanni XXIII. qui Pontificatum tenuit circa annos* 1410. *Romæ & aliis in locis Doctores Theologi & Phyſici feriantur in Thoma huius honorem.*

8. Pontivs *Cypriani Diaconus in Cymela Italiæ vrbe ſub Alpibus , iuſſu Claudij Præſidis in equuleo primùm ſuſpenditur , deinde vrſis duobus obiicitur , à quibus nihil læſus , manibus & pedibus poſt tergum reuinctis , in ignem coniicitur : poſtremò verò in ſaxo vicino riuulo decollatur , corpúſque eius in flumen abiicitur* 8. *Idus Martij Hieronymus de viris illuſtribus. Bergomenſis lib.* 8. *Henricus de Erdfordia lib.* 6. *cap* 27. *Vincentius lib.* 11. *cap.* 79. *Nec multò poſt Claudius Præſes , & Aſſeſſor eius Anabius, arrepti à Dæmonibus , ſuffocati ſunt. Vincent. ibidem.*

9. Qvadraginta *milites Sebaſtiæ Armeniæ ſub Licinio Imperatore circa annos Christi* 313. *liberè & audacter Chriſtianos ſe eſſe confeſſi , nouo ſupplicij genere excruciantur. Erat ſtagnum quoddam in media ciuitate , frigoribus incredibilibus & flatibus Boreæ horridiſſimis expoſitum , in quo nudos ſub dio pernoctare cogit Præfectus loci. Illi in hoc ſupplicij genus alacres deſcendunt , ſed frigus inauditum experiuntur , & rigeſcunt membra omnia gelu. Vbi verò illuxit , adhuc ſpirantes , igni traduntur* 7. *Idus Mart. reliquiæ eorum ab Euſebia quadam fœmina colliguntur , & duabus pyxidibus argenteis incluſa in horto prope ciuitatis muros ſub terra aſſeruantur. De inuentione harum reliquiarum à Pulcheria Theodoſij ſorore, longam texit narrationem Sozomenus libro nono , capite ſecundo. Nam vt eas defoſſas inquireret , Thyrſum ait Martyrem ter ei apparentem ſuggeſſiſſe , atque vt ad ſe transferret monuiſſe. Ipſos quoque Martyres , habitu militari ſplendidè veſtitos , ei ſeſe manifeſtaſſe. Sed quum iſta ad ſuperſtitioſam Sanctorum defunctorum culturam pertineant , pugnant cum Sacra Scriptura, & ſunt vel figmenta hominum, vel præſtigiæ Diaboli, qui tali ratione homines à cultu Veri Dei ad venerationem creaturarum vult abducere. Repertas autem precioſiſſimæ thecæ impoſuit Pulcheria , ſimúlque publico feſto indicto pompam cum Pſalmodiis inſtituit , vt Sozomenus refert libro nono , capite ſecundo : vbi etiam addit , ſe huic Feſto quoque interfuiſſe. Similem ferè hiſtoriam narrat Baſilius Homilia vigeſima de quadraginta militibus in ſtagno necatis : eadem ne ſint , an diuerſa , dicere non poſſum. Petrus de Natalibus libro tertio , cap.* 185. *e . . n eſſe putat , ſicut etiam alij nonnulli. Circumſtantiæ autem nonnihil variant. Nam Baſilij milites iuuenes dicuntur alij coniugati fuerunt illorum ciuis in fluuium eſt proiectus , horum reliquiæ ab Euſebia aſſeruatæ ſunt. Cui diuerſitati occurrens Petrus de Natalibus , dicit , Epiſcopum vrbis per viſionem admonitum , noctu in aluco fluminis reliquias ſub aquis , tanquam luminaria ſplendentes, inueniſſe. Scilicet.*

Alexander *Apameæ in perſequutione Antonini Veri glorioſo Martyrio coronatus eſt* 6. *Idus Mart. Apollinaris Hieropolit. Epiſcopus aduerſus Cataphrygas, & Hieronymus in catalogo virorum illuſtrium.* 10.

Attalvs *Abbas monaſterij Luxouienſis, & Succeſſor Columbani, moritur* 5. *Idus Martij. Pet. de Nat. lib.* 3. *cap.* 190. 11.

Gregorivs *cognomento Magnus , ex Monacho Pontifex Romanus* 66. *efficitur , & ſe ſuóſque Succeſſores* Seruos Seruorum Dei. *deinceps appellari inſtituit. Ceremoniis plus quàm Iudaicis mirum in modum , quia Monachus fuerat , Eccleſiam ac Religionem Chriſtianam , præ cæteris omnibus onerauit : vir aliàs qui doctus & bonus. Moritur* 4. *Idus Martij anno Chriſti* 604. *Quia ſcholas hic Pontifex plurimùm ornauit & auxit , habitus eſt Patronus Scholaſticorum. Indéque factum eſt , vt in hoc ipſius feſto die certis cantilenis ad ſcholam vocati ſint olim , & adhuc vocentur pueri pluribus in locis, ſubornato Epiſcopo, ſub S. Gregorij Perſona , cum adiunctis ſatellitibus ſacri ordinis. Addi quóque ſolent dona quibus inuitentur ad ſcholarum amorem pueri. Manauit hic mos ad Chriſtianos ab Ethnicis. In Quinquatriis enim, quæ Romani ſolenniter celebrarunt* 20. *Martij, Præceptores & Diſcipuli feriati ſunt. Et Diſcipuli quidem Minerualia ſiue* διδακτρα *perſoluerunt Præceptoribus : Præceptores verò Diſcipulis ſpicas diſtribuerunt , vndè illud eſt Horatij* 12.

Gregorius patronus ſtudioſorum: & ritus huius diei.

Cruſtula blanda dant Præceptores pueris.

Conciones prætereà in hoc Feſto habitæ ſunt à Magiſtris de Pallade, & vero eius cultu: vtpote à qua ſola omnis ſapientia & doctrina petenda eſſet. Ex quo Ouidius dixit:

Qui benè placarit Pallada doctus erit.

Gregorius quartus autem poſt obitum Gregorij Magni annis circiter 150. *corpus eius tranſtulit ante nouellum ſecretarium conſtructis abſidibus, & ſub altari ſui nominis collocauit , & in honorem eius anniuerſariam ſolennitatem inſtituit, in qua pallium & phylacteria , cum baltheo eius oſculantur. Surius tomo* 2. *de Vitis Sanctorum.*

Gregorij M. feſti author.

Evphrasia *nobiliſſima Virgo Conſtantinopolitana fuit : quum pater eam infantulam adhuc deſpondere viro vellet , cum matre* 13.

auffugit in Ægyptum, vbi monaſtica vita deſiderio capta, Monialis efficitur in cœnobio, in quo 130 Virgines erant: tandem ibi mortua eſt 3. Idus Mart. anno 720. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 197.

MACEDONIVS *Presbyter Nicomediæ in ignem coniectus 3. Idus Mart. martyrio coronatur. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 198.*

14. De Dominica LÆTARE, quæ etiam Dominica de ROSA: item de PANIBVS dicitur, vbi & de Aureæ ROSÆ Conſecratione.

D*ominica quarta Quadrageſima* Lætare *dicitur, primò, propter Introitum, qui in ea cantatur, & incipit,* Lætare Hieruſalem. *Secundò, quòd omnia quæ in officio huius diei peraguntur, læta ſunt. Tertiò propter* Roſam auream *quam Pontifex Romanus hac die ad Eccleſiam pergens, & ab eadem rediens, manu in conſpectu populi fert: vt nimirùm populo aſpectu huius Roſæ in mediana Quadrageſima ſolatium detur, ne propter Quadrageſimalis obſeruantiæ aſperitatem, ſub continuo labore deficiat. ſicut Innocentius tertius Serm. 1. huius Dominicæ indicat, & Durandus lib. 6. cap. 53. Hinc &* Dominica de Roſa, *Germanicè* Der Roſentag / *appellatur. Dicituretiam* Dominica de Panibus, *vt Iacobus de Voragine Serm. 1. huius diei teſtatur, ob eandem cauſam, nimirùm vt populus miraculo illo de quinque panibus, quod hoc die legitur in Eccleſia & explicatur, ſpiritualiter recreetur, ſicut ſaturati ſunt panibus illis corporaliter* 5000. *homines.*

Roſa aurea quibus rebus conſtet, & eius conſecratio.

Roſa autem iſta tribus rebus conſtat, Auro, Muſco & Balſamo. Et his ceremoniis in baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem benedicitur ac conſecratur. Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, ſtola pluuiali & mitra, accedit ad altare, ſuper quo duo ſunt candelabra, & depoſita mitra dicit: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum & terram. Verſ. Dominus vobiſcum Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus: Deus, cuius verbo & potentia facta ſunt omnia, & cuius nutu vniuerſa diriguntur: qui eſt lætitia & gaudium omnium Fidelium: Maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus, vt hanc roſam odore viſuque gratiſſimam, quam hodierna die in ſignum ſpiritualis lætitiæ in manibus geſtamus, bene † dicere ſanctı † ficare tua pietate digneris, vt plebs tibi dicata ex iugo Babylonicæ captiuitatis educta, per Vnigeniti Filij tui gratiam, qui eſt gloria & exultatio plebis Iſrael illius Hieruſalem, quæ ſurſum eſt Mater noſtra, ſynceris cordibus gaudium repræſentes, & quia ad honorem nominis tui Eccleſia tua hoc ſigno hodiè exultat & gaudet: tu ei Domine verum & perfectum gaudium largiaris, & deuotionem eius accipiens peccata dimittas, fide repleas, indulgentiâ foueas, miſericordiâ protegas, aduerſa deſtruas, proſpera cuncta concedas: quatenus per fructum boni operis in odorem vnguentorum illius floris tranſeat, qui de radice Ieſſe productus, flos campi & lilium conuallium myſticè prædicatur: cum quo in ſuperna gloria cum Sanctis omnibus ſine fine lætetur Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Finita hac oratione, inungit cum balſamo Roſam auream, quæ eſt in ipſo ramuſculo, & ſuperimponit muſcum tritum, quæ per Sacriſtam ei miniſtrantur, & imponit incenſum in thuribulo more conſueto, & demùm aſpergit Roſam aqua benedicta, & adolet incenſo. Interim Clericus cameræ Apoſtolicæ ſuſtinet Roſam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis à dexteris, & ille ad manus Pontificis, qui manu ſiniſtrâ Roſam geſtans, & dextrâ benedicens progreditur ad capellam, & Diaconi Cardinales hinc inde eleuant fimbrias pluuialis: cùm peruenerit ad faldiſtorium, dat Roſam Diacono benedicto, qui eam Clerico cameræ tradit, & ille eam ſuper altare ponit.

Roſa aurea donatur alicui à Papa.

Finita Miſſa, Pontifex facta oratione ante altare, recipit Roſam, & eam defert ad cameram ſuam. Ibi illam dono dat magno alicui & Potenti Principi, qui præſens eſt in curia. Vocatur ille ad pedes Pontificis, qui genua flectenti dat Roſam, dicens: Accipe Roſam de manibus noſtris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam deſignatur gaudium vtriuſque Hieruſalem, triumphantis ſcilicet & militantis Eccleſiæ, per quam omnibus Chriſti Fidelibus manifeſtatur flos ipſe ſpecioſiſſimus, qui eſt gaudium & corona Sanctorum omnium, ſuſcipe hanc tu dilectiſſime Filij, qui ſecundùm ſeculum Nobilis, Potens, ac multa Virtute præditus es, vt amplius omni virtute in Chriſto Domino nobiliteris, tanquam Roſa plantata ſuper riuos aquarum multarum, quam gratiam ex ſua vberanti clementia tibi concedere dignetur, qui eſt trinus & vnus in ſecula ſeculorum, Amen. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen. Hoc aliquando in capella factum fuit finita Miſſa. Ille cui Roſa data eſt, poſtquam manum & pedem Pontificis oſculatus eſt, eique pro tempore gratias egit, cùm Papa in camera veſtes & ſacras depoſuerit, ipſe Roſam manu geſtans deducitur vſque ad domum ſuam à Collegio Cardinalium, medius inter duos antiquiores Diaconos, poſt omnes alios Cardinales: circa illum ſunt pedites curſores Romanæ curiæ cum ſuis baculis, qui ſolent illa die ſtrenas, ab eo qui Roſam habet, accipere: ſicut legitur libro primo Ceremon. Roman. Eccleſiæ.

Sin minus eſſet tunc in curia Rom. Princeps tanto munere dignus, mittitur hæc Roſa in alias Prouincias & Regna, Regi aut Principi alicui, vt hæc

hac ratione eos faciliùs in officio obedientiæ contineant, eóſque ſibi in perpetuum hoc præclaro, & tanquam de cælo lapſo munere obſtringant. Hinc in Sleidani libro primo & quarto Comment. legimus, Leonem X. Fridericum Saxoniæ Principem per Carolum Miltitium, & per alium quendam Henricum Angliæ Regem hac Roſa donaſſe. Solet autem Pontifex ante vel poſt Miſſam vocare Cardinales ad circulum in camera ſua, vel vbi placuerit ei. & cum his deliberare, cui danda vel mittenda ſit.

Roſæ conſecrationis author. *Hanc verò conſecrationem ſeu benedictionem Roſæ huius inuentum & inſtitutum Vrbani V. qui Pontificatum anno* 1370. *tenuit, quidam eſſe volunt: quod falſum eſt, meminit enim ritus ſeu ceremoniæ huius Innocentius III. qui annis* 170. *ante hunc Vrbanum vixit.*

Ritus alij in Dominica Lætare. *Aliquibus etiam in locis hoc die mortem expellunt. Laruam enim ſeu imaginem mortis de ſtramine aut ſimili materia faciunt, quam poſteà in aquas proiiciunt & ſubmergunt, ad ſignificandum veterem hominem eſſe mortificandum, & peccatis reſiſtendum, per quæ mors introiuit in mundum ſicut Meſſreth Sermone primo in Dominica Lætare refert. Meminit etiam huius conſuetudinis Matthæus Dreſſerus in libello ſuo de Feſtis, vbi indicat, in vrbe Miſna pueros puelláſque hac Dominica circumferre ex ramuſculis abiegnis confectam perticam, additamentiſque aliis ornatam: ac oſtiatim canendo memoriam expulſæ mortis renouare, vt nummos colligant. Exiſtimat autem hunc morem à Polonis & Sileſiis manaſſe, ſed incertum qua imitatione: hos enim eodem die geſtare teſtatur ſimulachra ſpectris ſimilia, eáque tandem in cænum proiicere atque comburere. Hac conſuetudine ait repetere eos memoriam hiſtoriam confractorum & eiectorum idolorum per Poloniam & Sileſiam anno Chriſti* 966. *regnante Mieslao, ſub quo ab idolomania Ethnica ad verum Dei cultum vtráque gens conuerſa eſt.*

15. *Longini fabula.* DE LONGINO *Vincentius libro ſeptimo, capite* 47. *Petrus de Natalibus libro tertio, cap.* 201. *Iacobus de Voragine Legenda* 47. *longam & fabuloſam texunt hiſtoriam: quòd Miles ille fuerit, qui lanceâ Chriſto aperuit latus in cruce, ſed quum vidiſſet miracula quæ facta ſunt in morte Chriſti, in primis autem quòd ſanguine ex latere Domini fluente oculi eius caligantes ſanati eſſent, conuerſum eſſe, & in Cæſarea Cappadociæ* 38. *annis Monachum egiſſe, & tandem ab Octauio Præſide, quòd Diis Ethnicis ſacrificare nollet, interfectum eſſe: & eidem excæcato, ſed ad cadauer Longini pœnitentiam agenti, viſum ſuis precibus ad Deum reſtituiſſe. Hæc verò non ſolùm ſuperſtitioſa, ſed etiam idololatrica, & ab his temporibus alieniſſima ſunt: quemadmodum & illud, quòd ſanguinem, qui fluxit è latere Chriſti, collegiſſe in vas & ſecum ſepeliri curaſſe dicitur quique inuentus tandem Mantuæ hodiè monſtratur. Sic enim Mantuanus in Faſtis:*

Seculo poſt aliquot tua ſunt tranſlata per vndas
Corpora in Italiam, Chriſti cum ſanguine Sacro
Ad Crucis excelſæ quondam veſtigia lecto,
Atque in vaſe breui ſecum poſt fata ſepulto.
Vltima diuino ſedes tibi Mantua nutu
Hoſpitiúmque fuit.

Colitur in Romana Eccleſia Idibus Mart. in Græcia verò 17. *Cal. Nouem. Sic enim Mantuanus lib. Faſtorum:*

Sunt qui Cappadocem, ſunt qui teſtantur Iſaurum
Te armorum Longine decus. Tu bella gerebas
Tempore quo nobis proles Diuina ſalutem
Attulit: ipſe ſuas Mauors tibi dedicat Idus.
Octobris verò decimum tibi Græcia ſextum
Thure diem celebrat, multóque illuminat igne.

HERIBERTVS *Epiſcopus Colonienſis, vir ſuperſtitioſus, anno Chriſti* 1020. 17. *Calend. April. deceſſit ex hac vita. Chronicon Hirſaug. & Herm. Contractus.* 16.

GERTRVDIS, *Virgo Niuelenſis, monaſterium Virginum in patria extruxit, eique præfuit: mortua eſt anno Conſtantis Imp. XXI.* 16. *Cal. Aprilis. Pet. de Natal. lib.* 3. *cap.* 205. 17.

PATRITIVS *in Britannia Nobiliſſimis ortus parentibus, & in Sacris Literis probè inſtitutus, Romam veniens in Hiberniam inde à Pontifice Rom. mittitur, quam totam inſulam ad ſynceriorem Chriſti Religionem conuertit. Vincentius & alij pro more nugantur, quòd in cuiuſdam montis cacumine quadraginta diebus & noctibus, vt alter Helias, ieiunarit: Euangelij textum & baculum in quadam viſione à Chriſto acceperit: profana Deorum templa deſtruxerit: ſigna pietatis erexerit Eccleſias innumeras fundauerit: verbi Miniſtros ordinauerit: Infirmos ſanauerit: obſeſſos liberauerit: ſexaginta mortuos ſuſcitauerit: hominum* 12000. *baptizauerit: inter quos fuerint ſeptem Reges. Huius etiam precibus aſcribit Petrus de Natalibus lib.* 3. *cap.* 204. *quòd nullum venenatum animal eam inſulam infeſtet, imò ligna & coria iſtius regionis contraria ſint veneno. Horum omnium fides ſit penes authores. Tribuunt etiam iſti Vincentius, Petrus de Nat. & ſimilis farinæ Scriptores, ementiti Purgatorij inuentionem, idque Chriſtum ei monſtraſſe ſcribunt. Verùm hoc, vt cum veritate diſcrepans, refellit Balæus Cent.* 1. *cap.* 44. *& alteri multò iuniori, Monachorum Abbati, ſed eiuſdem nominis, aſcribit, quem vixiſſe ait circa annos* 850. *Glaſconiaque ſepultum eſſe. Illum verò mortuum eſſe* 15. *Cal. April. anno* 491. *ætatis ſuæ* 122. *Beda lib.* 2. *tom.* 3. *Sigebertus & Balæus referunt.* 18. *Patricij Purgatorium.*

19. Ioseph *Putatiuus Chriſti Pater natus fuit patre Iacob, ex familia Dauid, Matth. 1. Viduum eum fuiſſe, ac plures habuiſſe liberos, antequam Mariæ deſponſaretur, & quadam alia miraculoſa, fabuláque reſipiſcentia, proteuangelium Iacobi narrat. In Euangeliſtis autem ea de re nihil extat. Ex Euangelica hiſtoria conſtat, eum Fabrum fuiſſe lignarium: talem enim ſignificat τέκτων, quo vtitur Marcus cap. 6. Hilarius tamen in Matth. cap. 14. ſentire videtur, quòd Ioſeph fuerit Faber ferrarius: ſic enim inquit:* Planè hic Fabri erat Filius, ferrum igne vincentis, omnem ſeculi virtutem iudicio decoquentis, maſſámque formantis in omne opus vtilitatis humanæ. *Quanto tempore vixerit, vel vbi, aut quomodo humanitatis debitum exoluerit, expreſſum non habemus. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 209. indicat, ſe in quodam antiquiſſimo Calendario, ex cuius initio colligere potuerit, quòd ex vetuſtis Euſebij Caſarienſis exemplaribus deſumptum fuerit, ſcriptum reperiſſe Feſtum Ioſephi Sponſi Dominæ noſtræ 14 Cal. April. Fieri autem poteſt, vt hoc die abierit, Feſtum verò eius inſtituit, & Veterum Solennitatibus adiunxit demùm circa annos 1480. Sixtus 4. vt teſtatur Panuinius in Appendice ad Platinam, & Balæus in eius vita. Rituum quibus Feſtum eius celebratur, his verſibus Bap. Mantuanus in Faſtis meminit:*

Poſt decimam lux noua tua eſt: tua templa Sacerdos
Velat, & ad numerum tibi tinnula verberat æra.
Verrit humum: legit areolis noua gramina tonſis:
Et poſtes vernare facit, frondere columnas.
Albentes ſplendere aras redolere ſacellum,
Thura cremat, lentóque ſuper myrrham infriat igni.

Romæ & alibi hoc die Fabrorum ſunt feriæ.

20. Cvthbertvs *qui aliàs* Gubertus *&* Gunibertus *appellatur, ex Hibernienſium ſtupro & in Hibernia natus, à matre Romam peregrinante Adoleſcens in Britannia relinquitur. Mailroſa in monaſterio profanis literis inſtructus, Boiſilo Abbati mortuo ſucceſſit. Quo in munere externa ceremoniarum iura tam verbo quàm opere docuit, ac ſi Regnum Dei cum obſeruatione veniret. Fœmineum genus adeò odit, vt decretum fecerit, ne qua mulier in ſuum intraret monaſterium. Et tamen nihilominus familiariſſimas habuit Ebbam, Elfredam & Veſcam Abbatiſſas, cum Veſtalibus ſuis. Exinde ad Anachoreticam vitam ſe contulit, & ſelecto loco in magna vaſtitate, eò ſeceſſit ſolus, & per multos annos ibi duris exercitiis ſeſe macerauit, vana opinione de cultu Dei faſcinatus. In Synodo tandem communi Antiſtitum decreto ex ſolitudine reuocatus eſt, & Hagulſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus creatus. Functus autem iſto munere per biennium vitam cum morte commutauit, anno Chriſti 687. 13. Cal. Aprilis. Balæus Cent. 1. cap. 81. & Petr. de Natal. lib. 3. cap. 212.*

Benedictvs *Nurſinus in Vmbria Italiæ natus, tumultuum & bellorum, quæ Iuſtiniani Imp. temporibus exorta fuerant, pertaſus, in ſolitudinem abiit, in qua perdiu verſatus, ſe demum Sublaqueum contulit. Ibi quum à multitudine ob Sanctitatis famam frequenter adiretur, poſtremò Caſſinum, in ea regione peruetuſtum oppidum, in quo phanum & ara Apollinis extabat, venit, ibique cœnobium candidit, & ſparſos hinc inde per Italiam Monachos in id quaſi in vnum contraxit, & monachatum in Occidente inſtituit, anno Domini 530. vt refert Balæus ex Paleonydoro. Volaterranus lib. 21. Polydorus lib. 7. de Inuent. cap. 2. Gregorius M. Dialog. lib. 2. cap. 1. & 2. Moritur anno Domini 542. Martij 21. die, quo & memoria eius celebratur. Sic enim Mantuanus in Faſtis:* 21.

Sacra cucullato Martis vigeſima Patri
Prima dies oritur, &c.

Ac oportuit Caſſinenſes Monachos ſui Abbatis Benedicti, quemadmodum Mauri & Scholaſticæ Feſta, vt Natalem Domini celebrare, ex inſtitutione Zachariæ Papæ circa annum Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Constantinvs *Max. ob virtutem ſuam, à Gentilibus in numerum Deorum relatus, à Chriſtiana quóque Eccleſia in Sanctorum Catalogo receptus fuit: diéſque vigeſimus hic primus menſis Mortij in ipſius nominis honorem celebrari cœpit. Nam ei, magna ipſius laude, maiore etiam omnium mortalium admiratione contigit, vt duarum inter ſe plurimum aduerſantium religionum Populi atque Eccleſiæ, ipſum ad tantum, adeóque rarum honoris culmen reciperent: id quod nulli antea vnquam contigiſſe viſum fuerat. Fulgoſus lib. 8. cap. 16. Alex. lib. 6. cap. 4. Alij tamen ad diem 22. huius menſis referunt.*

Aphrodisivs *Ægypti Præfectus fuiſſe dicitur, eo tempore, quo Maria cum puero Ieſu in Ægyptum fugit. Conuerſus ad Religionem Chriſtianam, Biturricenſis Epiſcopus creatur, martúrque 11. Cal. April. ſi verum eſt, quod Pet. de Natal. lib. 3. cap. 218. refert.* 22.

Victorianvs *Adrumeti Vir Nobilis, à quodam Proconſule Carthaginenſi, homine ſæuiſſimo, quòd idolis ethnicis ſacrificare nollet, captus, primò bonis ſuis ſpoliatur, deinde inauditis tormentorum generibus excruciatur & necatur 10. Cal. April. Pet. de Nat. ex Affricano lib. 3. cap. 219.* 23.

Pigmenivs *Presbyter Romanus & Præceptor Iuliani Imp. Apoſtatæ, pro Chriſti fide à Diſcipulo Iuliano, quòd corpora Martyrum ſepeliret, primò in exilium mittitur: inde verò* 24.

Romam

Romam reuertens, in Tyberim ab eodem ſubmerſus eſt 9. Cal. April. Vincentius lib. 14. cap. 35 & 38. Pet. de Natal. lib. 3. cap. 223.

De Annvnciationis B. Mariæ Feſto.

Feſtum hoc olim tam in Mariæ, quàm Christi honorem celebratum.

F*Eſtum hoc à Pontificiis celebratur hodie in ſalutis B. Virginis Mariæ honorem, & memoriam eius, quòd conceptio Filij Dei iuxta carnem Mariæ annunciata ab Angelo Gabriele fuit. Athanaſius, qui floruit circa annos Domini 340. primus de Feſto hoc quædam retulit, in enarratione Euangelij de Sancta Deipara. Sed, vt ex illius verbis apparet, non tam in honorem Mariæ, quàm Christi Domini celebratum olim fuit: imò huius potius, quàm illius Feſtum fuit. Sic enim Athanaſius,* Feſtum hoc, *inquit,* vnum eſt ex Dominicis, atque adeò primarium, & prorsùs venerandum, vtpore quod pro ordine & digeſtione rerum quæ in Euangelio de Christo prædicantur, Sacroſanctum habeatur, quippe in quo de filij è cœlis deſcenſu agatur. *Quæ verba ſatis indicant, in hoc Feſto de Christo præcipuè, eiúſque deſcenſu in terram tractatum eſſe, nihil de B. Maria, quod poſterioribus demùm ſeculis fieri cœpit. Vnde etiam habetur eadem præfatio in Natali Domini, quæ in eiuſdem Annuntiatione, vt teſtatur Ioan. Beleth in Ration. cap. 146. & Durandus in ſuo Ration. lib. 7. cap. 9. Ipſe quóque Eccius hoc non diſsimulat, quando tom. 3. homil. 6. de Annuntiatione Mariæ inquit:* Quamuis hoc Feſtum appellationem habeat à Virgine Maria ſumptam, tamen peculiariter Feſtum Christi, & totius humanæ naturæ continet. Verbum enim Dei Patris æternum hodie caro factum eſt, & humana eius natura ſuper omnes, exaltata eſt choros Angelorum, dum in vnitate perſonæ vnita eſt Filio Dei, &c. *In vetuſtioribus etiam Legendis & Sermonibus de hoc Feſto, non habetur titulus* Feſtum Annunciationis Mariæ, *ſicut hodie, ſed* Feſtum Annunciationis Dominicæ.

Feſtum hoc quàdo celebrandum.

Factam autem hanc Annunciationem ab Angelo 8. Cal. April. Pet. de Natal. lib. 3. cap. 225. ſcribit quidem, ſed ſine Authore: vnde etiam hoc Feſtum eo die celebrari ſolet hodiè. In Concilio autem Toletano 10. anno 659. ſecundùm Panuinium, habito præcipitur Can. 1. vt octauo die ante Natalem Domini celebretur: Sic enim habent verba Canonis: Quoniam die quo inuenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nuntiaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem die Feſtiuitas non poteſt celebrari condignè, quòd interdum Quadrageſima vel Paſchale Feſtum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum Solennitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, conuenit celebrari: cùm ſecundùm ipſam Incarnationem Verbi non conueniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat ipſum Verbum poſt mortem carnis gloria Reſurrectionem attolli. Ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, vt ante octauum diem quo natus eſt Dominus, Genitricis quóque eius habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, vt ſicut Natiuitatem Filij ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita Feſtiuitatem Matris tot dierum ſequatur Solennitas. Nam quod Feſtum Matris eſt niſi Incarnatio Verbi? Cuius feſtum ita debet eſſe ſolenne, ſicut eſt & eiuſdem Natiuitatis Verbi. In multis itáque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis & terris hic mos agnoſcitur retineri. Solennitas itáque Dominicæ Matris die 15. Cal. Ianuarij omnimodò celebretur. Vndè ſimul intelligitur, ſenſim in abuſum & idololatricum cultum hoc Feſtum tranſlatum iam tum Concilij Toletani 10. tempore. Caranza in Epitome Conciliorum ad hunc Canonem annotat, hanc Feſtiuitatem in ſola Hiſpania celebrari: quod de tempore in Toletana Synodo definito intelligendum: alioquin non ſolùm ab Hiſpanis, ſed etiam ab aliis Christianis celebratum iam aliquot ſeculis ante Caranzam fuit, verùm non 15. Cal. Calend. Ian. ſed 8. Cal. April. quo die per diuerſa temporum curricula Deus multa operatus dicitur: quæ his verſibus quidam perſtrinxit:

Salue Feſta dies, quæ vulnera noſtra coërces.
Angelus eſt miſſus: eſt paſſus & in Cruce Chriſtus.
Eſt Adam factus, & eodem tempore lapſus.
Ob meritum decimæ cadit Abel Fratris ab enſe.
Offert Melchiſedech: Iſaac ſupponitur aris.
Eſt decollatus Chriſti Baptiſta Beatus.
Eſt Petrus ereptus: Iacobus ſub Herode peremptus.
Corpora Sanctorum cum Chriſto multa reſurgunt
Latro per Chriſtum tam dulce ſuſcipit Amen:

vt Durandus in Rationali lib. 7. cap. 9. & Iacobus de Voragine Legenda 50. referunt.

Litania in hoc feſto cantari cœpta.

Mentionem huius Feſti faciunt Platina & Balaus in vita Sergij primi, qui floruit circa annos 688. quem inſtituiſſe referunt, vt à S. Adriano quotannis per vrbem die Annuntiationis Mariæ ac Simeonis Litania cantentur. Theophanes quóque & Damaſcenus hymnos hoc feſto cantandos inſtituerunt, qui apud Damaſcenum extant.

Quoties autem hoc Feſtum incurrit in ſeptimanam Paſsionis, aut in ſeptimanam in Albis, celebratur pridie Palmarum veteri conſuetudine.

Meſſreth fabuloſa narratio de hoc feſto.

Referam ad finem huius feſti ex Meſſreth narrationem, quæ extat Serm. 1. de Annunciatione.

Digitized by Google

tione Maria, vt videat Lector nihil puduiſſe mendaciorum putidiſſimorum iſtiuſmodi homines. Narrat enim ex quodam libro trium Regum, qui eiuſdem eris pretij cum ſuo Hortulo de Sanctis, Helenam Imperatricem fabricaſſe in Nazareth pulcherrimi operis templum, in quo camera fuerit, in qua Beata Virgo ea ipſa hora extiterit, qua Angelus conceptionem Domini annuntiarit ei: in illa camera columnam lapideam fuiſſe ad quam Angelus ſteterit, & ſuam imaginem ei ſicut cera impreſſerit. Hoc ſignum diei Annuntiationis in columna permanſiſſe, quúmque Sol ante Occaſum id tetigiſſet, tunc horam fuiſſe illam ipſam, qua Angelus Mariam ſalutarit, & Domini conceptum annuntiarit. Non diu poſt certos Miniſtros deputatos in hac capella, qui, vbi Sol tetigiſſet hoc ſignum, in capella ſonitum campana dederint, ad quem homines in genua procciderint & Angelicam ſalutationem, quam Aue Maria vocant, recitarint. Hoc figmento vaniſſimo probare vult opinor, Salutationem angelicam ad campana pulſum antiquiſſimam eſſe conſuetudinem: quum, ipſis quóque Pontificiis teſtibus, à Ioanne 22. Papa circa annos demùm 1325. contra Ludouicum 4. Imp. Chriſtianiſſimum inſtituta ſit.

26. CASTVLVS in ipſo palatio Diocletiani Imp. Caium Epiſcopum Rom. Marcellianum & Marcum fratres cum patre eorum Tranquillino, & alijs Chriſtianis fouens, quòd de ipſo ſuſpicio nulla eſſet, tandem comprehenditur, & in foueam conijcitur, ſuperiniecto magno arena aceruo, 7. Cal. April. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 231.

27. IOANNES Eremita anno 1. Theodoſij Imp. ſenioris vixit, habuitque cellam in eremo Thebaidis in rupe aſcenſus penè inacceſſibilis. Nunquam cum muliere, raro etiam cum viris loquebatur, & ſolùm per feneſtellam. Cùm ita in ſolitudine manſiſſet ſua cella incluſus 70. annis, moritur tandem 7. Cal. April. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 6.

28. DE HEBDOMADA Magna: vbi & de Dominica in RAMIS PALMARVM.

Paſcha quid ſolum ſignificarit.

VOcabatur antiquitùs PASCHA non ſolùm ipſa dies Reſurrectionis Domini, ſed etiam totum illud tempus, quod eſt à Dominica in Ramis Palmarum, vt vocant vſque ad Octauam Paſcha, ſicuti Durandus indicat in Ration. lib. 7. cap. 1.

Hebdomada Paſchales feſtiuæ.

Etſi autem hæ duæ ſeptimanæ, vna ante, & altera poſt Reſurrectionis Dominicæ diem ſtatim poſt Apoſtolorum tempora Solennes fuerunt, propter memoriam Paſſionis & Reſurrectionis Domini, ſicut ex vetuſtiſſimis Authoribus intelligitur, cœperunt tamen Conſtantini M. demùm edicto magis feſtiuæ eſſe. Nam Paulus Diaconus lib. 11. Rom. hiſt. narrat, Conſtantinum lege edixiſſe, duas has Paſchales hebdomadas ſine negotio cuiúſque operis celebrandas eſſe. In quam ſententiam etiam Nazianzenus ait Oratione 3. in Sanctum lauacrum: Nos Sanctum Paſcha in orationis domibus & ante Cœnam, & poſt Reſurrectionem peragimus.

Hebdomada Paſſionis & Magna.

Ignatius in Epiſtola ad Philadelphianos primam hanc Paſchatis ſeptimanam Hebdomadam Paſſionis nominat. Chryſoſtomus autem homil. 30. in cap. 10 Geneſ. Hebdomadam magnam vocat, quòd magna quadam & ineffabilia bona piis ac fidelibus in ea contigerint, in illa enim ſolutum eſſe bellum diutinum extinctam eſſe Mortem, Maledictionem interemptam, Diaboli Tyrannidem ſolutam, Vaſa ipſius direpta, Deum hominibus reconciliatum, cœlum penetrabile factum &c. Hanc autem Paſchatis priorem hebdomadam à Chryſoſtomo intelligi inde apparet, quòd ibidem ſcribit, ad finem Quadrageſimæ ventum, quum in Magnam hanc Hebdomadam peruenerint.

Karrwochen. Karr quid.

Germani hanc ſeptimanam vocant die Karrwochen / à vetuſto illo Germanico vocabulo Karr / quo mulctam ſeu pænam pro delicto, vel potiùs Satiſfactionem pro pæna & mulcta nominarunt. Quando enim in foro iudiciali reus pro mulcta a iudice ſibi impoſita, læſo pro iniuria damnóue ſatiſfacit, dicimus, Er hat jhm ein abtrag/Karr oder aber wandel gethan. Ab hoc ciuili vſu poſtea Sacrificuli mulctas, quas pænitentibus, pro ſatiſfactione delictorum, impoſuerunt, etiam in Latina lingua Germanico vocabulo nominarunt Carrinas. Alij tamen ſcribunt Carenam, & à carendo deriuant. Eſt huius vocabuli frequens vſus apud Burkhardum Vuormat. Epiſcopum circa annum Domini 1020. lib. 9. & in vetuſtis Indulgentiarum Bullis. Fuit igitur Carena apud veteres in Eccleſia Ieiunium aliquot dierum in ſolo pane & aqua. Vocarunt ergò Hebdomadam hanc Germani die Karrwochen / quòd in ea pænitentiam, hominibus à Sacerdote impoſitam, communiter omnes agerent ieiuniis, vigiliis, &c. pro peccatis admiſſis, quo ſe Deo ſatiſfacere poſſe falsò perſuaſum habebant. Poteſt tamen etiam pio ſenſu ſic vocari ſeptimana hæc: in ea ſiquidem pro mulcta, à iuſto iudice Deo humano generi impoſita, Filius Dei in cruce morte ſua ſatisfecit, nóſque ab æterna damnatione liberauit. Ob eaſdem cauſas quóque dies Dominicæ Paſſionis, der Karrfreytag appellatur.

Carrina & carena quid.

Karrfreytag.

Paſchalis hebdomada prior religiosè celebrata.

Religioſiſſimè autem obſeruatam Paſcha prioris ſeptimanam ex Tertulliano non obſcurè intelligitur, qui libro 2. ad vxorem ſic ſcribit: Quis ſolennibus Paſchæ abnoctantem vxorem ſecurus ſuſtinebit? Idem quoque Epiphanius indicat lib. 3. tom. 1. hæreſi 75. In diebus, inquit, Paſchalibus apud nos fiunt Humidormitiones,

Caſtitates,

Caſtitates, Afflictiones, ſiccorum Eſus, Preces, Vigiliæ ac Ieiunia: vbi & Ieiunia hæc per ſex dies Paſchæ ab Apoſtolis inſtituta affirmat: *ſicut etiam Clemens Conſtituit. Apoſtolicarum lib. 5. cap. 19. & 20. Sed quis hoc credat, quum nuſquam in Apoſtolorum ſcriptis reperiantur talia & multis probari poßit hos Clementis libros ſuppoſititios eſſe? Porrò magna religione hanc ſeptimanam colendam, Matiſconenſis quoque Synodus 2. ca. 2 præcipit:* Paſcha noſtrum, in quo ſummus Sacerdos & Pontifex pro noſtris delictis immolatus eſt, debemus omnes feſtiuiſſimè colere, & ſedulæ obſeruationis ſynceritate in omnibus venerari: vt illis Sanctiſſimis ſex Diebus, nullus ſeruile opus audeat facere: ſed omnes ſimul coadunati, Hymnis Paſchalibus indulgentes, perſeuerationis noſtræ præſentiam quotidianis Sacrificiis oſtendamus, laudantes Creatorem & Regeneratorem noſtrum veſperè, manè, & meridie. *Chryſoſtomus etiam homil. 30 in 10. cap. Geneſ. Hebdomadam hanc magnam Ieiuniis, Vigiliis, Pernoctationibus ſacris & Eleemoſynis decorandam, ſuos auditores monet. Meminit quoque Vigiliarum Paſcha Euſebius libro 6. cap. 9. in hiſtoria Narciſci Hieroſolymitani Epiſcopi, de quo indicat, quòd in Vigiliis Paſcha deficiente oleo, oratione impetrarit, vt aqua infuſa lampadibus, ad præbendam lucem facta fuerit idonea. Idem Author libro quarto de Vita Conſtãtini refert, Conſtantinum Paſchales has peruigilationes ornaſſe lampadibus, accendens per totam vrbem columnas ſeu moles cereorum. Vnde abſque dubio Cerei Paſchalis ritus emanauit ad Poſteros,* *Cerei Paſchalis ritus unde.* *& ad aliam poſtea ex hoc fonte ſuperſtitionem tranſlatus fuit. Cæſarius etiam aliquos horum rituum meminit homil. 18. Nam de præparatione ad hoc Feſtum ſic loquitur ad ſuos auditores:* In Paſchate caſtitatem, ſicut in Quadrageſima, ſeruate, abſtinentes ab Vxoribus, caſtitatis luce veſtiti, Eleemoſynis dealbati, Orationibus, Ieiuniis & Vigiliis veluti quibuſdam Margaritis cœleſtibus ornati, pacifici cum amicis & inimicis, vt poſſitis libera conſcientia ad altare Domini accedere. *Floruit circa annos Chriſti 670. Nicetas quoque lib. 3. refert, Iſacium Imp. circa annos Chriſti 1186. viduas eleemoſynis, pauperculas virgines dote & nuptiarum ſumptu hac hebdomada iuuaſſe.*

Libertas Chriſtianorum in his ritibus.

Obſeruandum eſt autem diligenter, hos ritus liberas habuiſſe obſeruationes: nam in Aliquibus Eccleſiis per totam hanc ſeptimanam obſeruati ſunt, vt modò indicauimus: ex Nazianzeni autem Oratione in S. Paſcha apparet, in aliquibus noctem eam ante diem Reſurrectionis, qui propriè Paſchatis eſt, tantùm peruigilem fuiſſe Chriſtianis, Luminibus vbique & publicè & priuatim accenſis. Et Ambroſius Serm. 60. In Paſchate, *inquit*, ieiunauimus Sabbatho, Vigilias celebrauimus, & Orationibus percunctanter inſtitimus. *De Ieiuniis autem Paſchalibus Irenæus luculenter teſtatur in Epiſtola ad Victorem Romanum Epiſcopum, cuius fragmentum extat apud Euſebium libro 5. cap. 26. quòd tempus eorum, ſine ſuperſtitioſis legibus, liberè ſeruatum ſit, & in forma Ieiunij huius magna ſuo tempore fuerit diuerſitas, & obſeruationes diſſimiles.* Quidam, *inquit*, vnum diem ante Paſcha ieiunant, quidam duos, alij verò plures dies, alij quadraginta, diurnas & nocturnas horas computantes pro die. *Idem etiam refert Nicephorus lib. 12. cap. 34. Hæc res poſteà in conſuetudinem abiit, & Ieiunium Quadrageſimale hinc natum eſt, quod hodiè pro articulo fidei obtruditur Eccleſiæ.*

Quadrageſimale ieiunium vnde.

Ritus in hac ſeptimana obſeruati vnde.

Sumpſerunt hi ritus fortaſſe originem ex Iudæorum conſuetudine quadam, cuius meminit Ioannes Euangeliſta 11. cap. vbi dicit, multos aſcendiſſe ante Paſcha vt ſanctificarent Seipſos: vnde conſtat, Iudæos ſolitos quibuſdam oblationibus ſeu ſacrificiis ante Paſcha ſeſe expiare. In huius locum fortè poſteà à Chriſtianis, Vigilia, Ieiunia & Similia ſunt inſtituta, ne Iudæis irreligioſiores viderentur: de quo tamen lector iudicet.

Lectio paſſionis Dominicæ in ſeptimana Paſchali prior.

Durandus in Rationali lib. 6. cap. 69. indicat, ſecundùm quemlibet Euangeliſtarum hac ſeptimana Paſsionem Domini legi, ex inſtitutione Alexandri I. Papæ, eo ordine, quo ſcripſerint: nam die Dominica, quæ dicitur in Ramis Palmarum, legi Paſsionem ſecundùm Matthæum, qui primus ſcripſit: ſecunda vel tertia feria ſecundùm Marcum, qui ſecundus ſcripſit: quarta ſecundum Lucam: ſexta ſecundùm Iohannem, qui vltimus ſcripſit: Mediolanenſes autem olim Paſsionem non niſi ſecundùm Ioannem legiſſe, & in ſexta feria. Auguſtinus autem ſimpliciter Dominicæ Paſsionis memoriam quotannis celebratam refert, epiſt. 118. ad Ianuarium. Et Chryſoſtomus homil. 88. in Matth. tom. 2. Ne, *inquit*, Gentiles dicant præclara nos atque inſignia Chriſti facta prædicare, Opprobria verò & Paſſionem celare Sanctiſſimi Spiritus gratia ita diſpenſatum eſt, vt in Solennitate Maxima, cùm omnes vnà viri atque mulieres adeſſe poſſint iuxta diem Paſchæ, omnia hæc perlegantur.

Nota.

Non prætermittendum hoc loco, quod Cranzius lib. 6. cap. 46. Metrop. refert, quum apud Senonas Alexander 3. die Paraſceues ex inſtituto homonymi ſui inter officium legere iuſſiſſet Paſsionem Dominicam, horribiles factas fuiſſe tenebras: quùmque Lector perueniſſet ad hunc locum, Conſummatum eſt, *fulgur tam ſtupendum cecidiſſe, & tantùm fragorem intonuiſſe, vt Alexander dimiſſo altari, & Lector omiſſa Paſsione,*

omnéſque

omnéſque Præſentes fuga ſibi conſuluerint. Nec mirum, agebat enim tunc Pontifex in Francia, vt aduerſus Imperatorem, legitimum ſuum Magiſtratum, ſibi cæteras nationes conciliaret: ibidem. Voluit etiam Deus horrendis his tenebris, & ſtupendis fragoribus, fulminibúſque ſignificare, dignum eſſe Pontificem Romanum, cum ſuis aſſeclis, qui in exteriores tenebras eiiciantur, & fulminibus in tartara profundiſſima deturbentur, quòd Sacrificium Filij ſui Ieſu Chriſti reſpuant ac faſtidiant, quo ſolo tamen conſummata & impleta ſint promiſſiones, Typi in lege propoſiti & Prophetarum oracula, vnà cum omnibus his quæ ad ſalutem & Redemptionem noſtram neceſſaria erant, & noua Sacrificia, vt eſt Papiſtica Miſſa, Satisfactionéſque pro peccatis inſtituant.

Superſtitioſi ritus in priore Paſchali hebdomade obſeruati. *Etſi verò hæc, quæ hucúſque commemorauimus, ſuperſtitioſè ſatis ab aliquibus progreſſu temporis obſeruata ſint, ludum tamen iocúmque dixeris fuiſſe præ iis quæ poſteà ſequuta ſunt: quæ etiam, quia in genere hactenus de obſeruatione huius ſeptimanæ diximus, nunc in ſpecie referemus, enumerando dies eius Feſtos, quæq́; in iis fieri ſint ſolita.*

De Dominica in Ramis Palmarvm.

Feſti huius nomina. Dominica *proxima ante Paſcha diem, ſecundùm vulgi conſuetudinem,* Paſcha floridum *dicitur: Durand. Rat. lib. 7. cap. 1. Appellatur etiam* Dominica in Ramis Palmarum. *Caruit autem iſtis nominibus longo tempore.* *Feſti huius antiquitas.* *Vnde credibile eſt ſequentibus aliquot ſeculis poſt natum Chriſtum, nomen cum ſuperſtitione incœpiſſe demùm. Mentio eius primùm fit circa annum Domini 455. Nam Dominicæ in Ramis Palmarum titulum, ſed eum planè nudum habet quædam homilia Maximi Taurinenſis, qui circa hæc tempora vixit: in qua illud tantùm ex Pſalmo 21. Deus Deus reſpice in me, &c. tractat: feſtiuæ verbulo quidem meminit. Vnde etiam titulus ille non immeritò diu poſt additus iudicari debet. Meminit deinde eius Paulus Diaconus lib. 23. Rom. rerum circa annum 800. In Conſtitutione autem ea de Feſtis Caroli M. quæ extat lib. 1. cap. 158. nulla eius fit mentio prorsùs. Quocirca mirandum eſt, qua authoritate, imò qua audacia Polydorus Dominicam Palmarum, ſicut & alios dies Feſtos multos, qui diu poſt Apoſtolorum tempora demùm feſtiui habiti ſunt, ab Apoſtolis inſtitutos & ordinatos eſſe dicere auſit libro ſexto de Inuent. cap. octauo.*

Ceremoniæ huius feſti. *Appellatur autem hæc Dominica iſtis nominibus, propter Proceſſiones, quibus diem hunc Gregorium M. honoraſſe Balæus Cent. 1. & Voler. Anſelmus Ryd. referunt, & ſuperſtitioſam ceremoniam quæ in illa vtuntur. Eam eleganter his verſibus deſcribit Thomas Naogeorgus lib. 4. regni Papiſtici:*

Hinc venit alma dies, qua Chriſtus creditur vrbem
Ingreſſus Solymam, dorſo geſtatus aſelli:
Tum ridenda iterum faciunt ſpectacla Papiſtæ,
Inſigni valdè pompa, faciéque ſeuera.
Ligneum habent aſinum, & ſimulachrum equitantis in illo
Ingens: at verò tabula conſiſtit aſellus:
Quatuor atque rotis trahitur, quem manè paratum
Ante fores templi ſtatuunt: populus venit omnis,
Arboreos portans ramos, ſalicéſque virentes,
Quos tempeſtates contra, cœlíque fragorem
Adiurat Paſtor, multo grandíque precatu.
Mox querno ſeſe coram proſternit aſello,
Sacrificus longa quem virga percutit alter.
Poſtquam ſurrexit, grandes de parte ſcholarum
Se duo proſternunt itidem mirabili amictu,
Cantúque abſurdo: qui vt ſurrexere, in aceruum
Protendunt equitem digitos, monſtrántque canentes:
Hunc eſſe illum, qui quondam venturus in orbem
Credentem Iſraël, à iure redemerit Orci,
Cuique viam ramis turba exornarit oliuæ.
His decantatis, ramos dehinc protinus omnes
Coniiciunt partim in ſimulachrum partim in aſellum,
Cuius & ante pedes magnus cumulatur aceruus.
Poſt hæc in templum trahitur, præeuntibus vnctis,
Conſequitur populus, quamuis certamine magno
Quíſque legat iactas aſini ad veſtigia frondes:
Falsò etenim ſummis præſertim viribus illas
Contra hyemes pollere putant, & fulmina dira.
Impia nónne hæc ſunt? ita nónne Idola coluntur?
Vidi ego cordatos Reges, ſed ritibus iſtis
Imbutos, genibus flexis procumbere coram
Talibus Idolis, ſummumq́; impendere cultum.
Eſt vbi nummati ciues, vulgoque verendi,
Non paucis redimunt nummis ſibi iure trahendi
Huc illuc aſini, atq́; vtuntur heriliter illis,
Non permittentes alium contingere quenquam.
Quippe putant magnum ſe Chriſto impendere honorem,
Miréque acceptos illi, & permulta mereri.

Si

Si quis & hos aſinos putet , haud erraueris
herclè.
Talia cùm faciant vecti , populúſque tribu-
tim
Illicò ſectantur pueri poſt prandia:certum
Dicitur aditu o pretium, damnúmque canetur,
Aſſumuntq́; aſinum , & per vicos atque pla-
teas
Carmina cantantes quadam notiſſima ra-
ptant:
Quis nũmi à populo,vel panes dantur,& oua.
Prada huius partem ludi praſtare magiſtro
Coguntur mediam,ne exors ſit ſolus aſelli.

Fiunt autem hac & ſimilia multa ab ipſis , non ſine infidelium ſcandalo maximo. Vnde de legatis Turcicis Craconiam venientibus referunt, cùm honoris gratia adhibiti eſſent pompa huic in die Palmarum , & vidiſſent Sacerdotes ac Principes Viros flexis genibus procidere ante aſinum,qui circumducebatur,quòd eleuatis manibus in publico exclamarint : ô quanta impietas & dedecus eſt, Adorare Aſinum.

In hac Dominica quoque Imperatores Conſtantinopolitani tam militibus , quàm aliis in diuerſis conſtitutis officiis,numiſmata aurea , pro cuiúſque dignitate & officio,olim erogabant,hoc modo. Erat appaſita decem cubitorum longitudinis,ac quatuor longitudinis menſa , qua numiſmata loculis congregata,prout cuique dabatur,numeris extrinſecus in loculis ſcriptis retinebat. Ingrediebantur denique ad Imperatorem non canfusè,ſed ordinatim , ſecundùm vocantis vocem, qua ſcripta virorum nomina ſecundùm officij dignitatem recitabat. Quorum primus vocabatur Rector domus,cui non in manibus,ſed in humeris ponebantur numiſmata cum ſcaramangis quatuor. Poſt hunc domeſtici , Aſcalona & de Longariſtis ploa dicebantur : quorum alter militibus , nauigantibus praerat alter. Hi itaque paris numeri , quia dignitas par fuit , numiſmata & ſcaramanga ſuſcipientes , pra multitudine non iam in humeris portabant , ſed adiuuantibus aliis poſt ſe cum labore trahebant. Poſt hos admittebantur magiſtri numero 24. quibus erogabantur aureorum libra,vnicuique ſecundùm eundem numerum 24. cum ſcaramangis duobus. Patritiorum deinde ordo hos ponè ſequebatur , & 12. numiſmatum libris, cum ſcaramanga vna donabatur. Turba poſt hos immenſa vocabatur , Protoſpatariorum , Spatariorum , Condidatorum , & id genus Clientum. Luithprandus lib.6.cap.5.

29. EVSTACHIVS (*quem Pet. de Natalibus & alij Euſtaſium nominant) Abbas fuit Luxouienſis Monaſterij , Diſcipulus Columbani , & ſexcentorum ferè monachorum Pater circa Mauritij & Phoca Impp. tempora. Certamen ei fuit de ceremoniis & ſuperſtitioſis Benedictinorum monachorum , cum Agreſtino Aquileienſi & Apillino Genuenſi Epiſcopis. Ac conuocata eſt eam ob cauſam ſynodus à Lothario Françorum Rege in Matiſconenſi vrbe. Reprahendit autem Agreſtinus , quòd monachi Euſtachij cochleam lambentes , ſigno crucis ſignarent , & Miſſorum ſolennia multiplicatione Orationum & Collectarum celebrarent , capitiſque comam praciderent. Qua omnia Euſtachius friuolis rationibus defendit. Mortuus eſt autem 4. Cal. April. Liber de Vita eius, tomo 3. Beda , & Petrus de Natal. lib.4.cap.11.*

GVIDO *Abbas fuit Pompoſiani cœnobij Rauenna , mortuúſque eſt Parma 3. Cal. April. anno 1046. Eius corpus primò Henrici III. Imp. iuſſu Verona in S. Zenonis Eccleſia repoſitum , deinde verò circa annos 1047. Spiram in Eccleſiam collegiatam tranſlatum fuit, qua tunc à D. Iaanne Euangeliſta nomen habuit , ab hoc verò tempore Guidonis appellationem obtinuit. Surius.* 30.

BALBINA *filia fuit Quirini Tribuni Rom. qua liberata ab Alexandro Papa à ſtruma , cum patre in Chriſtum credidit , moritúrque pridie Cal. April.* 31.

APRILIS.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM QVÆ menſe APRILI celebrantur à Chriſtianis.

De QVINTA FERIA Dominicæ in Ramis Palmarum, quæ etiam FESTORVM DOMINICÆ COENÆ dicitur. 1.

APVD *vetuſtiores Authores feſti* Feriæ quintæ,*ſeu* Cœnæ Domini *peculiaris mentio nulla fit,ſed comprahenſum fuit illud ſub ſex vel ſeptem illis Feſtis diebus,qui omnes antiquitùs ea ratione celebrati ſunt,vt anteà oſtendimus,non vt ſequẽtibus ſeculis fieri cœpit. Cùm verò illi omnes non vbique Feſti ampliùs haberentur,peculiaris Solennitas facta eſt hac* Feria Quinta *huius ſeptimana. Polydorus ait , diem Cœna Dominica ab Apoſtolis inſtitutum , ſed id ſine omni autharitate ac ratione facit. Liber Pontificalis teſtatur, Leonem II. Papam (circa annos 682.) pracepiſſe , vt Feſtum Dominica Cœna in Aprili obſeruetur.*

Festi huius origo.

Dua autem fortaſſe cauſa fuerunt , ob quas poſterioribus temporibus dies hic reliquis hebdomada huius celebrior haberi cœpit , pluréſque ſubinde in eius abſeruatione ſuperſtitiones exorta ſunt. Conſtitutio Sylueſtri Papa , qua decreuit , quintum diem hebdomada per vniuerſum annum , vt diem Dominicum celebrandum ſicut refert Antoninus tit.9.cap.1. §. 1. Deinde quòd Chriſtus hoc die Eccleſia ſua Cœnã

Cauſa huius feſti & ceremoniarum eius

Sacram inſtituiſſe dicitur, vnde & nomen habet apud aliquos.

Feſtum hoc cur Capitulauium dicitur.

Vocatur etiam ab aliquibus Capitulauium *dies hic: quia tunc multis in locis capita infantum, qui vngendi ſunt, lauabantur, vt Durandus refert in Ration. lib. 6. cap. 76. Qui ritus ex veteris Eccleſiæ conſuetudine fortaſſe ortus eſt: nam ex Auguſtini epiſtola* 118. *apparet, moris iam ante ſua tempora fuiſſe, vt baptizandi hoc die lauacro aliquo mundarentur: cuius etiam aliquam ibi rationem reddit.*

Hochdonnerſtag. & Grünendonnerſtag.

Germani quidam, & præſertim Heluetij vocant den Hohendonnerſtag: *quia inter omnes ferias quintas per annum nulla alia hac eſt ſolennior & celebrior. Vnde etiam Durandus in Ration. lib. 6. cap. 75. refert, Feſtum hoc omnia alia excellere, excepto Trinitatis Feſto. Alij nominant* den Grünendonnerſtag.

Superſtitiones huius feſti.

Etſi autem in Veteri Eccleſia hoc die Cæna tantùm Dominica celebrata ſit, & paucula quædam alia ceremeniæ obſeruatæ, progreſſu tamen temporis multæ, variæ & non diſsimulandæ ſuperſtitiones in eo exerceri cœperunt tanto ſtudio, ac ſi Religio Chriſtiana omnis in iis conſiſteret.
1. *Nam hoc die, & ſequentibus duobus vſque ad Paſcha, Campanas non pulſant, ad declarandam ſuam triſtitiam & mœrorem: dant tamen ſignum cùm tabula. Durandi Ration. lib. 6. cap.*
2. 72. *Deinde pœnitentes primò in Eccleſiam introducuntur, qui initio ieiunij Quadrageſimalis de ea fuerant eiecti. Hoc Innocentius I. confirmauit epiſt. 1. ad Decentium, cap. 7. circa annos Chriſti* 410. De pœnitentibus; *inquit*, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Eccleſiæ Romanæ conſuetudo demonſtrat. Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis: ac tunc iubere dimitti, cùm viderit congruam Satisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque vſque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſeculo abſque communione diſcedat. *De Conſecr.*
3. *diſt. 3. c. De pœnitentibus. Baptizandi quóque hac die Symbolum fidei, quod didicerunt, vel Epiſcopo, vel Presbytero recitabant olim, ex conſtitutione Concilij Laodicenſis, c. 45. Idem etiam decretum fuit in Concilio Martini Bracharenſis, c. 49. diſt. 4. de Conſecrat. Et confirmatur in vniuerſali Concilio Conſtantinop. 6. in Trullo habi-*
4. *to. Et quia in Papatu duobus ſequentibus diebus, Paraſceue nimirum & Sabbatho Sancto, non conficitur corpus Chriſti, ideò Innocentius III. Papa ſtatuit, hac etiam die corpus Chriſti ſub ſpecie panis reſeruari, vt infirmi & irreligioſi, quibus eſt apud ipſos neceſsitas communicandi, habeant ipſum, & propter officium adimplendum Sanguis verò non ſeruatur ſub ſpecie Vini. Durandi Ration. libro ſexto, capite ſeptuageſimo quinto. Et Romanus Pontifex hodiè remota tabula Lateranenſis altaris, infra ipſum altare conficit Euchariſtiam & Sanguinem, & cum thuribulo incenſat illud: hoc facto repræſentans Summum Pontificem veteris Teſtamenti, qui ſemel in anno ingrediebatur in Sancta Sanctorum cum ſanguine; ſecum portans thuribulum viuis carbonibus plenum. Durandus ibidem. Tripartitum quoque oleum conſecratur, ſcilicet Oleum Infirmorum, Chriſmatis, & Sancti quod eſt Catechumenorum: Durandi Ration. libro 6.*
cap. 74. Et Fabianus quidem Papa ſtatuit, die 5.
Cæna Dominicæ ſingulis annis debere confici & conſecrari Chriſma, & vetus comburi.

Stulta æmulatio Chriſti in lauatione pedum Apoſt.

Hoc etiam die actionem illam, qua Chriſtus 6.
legitur Diſcipulis pedes lauiſſe, aliqua externa actione Pontifex Romanus ſtulta quadam æmulatione repræſentare conatur. Nam in quadam aula ſunt ordinati tredecim pauperes in albis veſtibus nouis à Pontifice ſibi datis, & ſedent in ſcamnis altis benéque ornatis: Credentia ornata eſt cum floribus & herbis odoriferis, vaſis cum aqua calida, & frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet peluibus tredecim cum totidem vaſis aqua calida implendis: item tredecim mappulis in alio bacilli. Item aurei Papales tredecim duplices, ſiue viginti ſex ſimplices, & totidem nummi argentei pro eleemoſyna pauperum. Nam Papa dat cuilibet pauperum vnum aureum duplicem, vel duos ſimplices, & totidem argenteos, & hi in aliquo vaſe diſponuntur, duo vaſa pro lauandis manibus Papæ cum ſuo mantili. Paratur quoque pulpitum cum ſuo pallio albo pro Euangelio, & liber Euangeliorum, ac aliud pulpitum pro cantoribus: duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum nauicella, & incenſo, qua Acoluthi, ſedes Pontificalis in plano, pluuiale rubrum, & ſimplex, & ſtola violacea pro Pontifice, & liber pro Oratione. Cum Papa peruenit ad hunc locum, exuit pluuiale precioſum, & induit ſimplex, & ſedet in ſede ſua cum ſimplici mitra. Tunc Acolithus cum thuribulo accedit, & miniſtrante primo Presbytero Cardinali, vel digniore alio poſt eum in eius abſentia, Papa imponit incenſum more conſueto, deinde Diaconus Cardinalis paratus Sacris Veſtibus, librum tenens ante pectus, ſtans ante Pontificem detecta & inclinato capite, petit benedictionem, dicens: Iube Domine benedicere. Deinde vadit ad pulpitum, poſt quod ſtat Subdiaconus Apoſtolicus, tunicella & aliis paramentis indutus, tenens librum more ſolito. Et Diaconus dicit, Dominus vobiſcum, ſignat, incen-

ſat

ſat & cantat Euangelium: quo finito Ceroferarij reuertuntur ad credentiam, & Clerici capella amouent pulpitum. Subdioconus autem portat librum oſculandum Pontifici, & Diaconus qui Euangelium dixit, illo finito Papam incenſat: Cantores cantant, Mandatum nouum. Papa tunc ſurgit, extrahitur ei pluuiale, & portatur ex credentia linteum per Auditorem ſeniorem minore auditore ipſum præcedente, quo Papa per Cardinales aſsiſtentes præcingitur, & præcinctus deſcendit, & genuflexus cum mitra ſimplici ante primum pauperem, aſsiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus, lauat ei pedem dextrum, quem Subdiaconus tunicella indutus à dextris Papæ genuflexus tenet. Vnus ex Cubiculariis (nam per ordinem veniunt vnus poſt alium cum pelui & aqua) ad ſiniſtram Papæ genuflexus, ſiniſtra ſua vas tenet, & dextra ex aquiminario aquam tepidam miſcet: lotum pedem Papa ſtatim mantili tergit, oſculatur. Theſaurarius, vel in eius abſentia vnus ex Clericis cameræ tenet peluim cum pecuniis, & alius ex Clericis vas cum mappulis, & cum Papa oſculatus eſt pedem, dat lauato mappulam cum qua eum exterſit, & aureum duplicem, vel duos ſimplices, cum tot argenteis. Idem facit ſucceſsiuè ſingulis & pro ſingulis portantur per alios Cubicularios ſingula vaſa. Lotis omnibus Papa reuertitur ad ſedem ſuam, ſedétque, & lauat manus ſuas, &c. ſicuti habetur lib. 2. Ceremoniarum Rom. Eccleſiæ. His peractis, Cardinales, Epiſcopos atque alios conuiuio excipit Papa, adeóque magnificè tractat, vt cum Priſcis illis Ethnicorum Pontificalibus, auguralibúſque epulis de quibus Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 13. meritò comparandum eſſe videatur.

Eadem ceremonia vſitata eſt in multis quoque monaſteriis. Horum exemplum imitantur etiam nonnulli ſeculares Principes & Monarchæ. Sic Rex Galliæ hoc die mendicis 12. opulum lautum præbet, illorum pedes lauat, illis vnà cum Aulicis ſuis miniſtrat, primum ferculum ipſemet apponit, & ſingulis apophoreti loco dat veſtem.

Extant ritus huius veſtigia quædam in Veteri Eccleſia, vt ex epiſtola 119. D. Auguſtini ad Ianuarium ſatis clarè intelligitur: in multis tamen Eccleſiis minimè hanc fuiſſe vſitatam obſeruationem idem expreſſe eo loco indicat. Voluit enim Chriſtus exemplo ſuo perpetuum humilitatis & charitatis ſtudium nobis commendare, non ſcenicum quendam, ne dicam ridiculum ludum in ſua Eccleſia inſtituere, quo Religio Chriſtiana Iudæis & Turcis ludibrio & riſui exponeretur. Verùm leuiculum hoc fortaſſe eſſet, niſi inſuper quóque in hac actione meritum Salutis conſtituerent, & ſimul Chriſtum ſua gloria ſpoliarent. Vbi enim Clerus Romanus, & Babilonicæ Meretricis amaſij bellis iniquis & minimè neceſſariis totum orbem turbauerunt, incendiis & rapinis omnia fœdarunt, & omnes propemodùm terræ angulos ſanguine Chriſtiano repleuerunt: tum ſe omni pietatis officio probè defunctos arbitrantur, ſi hac die ludum huiuſmodi inſtituant. Quaſi verò hoc tam leui officio immaniſſima flagitia & ſcelera, quæ contra charitatis & innocentiæ Chriſtianæ leges deſignarunt, expiari poſſint.

7. *Linteum, quo Dominum in vltima cœna Apoſtolorum exterſiſſe pedes nugantur, die Cœnæ Dominicæ oſtenditur à monachis Caſsini. Chron. Caſsinenſe lib. 2. cap. 34.*

8. *In Concilio Laodiceno 1. anno 368. celebrato, ca. 50 ſtatuitur, Ne in quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium Quadrageſimæ ſoluatur, ſed vt per totos dies ieiunetur, & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt aridioribus vtantur. Confirmatur in ſynodo Matiſconenſi 1. ca. 14. In Concilio autem Carthaginenſi 3. anno 397. habito, ca. 29. ſancitur, vt Fideles ſemper ieiuni, niſi in hac quinta feria, communicent, tunc enim cœnatos id facere poſſe. Vnde apparet, Ieiunium feriæ huius in aliquibus Conciliis mandatum, in aliis verò ſolutum fuiſſe.*

Ieiuniū hoc die non ſoluendum.

9. *In Concilio Aurelian. 3. ca. 29. ſancitum fuit, Ne liceat Iudæis ab hoc die Cœnæ Dominicæ, vſque in ſecundam Sabbathi, hoc eſt toto quatriduo, in publicum prodire, & Chriſtianis vllo in loco miſceri. Idem præcipitur in Matiſconen. 1. ſynodo, habita circa annos 583.*

10. *Nicolaus 1. Papa circa annos Chriſti 860. Gloria in excelſis Deo, ab Epiſcopis in Cœnæ Dominicæ Feſto ad Miſſam cantari mandauit. De Conſecr. diſt. 1. Trithemius de Scriptoribus illuſtribus. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 75. hoc Bonifacio Papæ (ſed quotus is fuerit non indicat) tribuit: addit etiam ibi, hoc fieri ſaltem in iis Eccleſiis, in quibus Chriſma conficiatur.*

11. *Sub veſpertinis eiuſdem diei precibus, duo Acoliths nigris induti caſulis, omnia altaria ſuis ſpoliant ornamentis, operiunt ea lineis nigris tegumentis, afferunt coronas, velant imagines. Candelas etiam extinguunt, non tamen omnes ſimul, ſed ſucceſsiuè: & nonnulli quidem ſingulas poſt ſingula cantica extinguunt. In quibuſdam Eccleſiis cerea quadam manu extinguuntur. Candela autem quæ in medio eſt, non extinguitur, ſed in feneſtra vel arca accenſa ſeruatur occultè, vt candelæ rursùs inde accendi poſſint. Crantzius in Metrop. lib. 3. cap. 10. Durandus in Ration lib. 6. cap. 72.*

12. *In pleriſque locis lauantur hoc die altaria vino & aqua, & ramis fricantur, præſertim ramis de ſauina. Duran. Ration. lib. 6. cap. 76. Hoc ex Gentiliſmo deſumptum videtur; apud*

Ethnicos enim Lauatio Matris Deûm *Feſtum erat, in quo aquis, adiuncta cineris frictione, ſordes Statuæ eius abluebantur. Arnobius lib. 7. contra gentes. In quibuſdam etiam locis pauimentum Eccleſiæ hoc die mundatur. Durandus ibidem.*

23. *Noctu tumultus excitatur in templis, quem ita deſcribit T. Naogeorgus lib. 4. Papiſtici regni.*

Noctibus inde tribus nocturna ad cantica ſurgunt
Malleolis ſumptis, ſaxiſue, aut fuſtibus, omnes.
Omnia vbi paulatim extinguit lumina Cuſtos,
Sacrificiq; altum rauco de gutture clamant.
Tum verò exoritur ſanus cruduſq; tumultus:
Pulpita contundunt, & ſedes, ſcamna, cathedras,
A furiis dicas agitari, & pneumate triſti
Baſſaridum: multis clauis figuntur ad ipſas
Sedes, nonnulli lapidum exanimatur ob ictu.
Aſt alij plagas referunt, aut vulnera, caſi
Fuſtibus. His facta poſſunt ſeruire tenebra.
Omnium & aqualis funeſti inſonia ritus.
Impius hinc probris multis laceratur Iudas,
Et Maria è tenebris puerorum voce citatur,
Vt ſit propitia, & vitiis medeatur, & omni
Noxa: conueniunt hæc feſto ſcilicet illi.
Luminibus poſt hæc accenſis, in cruce fixum
Idolum circumfertur: pendétque lucerna
Illius è collo, turba quo nempe ſequenti
Monſtret iter. Nonne hæc ſunt ludicra mira Papatus?

Ludus hic aduentum Iudæ, & tumultum cohortis, quam cum gladiis & fuſtibus Iudas ad capiendum Chriſtum noctu adduxit, repræſentare debet. Durand. Ration. libro 6. cap. 72. Ita apud Iudæos menſe Adar legitur hiſtoria Heſteræ, in qua Amani quoties fit mentio, in ſynagogis pugnis & malleis pulſant ſcamna, Antonio Margarita baptizato Iudæo teſte in libro de Ceremoniis Iudæorum.

Hvgonis *Epiſcopi Gratianopolitani hac etiam die celebratur memoria, Ordinis Carthuſienſis Auctoris & Propagatoris ſtrenui. Vincentius eum à caſtitate, orationibus, veritate, dilectione, humilitate, eleemoſynis, profuſis lachrymis, contemplatione, tollerantia, iuſtitia prudentia & temperantia magnificè commendat: ſi tamen ad Sacræ Scripturæ regulam ea examinaueris, videbis hac ouillam pellem præ ſe ferre, hypocritam autem ſuperſtitioſiſſimum tegere. Gratianopoli aliquoties Honorium & Innocentium de dimiſſione ſolicitauit, ſed quia ipſis viſus fuit Propugnator Antichriſti acerrimus, impetrare non potuit. Vincentius libro 27. cap. 8. & 12. Obiit anno 1132. Calend. April. Chron. Hirſaug.*

De Sexta Feria poſt Dominicam in Ramis, quæ Parasceve etiam dicitur. 2.

Parasceue & feria ſexta non inuicem conuertuntur Paraſceue quid.

S*Extum diem ſeptimanæ* ἑβδομάδος παρασκευὴν *Iudæi appellarunt. Non tamen Paraſceue & feria ſexta conuertuntur inuicem, vt omnis Paraſceue ſit feria ſexta, licet omnis feria ſexta ſit Paraſceue: nam Paraſceue generalius eſt, non enim ſignificat ſolùm feriam ſextam hebdomadæ in qua præparantur à Iudæis ea quæ ſunt neceſſaria pro Sabbatho ritè celebrando: ſed interdum etiam ſignificat vigiliam ſiue profeſtum cuiuſcunque alterius Feſti ſolennis, in quo ab omni opere ſeruili quieſcendum eſt. Nihil enim aliud ſignificat, ſi etymon vocis expendas, quam diem præparationis,* ἀπὸ τοῦ παρασκευάζειν*, quia in ea præparantur, quæ pro celebritate cuiuscunque Feſti ſunt neceſſaria, in quamcunque feriam Feſtum inciderit: vnde Paraſceue & Sabbathum correlatiua ſunt. Chriſtiani verò progreſſu temporis hoc nomen, quod eſt commune cuilibet ſextæ feriæ, ei quæ eſt proxima ante Paſcha ſextæ feria dicarunt, Durando teſte libro ſeptimo Ration. lib. 1. Vnde & Rabanus libro 3. cap. 37. de Cleric. inſtitut.* Paraſceue, *ait,* eſt ſexta Sabbathi, qua Chriſtus in Cruce mortuus eſt.

Paraſceue Paſchæ quando ſolennis haberi cœperit.

Inter celebriores autem Chriſtianorum Feſtiuitates Origenes lib. 8. contra Celſum, etiam Paraſceuen Paſchæ numerat. Credibile igitur, hunc diem ante Paſcha propter Paſſionem & Mortem Domini ſtatim à temporibus Apoſtolorum ſolennem fuiſſe, quem poſtea conſtitutio Conſtantini M. adhuc celebriorem fecit, qua mandauit, vt is dies qui Sabbathum antecedit Feſtus eſſet, & omnes eum venerarentur, ob rerum earum memoriam, quæ eo die à communi omnium Seruatore geſta fuiſſent, Euſebio teſte lib. 4. de Vita Conſtantini, & Sozomeno lib. 1. cap. 8.

Ritus huius feſti antiquiſſimi.

Credendum autem hunc diem ab initio commemoratione Paſſionis Dominicæ, ieiuniis, precibus aliíſque piis exercitiis Chriſtianos coluiſſe. Nam de Ieiunio hoc die non ſoluendo ita ſanciuit Concilium Toletanum 4. circa annum 831. celebratum, can. 7. Quicunque in die Paſſionis Domini Ieiunium, præter paruulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, ſoluerit, à Paſchali gaudio depellatur, nec in eo Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Paſſionis eius per abſtinentiam non honorauit. *Et can. 89. Concilij Conſtantinop. 6. præcipitur,* vt hic dies in Ieiunio celebretur vſque ad mediam noctem.

Feſtum hoc progreſſu temporis ſuperſtitione obſeruatum.

Progreſſu verò temporis ſuperſtitio acceſſit. Sic enim Durandus libro 6. cap. 77. ait: Hac die Eccleſia nullum officium ſolenniter celebrat,

beat, ſed hora nona conuenit ad adorandum crucem, non ad Miſſæ officium, quo hæc dies caret. *Hæc verò conſuetudo improbatur can. 6. Toletani 4. Concilij, qui ſic habet:* Comperimus, quòd per nonnullas Eccleſias in die ſextæ feriæ Paſſionis Domini, clauſis Baſilicarum foribus, nec celebretur officium, nec Paſſio Domini populis prædicetur, dum idem Saluator noſter Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: Paſſionem, Mortem, & reſurrectionem meam omnibus prædicate. Ideóque oportet, eodem die myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis annunciandum voluit, prædicari atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, &c. *Vnde intelligitur circa annos Chriſti 631. hunc morem nondum fuiſſe. Sed pergens Durandus*, In quibuſdam, *inquit*, Eccleſiis hora 6. ignis extinguitur, & nona rurſus accenditur. Paſſio legitur ſuper nudum pulpitum, & nudis pedibus. In quibuſdam verò Eccleſiis ſindon, ſeu terſoria vel veſtes altari nudato ſuperponuntur, vſque dum Paſſio legatur: cùm verò peruenitur ad locum illum, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, &c. tunc Subdiaconi ſindonem illam vel terſoria tollunt, repræſentantes hiſtoriam, qua milites Chriſtum crucifigẽtes veſtes Chriſti ſuſtuliſſe narrantur, & Subdiaconi quaſi furtiuè pannos ſubtrahunt, ad notandum, quòd Ioannes, qui cum Domino vſque ad Crucem perſeuerauit, poſteà more furis ſe occultauit, & nudus effugit. *Hæc verò poſtrema non tam impia, quàm falſa ſunt. Impia, quòd de Sanctiſſimo Apoſtolo Ioanne fingunt, furis more ſe occultaſſe. Falſa, quòd qua Marcus 14. cap. de adoleſcentulo ſequente Chriſtum & amicta ſindone ſuper nudum corpus narrat, quòd comprehenſus relicta ſindone nudus aufugerit, de eodem Chriſti Diſcipulo interpretantur. Quid enim nomen reticere opus erat, quum turpior longè Petri lapſus deſcribatur. Deinde Ioannes Chriſtũm captum illicò ſequutus eſt, & Petrum adiuuit, vt etiam ipſi atrium Pontificis ingredi liceret. Hîc igitur quæra ab ipſis, vnde tam citò veſtes habuerit, quum Hieroſolymis hoſpes & peregrinus eſſet? Sed & adoleſcentuli nomen in Ioannem minimè competit. Pergit idem author, &*, In quibuſdam, *inquit*, locis vna veſte ſublata, altera ſuper altare remanet, ad ſignificandum, quòd veſtis Domini inconſutilis non fuit ſciſſa vel partita, ſed ſorte ſuper eam miſſa contigit integra vni militi. Conſequenter Sacerdos Crucem Velatam baiulat ad dextrum cornu altaris, ibiq́ue Crucem ſuper humeros tenens, in perſona Chriſti improperat Iudæis beneficia Domini, dicens: Popule mi, quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te? reſponde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, &c. In quibuſdam tamen Eccleſiis duo Preſbyteri portant Crucem illam. Acolythi cantant Græcè ἅγιος ὁ ἰσχυρός, &c. Chorus reſpondet: Sanctus, Sanctus, &c. Deinde Crux ter denudatur: in principio autem denudationis, non oſtenditur facies crucifixi. In ſecunda verò reuelatione operitur facies & caput eius. in tertia totus nudus oſtenditur Crucifixus: ſalutatur & adoratur Crux. Poſt hæc ſuper altare ponitur, tandem in communi loco collocatur. Inde duo Preſbyteri deferũt ad altare Hoſtiam, quæ pridie fuerat conſecrata & recondita. Sacerdos verò indutus caſula illam Hoſtiam ſuper corporale deponit, iuxta latus calicis, in quo eſt vinum aqua miſtum non ſanctificatum. Quo facto, incipit mox: Oremus, præceptis ſalutaribus, &c. Et eleuatum calicem iterum deponit, & cooperit *Hæc omnia Durandus.*

Impia & falſa ſuperſtitio. Explicatur locus Marc. 14.

In veteri quadam Agenda, circa annos 900. ſcripta, dies Paraſceues talis obſeruatio recenſetur. Conuenere, *inquit*, hora octaua omnes, tum Eccleſiaſtici, tum Laici in templum, quadrageſimalibus induti veſtibus, vt Pontifici Miſſam celebranti miniſtrent. Lecta eſt tum hiſtoria Paſſionis ſecundùm Ioannem: cui quum certæ preculæ ſubiectæ fuiſſent, tacite omnes ſua repetiere tecta. Sub veſperam verò Crux cunctis deoſculanda præbebatur ab Epiſcopo. Ac ſolebant eodem die ignis & cerei conſecrari: & pro cleri, ac vniuerſi populi, Pontifici Romani, Imperatoris, eiúſque loci Epiſcopi ſalute, preces fieri.

Ritus hos paulò aliter commemorat Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papiſtici, in hunc modum:

Luce Sacerdotes duo circum altare ſequenti
Idolũ portant humeris Chriſti in Cruce fixi,
Ruffa contectum caſula, lugubre canentes.
Ante gradus tandem nudatum veſte reponunt
Strata ſuper villoſa tapetia, ſuppoſitúmque
Super puluinar capiti: hinc proſtrati corpore toto.
Omnibus infigunt perfoſſis baſia membris,
Ligneum & idolũ ſummo venerantur honore.
Has dein certatim raſorum turba ſequuntur
Impietatis vt artifices ad talia ſemper
Procedũt: poſt quas tractabile vulgus adorat,
Dona ferens pariter, nũmos cereremq́, vel oua,
Aucupium raſis gratum, cultúſque ſceleſti
Speratum pretium. Quo pacta idola coluntur,
Catholica hæc ſi ſunt, Chriſtique imitamina ſponſæ?
Præterea ne quid ſimulachris ludere ceſſent,
Et pro derifu regnantem exponere Chriſtum,

Aſſumunt aliam ſtatuam pro more iacentem
Defuncti nuper,porrectis cruribus aptè,
Atque decuſſatim compoſitis pectore palmis
Et pompa cantúque pio ad factum ante ſepulchrum
Portant,ſericeis tectam membra omnia peplis,
Sic tamen vt cerni poßint:multicia dicas
Serica,ſic viſum tranſmittunt, cunctáque monſtrant.
Præcedunt pueri tabulis inamœna crepantes,
Lumen & aditum præfert Scit ſigna popellus:
In genua extemplo cadit, aut terræ oſcula figit,
Extenditque manus,& multis pectora tendit,
Et ſtatuam queruam diuinum vt Numen adorat.
Ne iaceat verò inque ſepulchro ſola colatur,
Myſticus adfertur quoque & vnà clauditur intus
Panis,vt impietas creſcat,cultúſque profanus.
Sacrificus ſupplex ſtatuam veneratur inertem
Primus,& Aſſyrios pani ſuccendit adores.
Multa ſtatim populus comportat lumina circum,
Cancelliſque hæret,noctémque diémque precatur
Curuatis genibus, violiſque & flore ſepulchrum
Omnigeno exornat,ſuaq́; affert munera largè.
Adſunt conducti quoq́; qui Pſalteria cantent
Alterni, defuncto homini velut atque nocenti,
Vt magis hinc plebs ad munera danda vocentur.

Iudicet hinc Lector, quàm procul à veteri conſuetudine receſſerint in Papatu,& an ex Paßionis Dominicæ,adeóque Redemptionis noſtræ hiſtoria,Theatricum ſpectaculum fecerint, nec ne.

Quòd autem ſuprà diximus, in Papatu non fieri nouam conſecrationem, hoc eſt, non confici Corpus Chriſti hoc die, ſciendum, in Concilio vniuerſali 6.Conſtantinop. à patribus 227. ſancitum ca.52. vt tota Quadrageſima, niſi Sabbatho, Dominica, & Annunciationis die, noua conſecratio nulla fiat:*id verò hodiè in Paraſceues tantùm die obſeruatur.*

Flectunt etiam in Papatu hoc die genua, ad oſtendendam corporis deuotionem, & mentis humilitatem, ſecundùm Durandum. Sed Berno de Ieiunio quatuor temporum inquit: In Paraſceue abſtinuerunt Chriſtiani à genieulationibus,& figendis oſculis,ne Iudæos illudentes Chriſto & Iudam Proditorem videantur imitari.

Veronica adoratur. *Romæ quoque hoc die monſtratur populo* Veronica,*hoc eſt,* Sudarium Chriſti,*cui,Sanguinis guttas abſtergens, faciem ſuam impreßiſſe nugantur,quæ adhuc in eo cernitur. Eam videns cunctus populus clamat,* Miſericordia,Miſericordia. *Solet etiam ab omnibus his verbis adorari:* Aue Facies præclara, quæ nobis in Crucis ara, facta es ſic pallida. Anxietate denigrata,ſudore Sanguinis rigata, te texit linteolus. In quo manſit tua forma, quæ Paſſionis tuæ norma,cunctis eſt prælucida. Hæc cordi meo ſit impreſſa, per te Chriſte nec ceſſa, hoc eterna re indefeſſa, amoris tui facula. Vt poſt hanc vitam cum Beatis, poſſim vultum Deitatis & videre voluptatis,in perenni gloria. Amen. *Et de Oratione hac dicenda ante Veronicam tres anni & quadraginta dies indulgentiarum dati ſunt ab Innocentio IIII.circa annos Chriſti* 1250.

Regum Angliæ in hoc feſto conſuetudo. *Reges denique Angliæ conſueuerunt in die Paraſceues, multâ cæremoniâ ſacrare annulos, quemadmodum Pontifices Romani ſequenti die Cereum Paſchalem, quos qui gerunt, comitiali morbo non vexari creduntur. Mos hic inde natus eſt,quòd in templo Vueſtmonaſterij Annulus, multa veneratione, perdiu ſeruatus fuit, quòd ſalutaris eſſet membris ſtupentibus,valerétque aduerſus comitialem morbum,quum tangeretur ab iis,qui eiuſmodi tentarentur morbis. Annulus hic allatus dicitur Eduuardo Regi à quibuſdam Hieroſolyma venientibus, quem ipſe diu antea pauperi clam dederat,qui præ amore,quem erga D.Ioannem Euangeliſtam habebat,eleemoſynam petierat.ſicut Polyd. Vergilius ſcribit lib. 8.hiſtoriæ Anglicæ.*

Quo die Chriſtus Ieſus Paſcha vltimum celebrarit, Sacram Cœnam inſtituerit,& paſſus ſit in Cruce.

Supra diximus,Chriſtum Dominum pro peccatis humani generis Paſſum & Crucifixum fuiſſe in Paraſceue ſeu vigilia Paſchæ, quæ fuit dies Veneris,Paſcha autem celebraſſe.& Cœnam inſtituiſſe pridiè quam pateretur adeóque anticipaſſe Paſcha:Ieſuitæ autem hoc aliqua ex parte concedunt, Paſſum nimirum Chriſtum feriâ ſextâ hoc eſt, die Veneris; ſed feriam illam non fuiſſe Paraſceuen Paſchæ ſiue ad Paſcha, verùm ipſum Feſtum Paſchatis, proinde etiam Chriſtum in profeſto ſeu vigilia Paſchatis vltimum Paſcha celebraſſe, & Sacram Cœnam inſtituiſſe contendunt. Cardo huius diſputationis Ieſuitis in eo vertitur; vtrum Chriſtus Sacramentum Cœnæ azymis, an fermentatis Panibus inſtituerit. Nam ſecundùm noſtram ſententiam,non tenebatur ad vſum Azymorum, quia nondum venerant dies Azymorum, & propterea fieri potuit,vt in fermentato Sacramentum inſtitueerit. Iuxta opinionem autem Ieſuitarum illa ipſo tempore Sacramentum inſtituit, quo ſecundùm legem fermentum ex toto Iſraele abiiciebatur,

quia

Digitized by Google

quia fuiſſet dies 14. primi menſis, quo ad veſperam dies Azymorum inchoabantur, & dies 15. ſequens dies ſolennis Azymorum fuiſſet.

Etſi verò diſputare nolimus, Azymo ne an Fermentato ſuam Cœnam celebrarit Chriſtus, & vtro modo hodiè ſit celebranda, quum nihil ea de re in Nouo Teſtamento expreſſum habeamus, probabimus tamen noſtram ſententiam, PRIMÒ *ex verbo Dei.* SECVNDÒ *ex Patribus primitiuæ Eccleſiæ.* TERTIÒ *Rationibus.*

Chriſtum paſſum in vigilia Paſchæ, & anteam pridie inſtituiſſe probatur teſtimoniis ſcripturæ. Explicatur locus Ioan.13.

PRIMVM *teſtimonium habemus cap. 13. Ioannis, vbi Euangeliſta dicit,* ANTE diem Feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus veniſſe horam ipſius vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, &c. *Et mox:* Et Cœna Facta, &c. *Vnde intelligimus Euangeliſtam loqui de illa veſpera ſeu nocte qua ipſe Paſcha ſuum celebrauit, & Sacramentum inſtituit. Si verò cum Iudæis celebraſſet Paſcha, non dixiſſet Ioannes* ante diem Feſtum Paſchæ: *Agnus enim Paſchalis immolari & comedi debuit die 14. primi menſis ad veſperam, à qua incipiebat dies Paſchalis, quæ 15. die celebrabatur; iuxta mandatum Leuit. 23. A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra: ergò anticipauit eſum agni, & fuit Crucifixus non in Feſto, ſed in Profeſto, ſeu Vigilia & Paraſceue Paſchæ. Reſpondent Ieſuitæ,* loqui Euangeliſtam de die artificiali. *Sed vnde hoc habent? Potiùs credendum igitur, ſi Chriſtus cum Iudæis celebraſſet Paſcha, quòd non dixiſſet* Ante diem feſtum Paſchæ, *ſed potiùs loquutus fuiſſet eo modo, quo lex Dei de Feſtis loquitur, numerando dies Feſtos à Veſpera ad Veſperam.*

Explicatur locus Matt.26.

SECVNDVM *teſtimonium extat Matth. 26. vbi Euangeliſta inducit Pontifices & Principes Sacerdotum in Concilio congregatos, & de captiuitate ac morte Chriſti deliberantes, dixiſſe,* NON in die Feſto, ne fortè Tumultus fieret in popolo. *En decernunt quidem illum comprehendere & occidere, at non in die Feſto. Quid eſt igitur quòd dicunt Ieſuitæ Crucifixum illum eſſe in Feſto Paſchæ? Reſpondent,* fuiſſe illam quorundam ſententiam in eo Concilio, ſed non obtinuiſſe, præualuiſſe enim eorum ſententiam, qui iudicarint non eſſe negligendam occaſionem Chriſtum necandi quocúnque tempore. *Sed quæro vndenam hæc habeant, & an ipſi huic Concilio interfuerint quòd tam confidenter ex eo hæc narrant, quæ apud nullum Euangeliſtarum leguntur? proinde eadem facilitate hæc reiiciuntur, quæ ab illis finguntur. Videtur certè Euangeliſta hic commemorare velle eam ſententiam, quæ in hoc Concilio vnanimi conſenſu approbata & recepta fuit. Eiuſdem pretij eſt, quòd dicunt,* Concilium mutaſſe ſententiam propter aduentum Iudæ, & ſponſionem ab eo factam. *Nam Euangeliſtæ ſimpliciter aiunt, Iudam in hoc Concilio congregatis dixiſſe,* Quid vultis mihi dare, & ego tradam eum vobis? *Quòd adhortatus eos ſit vt maturent Mortem Chriſti, etiamſi in die Feſto occidendus ſit, apud nullum legitur.*

Explicatur locus Ioan.18.

TERTIVM *argumentum legitur Ioannis 18. cap. vbi Euangeliſta de Sacerdotibus & Senioribus populi Chriſtum Pilato tradentibus ſic ſcribit:* Ipſi non introierunt in prætorium ne contaminarentur; ſed vt manducarent Paſcha. *Vnde apparet eo die quo Seruator Pilato traditus & crucifixus fuit, Feſtum Paſcha non fuiſſe: aut quid opus habuiſſent timere, ne polluti & contaminati Paſcha ederent, ſi iam anteà in veſpera præterita noctis illud comediſſent. Reſpondent Ieſuitæ,* Paſcha eo loco vocari non Agnum Paſchalem, qui ſolùm 14. die ad veſperam immolabatur, ſed Victimas Paſchales, quæ ex ouibus & bobus quotidiè in diebus Paſchæ immolabantur. *Confirmant hanc ſententiam ſuam ex 16. cap. Deuteron. vbi ſic legitur:* Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus in loco quem elegerit Dominus. *Loqui autem ibi Moſem de manducatione Agni Paſchalis, non de victimis Paſchalibus, tota narratio manifeſtè indicat. Deinde locum ex 2. Para. cap. 35. adducunt, vbi hæc verba leguntur:* Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phaſe pecora duo millia, & boues ſexcentos. *Vbi negari non poteſt, per Phaſe victimas & holocauſta intelligi, quæ in Paſchalibus diebus oblata fuerunt Ioſiæ regis temporibus: ſed non ſtatim inde colligi poteſt, hoc vocabulum eodem ſenſu à Ioanne hic accipi, præſertim quum demonſtrari non poſſit vllo alio præterea loco ſic vſurpari.*

Explicatur locus Ioan.19.

QVARTVM *teſtimonium habetur Ioannis 19.* Erat autem Paraſceue Paſchæ, & hora quaſi ſexta. *Loquitur ibi D. Ioannes de die Paſſionis & Mortis Chriſti, & dicit fuiſſe Paraſceuen Paſcha, ergò non fuit ipſum Feſtum Paſcha. Reſpondent Ieſuitæ,* fuiſſe apud Iudæos Paraſceuen tantùm propter Sabbathum. *Confirmant ex 15. capite Marci, vbi dicit,* Erat Paraſceue, quod eſt ante Sabbathum, *& ex 23. capite Lucæ,* Erat autem Paraſceue, & Sabbathum illuceſcebat. *Suprà autem diximus, non ſemper ſignificare Paraſceuen ſextam ſolùm feriam, ſed interdum etiam Vigiliam ſeu Profeſtum alterius Feſti. Et Ioannem citato loco per Paraſceuen Profeſtum Paſchæ intelligere, verba ipſius manifeſtè indicant, quæ ſic habent,* ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, *Erat autem Paraſceue (τοῦ) ipſius Paſchæ. Vnde apparet, Paraſceuen dici hoc loco ratione Paſchæ, non Sabbathi hebdomadalis. Vndè rectè qui Theſaurum Latinæ linguæ collegit ſub Calepini nomine,* παρασκευὴ Paraſceue, *inquit à* παρασκευάζω, quod eſt præparo, deducitur. Vnde & dies quo Do-

minus noſter Ieſus Chriſtus pro humani generis ſalute Cruci affixus fuit, Paraſceue dicitur, quoniam eo die Iudæi ſibi neceſſaria præparabant, vt Paſchæ dies abſque operatione aliqua tranſigeretur. *Intelligimus etiam hinc, Paraſceuen non fuiſſe tunc Paſcha Feſtum, alioquin poſuiſſet in caſu Nominatiuo identidè, non in genitiuo, & dixiſſet, ἦν δὲ παρασκευὴ τὸ πάσχα, non τοῦ πάσχα. Ad locum Marci, quem confirmationis loco adducunt, iam facilis eſt reſponſio. Nam Euangeliſta Paraſceuen interpretatur προσάββατον. Probauimus autem Ioannem per Paraſceuen intelligere Profeſtum Paſcha, ergò idem etiam προσάββατον ſignificat. Nec obſtat Sabbathi nomen, conſtat enim ex Sacris Literis, eo nomine non ſolùm hebdomadale Sabbathum, ſed reliqua etiam Feſta ſæpè intelligi quòd in iis non minus quàm in Sabbatha hebdomadali ab omni opere ſeruili quieſcendum ſit.*

Explicatur locus alius Ioannis 19. QVINTVM *argumentum legitur Ioan. 19. vbi Euangeliſta indicat, Principes Sacerdotum rogaſſe Pilatum,* vt Crucifixorum crura frangerentur, & tollerentur, PROPTER Paraſceuen Iudæorum, vt non remanerent in Cruce corpora Sabbatho: erat enim magnus dies ille Sabbathi. *Ergò ſi noluerunt corpora in Sabbatho manere in Cruce multò minus permiſiſſent id in Paſchate, die Feſto longè omnium celeberrimo, & per conſequens multò minus interfeciſſent eum in ipſo die Paſchæ, volebant enim legis obſeruatores videri ſtrenuiſſimi. Sed hoc loco Ieſuita rurſus probare conantur,* Paraſceuen fuiſſe non ad Paſcha, verùm ad Sabbathum. *Reſpondeo, hîc quidem intelligi per Sabbathum hebdomadale Sabbathum: in illud autem ex feria ſexta tranſlatum eſt Paſcha eo anno quo Chriſtus crucifixus eſt, propter traditionem quandam Iudæorum, vt mox indicabimus: & quia concurrerunt duo Feſta, Paſcha nimirum & Sabbathum in vnum diem, idcircò etiam dicitur μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου, magnus dies* ILLIVS *Sabbathi: non propterea, vt Ieſuita volunt, quòd Sabbathum hebdomadale intra Paſchalem hebdomadam tunc incidiſſet: nam id ſemper fit, nunquam tamen legimus propterea ſic appellatum eſſe. Vndè Paraſceue vtróque modo rectè tam ad Paſcha, quàm ad Sabbathum hîc & alibi referri poteſt. Et ſic etiam intelligimus locum Lucæ 23. cap.* Erat autem Paraſceue, & Sabbathum illuceſcebat.

Explicatur locus Marci 15 SEXTVM *argumentum peti poteſt ex cap. 15. Marci,* vbi Ioſeph dicitur mercatus eſſe ſindonem, & corpus Chriſti è Cruce ſublatum, aromatibúſque conditum nouæ ſindoni inuoluiſſe, & in monumentum nouum depoſuiſſe, oſtióque monumenti ſaxum aduoluiſſe. *Deinde Lucæ* 23. Mulieres dicuntur emiſſe aromata & vnguenta. *Poſtremò Iudæi cauſam criminalem egerunt contra Chriſtum, eum comprehenderunt, examinarunt, accuſarunt, teſtes produxerunt, & condemnarunt. Hæc verò omnia in die Feſto Paſcha propter legem vetita erant. Ergò in ipſo Feſto non fuit crucifixus. Reſpondent Ieſuita,* in Feſto Paſchę prohibita fuiſſe tantùm opera ſeruilia, non opera pietatis & charitatis: ſepelire autem mortuos opus charitatis eſſe, non ſeruitutis: & proinde etiam aromata parare, & ſindonem emere, non fuiſſe prohibitum. *Ita quidem Ieſuita: Sed videamus quid de hoc ſtatuat Deus. Exodi 12. ait:* NIHIL operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent. *Vbi diſertè omnia opera prohibet, præter ea, quæ ad victum pertinent. At ſepelire mortuos ad victum non pertinet.*

Quod ad Iudæorum exemplum attinet, reſpondent, eos non fuiſſe tam delicatæ conſcientiæ, vt putarint id fieri non poſſe: ſed ſatis exiſtimaſſe honoris ſe detuliſſe diei Feſto, quòd non ſuis manibus Chriſtum lapidarint. *Reſpondeo, adeò delicata fuerunt conſcientia, vt accuſarint tùm Chriſtum quòd Sabbatho ægrotos ſanaſſet, tùm Apoſtolos ob ſpicas illo ipſo die auulſas & manibus contritas. Multò minus igitur putarunt, licere die Feſto aliquem comprahendere, accuſare & condemnare. Vt de hoc nihil dicam, quòd iuſtitiam ſuam in obſeruatione legis quærebant, & videri cupiebant legem ſeruare in omnibus.*

Noſtræ ſententiæ adſtipulantur etiam Patres. PRIMÒ Irenæus, *qui lib. 4. cap. 23. ait,* Moſem Deuteron. 16. cap. prædixiſſe Chriſti Paſſionem, quoad locum, cùm ait, Immolabis Agnum Paſchalem in loco quem elegerit Dominus, id eſt, Hieroſolymis: quoad diem, quum nominauit diem Paſchæ: quoad horam, quum dixit, Veſpere ad Solis occaſum. *Vnde intelligitur, Irenæi ſententiam fuiſſe, Chriſtum anticipaſſe ſuum Paſcha, & occiſum illo tempore quo Agnus immolabatur, luna 14. non 15. in Paſchatis feſto Ad hæc reſpondent Ieſuita, primò, Irenæi ſententiam fuiſſe,* Occiſum Chriſtum luna 15. non decima quarta: nam primum diem Paſchæ incepiſſe in veſpera diei 14. *Vbi manifeſtè verbis Irenæi alienum affingunt ſenſum. Vult enim, Moſem prædicere voluiſſe, Chriſtum immolandum eo tempore quo ipſe ex Dei iuſſu Agnum mactare præcepit: fuit autem tempus illud non dies 15. ſed 14. Nec obſtat Paſcha vocabulum. Conſtat enim ex cap. 23. Leuit. ipſam etiam immolationem Agni & diem 14. menſis primi ad veſperam, Paſcha vocari in Veteri & Nouo Teſtamento, nec ſolùm diem ſolennem 15. &, vt Alex. de Alex in 4. par. q. 32. memb. 3. ad 2. & Reiner. in Summa Pantheol. tit. de Euchariſtia cap. 8. & Abulen. in 2. par. Defenſorij cap. 8. indicant,*

Chriſtum paſſum in vigilia Paſchæ, & cœnam priùs inſtituiſſe probatur ex Patribus. Irenæi locus explicatur.

eant, magna eſt differentia inter diem Paſcha, & diem Feſtum Paſchæ. Secundò dicunt, per Veſperam intellexiſſe Irenæũ horã veſpertinam. *Reſpondeo: illum horam veſpertinam intellexit, qua Agnus immolabatur. Et vt magis ſe torqueant, dicunt*, per veſperam non tam intellexiſſe veſperam dici, quàm veſperam mundi. *Sed hoc manifeſtè falſum eſt: de ea enim veſpera loquitur, de qua Moſes, vt verba eius clarè indicant. Loquitur autem Moſes non de veſpera mundi, ſed de ea quo Agnus Paſchalis erat immolandus.*

Tertulliani locus explicatur. SECVNDÒ *Tertullianus dicit in libro contra Iudæos:* Hic enim & Moſes initio primi Menſis nouorum facturos vos prophetauit, quum omne vulgus filiorum Iſrael ad veſperam Agnum eſſet immolaturum. *Loquitur hoc loco de Paſſione Chriſti, ac dicit, Moſem prædixiſſe, Chriſtum occidendum eo tempore, quo Agnus mactabatur: fiebat autem id non in feſto Paſcha, ſed in eius veſpera ſeu vigilia, luna* 14. *Reſpondent Ieſuitæ*, Significare Tertullianum illa ipſa die, qua Agnus immolabatur, Chriſtum immolandum: & hoc impletum eſſe. *Hoc verò illud ipſum eſt, quod nos quoq; dicimus. Sed quomodo ſeſe interpretantur?* Prima, *inquiunt*, dies Paſchæ extendebatur vſque ad veſperam feriæ ſextæ. *Vbi manifeſtè ſibiipſis contradicunt. Primo loco volunt, Chriſtum paſſum eo tempore, quo Agnus mactatus fuerit: factum id veſpere luna* 14. *altero loco dicunt Chriſtum paſſum in Paſchatis prima die: erat autem ea luna* 15. *non* 14.

Explicatur locus Epiphanij. TERTIÒ *Epiphanius hæreſi* 50. *ſic ait:* Oportebat Chriſtum in decimaquarta die immolari ſecundùm legem. *Ergò Chriſtus anticipauit ſuum Paſcha, quum illud pridiè quã pateretur celebrarit, & paſſus eſt luna decimaquarta, & proinde non in Feſto Paſcha. Hic reſpondent Ieſuitæ*, loqui Epiphanium de Immolatione Chriſti non in ſe conſiderata, ſed in figura ac typo: ac ſi clariùs dixiſſet, Oportuiſſe Agnum qui figura Chriſti erat, immolari luna decimaquarta ad Veſperam. *At manifeſtis & claris verbis Epiphanij, cum lege & Euangelica hiſtoria, nec non tota antiquitate conſentientibus, apertiſſimè vim faciunt. Dicit enim, Oportebat Chriſtum (non agnum) in decimaquarta die immolari ſecundùm legem. Poſtremùm hoc addit, vt ſignificet, fieri hoc debuiſſe, vt ſic res figurata reſponderet figuræ.*

Explicatur locus Chryſoſt. QVARTÒ *Chryſoſt. homil.* 82. *in Ioan. dicit*, Chriſtum comediſſe ſuum Paſcha pridiè, quàm illud comederint Iudæi. *Idem omninò ſcribit Theophylactus in cap.* 18. *Ioan. Reſpondent Ieſuitæ*, Patres hos non ſignificare voluiſſe, pridiè quàm Populus Iudæorum, ſed ſolùm pridiè quàm Sacerdotes illi, qui in nece Chriſti tota nocte occupati fuerant, comediſſe Paſcha Chriſtum: adeóque ipſum manducaſſe, qua omnes alij communiter manducarint. *Confirmant alio loco Chryſoſtomi, qui extat homil.* 85. *in Matthæum, vbi ſcribit*: Principes Sacerdotum tota nocte occupatos fuiſſe in negotio Mortis Chriſti procurandæ, & ideò non potuiſſe cum cæteris debito tempore Paſcha manducare, ſed cupiditate interficiendi Chriſtum præuaricatos eſſe, & alio tempore comediſſe Paſcha. *Reſpondeo, Chryſoſtomus priore loco de Iudæis omnibus in genere loquitur, non ſolùm de Principibus Sacerdotum: nec poteſt demonſtrari locus, vbi per Iudæos Principes tantùm Sacerdotum intelligat: ſed diſtinctè ſemper de iis loquitur. Quod ergò poſteriore loco dicit*, Summos Sacerdotes diſtuliſſe ſuum Paſcha in ſequentem diem, *in eo manifeſtè ſibiipſi contradicit: quod etiam alijs in locis fecit. Nec etiam quod dicit eſt verſimile: Nam Agnus Paſchalis ipſis propria authoritate non licebat differre. Comedi debuit luna* 14 *primi menſis: Si verò propter impedimenta aliqua non potuit hoc fieri, debebat transferri immolatio eius non in diem proximè ſequentem, vel alium aliquem primi menſis, ſed ad diem* 14. *ſecundi menſis. Sic enim præcepit Dominus Num.* 9. Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſiue in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, die 14. menſis ad veſperam, &c. *Argumentum etiam, quo vtitur, friuolum eſt, eos nimirùm feciſſe hoc odio Chriſti, & cupiditate interficiendi eum. Volebant enim iuſtificare facta ſua, & per Legem Moſaicam ea defendere. Et qui obſecro auſi fuiſſent accuſare Chriſtum coram Pilato violatæ legis, cùm ipſi eodem crimine condemnari potuiſſent?* *Chryſoſtomus lapſus.*

Eadem homilia in Ioannem Chryſoſtomus dicit, Chriſtum præueniſſe vnum diem in Paſchate celebrando, vt reſeruaret Mortem ſuam Paraſceue, quando etiam olim celebratum fuerit. *Varias, ſed futiles interpretationes Ieſuitæ poſtremæ particulæ* Quando etiam olim celebratum fuit, ſcilicet Paſcha, *afferunt: verum ſenſus verus ac genuinus eſt, Chriſtum præueniſſe vnum diem Iudæos in celebratione Paſchatis, non quidem contrà, ſed ſecundùm legem, nam antiquitùs etiam, hoc eſt, ante traditionem eodem die celebratum fuiſſe. Dies enim ille quo Chriſtus ſuum Paſcha pridiè quàm pateretur celebrauit, fuit ſecundùm legem* 14. *ſecundùm traditionem autem* 13. *Explicatur locus alius Chryſoſtomi.*

Idem Pater homil. 84. *in cap.* 19. *Ioan. dicit:* Cum tempore vrgerentur, hora enim nona mortuus erat, & dum peteret eum à Pilato, & dum lauarent, iam veſpere aduenerat, quo tempore nihil licebat operari, in proximum monumentum poſuerunt. *Quibus vtiq;* *Explicatur locus alius Chryſoſtomi.*

ſignificat,

ſignificat, *acceleratam fuiſſe ſepulturam Ieſu, propter veſperam in quo nihil operis fieri licuerit. Nec poteſt dici, veſperam Sabbathi intelligi, ſed veſpera Paſcha innuitur, nam in hac quóque nihil omninò operis fieri licebat, præter ea quæ ad victum pertinent, vt ſuprà etiam indicauimus.*

Explicatur Theophylacti locus.

QVINTÒ *Theophylactus, qui in omnibus ſequutus eſt Chryſoſtomum, apertè docet, Chriſtum paſſum luna 14. non in die ſolenni Paſcha, qui erat luna 15. & proinde etiam anticipaſſe Iudæos in celebratione Paſchatis. Sic enim in caput 27. Matthæi, in illa verba*, A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt. Tenebræ, *ait*, factæ non erant iuxta naturæ ordinem, vt ex eclipſi Solis naturaliter facta: néque enim quando eſt decimaquarta Luna, fit Solis deliquium: quum autem crucifigeretur, omninò decimaquarta Luna erat, Paſcha enim Hebræorum tunc fiebat.

Explicatur locus Augustini.

SEXTÒ *Auguſtinus refert lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap.* 13. quoſdam dixiſſe eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha Iudæorum fuiſſe illo die quem Sabbathum ſequebatur, & propterea diem illum dictum Paraſceuen Paſchæ. *Reſpondent Ieſuita*, Auguſtinum referre ſaltem horum ſententiam, non probare. *Reſpondeo, falſum hoc eſſe quod Auguſtino tribuunt: approbat enim diſertis verbis eorum ſententiam, quod faciat ad confirmationem, præparationem ad Chriſti immolationem cœpiſſe ab hora nona noctis, & proinde horam tertiam diei fuiſſe horam ſextam Paraſceues. Sed eſto, non probauerit illam expreſſis verbis quid tum poſtea? nam nec improbauit eum, quod vtique feciſſet Sanctiſſimus Pater ſi veritati contraria fuiſſet.*

Explicatur alius locus Augustini & Bedæ.

Deinde idem Pater Tractatu 120. *in Ioannem, & Beda in cap.* 19. *Ioannis dicunt*, acceleratam fuiſſe à Ioſepho Aremathenſi & Nicodemo ſepulturam Domini propter paráſceuen Iudæorum, quam Cœnam puram Iudæi Latinè apud nos vſitatiùs vocant. *Vnde intelligitur diem Mortis Chriſti non ipſum Feſtum ſolenne Paſcha, ſed eius Paraſceuen fuiſſe. Nam ſi accelerata fuit ſepultura propter Paraſceuen Sabbathi, vt Ieſuita volunt, in qua nihil operis fieri licuit, omninò certè intermiſſa fuiſſet in ipſo die ſolenni Paſcha, in quo non minus omnia opera prohibita fuerunt, præter ea quæ ad victum pertinent.*

Explicatur locus alius Augustini.

Idem Pater eodem loco ait, corpora Crucifixorum ablata fuiſſe de ligno, ne pendentia in crucibus, magnum diem Feſtum ſui diurni cruciatus horrore fœdarent. *Vbi certè per magnum diem Feſtum non Sabbathum per ſe intelliges, quod nullo in loco ſic appellatur, ſed etiam diem Feſtum Paſcha, qui tunc in Sabbathum tranſlatus fuit, & per conſequens Chriſtus non in die ſolenni Paſcha, ſed in eius profeſto fuit paſſus.*

SEPTIMÒ, *Nicephorus lib.* 1. *hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap.* 28. *ait*: Paraſceues die ad veſperam, vt lex præcipit, Agnum immolari oportebat, & eadem die verum Agnum in Cruce immolari: & iccircò præueniri à Chriſto oportebat, vt quintæ diei ad veſperam legale Paſcha celebraret.

Explicatur locus Anshelmi.

OCTAVÒ, *Anshelmus, qui floruit circa annos Domini* 1090. *apertiſſimè dicit in* 27. *cap. Matthæi*, Chriſtum 12. Calend. April. in ipſo vernali æquinoctio, ſexta feria, luna decimaquarta, in qua erat Paſcha Iudæorum, fuiſſe Crucifixum, vt eo die Agnus Dei pro ſalute hominum in Cruce penderet, qua die Agnus in liberatione populi occidi iuſſus eſt. *Et huic ſententiæ conſentire Euangeliſtam dicit, qui ait*, Iudæos propterea non introiiſſe in prætorium cum Pilato, ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. *Et ſi quis obiiceret, Quare ergò Dominus tunc non celebrauit Paſcha?* Sciat, *inquit*, quòd ille non fuit ſub lege, & voluit antè diſcipulis ſuis tradere ſacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, & poſtea ipſum Corpus immolari in Ara Crucis. *Hic quum nihil habeant Ieſuita quod reſpondere poſſint, ad ſuas artes confugiunt, & dicunt, dubium eſſe non poſſe, quin totus iſte locus ab aliquo Græcorum fautore fuerit inſertus in librum Anſelmi. Nam quòd confirmationis loco addunt, eundem Doctorem in cap* 26. *Matthæi ad verba illa, Prima autem die Azymorum &c. dicere, Chriſtum die* 14. *comediſſe Agnum, &* 15. *fuiſſe occiſum: Reſpondeo, Anſelmum non ſibi eſſe contrarium, reſpicit enim eo in loco cum Euangeliſta ad legem Dei, iuxta quam* 14. *luna Paſcha celebrauit, &* 15. *mortuus eſt, alio autem loco reſpicit ad conſuetudinem tunc inter Iudæos vſitatam, iuxta quam* 14. *luna fuit crucifixus, & pridie quàm pateretur Agnum comedit.*

Chriſtum paſſum in vigilia Paſchæ, & Cœnam celebraſſe pridie, probatur Rationibus.

His Teſtimoniis & Authoritatibus accedunt etiam Rationes *ponderis maximi.* PRIMA *hæc ſit: Secundùm legem, quæ habetur Leuit.* 23. *cap. dies Pentecoſtes celebrari debuit die quinquogeſimo, à ſecunda die Azymorum numerando. Eo autem anno quo Chriſtus fuit crucifixus, dies Pentecoſtes fuit in Dominica die, vnde etiamnum hodiè tota Eccleſia die Dominica Pentecoſten celebrat, hinc ſequitur, ſecundam diem Azymorum tunc etiam incidiſſe in Dominicam. Nam ſi numeremus quinquaginta dies incluſiuè à ſecunda Azymorum, vt lex iubet, neceſſariò in eodem die hebdomadæ occurret Pentecoſte, in quo occurrit dies ſecunda Azymorum. Hæc ſunt tam certa & illuſtria, vt ne ipſi quidem Ieſuitæ negare audeant. Si verò eo anno quo Chriſtus paſſus eſt dies Dominica fuit ſecūda*

Azymorum:

Digitized by Google

Azymorum: ſequitur diem Sabbathi fuiſſe primam Azymorum, & diem Solennem Paſcha: adeóque diem Paſſionis Chriſti fuiſſe ante diem primam Azymorum & diem Solennem Paſcha, & Chriſtum anticipaſſe ſuum Paſcha. Reſpondent Ieſuitæ, Dies Pentecoſtes numerandos à primo die prophano poſt Feſtum primæ diei Azymorum: & ideò ſi ſecundus dies Azymorum ſit prophanus, ab eo numerari debere dies Pentecoſtes. Si autem fortè ſit dies Feſtus, vt ſi occurrat in Sabbatho dies ſecundus Azymorum, tunc à tertio die Azymorum numerandos eſſe dies Pentecoſtes. *Hæc quidem illi. Si verò quæras vndenam habeant,* Francolinus *reſpondebit,* Fateor me hanc declarationem apud Doctorem aliquem non legiſſe: *cap. 84. de Tempore horarum Canonicarum:* Bellarminus *verò,* Authorem meæ ſententiæ non habeo: *tomo 1. Diſput. de Cultu Sanct. lib. 3. cap. 3. Sed de hac re plura diximus alio loco, vbi de Iudæorum Paſchate & Pentecoſte egimus.*

SECVNDA *ratio: Immolatio Agni Paſchalis typus & figura fuit Paſſionis Chriſti: Immolari autem debuit Agnus die 14. igitur Dominus quóque pati debuit eodem die: & per conſequens die ante cedente Cœnam inſtituit. Reſpondent,* Agnum Paſchalem figuram fuiſſe Chriſti, quatenus in Sacramento nobis apponendus erat manducandus: adeóque illam Immolationem potiùs ſignificaſſe immolationem Chriſti in Cœna myſticam, quàm immolationem cruentam, quæ in Cruce peracta ſit *Sed hoc falſum eſſe, & immolationem Agni typum fuiſſe Paſſionis Chriſti, intelligitur ex Irenæi & Tertulliani teſtimoniis, paulò antè à nobis citatis. Cúmque res admodùm perſpicua ſit, confugiunt ad aliam ſolutionem:* Chriſtum nimirùm Paſſum eo die quo Agnus fuerit mactatus, licet non eadem hora: nam veſperam diei 14. in qua Agnus immolatus ſit, ad diem ſequentem pertinuiſſe: adeóque Euchariſtiam inſtitutam eodem die & eadem hora qua agnus mactatus ſit. *Reſpondeo, veſperas ad dies ſequentes excluſiuè, adeóque impropriè pertinuiſſe, quatenus ſcilicet numerabantur dies ſequẽtes à veſperis præcedentibus: alioquin Agnus mactatus fuiſſet prima die Azymorum & in ipſa Paſchali Solennitate. quod eſt contra legem Leuit. 23. Deinde hæc ſolutio contra Ieſuitas eſt. Nam ſi veſpera diei 14. in quo agnus immolabatur, ad diem 15. ſequentem pertinebat, veſpera diei 15. in qua Chriſtum occiſum volunt, neceſſariò ad diem decimumſextum ſequentem pertinuit, & per conſequens Chriſtus non eo die, multò minus eadem hora, qua Agnus mactatus fuit paſſus eſt, & proindè figuratum non reſpondiſſet figuræ.*

Paſchæ duplex obſeruatio.

TERTIA *ratio ſumitur à* Traditione, *qua tempore Chriſti in obſeruatione Paſchatis obſeruata fuit. Legitimè enim, iuxta mandatum Dei Exod. 12. Paſcha celebrari debuit die 15. menſis Niſan, menſis inquam Lunaris, ſic quòd annus & menſis quilibet ipſo die nouilunij exordium ſumpſerit. Secundùm hunc ritum Agnus Paſchalis die 14. ad veſperam immolari præcipitur. Et hoc Paſcha Chryſoſtomus* Vetus *vocat. Sed aliam Paſcha obſeruationem, quam* Iudicialem *vocant, legiſperiti Iudæorum per* ἐπιείκειαν *quandam & legis moderationem in ſecunda templi inſtauratione ſtatuerunt & ordinarunt. Quia enim Sabbatha ac Feſta legalia ad lunæ curſum ſecundùm dies menſium ſeruanda fuerunt, non ſemper in vnam & eandem diem hebdomadæ incidere poterant, ſed ſingulis variabant, nunc in hanc, nunc in aliam diem cadentes. Hoc pacto autem accidit, vt ſæpè duo Feſta continuata & ſimul coniuncta fuerint, Sabbathum hebdomadarium, & aliquod ex Moſaicis Feſtis ſecundariis: vnde magna incommoda naſci viſa ſunt Iudæis. Exempli gratia: Si Feſtum Palmarum in Sabbathum hebdomadarium incidiſſet, citra legis violationem Sabbathum ritè celebrari non poſſe arbitrabantur, quandò ramos Palmarum colligere & circumferre ſine labore die Sabbatho prohibito non poſſent. Deinde ſi Feſtum Paſcha aut Expiationis Sabbatho fuiſſet continuatum, per duos integros dies permanere eos oportuiſſet in Synagogis vel templo orantes ac ieiunantes: nullum enim cibum parare eis licebat & is qui profanis diebus fuit præparatus, vix per triduum aut integrum biduum à fœtore & putredine in calida illa regione conſeruari potuiſſet: hoc verò nimis graue & moleſtum eis videbatur. Quamobrem ne tam incommodè Feſta caderent, Tranſlationem in diem ſequentem excogitarunt. Nolebant autem aliis diebus, quoad numerum menſium, Feſta ſua celebrare quàm in lege fuiſſet præſcriptum, ſed tantùm alia die: ideò primam diem anni, ſeu Neomeniam primi menſis in talem feriam transtulerunt, quæ eiuſmodi incommoda nulla afferret. Statuerunt igitur, ne primus dies menſis incideret in feriam 1.4.6. nec Paſcha in feriam 2.4.6. nec Pentecoſte in feriam 3. 5. 7. nec dies Expiationis in feriam 1.3.6. nec feſtum Sortium in feriam 2.4.7. De huius conſtitutionis origine & authore plura diximus alio loco, vbi de anno Iudæorum egimus. Incidit autem quod in confeſſo apud omnes eſt, eo anno quo Chriſtus in Cruce eſt paſſus, Paſcha Solennitas in feriam ſextam, hoc eſt, Veneris diem. Iudæi igitur obſeruantes regulam Feſtorum à Legiſperitis traditam, neglexerunt veram Neomeniam menſis Niſan, neque ſolennitatem Paſchatis celebrarunt feria ſexta, ne feſtum Palmarum caderet in Sabbatho, & Sabbathum violaretur, ſed tranſtulerunt Neomeniam veram in diem ſequentem, adeóque etiam Paſcha*

ex

ex die Veneris in Sabbathum. Chriſtus autem, ſciens per mortem eius abroganda omnia Feſta Legalia, non reſpexit ad Feſtum Palmarum, vel ad alia Feſta, in obſeruatione Paſcha, ſed ad legem Dei, vt illam per omnia adimpleret: & iuxta legis mandatum obſeruauit veram Neomeniam, celebrauitque cum Diſcipulis ſuum Paſcha die 14. menſis primi iuxta legem quæ ſecundùm traditionem erat 13. dies: paſſus eſt autem die Veneris, quæ iuxta legem Paſchalis Solennitas celebrari debuit, ſecundùm traditionem verò Paraſceue Paſcha ſiue ad Paſcha fuit.

Explicatur locus Matth. 26.

Hanc diuerſam (Chriſti & Iudaeorum) obſeruationem Paſcha ipſemet Chriſtus innuere videtur, eò quòd dixit Diſcipulis: Ite in Ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magiſter dicit, tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis: Matth. 26. Quaſi dicere voluiſſet, Si interrogaueris vos, quare Magiſter veſter anticipat Paſcha antequàm Iudæi cæteri id obſeruent, dicite ei tempus eius propè eſt, vt faciat Paſcha cum Diſcipulis ſuis. Dixit, Tempus meum, hoc eſt, tempus verum & legitimum propè eſt, volens hoc ipſo reprahendere Iudæos tanquàm tranſgreſſores legis, & voluptatibus deditos, qui nulla alia de cauſa Paſcha transferebant, niſi vt voluptatibus conſuetis in Feſto Palmarum frui poſſent, quibus frui in Sabbatho prohibitum erat.

Ad hanc quóque duplicem Paſcha obſeruationem reſpexerunt Euangeliſtæ. Iudæorum enim obſeruationem innuentes, quoties inducunt Pontifices de Paſchate differentes, clarè ſignificant, Chriſtum Crucifixum fuiſſe eo die, quo Iudæi Agnum Paſchalem ederent, hoc eſt, in vigilia Paſchæ. Sic D. Ioannes dixit: Iudæos Chriſtum accuſantes non introiiſſe in prætorium Pilati, ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha, hoc eſt, Agnum Paſchalem. Dicit etiam diem Crucifixionis fuiſſe Paraſceuen, hoc eſt, diem in quo Iudæi præparabant ea quæ pro Paſchate ritè celebrando erant neceſſaria. Marcus quoque diem Paſsionis Chriſti προσάββατον, id eſt, profeſtum, vocat. Ad legis verò mandatum reſpicientes, ſignificant, Chriſtum Crucifixum fuiſſe ipſo die Feſto Paſcha, & pridiè, quàm pateretur Agnum Paſchalem cum Diſcipulis prima die Azymorum comediſſe: qua de re paulò infrà plura dicentur.

Contrà hanc verò Mutationem ſeu Tranſlationem Paſchatis in ſequentem diem multa adducunt Ieſuitæ, quibus probare conantur, nullam vnquam omninò talem mutationem fuiſſe inter Iudæos. Primò citant Rabbi Abenezram, qui in Commentario Leuit. cap. 23. difertis verbis affirmet, hanc traditionem non ſolùm non fuiſſe ab initio ſecundi templi, ſed ne eo quidem tempore quo conſarcinatum ſit Thalmud. Reſpondeo, falſum eſſe, quod ex AbeneZra citant. Adhæc Paulus Burgenſis qui Rabbinus Hebræorum fuit, hanc traditionem à Iudæis obſeruatam fuiſſe diſertè in additione ad Lyranum ſcribit, in Comment. cap. 26. Matthæi, vt iam de Munſtero & aliis in Iudæorum Rabbinis admodùm verſatis nihil dicam, qui etiam traditionem iſtam defendunt & probant.

Secundò obiiciunt Epiphanium, qui hæreſi 30. & 51. innuere videtur, Feſtum Azymorum & Paſchæ ſolennitatem apud Iudæos in quálibet diem hebdomadæ tempore Chriſti incidere conſueuiſſe. Reſpondeo, Epiphanium in eo falli. Nec mihi hoc vitio vertant Ieſuitæ, quum ipſi quoque, quando & quotieſcunque libuerit, authoritatem eius non recipiant, quòd habeat in multis opiniones quaſdam valde ſingulares & extraordinarias: verba ſunt Francolini cap. 67. de Tempore horarum Canonicarum. Adhæc computum Iudæorum Epiphanium ignoraſſe tota eius hiſtoria teſtis eſt.

Tertiò, vtuntur contra hanc traditionem rationibus. Eccleſiæ Aſiaticæ, inquiunt, in Primitiua Eccleſia celebrabant Paſcha eodem die quo Iudæi ſui temporis. At Eccleſiæ illę celebrabant Paſcha luna decimaquarta primi menſis, quacunque die hebdomadæ illa incidiſſet. Ergò etiam Iudæi illius temporis Paſcha celebrabant quolibet hebdomadæ die ſine vlla exceptione: Deinde, aiunt, Epiphanium, Theophilum, Ambroſium & Bedam in expoſitione diſcriminis inter Paſcha Chriſtianorum, & Iudæorum ac Iudaizantium, indicare, Iudæos & Iudaizantes in ipſa decimaquarta luna celebraſſe Paſcha, etiamſi eſſet Dominica: ex hac obſeruatione colligunt, Paſcha Iudæorum tempore illorum Patrum aliquando incidiſſe in Dominicam diem, & diem Feſtum Azymorum in diem lunæ, & proinde nondum cœpiſſe traditionem illam Iudaicam, quæ cauit, ne Feſtum Azymorum die Lunæ, Mercurij & Veneris celebrari liceret. Ad has rationes breuiter reſpondeo ex Epiphanio, qui hæreſi 70. dicit de Iudæis, quod, quæ ad Paſchatis obſeruationem pertineant, corruerint, & confuſa ſint apud ipſos omnia: & propterea non mirum eſt ſi tempore illo Paſcha etiam 2. 4. & 6. luna celebrarunt.

Ieſuitarum argumenta & eorũ confutatio.

Supereſt vt refellamus Ieſuitarum rationes, quibus probare volunt, Chriſtum Paſſum in ipſo die ſolenni Paſcha, & Cœnam inſtituiſſe in Profeſto ſeu Vigilia eius, & non anticipaſſe ſuum Paſcha. Ad hoc probandum adducunt PRIMÒ, 1.
teſtimonia ex Euangeliſtis. Matthæus cap. 26. dicit, prima die Azymorum, acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum, dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Marcus cap. 14. ait: Prima die Azymorum, quando Paſcha immolabant. Et Lucas cap. 22. inquit: Venit dies

dies Azymorum,in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Hinc colligunt Chriſtum Sacramentum inſtituiſſe die decimaquarta, quo ad veſperam inchoabantur dies Azymorum, & ſequenti die, qui erat dies Solennis Azymorum,occiſum fuiſſe. *Reſpondeo,ad legem Dei, non ad Hebræorum conſuetudinem & traditionem Euangeliſtæ in his verbis reſpiciunt: quemadmodum nos etiam hodiè in numerandis annis & diebus menſium veterem ſtylum Calendarij neglecto nouo, obſeruamus. Volunt igitur Euangeliſta indicare, Chriſtum cum Diſcipulis diſcubuiſſe & Agnum Paſchalem comediſſe pridiè antequam pateretur, prima die Azymorum, luna decimaquarta ad veſperam*, ſed ſecundùm legem, *quam Chriſtus in omnibus adimpleuit: & per conſequens crucifixus fuit ipſo die Feſto Paſcha,hoc eſt,eo die quo iuxta legem Paſchalis ſolennitas celebrari debuit: illa tamen eadem dies fuit vigilia Paſcha*,iuxta Iudæorum obſeruationem,*qui ea die qua Chriſtus fuit Crucifixus,comederunt Agnum Paſchalem ad veſperam, iuxta Patrum conſtitutionem. Hanc fuiſſe mentem & ſententiam Euangeliſtarum, non obſcurè ex ipſorum verbis probari poteſt. Lucas enim dicit*,Venit dies Azymorum,in qua neceſſe erat occidi Paſcha. *nimirùm iuxta legem,quam Iudæi negligebant, Apud eundem Chriſtus Diſcipulis dicit:*Euntes parate nobis Paſcha*: quaſi diceret, nos iuxta legis mandatum celebrabimus Paſcha,neglecta Phariſæorum conſtitutione. Et quum Marcus dicit*,Quando Paſcha immolabant, *vult dicere,iuxta legem.*

2 *Explicatur locus Ioan. 13.*

Secundò, *citant Ioannem, qui cap. 13. dicit*, Ante diem Feſtum ſciens Ieſus, quia venit hora, &c. his verbis affirmare Ioannem dicunt, diem Paſſionis Chriſti fuiſſe illo anno Solennem ac Feſtum, ex quo neceſſariò ſequatur, vt die præcedente Agnum comederint. *Reſpondeo, fuit Feſtus ſecundùm legem, ſed non ſecundùm traditionem & obſeruationem Iudæorum: Et proinde non contra nos, vt Ieſuita volunt,ſed pro nobis facit, quòd Iudæ dixit Dominus*, quod facis, fac citiùs: *id enim Apoſtoli putarunt dictum illi eſſe, vt emeret quæ neceſſaria erant ad Feſtum, quod die ſequenti iuxta legem celebraturi eſſent. Poſſumus etiam alio modo reſpondere, loqui Ioannem de Feſto futuro Sabbathi die, non de Feſto immediatè conſequente eam ipſam noctem feria quinta, in qua hæc Dominus loquebatur. Sic Moſes ſcribens, Mortuus eſt Aram ante Thare Patrem ſuum, non vult ſignificare, mortuum eſſe die immediatè præcedente diem obitus Thare.* At quo modo, *inquiunt Ieſuita*, ſuſpicari poterant Apoſtoli, tanta feſtinatione opus eſſe in parandis ad Feſtum neceſſarijs, ſi adhuc ſupererat totus dies ſequens ante feſti Solennitatem? *Sed quæro viciſſim ab ipſis, vnde nam habeant, Apoſtolos ſuſpicatos fuiſſe magna feſtinatione opus eſſe in parandis ad Feſtum neceſſarijs? Hoc enim Ioannes non innuit,ſed dicit, quoſdam putaſſe, Ieſum dixiſſe Iudæ, Eme ea quibus opus eſt nobis ad Feſtum,aut egenis vt aliquid daret. Exiſtimaſſe igitur Apoſtolos,vt vel citò,vel tardè hoc faciat Iudas,non dicit Ioannes.*

3 *Explicatur locus Ioan. 18.*

Tertiò, *ex cap. 18. Ioannis adducunt verba Iudæorum ad Pilatum dicentium:* Nobis non licet interficere quenquam: his verbis, *aiunt*, ſignificant, non licuiſſe id eis ob Feſtum quod tunc agebatur. Nam alioquin licuiſſe eis alio tempore occidere blaſphemos, patet ex cap. 7. Act. vbi Stephanum in Concilio iudicatum lapidarunt: & Act. 24. conqueruntur apud Felicem præſidem Syriæ, quòd volentibus Paulum ſecundum legem ſuam interficere, Tribunus Lyſias violenter eum eripuerit de manibus ipſorum. *Reſpondeo ex Chryſoſtomo, quem tamen Ieſuita pro ſe citant. Is homil. 82. in Ioannem:* Quomodo, *inquit*, hoc ſignificabant? Non licet nobis interficere quenquam: aut dicit Euangeliſta, quoniam non pro Iudæis tantùm, ſed & pro Gentibus erat moriturus: vel quòd crucifigere eis non licebat. Quod ſi dicunt, non licere interimere, eo tempore intelligendum eſt: nam quòd interemerunt & alia morte, argumento eſt Stephanus lapidatus: ſed crucifigere eum deſiderabant, vt mortis genus iactarent. *Quibus vtique verbis nequaquam dicit, vt Ieſuita volunt, non licuiſſe Iudæis occidere Chriſtum ob Feſtum, ſed eo tempore, quo nimirum ſubiecti erant Romanis, non licuiſſe eis crucifigere aliquem, qui ſcilicet non tantùm contra Iudæos, ſed etiam contra Romanos peccaſſe viſus eſſet. Ita etiam interpretatur hæc Iudæorum verba Cornel. Ianſenius & ipſe Pontificius, Gandauenſis Epiſcopus. Pulcherrimè huic ſententiæ conſentiunt verba Ioannis quæ mox ſequuntur.* Facta hæc ſunt, *ait*, vt adimpleretur ſermo quem prædixerat Ieſus, vt indicaret qua Morte eſſet obiturus. *Negant Ieſuita* vim horum verborum in eo conſiſtere, vt indicaret, quod genus Mortis eſſet ſubiturus Chriſtus, ſed quòd prædixerit, ſe à Iudæis tradendum Gentibus ad occidendum, & quòd Gentes Chriſtum ſibi à Iudæis traditum eſſent ſuis manibus occiſuræ, non Iudæi. *Sed hoc manifeſtè pugnat cum verbis Apoſtoli, qui dicit, Chriſtum indicare voluiſſe ποίῳ θανάτῳ, id eſt, quo genere mortis, non à quibus, eſſet occidendus. Reſpicit autem Euangeliſta ad verba Chriſti quæ leguntur Matth. 20. vbi dicit*, Tradent

H cum

eum (*Chriſtum*) Gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum. *Dicit ergò, vt hic ſermo impleretur, Iudæi dixerunt,* Nobis non licet interficere quenquam: *quaſi dicat, ideò negarunt ſibi licere occidere aliquem, quòd neminem ita poſſent occidere, ſicut Romani occidebant, ipſique Chriſtum occidi volebant, vtque ſimul verba Chriſti implerentur, quæ de Mortis ſuæ genere prædixerat.*

4. *Explicatur locus Ioan. 18.* QVARTÒ, *citant verba Pilati, quæ habentur Ioannis* 18. *cap.* Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha, &c. Hinc apparere volunt, dies Paſchales iam tum agi cœpiſſe. *Reſpondeo, Paſcha vel Paſchales dies duobus modis accipi. Vno propriè & ſtrictè, pro ſeptem diebus Azymorum. Altero verò impropriè & latiùs, pro diebus illis, in quibus Paſcha & Azymum præparari præcipitur: & ſic decima quoque menſis inter Paſchales dies numerari poterit. Non autem hoc loco per Paſcha ipſum diem Solennem Paſchatis intelligendum, ex reliquis Euangeliſtis patet, qui hæc verba quaſi interpretantes, non habent* ἐν τῷ Πάσχα, *ſed* κατὰ τὴν ἑορτὴν, *hoc eſt, circa vel ſecundùm Feſtum Paſchatis. Matthæus cap.* 27. *dicit:* κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον: *id eſt, Circa Feſtum conſueuerat Præſes dimittere turbæ vnum vinctum. Ita & Marcus cap.* 14. κατὰ ἑορτὴν ἀπέλυεν αὐτοῖς ἕνα δέσμιον. *Et Lucas cap.* 23. Ἀνάγκην δὲ εἶχεν ἀπολύειν αὐτοῖς κατὰ ἑορτὴν ἕνα. *Vnde intelligitur, non in ipſo Solenni die, ſed circa vel ante eum hoc fieri ſolitum fuiſſe.*

5 QVINTÒ, *adducunt* Patres, qui dicunt Chriſtum die decimaquarta Paſcha celebraſſe. *Reſpondeo, pleroſque Patres velle dicere, Chriſtum Paſcha comediſſe ea die, quæ ſecundùm legem, non ſecundùm traditionem fuit decimaquarta. Eadem reſponſio dari poteſt ad multorum Patrum, quos citant, teſtimonia, vbi dicunt, Chriſtum occiſum ipſa die Solenni Paſchatis, nam ea die quo Chriſtus paſſus eſt ſecundùm legem celebrari debuit Paſchalis Solennitas, iuxta traditionem verò fuit tranſlata in ſequentem diem. Cùm igitur Patres dicant, Chriſtum crucifixum fuiſſe in Feſto Paſchæ Iudæorum, intelligi debet de Feſto Paſchæ legitimo, iuxta legem à Chriſto & Diſcipulis legitimè obſeruato. Et ſic paſſus eſt, & non paſſus in die Feſto Paſchæ: paſſus, iuxta legem: non paſſus eſt, iuxta traditionem ſeniorum quæ temporibus Chriſti obſeruatur.*

Quoto die menſis Chriſtus Paſſus ſit.

1. QVoto etiam die Primi Menſis Chriſtus in Cruce paſſus ſit, varia ac diſcrepantes *Theologorum ſunt ſententiæ. Theophilus Cæſarienſis iuxta aliquos docuit, viceſima ſecunda die Martij, ſcilicet* 11. *Calend. Aprilis hoc factum. Lactantius, Euſebius & Auguſtinus Serm.* 22. *de Tempore, putant Paſſum Seruatorem* 23. *die Martij, hoc eſt,* 10. *Calend. Aprilis, quibus etiam aſtipulatur Beda libro de Ratione temporum, capite* 65. *& libro de ſex ætatibus mundi: vbi tamen hoc parùm firma ratione probare conatur, quòd nimirùm eadem die Deus cuncta animalia terreſtria & hominem crearit, ac de latere dormientis Euam Matrem omnium produxerit: Vnde, inquit, meritò creditur, ſi non melior ſententia vincit, eodem decimo Calend. Aprilis die Dominum fuiſſe Crucifixum. Decebat enim vna eademque die, non ſolùm hebdomadis, ſed & menſis ſecundum Adamum pro generis humani ſalute viuifica morte ſopitum de productis è latere ſuo cœleſtibus ſacramentis Sponſam ſibi Eccleſiam ſanctificare, quæ videlicet die primum Adamum humani generis Patrem ipſe creauerat, eique de latere coſtam tollens Mulierem ædificauerat, cuius adiutorio humanum genus propagaret. Eandem ſequuntur ſententiam Ado Viennenſis in Breuiario Chronic. Ætate I. Anſelmus libro ſecundo de Imag. mundi, cap.* 17. *Nicetas, Gerlandus Lotharingus, & quidam Galli, de quibus Beda in libro de Ratione temporum cap.* 45. *refert, quòd Paſcha ſuum celebrarint quocunque die octauus Calend. Aprilium fuiſſet, quando Chriſtum reſurrexiſſe crediderint: quibus etiam annumerat Middelburgenſis parte* 2. *Paulinæ lib.* 5. *cap.* 2. *Thuſcos, & in Aſia Montanos. Rursùs Anſelmus, parùm ſibi conſtans, in cap.* 27. *Matthæi dicit, Dominum Crucifixum fuiſſe* 12. *Calend. Aprilis, id eſt,* 21. *die Martij. Et iuxta hanc computationem, inquit, inuenimus etiam eo tempore, id eſt,* 10. *Calend. April. Dei Filium reſurrexiſſe à mortuis, quo tempore protoplaſtum Adam inuenimus eſſe formatum ex limo terræ. Epiphanius hæreſi* 50. *contra Theſſares cadecatitas, & hæreſi* 51. *contra hæreſim, quæ non ſuſcipit Euangelium Ioannis & Apocalypſim, reiiciens eorum ſententiã qui dicunt, Chriſtum paſſum eſſe* 25. *die Martij, dicit, ſe ex multa certitudine cognouiſſe, Seruatorem paſſum eſſe die ante decimum tertium Calend. Aprilium, quod Hugalinus Martellus in libro de anni integra reſtitutione capite decimo nono, de decimoquarto Calend. April. hoc eſt, de decimonono die Martij: Francolinus autem de* 20. *Martij intelligit. Idem Epiphanius hæreſi* 50. *teſtatur, ſe inueniſſe in Actis Pilati, ante decimum quintum Calend. April. paſſum Dominum, id eſt, die* 18. *Martij. Hugalinus Martellus loco citato refert ex Auguſtino, fuiſſe nonnullos, qui verum Paſſionis Dominicæ diem Nonis Martij, hoc eſt;* 7. *die Martij fuiſſe dicerent. Victorinus Aquitanicus, qui* 2.

ſtatuit

floruit circa annos Chriſti 460. putauit Chriſtum cruci affixum ſeptima Calend. April. id eſt, 26. die Martij authore Middelburg. par. 2. lib. 5. cap 5. quem ſequuti ſunt plures alij, quorum meminit Beda de Rat. Temporum, cap. 59. & inter recentiores Franciſcus Maurolycus in Martyrologio ſub die 25 Martij, & Panuinius in Chron. anno Domini 34. Paulus Middelburgenſis parte 2. Paulina lib. 14 cap. 2. longo hac de re diſputatione habita, tandem, omnibus aliorum ſententiis reiectis, concludit, Chriſtum paſſum eſſe triceſima die Martij. Et hi quidem omnes in hoc conſentiunt, Chriſtum menſe Martio & quidem feria ſexta Crucifixum fuiſſe: ſed in quotum diem menſis feria illa Sexta tunc inciderit, controuertitur. Ne igitur errarent, pluribus in locis, præſertim in Italia ſexta quaque feria menſis Martij ſacra & celebres habentur, ex Hilarij Pictauienſis Epiſcopi inſtituto, vt teſtatur Middelburgenſis par. 2. Paulina lib. 5. cap. 1.

Sunt tamen alij qui in Aprili Chriſtum mortuum eſſe velint, & quidem 4. Non. April. id eſt, die ſecundo Aprilis Hugolino Martello teſte libro de integra anni reſtitutione, capite decimonona. Sunt alij, qui Aſtronomicis ſupputationibus ſe inueſtigaſſe putant, tertio Nonas April. qui tertius eſt eiuſdem menſis Dominum Crucifixum. In hac ſententia eſt Rogerus Bacon, Ioannes de Muris & Paulus Burgenſis, teſte Middelburgenſi parte 2. Paulina lib. 5. capite nono & vndecimo. Has etiam ſequitur Abulenſis parte 2. Defenſorij capite decimoſexto, Ioannes Lucidus in libro de vero die Paſſionis Chriſti, capite nono, Pontacus in Chronographia, Ioſephus Zarlinus in libro Italico, de vero anno & die, quo Crucifixus eſt Chriſtus, & denique recentiores ferè omnes. Fuerunt etiam qui Chriſtum paſſum eſſe dixerunt tertio Idus April. hoc eſt, die vndecimo Aprilis: & in hac opinione fuiſſe Ioannem de Monte Regio Middelburgen. indicat parte 2. libro quinto, cap. 1. & 12. Ioſephus Scaliger in libro de Emendatione Temporum, & Henricus Vuolphius lib. 2. Chron. diem Paſſionis Dominicæ 23. Aprilis fuiſſe dicunt, ſuámque ſententiam euidentiſſimis rationibus probant.

Hæc diuerſitas ſententiarum inde nata eſt, quòd dies Paſſionis Dominicæ, in ſcriptis Apoſtolorum & eorum qui Apoſtolos proximè ſequuti ſunt, expreſſus non inuenitur. Id verò non caſu, ſed ſingulari Dei conſilio factum crediderim, vt tam alti & imperſcrutabilis Myſterij dies in obſcuro eſſet. Sic enim reipſa docere voluit contra Pontificios, eorúmque ſuperſtitiones, quas iam tum præuidit, nullum diem & tempus alio ſanctius habendum, & memoriam rerum olim pro generis humani redemptione geſtarum, non ſic certis temporibus & diebus alligatam ſeu affixam eſſe, vt non alio quàm illo ipſo præcisè, quo geſta ſunt, ſi maximè ex vſu Eccleſiæ eſſet, ipſáque neceſſitas poſtularet, celebrare & colere liceret. Quod ſi hæc diligenter perpenderent Ieſuitæ, fateri cogerentur, aut tam liberam eſſe dierum Obſeruationes, nec alium ſacratiorem eſſe alio, aut Eccleſiam in dubio eſſe, an memoriam Paſſionis Dominicæ iam vltra 1500. annos ſacro vel profano die celebrarit, nec ne.

Celebratur eodem die MARIÆ ÆGYPTIACÆ Memoria, quòd tunc obiit, iuxta Petrum de Natalibus Legenda 24. lib. 4. nam alij ad diem 8. huius menſis referunt. *Maria Ægyptiaca.* Nata fuit ea Valentis & Valentiniani Impp. temporibus, quantum ex Sabellico & Bergomenſe conſtat, in Ægypto ex Chriſtianis parentibus. Cùm autem annum 12. ætatis attigiſſet Relictis Parentibus, Alexandriam ſe contulit, vbi libidinum æſtu turpiſſimis modis corpus ſuum proſtituit. Inde verò Hieroſolymam cum iis venit, qui ad diem Feſtum Exaltationis Crucis commeare eò pro conſuetudine ſolerent, nulla neceſſitate coactis, niſi vt in magna Peregrinantium frequentia libidinem expleret. Hieroſolymis tamen in templo compuncta, pœnitentiam egit, & poſteaquàm in æde Ioannis Baptiſtæ ad Iordanem, Cœna Domini vſa fuiſſet, in deſertum abiit: vbi per annos 47. extra omnium hominum conſuetudinem vixit, nuda oberrans, & tenuiſſimo alimento victitans, corpúſque domans incredibili abſtinentia, non tamen ſine certaminibus, quòd vita antoacta per 17. annos vix obliuiſci poſſet. In eremo nullum vnquam vidit hominem, niſi Zoſimum Monachum quendam Palæſtinum, qui ex Religionis ſuæ ritu deſerta pererrans, in eam fortè incidit. Atque tandem poſt biennium ex eo tempore, quo in eam inciderat, mortua inuenta & ſepulta eſt. Hæc de Maria Paulus quidam Diaconus Neapolitanus in vitis Patrum, & ex eo Iacobus de Voragine Legenda 54. Petrus de Natalibus Legenda 24. lib. 4. Fulgoſus lib. 6. Marulus lib. 4. Sabellicus Exemplorum lib. 2. & Enne. 7. lib. 9. aliique referunt. Sunt autem reliquæ narrationis eorum partes, non fabulis ſolùm, ſed & erroribus plenæ, vt quòd beneficio Mariæ virginis ad meliorem vitam conuerſa, oraculis admonita, ac per omnem vitam gubernata & protecta ſit. In quam ſententiam habentur quædam precatiuncula, quæ Chriſti merito excluſo, ipſam etiam ſalutem D. Virgini acceptam referunt. Fabulis verò Monachorum ſimilia videntur, quòd alimentum ei in deſerto ad annos 17. præbuerint panes duo dimidioti. quòd Iordanem pedibus ſiccis tranſierit: quòd inter orandum, inter terram & cœlum cubitali ſublato altitudine à Zoſimo viſa ſit, & tandem Leonis immaniſſimi miniſterio ſepulta.

Digitized by Google

DE SABBATHO SANCTO Paſchæ: vbi & de CEREO Paſchali, & eius Benedictione.

Ritus hoc die olim obſeruati.

E*T hic dies in vero Primitiuo Eccleſiæ ieiuniis & orationibus, nec non vigiliis & laudibus Dei peragebatur. In quodam Codice Decretorum librorum ſedecim cap.6. lib. 14. indicatur, in Synodo Arauſicona primo circa annum* 441. *ſancitum,* vt in Sabbatho hoc Sancto, ſeu, in vigilia Paſchæ, ieiunium ante noctis initium non ſoluatur. *Sed hoc decretum non extat inter canones huius Synodi. In Synodo verò Antiſiodorenſi canon.*11.*præcipitur,* Non licere in vigilia Paſchæ, ante horam ſecundam noctis, vigiliam expedire. *Peruigilij huius Paſchæ meminit etiam Tertullianus libro ſecundo ad vxorem: idque propterea celebratum putat Hieronymus, in cap. 25. Matthæi,* quòd Iudæorum traditio ſit, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptij temporis. Vnde reor, *inquit ille,* & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes Aduentum Chriſti, & poſtquam illud tempus tranſierit ſecuritate præſumpta, Feſtum cunctis agentibus diē. *Huius rationis meminit etiam Lactantius libro ſeptimo Diuinarum inſtitutionum, capite decimonono, vbi de his ipſis vigiliis loquitur: & Iſidorus libro ſexto Etymol. cap. 17. Alij hanc cauſam vigiliorum ad mediam vſque noctem in Sabbatho hoc afferunt: Cùm in reliquis totius anni Sabbathis nonnullæ Eccleſiæ ieiunarent, vt Romana & Occidentales aliquæ, ſicut eſt videre de Conſecrat. diſtinct. 3. c. Sabbatho, & in Concilio Elibert. capite vigeſimo ſexto, nonnullæ verò non ieiunarent, vt omnes ferè Orientales, ſicut patet ex can. 66. Apoſtol. & Epiſtola quinta Ignatij ad Philippenſes: in hoc tamen anniuerſario Sabbatho omnes ieiunarunt, vt patet in can. 66 Apoſt. & Epiſt. 5. Ignatij, & lib. 5. Conſtitut. Apoſt. cap. 16. & lib. 7. cap. 24. & Epiſt. 19. Auguſtini ad Hieronymum. Ita autem ieiunarunt, vt ad medium vſque noctis Ieiunium differrent, vt hoc prolixiore Ieiunio, & aliquid ſpecialiùs agerent, & dolorem, qui in cordibus Apoſtolorum illo die fuerat, pleniùs indicarent. Sunt tamen qui exiſtiment, has vigilias ideò obſeruari, quòd Chriſtus media nocte à mortuis reſurrexerit.*

Superſtitiones hac die obſeruatæ.

Progreſſu verò temporis in locum horum exercitiorum multæ & variæ ſuperſtitiones ſunt inuectæ. Primò námque ignem veterem omnem in templis extinguunt, & nouum ex chalybe eliciunt ac conſecrant. Deinde candelam ceream magnam, quam Cereum Paſchalem *nominant, in templa hoc die ferunt, eúmque benedicunt, & de igni illo nouo accendunt. Hos ritus ita deſcribit Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papiſtici:*

> *Ante diem Paſcha vetus optè extinguitur Ignis,*
> *Et nouus è ſilicum venis extruditur: illum*
> *Adiurat multis aduerſum incommoda Paſtor.*
> *Cuius quiſque capit terrem molimine ſummo,*
> *Fértque domum, vt quando tempeſtas ingruat atra,*
> *Succenſo, cæli plaga ſit tutus ab omnè.*
> *Cereus hinc ingens, Paſchalis dictus, amæno*
> *Sacratur cantu, cui ne myſterio deſint,*
> *Thureo compingunt, in facta foramina grana.*
> *Hic ad honorem ardet vincentis tartara Chriſti,*
> *Nocte diéque quaſi hoc ritu capiatur inani.*

Prior ritus ex Ethniciſmo ſumptus videtur: quod etiam Cælius Rhodig. Lect. Antiq. lib. 8. cap. 35. fatetur. Nam de Virginibus Veſtalibus loquens, & illo igne quem cuſtodiebant: Illud, *inquit,* ſcitu dignum eſt, & noſtræ religioni contentaneum, quòd menſe Martio quotannis innouabatur ignis in templo Veſtæ. *Gyraldus etiam de Diis Syntag* 4. Extincto, *ait,* igne Veſta es à Pontifice verberari ſolitæ: quibus mos erat, tabulam felicis materiæ tandiu verberare, donec ignis conciperetur, qui cribro aheneo in ædem à Virgine deferebatur: quotannis tamen & nouus ignis excitabatur à Veſtalibus, ſicut & à noſtris in Cerei Paſchalis conſecratione. *Alter ex quodam facto Conſtantini Magni ortus videtur: de eo ſiquidem Euſebius lib. 4. vita Conſtantini refert, quòd Paſchales illas Vigilias lampadibus luminibuſq; decorarit, accendens per totam vrbē κίονας, hoc eſt, columnas ſeu moles cereorum. Hūc tamen ritum benedicendi Cereum Paſchalem Sabbatho Sancto in Eccleſiis primus inſtituiſſe dicitur Zoſimus Papa circiter annum Domini* 420. *vt de eo referunt Liber Pontificalis, Supplementum Chronicorum, Summa Conciliorum, Platina, Sabellicus Ennead. 7. lib. 9. Panuinius, Sigebertus, Pontacus in Chronicis, Galeſinius in Martyrologio die 26. Decemb. Alcuinus in lib. de diuinis officiis cap. de Sabbatho Sancto Paſchæ, Amalarius lib. 1. de Eccleſiaſt. off. cap. 18. Rabanus de Inſtitut. cleric. lib. 2. cap. 38. Vualafridus in lib. de rebus Eccleſ. cap. 30. Microlog. in lib. de Eccleſ. obſer. cap. 53. Rupertus Tuitien. lib. 6. de diuin. off. cap. 28 Polydorus lib. 6 cap. 7. de Inuent. rerum. Martinus verò Polonus Cranzius in Metrop. lib. 2. cap primo, Hēricus de Erdfordia, Volaterranus, Panthalean & Balæus hoc inuētū Theodato, quē alij Theodoron, alij Theodoton appellāt, & Honorio primo aſcribunt: quorū hic Pontifico-*

Cerei Paſchalis benedictionem quis inſtituerit.

Margin numbers: 1. (beside "Prior ritus ex Ethniciſmo ſumptus videtur:"); 2. (beside "tamen ritum benedicendi Cereum Paſchalem").

tum

tum tenuit anno 622. ille verò anno 615.

Cereus non benedictus in Gallia.

Quicquid ſit, illud conſtat per annos plus ſexcentos à nato Chriſto non fuiſſe vſitatum in Gallicia Lucernam & Cereum conſecrare. Nam in Toletano Concilio quarto, capite octauo ſub Honorio primo habito circa annum Domini 627. ſtatuitur, vt propter vnitatem pacis, in illis etiam Eccleſiis ritus ille benedicendi inſtituatur.

Cerei benedictio non fuit Prudentij tempore.

Ex his quoque ſimul intelligitur, hymnum quintum apud Prudentium falſam habere in nonnullis exemplaribus inſcriptionem, Ad accenſionem Cerei Paſchalis. *Zoſimus enim, qui tam multorum auctorum teſtimonio Cereũ Paſchalem primus inſtituit, vt de Theodato & Honorio nihil dicam, plus quadraginta annis poſt Prudentium Pontificatum tenuit. Accedit huic rationi etiam alia, quòd nimirùm omnes hymni Prudentij non ſunt ſcripti pro certo aliquo die anni, ſed ſunt generales, & conueniunt titulo libri, qui eſt Cathemerinon, hoc eſt, Quotidianorum ſeu Diurnorum. Tertiò, ordo quoque hymnorum Prudentij hanc inſcriptionem refellit. Nam poſt hymnos, ad galli cantum, ad matutinum, ante cibum, poſt cibum, qui Matutino, Laudibus, Sexta & Nona rectiſſimè aſſignari poſſunt, iuſto ordine conſequuntur hymni ad accenſionem Lucernæ, & ante ſomnum, pro Veſperis, quæ eſt hora Lucernaris, & pro Completorio. Quare ſi vera eſſet inſcriptio, hymnus ille non fuiſſet eo loco collocandus. Et propterea magis probanda inſcriptio, quam hymnus hic in Aldi exemplaribus habet,* Ad Accenſionem lucernæ. *Error autem inde natus videtur, quòd inter hymnos Eccleſiaſticos reperitur hymnus poſterioribus demùm temporibus compoſitus, cum tali inſcriptione,* Ad Accenſionem Cerei Paſchalis, *pro Sabbatho Sancto, qui ex hoc quinto Prudentij hymno totus deſumptus eſt. Cauſa autem inſtituti huius ritus hæc eſt, vt ſacra Reſurrectionis Chriſti myſterium, benedictione ſanctificati huius luminis ſuſcipiatur, ſicut ca. 8. Toletani Concilij 4. indicatur. Cereus quoque iſte Catechumenis baptizandis præfertur, & in manus datur Baptizatis: nam quod olim verbis & doctrina monebant ac docebant, Baptiſmum eſſe φωτισμὸν, id eſt, illuminationem, id progreſſu temporis grandis hic moles Cerei huius repræſentare debuit.*

3. Aqua in baptiſterijs conſecratur.

Tertiò, in Baptiſteria recens aqua infunditur & conſecratur hoc die. Quibus autem ritibus id fiat Naogeorgus his verſibus indicat lib. 4. Regni Papiſtici.

Poſt liquidas etiam Baptiſmi conſecrat vndas
Vel Præſul, vel Præpoſitus: nec enim amplius illa
Baptiſmo proſunt, nec poſſunt tingere quenquam,
Præterito quorum valuit toto vſus in anno.
Magna procedunt pompa celebríque paratu
Candelis, crucibus, vexillis, chriſmate, oliuo:
Circumeunt fontem nauſes, Diuoſq; precantur.
Fixi ſtant omnes tandem: mox incipit ille,
Et ter tangit aquam crucis effingitq; figuras.
Grandia tum profert multa & plauſtralia verba,
Sanóſque adiurat latices & vexat ineptè,
Dum ſtudet & credit meliores reddere multò,
Omnipotẽtis quàm dextra ac benedictio fecit.
Poſt & candelam vexatas ponit in vndas,
Térque ſua flatu turbat pridiana bolenti
Prandia, & infuſo tandem vnctas chriſmate reddit.
Attonitus ſpectat populus, creditq; potentem
Vndis vim tribui tanto adiurantis hiatu,
Atq; alius agitat quas gens doctiſſima, vngit.
Allatis igitur vaſis de fontibus haurit
Fértque domum contra morbos, pecoríſque ſuiſque.
Inde ſilent tabulæ, & Cãpanis priſtina dantur
Iura, ſimúlque ſuum capiunt ieiunia finem.

Quod ſi vera ſunt quæ habet Decretalis prima Alexandri I. ipſe Alexander inſtituit primò conſecrationem aquæ baptiſmatis.

Quartò, hoc tantùm die extra caſum neceſſitatis, baptizandum, Victor I. Papa inſtituit. Liber Conciliorum. Funccius in Comment. ad Chronol. 4.

Quintò ſtatim poſt Baptiſmum hoc die Confirmandum Clemens I. ſtatuit: ſed id poſtea in ſequens Sabbathum tranſlatum fuit. Durandus in Ration. libro ſexto, capite centeſimo quarto. 5.

Vltimò, in Sabbatho Sancto ante Miſſam altaria rurſus in Papatu caaperiuntur & ornantur: 6.
Miſſa alter celebratur: Campanæ pulſantur, dum cantatur, Gloria in excelſis, &c. nec lumen portatur ante Euangelium, ſed incenſum. Durand. Ration. libro ſexto, capite 85.

RESVRRECTIONIS Dominicæ dies, quo Chriſtiani ſuum PASCHA celebrant.

PAſchatis *Feſtiuitatem, non in memoriam tranſitus Angeli in Ægypto, Iudæorum more & conſuetudine, ſed* ſalutiferæ RESVRRECTIONIS Dominicæ, *Chriſtiani obſeruant ac celebrant. Et tamen retinent Paſchatis nomen, non propterea ſolùm, quòd Agnus ille, qui à Iudæis in Paſchate olim occiſus eſt, typus fuit Agni illius Dei Ieſu Chriſti, qui eo tempore, quo ille mactatus, pro ſalute totius mundi occiſus eſt, ſed, quòd illo ipſo tempore ex hoc mundo* tranſiit *ad* Patrem. Pæſah *enim ſeu* Phaſe *tranſitum ſignificat: vt Auguſtinus docet in Pſalmum 68. vel etiam quòd tunc ſit tranſitus factus de veteri vita in nouam, vt idẽ*

Pater epiſt.119.ſcribit: quo etiam Paulus reſpexiſſe videtur 1.Cor.5.inquiens: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. Chriſtus,nanque veterem hominem paßione, nouum autem Reſurrectione ſignificauit, vt ait Auguſtinus epiſt 57.ad Dardanum.

Oſteren vnde.

Germani vocant Oſteren voce corrupta ex Vrſtehnde quod Reſurrectionem ſignificat. Alij tamen deriuant à Latina dictione Hoſtia, quæ eſt Chriſtus,pro peccatis noſtris immolatus,1.Cor. 15.Vnde Paſchales oblata, die Oſterfladen, quæ olim hoc tempore parabantur,ab afferendis hoſtiis dictæ. Alij ab Oſt deducunt,quod Germanis eſt Oriens, vnde & Auſtria Oſterreych dicitur, quòd in Oriente,vel orto ſole ſurrexerit Chriſtus. Angli vocant Eoſter,& Aprilem menſem, in quo plerunque celebratur Paſcha, Eoſter monath: idque à Dea quadam cui Teutonici populi in paganiſmo ſacrificarunt menſe Aprili, quæ Eoſter fuit appellata,vt Geßnerus indicat in ſuo Mithridate ex Munſtero.

De Hora Reſurrectionis Chriſti.

Hora reſurrectionis Chriſti incerta.

DIe tertia reſurrexiſſe Chriſtum à mortuis, extra controuerſiam eſt, de eo ſiquidem certa & luculenta Sacrarum Literarum extant teſtimonia. Quemadmodum autem incertum eſt, quoto die menſis primi paſſus ſit Dominus, ſic neceſſariò quóque ignoratur, quoto die menſis,& qua hora diei à mortuis reſurrexerit. Vnde Hieronymus epiſt.150. ad Edibiam, quæſt. 6. dicit, quòd Dominus reſurrexerit hora qua ipſe voluerit, & quæ nulli mortalium cognita ſit. Quamuis igitur ei, qui Reſurrectionis Dominicæ horam inueſtigare & perſcrutari velit, quam Dominus abſcondiſtam eſſe voluit, rectißimè illud Syracidis dici poſſet, cap. 3. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper,& in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcõdita ſunt oculis videre tuis,&c. Enumerabo tamen ſimpliciter Theologorum ſententias, quæ multis iam annorum centuriis in Eccleſia hac de re fuerunt.

Theologorum ſententia de tempore reſurrectionis Chriſti 1.

Docuerunt igitur aliqui, Chriſtum media nocte reſurrexiſſe, ex quorum numero eſt Athanaſius, qui in lib.de Virginitate ſic inquit: Media nocte ſurgito, & laudato Dominum Deum tuum. In hac enim Hora ſurrexit Dominus à mortuis. Hunc ſequuti ſunt Gregorius Nyſſenus in 1.& 2.Orat.de Reſurrectione Chriſti. Cyrillus lib.12.in Ioannem cap. 44. Dionyſius Alexand. in epiſt.ad Baſilidam Presbyterum Victor Antioch.in cap.16.Marci. Hieronymus quóque epiſt. 150. & Ambroſius in illud Lucæ 24 Vna autem Sabbathi valdè diluculo, &c. Nicephorus etiam lib. 1. hiſt.Eccleſ. cap. 31. Denique Euthymius in cap.28. Matth.vbi dicit, quòd omnes Sancti Patres dicant vnanimiter, Reſurrectionis Dominicæ tempus fuiſſe circa primum gallicinium, quod Dominici diei lucem prætulerit: per quod nihil aliud intelligit, quàm media noctis tempus: paulò enim ſuprà, ad verba illa, Veſpere autem Sabbathi,&c. manifeſtè dicit, Omne diluculum poſt ſextam horam noctis incipere, quando primùm galli canant,& hoc tempus etiam Matthæum innuere voluiſſe his verbis, Voſpere autem Sabbathi, &c. Hanc etiam ſententiam comprobare vult Nyſſenus Orat. 2. de Reſurrect. Chriſti, conſuetudine veteris Eccleſiæ, quæ in vigilia Paſchæ, ſicut etiam ſuprà in Sabbatho Sancta diximus, vſque ad mediam noctem vigilarunt & ieiunarunt: in illo verò articulo temporis ieiunia ſoluerunt, quaſi ea ipſa hora Dominus reſurrexiſſet. Hinc quóque Euthymius, quum dixiſſet, omnes Sanctos Patres vnanimiter docuiſſe, tempus Reſurrectionis Chriſti fuiſſe circa primum gallicinium, addit: Ideò quoque poſt ſextam noctis horam virtutis Sectatores ſoluto ieiunio lætitiam auſpicantur.

D. Auguſtini verò ſententia eſt libro 4. de Trinit.cap.6.& in dialogo ad Oroſium quæſt.26. Dominum non media nocte, ſed manè diluculo in aurora reſurrexiſſe. Dicit enim quòd ab hora qua mortuus eſt Chriſtus, vſque ad diluculum Reſurrectionis ſint horæ 40. adnumerata etiam hora 9. mortis. A veſpere autem Sepulturæ vſque ad diluculum Reſurrectionis ſunt 36. horæ. Auguſtino adſtipulari videtur etiam Hilarius in cap. 28. Matth. Ignatius epiſt.2.ad Trallianos, Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 14. Ambroſius in Pſal. 45. Subſcripſerunt quóque huic ſententiæ Scholaſtici Doctores ferè omnes,& Antoninus tit.5. cap. 7. in ſpecie dicit, quòd Chriſtus decima hora noctis ſurrexerit: & probatur primò, Euangeliſtæ Marci teſtimonio, qui cap.16. ait: Surgens autem Ieſus MANE prima Sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ. Secundò, vaticiniis Prophetarum. David Pſal. 30. ait: Ad veſperum demorabitur fletus,& ad matutinum lætitia. Pſal. 57. Exurge gloria mea, exurgam diluculo. Pſal. 59. Exaltabo manè Miſericordiam tuam. Quæ omnia Auguſtinus de Reſurrectione Domini, quæ facta ſit manè diluculo, exponit. Illud etiam Ionæ vltimo, Et parauit Deus vermem aſcenſu diluculi, Auguſtinus epiſt. 49. ad Deo gratias, quæſt. vltima, de Chriſto interpretatur, qui & vermis dicatur Pſal.21.& ſit matutinus, quia diluculo reſurrexerit. Luctam etiam, quæ in aurora facta eſt ab Angelo cum Iacobo Gen.32. Reſurrectioni Chriſti applicat Euſebius Emiſſenus homil. 8. in Paſcha.

Ad

Digitized by Google

Prima ſententia refutatur.

Ad Euthymij autem rationes, quibus probare vult, Dominum media nocte reſurrexiſſe, reſpondemus, Primò: *falſum eſſe quòd dicat*, omnes Sanctos Patres aſſerere Chriſtum ſurrexiſſe circa primum gallicinium. *Nam in genere loquuntur de gallicinio, nec addunt primum ne an ſecundum fuerit: videntur tamen ſecundum potiùs, quàm primum intelligere, præſertim cùm dicat Euthymius Patres dicere, Chriſtum ſurrexiſſe in gallicinio, quod lucem Dominicæ diei præferat, nam hoc non de primo gallicinio, quod circa mediam noctem incipit, ſed de ſecundo, quod eſt in noctis vltima vigilia, intelligendum quiuis facilè videt: & proinde illud* primum *de ſuo addidit Euthymius. Secundum quóque gallicinium magis propriè & ſimpliciter, quàm primum, ſic appellatur. Sic enim Vergilius in ſuo Moreto canit:*

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitórque diem cantu prædixerat ales.

Plinius etiam lib. 10. hiſt. natur. cap. 21. de gallis gallinaceis loquens, Cum ſole, inquit, eunt cubitum, quartáque caſtrenſi vigilia ad curas, labořémque reuocant: nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere diémque venientem nunciant cantu. Accedit his omnibus Seruatoris authoritas qui Mar. 13. ait: Neſcitis quandò Dominus domus veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè: vbi manifeſtè inter tempus mediæ noctis & gallicinij diſtinguit. Secundò, *quòd Euthymius dicit, diluculum incipere poſt ſextam horam noctis, Middelburgenſis probat Par. 2. Paulinæ lib. 1. cap. 1. tempore Reſurrectionis Chriſti Hieroſolymis diluculum hora cum dimidia ferè ante ortum Solis incepiſſe. Ad conſuetudinem illam Ieiuniorum, quæ in Veteri Eccleſia multi ſtatim poſt mediam noctem ſoluerunt, reſpondetur etiam dupliciter.* Primò, *multos quoque vſque ad quartam vigiliam ieiunaſſe.* Secundò, *Ieiuniorum illorum Auguſtinus & Hieronymus non Reſurrectionem Domini, ſed duas alias cauſas afferunt, vt in die Sabbathi Sancti annotauimus.*

De Triduo Sepulturæ, ſeu Mortis Chriſti.

Quæſtio de triduo ſepulturæ.

Oritur hic alia quæſtio, quandiu Chriſtus in Sepulchro manſerit? *Reſpondet quidem Dominus in Euangelio*, tribus diebus, & tribus noctibus. *Scribis enim & Phariſæis de cælo ſignum petentibus dicit*, Signum non dabitur, niſi Signum Ionæ Prophetæ: ſicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: *Matth. 12. & Marci 8.* Oportet Filium Hominis pati multa, & reprobari à Senioribus, & à Summis Sacerdotibus, & à Scribis, & occidi, & Poſt tres dies reſurgere. *Iudæi autem hoc factum eſſe negant ex Euangelica hiſtoria: nam ſi die Veneris ad veſperam ſepultus primo Sabbathi diluculo ſurrexit, triginta ſex duntaxat horis in ſepulchro manſit, quæ tres dies & tres noctes efficere nequeunt.*

Ad hanc quæſtionem variè reſpondetur. Nonnulli pro prima nocte numerant illud ſpatium temporis trium horarum, quo tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram ab hora ſexta vſque ad horam nonam: vt refert Auguſtinus cap. 24. lib. 3. de Conſenſu Euang. & Theophylactus in cap. 28. Matth. Reiicitur autem ab Auguſtino hæc ſolutio, quòd per illam integrum triduum non habeatur. 1. *Reſponſiones ad obiectam quæſtionem.*

2. *Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrect. Domini, & Theophylactus in cap. 28. Matt. computant tempus ab inſtitutione Euchariſtiæ.* Dicitur, *inquiunt*, Chriſtus fuiſſe in corde terræ, ex quo inſtituit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Vltima Cœna, quæ fuit in veſpera poſt feriam quintam: nam cùm ipſe haberet poteſtatem ponendi animam ſuam, manifeſtum eſt, quòd tunc immolauerit ſeipſum, cum tradidit diſcipulis corpus ſuum: nemo enim quicquam edit, niſi præparatum & mactatum ſit. *Videntur autem verba Chriſti non myſticè & figuratè, ſed ſimpliciter & ſecundùm litteram intelligenda.*

Euſebius Emiſſenus in Serm. feria 4. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ (ſi tamen eius ſunt Sermones illi) numerat tempus ex quo Chriſtus in poteſtate Iudæorum fuit. Omnis enim captiuus, qui ſe mortem non euaſurum ſcit, iam ſe mortuum dicit. 3.

Beda in homilia vigiliæ Paſchæ dicit, noctem Reſurrectionis Chriſti computari debere pro duabus noctibus, & tunc tres dies & tres noctes haberi, ſynechdochicè tamen. Nam, *inquit*, ab initio Creationis mundi vſque ad Chriſti Reſurrectionem dies præceſſit noctem: in nocte autem qua reſurrexit Dominus mutatus eſt hic ordo temporum, & nox præceſſit diem. *Sed hæc ratio falſa eſt: nam à principio mundi nox apud Iudæos præceſſit diem, vt ſuo loco indicauimus, & paulò pòſt in Auguſtini ſolutione rurſum probabimus. Et hic ordo temporum in Reſurrectione Chriſti apud Chriſtianos ſic mutatus eſt, vt, contrà quàm ſentiat Beda, tunc dies præcedere inciperet noctem.* 4.

Ioannes Ferus Serm. 9. in Dominic. Paſchæ, totum illud numerat tempus quod fuit ab hora ſepulturæ vſque ad veſperam poſt diem Dominicam, quandò Diſcipuli demùm crediderunt Chriſtum ſurrexiſſe: vt licet actu non fuerit in corde terræ vſque ad veſperam, fuerit tamen quantùm ad exiſtimationem Diſcipulorum. 5.

Errore autem videtur Ferus, quòd verba Chriſti, In eodem terræ, *non vniuocè accipit, ſed partim actu, partim opinione. Adhac verba illa Chriſtus non dixerat Apoſtolis, ſed Iudæis.*

6. *Middelburgenſis igitur aliam ſolutionem affert lib. 1. de die Paſsionis Dominica cap. 1. his præſuppoſitis; Paraſceuen non ſemper ſignificare feriam ſextam hebdomada quam nos diem Veneris vocamus, ſed diem præcedentem quodcúnque Feſtum in quamcúnque feriam incidat. Deinde, Sabbathum non ſemper ſignificare diem ſeptimam hebdomada, ſed etiam alia Feſta in quamcúnque feriam incidant. Hinc infert ex Euangelica hiſtoria, Chriſtum crucifixum fuiſſe in Paraſceue Paſchæ, ſeu in vigilia Paſchæ, & reſurrexiſſe vna Sabbathorum, hoc eſt, vno dierum Paſchalium: Paſcha nánque Sabbathum vocatur, & ſeptem diebus continuis celebrabatur, & omnes hi ſeptem dies vocantur à Iudæis Sabbatha, quia in eis ab omni ſeruili opere quieſcendum. Vult igitur Middelburgenſis ex Euangeliſtis nil aliud haberi poſſe,* niſi quòd Dominus crucifixus ſit in vigilia Paſchæ, & reſurrexerit à mortuis vna Sabbathorum, hoc eſt, vno dierum Paſchalium: non ſpecificando, néque de primo, néque de ſecundo. *Sed hanc ſententiam multa refellunt. Primò, Omnes Euangeliſtæ teſtantur, Chriſtum ſurrexiſſe vna vel prima Sabbathorum Hieronymus autem aliíque Patres indicant, hac phraſi Hebraica denotari primam diem ſeptimanæ poſt Sabbathum. Reſpõdet Middelburgenſis primam Sabbathi, vel vnã Sabbathi id ſignificare quidem: in Euangelio autem non haberi,* vna Sabbathi, *ſed,* vna Sabbathorum, *quod non ſignificet primam diem ſeptimanæ, ſed vnam Feſtorum Paſchalium. Reſpondeo tripliciter: Primò, Dies Sabbathi in ſingulari, & Sabbathorum in plurali idem ſignificare, ſeptimam, ſcilicet diem, quæ Sabbathum dicitur, patet ex lib. 1. Machab. 2. cap. vbi bis Sabbathorum nomen in plurali pro ſeptima die hebdomadæ ponitur.* Inierunt prælium in die Sabbathorum. *Et,* Non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem Sabbathorum. *Non autem intelligendum de die aliquo Feſtorum Paſchalium aut Tabernaculorum ex Ioſepho intelligitur. qui hunc locum quaſi interpretans, inquit:* Quibus non accipientibus verba, conflixerunt die Sabbathorum; & ſicut erant in ſpeluncis, ibi eos atroci incendio cremauerunt, quum repugnare propter diem Sabbathorum noluiſſent, ne in malis ſuis honorem Sabbathi tranſgredi viderentur. Nam vacare in eo nobis legitimum eſt. *Item,* Matathias docuit eos & Sabbathis pugnare, dicens, vobis metipſis eritis hoſtes ſi legem obſeruare volueritis, in illo die contra vos venientibus inimicis. Et exinde manſit conſuetudo pugnandi, etiãſi tali die bella conſurgant. *Vide etiam lib. 2. Machab. 15. cap. Secundò, Euangeliſta Marcus cap. vltima manifeſtè dicit,* Ἀναςὰς πρωῒ πρώτῃ σαββάτου, *&c. quum reſurrexiſſet Ieſus manè prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, &c. Factam autem hanc apparitionem ipſo die reſurrectionis, contra quam vult Middelburgen. ex cap. 20. Ioannis clarè perſpicitur. Tertiò, apud Euangeliſtas* σαββάτων, *vocabulum hoc loco Septimanam ſignificat: nam apud Hebræos hoc nomen in plurali numero in hac ſignificatione vſurpatur, vt eſt videre Leuit. 23. v. 15. & 25. v. 8. Obiicit Middelburgenſis. non poſſe dici, primam ſeptimanarum. Reſpondeo in lingua Latina non licet ſic loqui, ſed in Hebræa. Adhæc, iuxta Middelburgenſis ſententiam, defendi non poſſet Chriſtum crucifixum fuiſſe feria 6. hoc eſt, die Veneris, & reſurrexiſſe feria prima quam in memoriam rei iam tum Apoſtolorum temporibus Dominicam appellarunt. & de qua nemo vnquã ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad hæc noſtra tempora dubitauit. Vnde Beda in lib. de Rat. temp. cap. 45. & de Rat. comp. cap. 17. inquit:* Quòd Dominus feria ſexta Crucem aſcenderit, & vna Sabbathorum, id eſt die Dominica reſurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare catholico, ne legi, quæ agnum Paſchalem decima quarta die menſis primi ad veſperam immolari præcipit, pariter & Euangelio, quod Dominum eadem veſpera tantùm à Iudæis, & manè ſexta feria crucifixum, ac ſepultum, prima Sabbathi reſurrexiſſe perhibet, videatur incredulus.

D. Auguſtini igitur ſolutio omnium optima videtur, quæ per Synechdochen dies hos & noctes computat, vt pars pro toto accipiatur. Vult enim Pater ille pro tertia nocte numerandam eſſe noctem illam quæ præceſſit diem Veneris. Vnde libro tertio de Doctrina Chriſtiana cap. trigeſimo quinto, Synechdoches mentionem faciens, Hoc modo locutionis, *inquit,* quo ſignificatur à parte totum, etiam illa de Reſurrectione Chriſti ſoluitur quæſtio. Pars enim nouiſſima dici, quo paſſus eſt, niſi pro toto die accipiatur, id eſt, adiuncta etiam nocte præterita, & nox in cuius parte vltima reſurrexit, niſi dies totus accipiatur, adiuncto ſcilicet illuſceſcente die Dominico, non poſſunt eſſe tres dies & tres noctes, quibus ſe in corde terræ prædixit futurum. *Idem lib. 3. de Conſenſu Euang repetit. Meminit etiam ſolutionis huius epiſt. 49. ad Deo gratias lib. 4. de Trinit. cap. 6. & lib. 1. quæſt. Euang. cap. 7. Hanc Auguſtini ſententiam Patres Scholaſtici & ferè recentiores Theologi omnes ſequuntur. Reiicitur quidem à nonnullis tanquam infirma, quòd pro tertia nocte numerat noctem illam quæ præceſſit diem Veneris, noctem enim illam ad diem ſequentem Paraſceues non pertinuiſſe: nam ab* 7.

initio

initio mundi vſque ad reſurrectionem Domini diem inchoaſſe ab ortu Solis, & finiſſe in fine noctis ſequentis: diémque artificialem præceſſiſſe & noctem ſequutam ad ſignificandum, quòd homo à luce gratiæ caſurus eſſet in noctem culpæ: Beda in homil. vigilia Paſchæ. Antaninus tit.5. cap.7.& alij. Sed hæc manifeſtè falſa ſunt. Nam contrà ab initio mundi dies naturales non (vt nunc fit) ab ortu Solis, ad alium ortum, ſed à veſpera ad veſperam, ſeu ab vno occaſu Solis ad alium Iudæi computarunt. Priores enim extiterunt tenebræ: & Deus iuſſit lucem de tenebris ſplendeſcere, vt ait Paulus. Moſes etiam ordine illo creationem exprimit, vt dicat: Factum eſt veſpere & mane dies vnus: idque ſexies iterauit. Hinc factum eſt, vt etiam Sabbathi ſanctificatio à veſpere præcedentis diei iuxta legem inchoanda fuerit. Sic enim præcipitur Leuit. 23. A veſpera vſque ad veſperam quieſcetis in Sabbatho veſtro. Incipiebat autem veſpera, vt docent Iudæi à ſexta hora poſt meridiem, quia primus occaſus Solis in hanc incidit, ſi ab æquinoctio Iudæorum more annum numerare incipias. Et habet hæc ſolutio nullam prorsùs difficultatem. Si enim Poëtis & Oratoribus mucrone pro gladio, tecto pro tota domo vti licuit, cur non Filio Dei pari ratione parte diei artificialis pro tota die naturali vti licuiſſet?

Controuerſia Primitiuæ Eccleſiæ de Die Paſchali.

Apoſtoli ab initio obſeruarunt Paſcha cum Iudæis.

APoſtoli poſt mortem & reſurrectionem Domini obſeruarunt Paſcha vnà cum Iudæis, cum quibus luna decima quarta, quacunque feria accidiſſet, Agnum Paſchalem comederunt: ſicut etiam Sabbathum, neomenias & reliqua ceremonialia cum Iudæis ab initio obſeruarunt, vt Iudæos lucrifacerent, & ad fidem Chriſti paulatim allicerent. Vnde Paulus 1.Cor.9. inquit: Quum liber eſſem ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt plures lucrifaciam. Factus ſum Iudæis vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: iis qui ſub lege ſunt, vt ſi eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege ſunt, lucrifaciam. Imò non ſolùm Iudæos, ſed aliquos ex gentibus quóque circumcidi ab initio voluerunt. Sic enim Paulus Timotheum ex patre Ethnico natum circumcidit: & comam, quam ex voto nutrierat, totondit ex lege, Nazaræorum more: & in hanc ſententiam plura alia de Apoſtolis leguntur, Act.21.& 22.cap.

Apoſtoli legalia impugnarunt.

Creſcente verò Fidelium numero, & corroborata iam Chriſti fide, docuerunt Apoſtoli, non ampliùs obſeruanda eſſe legalia, ſed per aduentum Chriſti, qui vera eſt mundi lux & iubar, vmbras iſtas ceſſare debere, præſertim quum viderent falſos fratres ex Iudæis, obſeruationem legis, tanquam neceſſariam ad ſalutem, poſtulare. Hac occaſione Feſtorum quoque, neomeniarum ac Sabbathorum obſeruationes iudaicæ abrogatæ & immutatæ ſunt. Ac cœperunt quidem Apoſtolorum alij, ex quorum numero eſt Ioannes & Philippus Euangeliſta, in Orientis partibus Paſcha in memoriam Cœnæ Dominicæ celebrare; ſed tamen more Iudæorum decima quarta die lunæ: id quod Polycarpum vidiſſe teſtatur Irenæus ad Victorem Rom Epiſcopum, vt eſt apud Euſebium lib 5. cap. 26. Hos multi alij ſequuti ſunt viri pietate & doctrina præſtantes, quos recenſet Polycrates Aſiæ Epiſcopus in epiſt. ad Victorem, apud Euſebium lib eodem cap.24.

Nonnulli Apoſtoli mutant tempus Paſcha.

Alios autem Apoſtolos, Petrum & Paulum præcipuè, in Diem Dominicum, proximum poſt plenilunium primi menſis, propter Reſurrectionis Dominicæ memoriam, Paſcha reieciſſe, epiſtola Theophili Cæſarienſis apud Bedam lib. de Rat. temp. cap.45. teſtatur, in qua ſcribit. Gallos in principio Eccleſiæ ſemper Paſcha celebraſſe 25. Martij quòd putarent Chriſtum eo die reſurrexiſſe. Cappadocès autem nonnulli, eodem die celebrarunt, ſed propter aliam cauſam nimirum, quòd Chriſtum eo die paſſum fuiſſe & ipſo die Paſſionis agendum Paſcha crederent, vt refert Epiphanius hæreſi 50.

Diuerſitas primitiuæ Eccleſiæ in celebratione Paſchæ diu non fuit obſeruata.

Hæc verò diuerſitas diu non eſt obſeruata, nedum à quoquam reprahenſa. Neque etiam inuenies Apoſtolos, & qui eos proximè ſequuti ſunt, vel de Paſchate, vel de aliis Feſtiuitatibus legem aliquam conſtituiſſe, qua nimirum tempore, quoue die aut menſe illa celebranda, ſed ſaluam & integram omnibus reliquerunt libertatem illam Fidelium in huiuſmodi adiaphoris, de qua Paulus loquitur Coloſſ. 2. Hoc Socrates hiſtoria eccleſiaſt. lib. 5. cap. 22. de diuerſa Paſchatis, aliorúmque rituum obſeruatione prolixè diſputans, clarè teſtatur. Vnde ſimul intelligitur, quantum huic conſtitutioni tribuendum ſit, quæ lib.5. cap.18. Clementis, ſub Apoſtolorum nomine extat. Sic enim legitur ibi: Oportet dies Paſchæ celebrare poſt æquinoctium, cauentes, ne cum Iudæis Feſtum agamus: quod ne fiat, obſeruate ſubtiliter æquinoctium verni temporis, quod eſt vigeſima ſecunda menſis duodecimi, qui dicitur Diſtrus, obſeruantes vſque ad vigeſimum primæ lunæ; ne in aliam hebdomadam incidat quartus decimus lunæ, &c. Hæc cum Socratis & Nicephori teſtimoniis non congruunt, qui indicant, Apoſtolos de feriis legem nullam dediſſe. Hinc Bouius Epiſcopus Oſtunenſis in Scholiis ad Conſtitut. Apoſt. inquit: Hoc totum caput delendum, vt nothum ac nouum. Quod luce clariùs perſpici poteſt ex ea Epiphanij diſputatione, qua vtitur aduerſus Audianos, imitantes in Paſchæ obſeruatione Iudæorum conſuetudinem. Ipſa etiam conſtitutio ſe prodit, & tantùm non vocem emittens

tens

rens clamat, ſe nouam eſſe. Ait enim æquinoctium fieri die 22. menſis *Diſtri*, hoc eſt, Martij. Perſpicuum eſt autem, Chriſti tempore æquinoctium fuiſſe 25. Martij: tempore verò Anatolij Laodiceni Epiſcopi, qui vixit Probo Imperante, anno Domini 280. æquinoctij tempus retroceſſerat tribus diebus, Sólque Arietem ingrediens, faciebat æquinoctium vernum 11. Calend. April. hoc eſt, 22. Martij, quod narrat Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccleſiaſt. Quare noua eſt conſtitutio, fortaſſe edita poſt Concilium Nicænum, in quo Paſchæ obſeruatio ad eam rationem redacta fuit, vt poſt æquinoctium vernum 14. luna obſeruaretur, & die Dominica, quæ poſt plenilunium prima eſſet, Paſcha celebraretur.

Pius I. Paſcha die Dominica celebrandum lege ſanxit.

Durauit hæc Libertas vſque ad Pium Romanum Epiſcopum, *qui circa annos Domini* 147. *claruit. Is, vt legitur epiſtola eius decretali* 1. *primus lege edixit*, vt Paſcha Dominica die celebraretur ab omnibus. *Vt autem decerneret hoc, permotum eum aiunt Hermetis cuiuſdam viſione, cui apparuit Angelus in Paſtorali habitu, eique præcepit, vt Paſcha die Dominica poſt lunam decimam quartam obſeruaretur. Habetur etiam de Conſec. diſt. 3. c. Noſſe. & refertur à Martino Polono ac Durando in Ration. lib. 6. cap. 86.*

Aſiatici Pij decretum non curarunt.

Non tamen Aſiatici Doctores hanc Pij conſtitutionem multùm curarunt, ſed ſemel receptam conſuetudinem retinuerunt: fuitque hæc res leniter & amicè ab initio inter vtramque partem agitata. Quemadmodum verò ex paruis ſcintillis ſæpè maxima oriuntur incendia, ita hîc quóque factum eſt. Cùm enim Succeſſor Pij Anicetus decretum Anteceſſoris inſolentiùs contra Orientales vrgeret, venit vnicam hanc ob cauſam Romam Polycarpus, Ioannis Apoſtoli Diſcipulus, ad componendum hoc diſſidium. Cùm verò is ea de re non conueniret, neuter alterum condemnauit & conſtitutum eſt, vt quiſque de Paſchate ſuum morem ſeruaret, ea tamen lege, ne propter diſſimilitudinem in ceremonia illa de obſeruatione Paſchatis concordia Eccleſiæ rumperetur. Quia non oporteret, propter ceremoniarum obſeruantiam, rumpere fidei conſonantiam. *Hæc ferè Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt & Nicephorus lib. 12. cap. 33.*

Certamen de Paſchate

Poſt paucos annos imperantibus Marco Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo facta perſequutione Eccleſiæ ſub Sergio Proconſule Aſiæ, in qua Polycarpus & Sagaris Epiſcopi, vnà cum duodecim Diſcipulis, qui Laodicea Polycarpum ſequuti erant, Martyrio coronati ſunt, rurſum mota eſt hæc quæſtio, dicentibus Laodicenſibus, & aliis, Paſcha celebrandum eſſe ſecundùm traditionem Polycarpi, quam à Ioanne Euangeliſta didicerit: Eleutherius autem reſtitit & contradixit eis, Pijque Pontificis ſententiam confirmauit. Cùm verò contentio hæc diutiùs duraret, Melito Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui propter Regnum Dei eunuchum ſe fecerat, defenſurus Aſiaticarum ſententiam, duobus libris Paſchæ rationem conſcripſit, & docuit, Paſcha celebrandum eſſe quartadecima luna ſecundùm Ioannis Apoſtoli traditionem. Horum ſcriptis prouocatus & incitatus Clemens Alexandrinus & Origenis Præceptor Paſchalis ſolennitatis canonem edidit, rogatus à Fratribus, vt ea quæ à Succeſſoribus Apoſtolorum viua voce acceſſiſſet, memoriæ commendaret, & iuxta Rom. Pontificum traditionem Paſcha die Dominica celebrandum eſſe docuit.

Circa annum verò 200. Imperante Seuero Pertinace maioribus & pertinacioribus ſtudiis ab vtriúſque partis hominibus hæc controuerſia agitata eſt. Victor enim Rom. Epiſc. quadam Synodo Romæ habita ſanciuerat, vt Paſcha die Dominica, à 14. die Martij vſque ad 21. eiuſdem menſis celebraretur. *Hoc decretum ad diuerſos orbis Epiſcopos mittit, petens ne à Romana Eccleſia diuerſum ſentiant. Habiti igitur ſunt de hoc negotio diuerſi Epiſcoporum conuentus in Cæſarea Palæſtinæ, in Gallia, Ponto, Achaia & apud Oſrœnam. Decretum harum Synodorum omnium fuit commune, nullo vnquam alio die quàm Dominico, iuxta morem & conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, Paſcha celebrandum, eiúſque ieiunia ſolennia ſoluenda eſſe: vt refert Euſeb lib. 5. cap. 23. & Niceph lib. 12. c. 33. In Aſia verò alterius partis conuentus facti ſunt, qui & decreuerunt & reſcripſerunt Victori ſe nolle à veteri conſuetudine, obſeruata inde vſque à Ioanne, Philippo Polycarpo, aliiſq́; Sanctiſſimis viris, ad vnius imperium & minas diſcedere: vt apparet ex Polycratis, præcipui inter Aſiaticos Epiſcopi, epiſtola, cuius fragmentum extat apud Euſebium lib 5. cap. 24. & 25. & Nicephorum lib 4. cap. 37 Furore igitur & ira accenſus Victor & authoritate ſuperiorum Epiſcoporum ac Synodorum munitus, totius Aſiæ Epiſcopos excommunicauit, & ab Eccleſiæ vnitate excluſit: Euſebio teſte lib 5. cap. 25. & Nicephoro lib. 4. cap. 38. Et fuit hic primus Epiſcopus in quo myſterium iniquitatis manifeſtè agere cœpit. Diſplicuit hic præceps furor plurimis Epiſcopis, aliiſq́; viris bonis & piis qui hortabantur eum, vt quæ pacis, vnitatis & dilectionis eſſent potiùs ageret & ſentiret, Euſebio & Nicephoro iiſdem locis teſtibus. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus imprimis, qui Polycarpi Diſcipulus fuit, etſi cum Occidentalibus Eccleſiis ſentiret, Paſcha non cum Iudæis, ſed more Eccleſiæ Roman. die Dominico celebrandum, Victorem tamen acriùs reprehendit & obiurgauit, quòd tot tamque præclaras Eccleſias Dei à fidei vnitate reſcidiſſet, eò quòd morem ſibi antiquitùs traditum, & ab Apoſtolis acceptum,*

Digitized by Google

n: cepinm, cuſtodirent: vide verba eius apud Euſebium libro quinta, capite vigeſimo ſexta, & Nicephorum libra 4. capite 39. Atque hoc modo res & controuerſia hac pantùm ſedota fuit per Irenaum, & alios pacis amantes viros, hac conditione, vt qualibet pars ſuam retineret ſententiam. Euſebius & Sozomenus libro 7. capite 19.

Cȝ tamen de Paſchate ron u... tum.

Sed non diu hac concordia darauit. Nam circa annum Domini 318. maximo denuò arta eſt contentio inter vtramq́; portem: quam quum moleſtè ferret Religioſiſſimus Imperator Conſtantinus, od concordiam & fidei vnitatem omnes hortatus eſt: & ſperans hoc malum praeoccupari poſſe antequam latius diffunderetur, Aſiaticos primùm monuit, ne cum Iudaeis Parricidis, & Iugulatoribus Domini noſtri aliqua ipſis intercedat communio. Theodoretus lib. 1. cap. 10. Verùm Aſiatici literis Imperatoris non obtemperantes in opiatone ſua pertinaciùs perſtiterunt, aſſerentes modum obſeruationis Paſcha à Ioanne Apoſtola traditum nequaquam eſſe deſerendum. Néque ſe Iudaeorum Paſcha, & veteris legis vmbram ſeruare, ſed Paſcha nouum à Chriſto Seruatore inſtitutum, cuſtodire. Conſtantinus verò grauiſſimè ferens Eccleſia diuiſionem, miſit ad eos Oſium, Celeberrimum Hiſpaniarum Epiſcopum, vt diſſidentes conciliaret. Sed quum re infecta Oſius rediiſſet, & Synodi indicenda neceſſitatem Arij veſania Imperatori impoſuiſſet, euenit, vt in Concilio M. Nicaa congregata, ſecundo loco diſſimilitudo & cantrouerſia de Paſchate propoſita, atque etiam ad aqualitatem reducta fuerit. In ea nanque perpetuo decreto conſtitutum fuit, vt die Dominico Paſchæ Feſtiuitas in omnibus omnium vbique terrarum Eccleſiis celebraretur. Extat eadere exemplum epiſtola prolixa Conſtantini, quam ad omnes Eccleſias & Prouincias miſit, apud Socratem lib. 1. cap. 9. & Theodoretum lib. 1. cap. 10. Atque hoc decretum confirmatum fuit in Synodo Arelatenſi 1. cap. 1. & Antiochena, circa annum 344. cap. 1. & in hodiernum diem obſeruatur in Eccleſia.

Ratio inueniendi diem Paſchalem.

Ad inueniendum autem diem Paſcha Concilium Nicanum conſtituit, primò, vt Paſcha ſemper celebraretur poſt diem 21. Martij: nam illa tempore Æquinoctium vernole hoc die fuit, & Paſcha poſt aquinoctium celebrari debet. Secundò, vt poſt diem 20. Martij expectaretur luna 14. & poſt eam diem quareretur Paſcha. Nam Paſcha celebrari debet à luna 15. vſque ad 21. incluſiuè. Et ad inueniendam lunam, aurei numeri Cyclum compoſuerunt. Vbicúnque enim in Calendaria (vt vocant) aureus numerus inuenitur illius anni, ibi eſt Nouilunium. Tertiò, vt poſt lunam 14. occurrentem, poſt viceſimam diem Martij, expectaretur dies Dominica, & illa eſt Paſcha. Iſta verò regula, vt tunc temporis fuerunt optima, ita hodie fallunt, quando aquinoctium non eſt 21. die Martij fixum, ſed ſemper anticipat: nunc enim eſt 10. Martij. Vſu quóque compertum eſt aureum numerum antiquum non amplius fideliter Nouilunium indicare. Cúmque Ambroſij tempore, nata eſſet difficultas quadam, & ignoraretur, quanam eſſet vera dies Paſcha ſecundùm Nicanum Concilium vndique miſſa ſunt litera Epiſcoporum vltrò citróque, & extat Ambroſij prolixa epiſtola 83. hac de re. Deinde cumcirca annos 400. ſimilis difficultas orta fuiſſet, Innocentius 1. ita ſcripſit ad Aurelium Carthaginenſem: Quum in futuro anno ante diem 11. Cal. April. penè luna 16. colligatur: itémque quum in ante diem quatrum Calend. memorararum veniat 23. exiſtimaui 11. Calend. earundem die, Feſta Paſchalia celebranda: quoniam in vigeſima terria luna, nullum Paſcha vnquam factum eſſe cognoſcimus, &c. Monet quóque Aurelium, vt ipſe etiam, coacto ſynodo, quaſtionem illam diſcuteret, & ad ſe ſcriberet Concilij ſententiam. Rurſum tempore Leonis, quum eadem orta eſſet difficultas, ſcripſit de ea Leo Papa ad Imp. Martianum in hanc ſententiam epiſt. 62. Ab vndecimo Calendarum April. vſque in 10. Cal. Maiarum legitimum ſpatium celebrandi Paſcha ſit præfinitum. Intra quod omnium varietatum neceſſitas concludatur, vt Paſcha Dominicum, nec prius poſſimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum & in nonum Calend. Maiarum videtur nonnunquam perueniſſe Feſtiuitas, quadam ratione defenditur. Quia etſi dies Reſurrectionis vltra terminum videtur exiſſe, dies tamen Paſſionis, limitem poſitum non viderur egreſſus. Ad octauum autem Calendarum Ma. Paſchalem obſeruantiam perducere, nimis inſolens, & aperta tranſgreſſio eſt. Hac Leo Conſtat autem anno 1546 incidiſſe Paſcha in 7. Calend. Maij, vt etiam teſtatur Surius Monachus in marginalibus annotationibus ad epiſt. 62. Leonis. Eadem ſcripſit Leo ad Eudoxiam Auguſtam, ad Epiſcopos Gallia & Hiſpania, & alios, vt eſt videre epiſtola 63. 64. 65. & 95. Africani quoque Epiſcopi, ne in ſuis Eccleſiis hac in re varietas aliqua accidere poſſet, in Carthaginenſi Concilio 3. anno 399. habito, decreuerunt, vt propter errorem omnes Epiſcopi obſeruationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi accipiant. Similiter in Carthaginen. Synodo 5. anno 420. ca. 7. pracipitur, diem Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus eſſe ſignificandum: de Conſec. diſt. 3. placuit. Et in Concilio Bracarenſi 2. anno 610. ca. 9. iniungitur Metropolitanis, vt ex diligenti collatione aliorum ante tres menſes Epiphaniorum indagent tempus Paſchatis, & deinde ſuis comprouincialibus indicent, & vno tempore celebrandum annuncient.

Digitized by Google

annuntient. *Idem ſtatuitur in Concilio Toletano 4. ca. 4. annò Domini 639. Et diu ante in Concilio Aurelianenſi 4. circa Pelagij I. tempora, cap. 1.*

Certamen de Paſchate nondum ſopitum.

Nihilominus tamen hinc inde alterius partis manſerunt reliquiæ, & Teſſareſcæ decatitæ, *Latinè* Quartodecimani *appellati ſunt: Nicephorus lib. 4. cap. 39. Fuerunt enim in Lydia ſub Arcadio, vt actiones Concilij 1. Epheſini oſtendunt. Fuiſſe & Ioanni Conſtantinopolitano Epiſcopo iiſdem temporibus cum Quartodecimanis certamina Socrates tradit lib. 6. cap. 11. Idem etiam teſtatur li. 7. c. 29. de Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo, quòd per Aſiam, Lydiam, & Cariam Quartodecimanis multa mala intulerit. Sed & Philaſtrius qui floruit circa annos Chriſti 380. Trithemio teſte, in hereſeon Catalogo refert, huius conſuetudinis aſſeclas in Galatia Syria, Phrygia & Hieroſolymis ſua adhuc ætate multos fuiſſe. Celebrata quóque eſt Synodus apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ, authore Theodoſio Epiſcopo anno 368. in cuius ca. 7. tanquam heretici excommunicantur Quartodecimani, nec prius recipi præcipitur, quàm omnem condemnent hæreſim. Obſerua quouſque proceſſerit hæc contentio. Circa annum quóque 370. temporis opportunitatem nacti, per Martianum Nouatianum Valentis Imperatoris amicum, Synodo Epiſcoporum in Pazeno Bithyniæ vico conuocata, Paſchalis ſolennitatis rationem à B. Ioanne Apoſtolo ipſis traditam, minimè immutandam eſſe decernentes, regulam de Paſcha obſeruatione tradiderunt, vt luna decimaquarta, quacunque feria accidiſſet, Paſchalis obſeruaretur ſolennitas. Poſt aliquot annos Martiano iſto Nouationorum iam facto Epiſcopo, Sabbatius quidam, ex Iudæo Chriſtianus factus, vnà cum Macario & Theoctiſto canonem feſtiuitatis Paſchalis ſub Valente Imp. in Pazeno conſtitutum, defendere conati ſunt. Martianus itáque ſynodum in Sangario Bithyniæ conuocauit, in qua Sabbatius cauſas diſſenſionis propoſuit, & omnium Epiſcoporum conſenſu, decretum editum fuit, quod appellarunt* Ἀδιάφορον, *quia in eo ſtatuerunt,* liberum cuique eſſe debere, agere *Paſcha* quandò velit, ne propter opinionum contrarietatem, & Eccleſiarum diſcrepantiam, fidei vnitas diſſolueretur. *Socrates libro quinto, capite vigeſimo primo, & in Tripart. hiſt. libro 9. cap. 37. & Nicephorus libro 12. cap. 31.*

Britanni quóque & Scoti apud Bedam lib. 3. hiſtoriæ cap. 25. & lib. 5. cap. 22. Paſcha celebrabant primo Dominico poſt lunam decimam tertiam Martij, ita vt aliquandò ipſa 14. luna Paſcha celebrarent. Ac licet in hoc néque Iudæis, néque Chriſtianis conſentirent: nam Iudæis primus dies ſolennis erat luna 15. ſed incipiebant Feſtum à veſpera præcedente, id eſt, luna 14. ad veſperam, iſtis autem primus dies ſolennis erat decimusquartus, & cùm etiam ipſi inciperent à primis veſperis, neceſſariò incipiebant luna 13. nihilominus tamen ex imperitia exiſtimabant ita S. Ioannem celebrare ſolitum. Hoc igitur Auguſtinus, Benedictini Ordinis Monachus à Gregorio Papa anno Domini 597. cum cohorte militum Gallorum & Italorum in Britanniam miſſus, vt eam Romano Pontifici lucretur, & eius quæſtuoſæ ac ſuperſtitioſæ iuriſdictioni ſubiiciat, reprahendit, ac conuocato Synodo inter alia etiam poſtulauit, vt Paſcha eodem tempore quo Romani celebrarent. Sed tunc conatus eius irritus fuit, Britannis aliquandiu Aſianas & Græcas ceremonias retinentibus. Auguſtinus igitur atrox bellum concitauit, & libertatem ſuam Eccleſiaſticam defendentes atrociter perſequutus eſt. Poſt aliquot annos Honorius Papa ſuos vultures in Anglia literis iuuat, & Scotos, vt in Paſchatis obſeruatione errantes, redarguit: idem etiam Ioannes 4. facit. Regino lib. 1. Facta ſunt hæc circa annum 627. iuxta Bedam, qui tum temporis errorem hunc exortum dicit. Moti ſunt igitur his literis ad terriculamentis Pontificum Rom. Scoti in Auſtralibus Hyberniæ partibus, vt Romano more Paſcha obſeruarent: Septentrionales verò, & vniuerſi Pictones, in veteri conſuetudine perſeuerarunt. Beda libro 3. cap. 3. Cùm igitur controuerſia hæc inter partes componi nequaquam poſſet, ſed acerbiùs validiúsq; ſubindè agitaretur, adeò vt ipſam etiam Regiam infeſtaret: (nam cùm Rex Oſuuinus cum ſuis Scotorum more Paſchalis Feſtum celebraret, Regina Cantuarios ſuos ſequens, adhuc in Ieiunio perſiſteret, ſicque bis ageretur Paſcha in vno anno) Rex, vt huic malo occurreret, Synodum indixit, in qua duo potiſſimùm viri Colmannus Lindisfarnenſis Epiſcopus, & Vuilfridus Abbas pro vtraque parte non ſine contentione diſputarunt. Scoti affirmabant ſe conſuetudinem ſuam à Ioanne Apoſtolo per ſuos Maiores accepiſſe. Pontificij è contrà Petrum ſui moris authorem faciebant. Ac multis quidem vltrò citróque allatis, tandem ab Oſuuino Rege concluſum eſt, ſe partes Petri potiores & meliores iudicare, ne ſibi aliquando ad cœlum venienti offenſus fores clauderet. Sicque repudiata Scotorum conſuetudine, Romano more apud Northanymbros Paſcha celebrari cœpit. Sed Colmannus cum ſuis aſſentiri noluit, & potius Epiſcopatu ceſſit: congeſſit etiam ex Antiquorum ſententiis & dictis librum contra ceremoniales Romaniſtas pro ſociis Quartodecimanis, Balæo teſte. Facta ſunt hæc anno 664. Beda lib. 3. cap. 25. & 26. & Sigebertus in Chronico. Circa annos Chriſti 700. Naitanus etiam Pictorum Rex in Pontificiorum conceſſit ſententiam & in conſeſſu Doctorum & Procerum decretum facit de Paſchate ſecundùm Romanam conſuetudinem celebrando, Beda lib. 5. cap. 22. Non multo poſt quóque Huenſes Monachi, ab Egberto inſtituti, ſub

Abbate

Google

Abbate Dunmchado, onno Domini 728. Romona more Paſcha celebrare incipiunt, Beda lib. 5. cap. 23. Britones verò Paſcho Romanum & alias ceremonias Pontificias reſpuerunt, & impugnarunt, Beda lib. 5. cap. 24.

Inter hos ipſos etiam, qui Paſcha iuxta Niceni Concilij decretum obſeruarunt, diſcordia & diſſenſiones exortæ ſunt: quod in quartadecima luna perſcrutatione, & primi menſis terminatione ſæpenumero variarent, propter varietatem Calendarij, & Cyclorum, quibus pro quarta decima luna indaganda vtebantur. Alexandrini enim qui Nicenæ Synodo interfuerunt, nouum cyclum lunarem, quem decennoualem vocant, Calendario ſuo coaptantes, à 4. Cal. Sept. principium eius ſtatuerunt, & à primo onno poſt Nicenam Synodum eum inchoarunt. Latini verò, iuxta conſuetudinem ſuam, quam ab Hebræis acceperant, à lunatione autumnalis æquinoctij hunc Cyclum deduxerunt. Ex hac Cyclorum & Calendarij diuerſitate, multæ inter Græcos & Latinos contentiones ortæ ſunt, ex quibus etiam aliæ controuerſiæ indies pullularunt, tum de primi menſis exordio, quem Alexandrini & Græci ab 8. Id Martij, ſed Latini à 3. Non. Martij auſpicandum duxerunt: tum de terminis Paſchæ, ſiue limitibus conſtituendis, quos Græci od dies 35. extenderunt: Latini autem ad 30. duntaxat dies limitandos putarunt, ne Paſcha primi menſis terminos excedat, & abominoſum Paſcha in ſecundo menſe fiat: tum etiam de embolismis collocandis potiſſimùm in anno octauo, & decimo nono Cycli Decemnoualis. Poſt multas contentiones Eccleſia Romana tandem approbauit doctrinam Alexandrinorum, & recepit Canones per Theophilum Alexandrinum editos, iuxta declarationem Dionyſij Abbatis Romani, qui circa annum Domini 532. Victorini & Latinorum de Paſcha celebratione ſcripta confutans, Alexandrinorum doctrinam in vſum reuocauit, cyclúmque Decemnoualem Paſchalem Theophili Romano Calendario inſcripſit, nulla in eo mutatione facta, niſi quantùm ſupputationis ratio expoſtulabat, propter diuerſa Calendariorum principia: quamobrem neceſſe fuit mutare denominationes numerorum à 4. Cal. Sept. vſque ad principium Ianuarij.

Ritus celebrandi Paſchalem diem.

Cœnam Domini loco Paſchæ celebrarunt in primitiua Eccleſia.

Celebrabatur Paſcha in veteri Teſtamento non tantùm propter memoriam liberationis ex Ægypto, aliorúmque beneficiorum, quæ Deus populo ſao olim præſtiterat: ſed inprimis, quia typus erat Meſsiæ, qui ſuo ſanguine genus humanum à captiuitate & tyrannide Peccati, Mortis, Diaboli & Inferni liberare debebat. Quo etiam Ioonnes Boptiſta reſpexit, inquiens: Hic eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Abrogauit autem Chriſtus hanc ceremoniam non ſolùm inſtitutione Cœnæ Dominicæ, in qua Corpus & ſanguinem ſuum comedendum & bibendum propinat, ſed etiam profuſione ſui ſanguinis in ara Crucis. Ideóque poſt Chriſti Reſurrectionem credentes non ampliùs Iudaico ritu Paſchalem Agnum mactarunt & comederunt, ſed eius loco Cœnam Dominicam celebrarunt in publicis congreſsibus, in quibus etiam Reſurrectionis memoriam decantarunt, & ieiunia præcedentis hebdomadæ ſoluerunt. Fuit hic ſimplex ritus Primitiuæ Eccleſiæ in celebratione diei Paſchalis: cuius etiam meminit Athanaſius in epiſtola ad Dracontium, vbi indicat, in Africanis Eccleſiis hoc ritu ſuo tempore celebratum eſſe Paſcha, vt primò conciones de Reſurrectione Domini ad cœtus collectos habitæ ſint, poſteà verò ad epulas populus conſederit, inſpiciente & præcipiente Epiſcopo, vt religiosè & ritè epularentur. Et in Aurelianenſi 1. ſynodo ca. 27. ſancitur, vt nulli ciuium Paſchæ, ſicut Natalis Domini & Quadrageſimæ ſolennia, in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas impediat. De Conſec diſt. 3. Nulli ciuium.

Superſtitiones quæ hoc die introductæ.

Progreſſu verò temporis varij abuſus & ſuperſtitiones acceſſerunt. Innocentius III. enim anno 1215. in Concilio Lateranenſi M. decreuit, vt omnes Fideles vtriúſque ſexus in anno ſemel ſaltem, nempe in Paſchate, Euchariſtiæ Sacramentum percipiant: ca. 21. Et hinc eſt, quòd in Papatu vulgus in Paſchate tantùm communicat. Hac autem de re nihil vel Chriſtus vel Apoſtoli definierunt, ſed liberum reliquerunt in cuiúſque Eccleſiæ arbitrio. Nam Chriſtus, Paulò authore 1. Corinth. cap. vndecimo dixit. Hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei commemorationem. Ipſe quoque Paulus eodem loco ait, Quotieſcúnque comederitis Panem hunc, & de Poculo hoc biberitis, Mortem Domini annunciabitis. Hinc legimus nonnullos in Primitiua Eccleſia ſingulis diebus, alios die tantùm Dominica per totum annum, plures in celebrioribus Feſtis communicaſſe. Et manifeſtè Agathenſis Synodus diu ante Innocentium decreuit, vt Laici, qui Feſto Paſchæ, Pentecoſtes & Natiuitatis Domini non communicaſſent, in numero Fidelium non haberentur.

Romæ quoque hac die fit Statio apud S. Mariam Maiorem. Hoc inde ſumpſit originem, quòd cùm Gregorius I. Papa hac die ibi celebraret Miſſam, &, Pax Domini, pronunciaret, Angelus alta voce reſpondit, Et cum Spiritu tuo: in huius rei memoriam Statio ea die fit dicto loco. Propterea etiam cũ Papa hac die ibi

I Miſſam

Miſſam celebrat, & dicit, Pax Domini, nihil ei reſpondetur. Ita quidem nugatur Durandus in Ration. lib. 6. cap. 88. Ergò ante Gregorium annos plus minus 590. à nato Chriſto hæc ceremonia nuſquam fuit.

3. Proceſſionum origo in Dominicis. Ante Miſſam etiam huius diei fit Proceſſio, eò quòd Angeli dixerunt Mulieribus, Ite, dicite Diſcipulis, quòd præcedat vos in Galilæam. Similiter etiam Dominus, Nunciate Fratribus meis, vt eant in Galilæam. Ab hac Proceſſione omnes Dominicales Proceſſiones per annum originem ſuam habent. In ea præcedunt luminaria, cruces & vexilla: ſequuntur Sacerdotes albis induti veſtibus: & nihil ex Veteri, ſed Nouo tantùm Teſtamento cantatur. Poſt Proceſſionem ſequitur Miſſa, & tres cerei ante altare ardere conſueuerunt, ad Trinitatem ſignificandam, vt ibidem Durandus refert.

4 In die quóque Paſchali nihil comedendum arbitrantur Papiſtæ, quod à Sacerdote non ſit prius benedictum. Vndè in quibuſdam locis quæcúnque comedi debent ad Eccleſiam portantur, & in atrio aut veſtibulo Eccleſiæ cum cruce & aqua benedicta, & in veſtibus ſacris à Sacerdote benedicuntur, & ipſe de ſingulis aliquid ad ſuam neceſſitatem accipit. Beleth in Rationali cap. 118. Et multi hos benedictos cibos tanquam ad ſalutem animarum vtiles emunt: quod tamen prohibitum fuit in Laodicena 1. ſynodo, ca. 14.

5. In quibuſdam etiam locis hac die, ſicut & in Natali Chriſti Epiſcopi aliíque Præſules cum ſuis Clericis aleis ludunt vel etiam pila, interdum etiam ad choreas & cantus deueniunt, vt refert Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. & Beleth ca. 120. Faciunt hoc ad Ethnicorum imitationem, apud quos certo tempore anni ſerui eum dominis eadem poteſtate fruebantur. Exempla aliquot Græcorum ab Athenæo recitantur lib. 4. Dipnoſoph. Apud Romanos quóque Saturnaliorum diebus moris fuit, vt domini famulos ſuos conuiuio exciperent, ipsíque ſeruorum officio fungerentur. Reprahendit autem Athenæus libro 6. hunc morem & conſuetudinem, minimèque vult (vt etiam Plato lib. 6. de Legibus) dominos cum ſeruis & ancillis ſuis iocari atque nugari, ne & illis parendi ſeruiendique & ſibi imperandi conditionem difficiliorem reddant. Quantò minus hos Chriſtianorum Epiſcopos & Antiſtites decet, præſertim in Paſchate & Natali Domini, quandò maximarum rerum memoria celebratur?

6 Quidam Hyberniæ populi arbitrati ſunt, obſequium ſe præſtare Deo, ſi per anni circulum furto & rapina congererēt, quæ in Paſchali ſolennitate profuſiſſimis, tanquam ad honorem reſurgentis Domini, abſumerent conuiuiis: fuitque inter eos vrgens concertatio, ne fortè quis ab alio immoderatiſſimis ferculorum præparationibus vinceretur, vt referunt Magdeburgenſes Cent. 12. ca. 6.

Conſtantinopoli quóque in die Paſchali Taraſius Archiepiſcopus finita communione, ſacris indutus veſtibus, ad Baſilicæ Veteris locum, qui dicebatur Eſtia, exibat, & egentibus parabat conuiuium, eiſque diſcumbentibus miniſtrabat, & vinum infundebat ac diſtribuebat, vt refert Ignatius in vita eius apud Metaphraſtem. 7.

De Riſu Paſchali.

AB iis verò lætitiæ ſignis, quæ in memoriam Reſurrectionis Dominicæ in die Paſchali edebantur, ſine dubio conſuetudo illa in plurimis Pontificiis Eccleſiis originem ſumpſit, qua in ipſa Sacroſancto die Paſchæ inter concionandum, ad recreandum auditorum animos & riſum excitandum, quum nulla vnquam tempore nos magis oporteret eſſe ſerios, profana & ludicra proferuntur fabella ab ipſis Sacerdotibus, haud aliter quàm à ſcenicis Hiſtrionibus & Circulatoribus. De qua conſuetudine Oecolampadius in Epiſtola ad Capitonem de Riſu Paſchali, Hunc morem, ait, tanquam ſacrum cuſtoditurus frater quidam, magno ſatis eruditæ plebeculæ plauſu deblatterabat tam ridicula deliramenta, vt me pudeat eiuſmodi nugis chartas commaculare, ne aures pias offendam. Eum ego hominem non multò poſt conueni, rationem requirens, vnde ille inoleuiſſet, an Paſchalibus gaudiis dignus, an ab Apoſtolis in has vſque temporum fæces profluxiſſet? Admonuit is me inſcitia mea quæ pulcherrimam, concionatoríque in primis neceſſariam τῆς εὐτραπελίας virtutem ignorarem. In Paſchali die non tam ſerium eſſe oportere Concionatorem. Sequenti die in conuiuio multorum expoſui diſputationem noſtram: cœperúntque & ſodales ridiculas gerras memoriter ſinguli percenſere, quas alij aliis in locis audierant, eo ipſo die ſcilicet. Vnus, inſtar cuculi placentulis in caua ſalice deuoratis cucullabat: alius fimo bubulo incubans, tanquam vitulum producturus, appropiantes ſibilis more anſerum abigebat: alius Laicum vna nocte cucullo indutum, Sacerdotem eſſe perſuadebat, & ad altare tranſmittebat. Ita commemorabant, vt ante oculos rem depingerent. Aderat & qui D. Petri ſtrophas narraret, quibus hoſpites ſymbolis naulis defraudarit. Obſcæniores miſſas facio. Rogante autem me, num quid & allegorias tenerent? ſubitò repreſſus eſt clamor: nulli in numerato erat quod reſponderet. Vix tandem ſenior ait, audiſſe ſe ex Concionatoribus, non id tum agere eos, vt myſteria euoluant, ſed ne non feſtiui & comes auditorum exhilarent.

Contra Riſum Paſchalem. Hunc autem morem grauiſſimè Oecolampadius in illa Epiſtola perſtringit. Et ne quis putaret ſibi ſoli diſplicuiſſe, inter alia dicit, ſe vidiſſe grauiſſimos viros alioqui Verbi Diuini nō indiligentes auditores, ea hora domi delituiſſe,

ne

ne talibus nugis contaminarentur. Vidi quoque, ait, & viderunt mecum alij permulti, nonnullos, videntibus aliis Concionatoris ineptias indignabundos tam auditorium quàm concionatorem reliquiſſe. Adducit etiam Ioannis Keyſerſpergij, ſimiliter hunc ritum deteſtantis, verba, ex ipſius Catula Peregrini, quæ ſic habent: Quid eſt hoc quòd tempore Paſchali inualuit corruptela, vt ad riſum & leuitatem populus per quoſdam prædicatores ridendas, cum exceſſu nimia etiam prouocatur? Planè deuotionem quam priùs conceperant, prorſus extinguentes. Profectò in talium labiis mors eſt.

DE QVINQVAGESIMA intra Paſchalia & Pentecoſten.

Quinquageſima olim tota feſtiua.

DIes illi quinquaginta intra Paſcha & Pentecoſten omnes Feſtiui olim fuerunt Chriſtianis. Hoc inde colligitur, quòd Tertullianus in libro de Idololatria dicit: Si ſingulæ Gentium ſolemnitates numerentur, non poſſent implere noſtram Pentecoſten, hoc eſt, quinquaginta illos dies Feſtos à die Paſchæ in Pentecoſten. *Et Hieronymus ad Lucinium Epiſt. 28. cùm dixiſſet, Vtinam omni tempore ieiunare poſſimus, addit:* Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam. *Et Ambroſius in cap. 17. Lucæ inquit:* Maiores tradidere nobis, omnes quinquaginta dies Pentecoſtes, vt Paſcha celebrandos, quia octaua hebdomadis initium Pentecoſten facit. *Et Sermone 60. dicit:* Iſtorum quinquaginta dierum iugem & continuatam eſſe Feſtiuitatem, qualis eſt die Dominica. *Et Serm 61. ait:* Inſtar Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies veluti Dominici deputantur, cùm poſt Reſurrectionem tota Quinquageſima Chriſtus cum hominibus commoratus ſit. *Chryſoſtomus quoque hos quinquaginta dies Feſtiuitatem Sanctorum dierum nominat, & dies eſſe Remiſſionis ac Indulgentiæ ait: monet præterea ſuos auditores, vt ita eam feſtiuitatem agant, ne relaxatione corporum puritas corrumpatur animorum: abſtineant ab omni luxu, ebrietate, laſciuia, & dent operam ſobriæ remiſſioni, ac Sanctæ ſynceritati: idque deberi non modò vtilitati ac ſaluti ipſorum, ſed etiam ipſi feſtiuitati ac tempori: Serm. 8. de Reſurrectione.*

Quinquageſima quomodo celebrata.

Propter honorem autem & gaudium Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, nec non propter glorioſum Sancti Spiritus aduentum hos dies cum magna lætitia egerunt inſtar Dominicæ diei. Vnde etiam toto hoc tempore, ſicut die Dominica, non ieiunarunt, nec de geniculis, ſed ſtantes adorarunt, vt indicat Tertullianus lib. de Corona militis, item Hieronymus aduerſus Montanos & Luciferianos. Et Ambroſius Serm. 61. ait: Scire debet Veſtra Sanctitas, cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis iugis & continuata Feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore, néque ad obſeruandum indicamus ieiunia, néque ad exorandum Deum genuis ſuccidamus, ſed ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati Reſurrectionem Domini celebramus. *Item* Sic diſpoſuit Dominus, vt ſicut eius Paſſione in Quadrageſimæ ieiuniis contriſtamur, ita eius Reſurrectione in Quinquageſimæ feriis lætaremur. *Eadem etiam refert Durandus in Ration. libro ſexto, capite 86. & habentur diſtinct. 76. Scire. In conuentibus etiam horum dierum in hymnis & canticis* Alleluia *in ſignum lætitiæ vtebantur, vt indicat Auguſtinus Tractatu 17. in 5. cap. Ioannis: item Epiſt. 86. ad Caſulanum, & Epiſtola 119.*

Quinquageſimæ origo.

Hilarius in Prologo explanationis Pſalmorum ſolemnitatis huius Apoſtolos Authores quodammodo facere videtur, ſic enim ait: Sabbatha Sabbathorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, vt his Quinquageſimæ diebus nullus néque in terra ſtrato corpore adoret, néque ieiunio Feſtiuitatem huius beatitudinis impediat. *Tertullianus autem de Corona militis numerat hanc Feſtiuitatem inter illa,* quæ ſine vllius Scripturæ teſtimonio, ſolius traditionis titulo, & conſuetudinis patrocinio recepta fuerint. *Et habuiſſe hanc ſolennitatem, vt etiam alias liberas obſeruationes, id probat ſatis, quòd iam pridem ſublata eſt penitùs: nam & ieiunia ſequentibus ſeculis intra Paſcha & Pentecoſten inſtituta, & geniculationes admiſſa ſunt: & tantùm Quadrageſimus dies, qui eſt Aſcenſionis, & Quinquageſimus, qui eſt Pentecoſtes, Feſtiui manſerunt.*

Quinquageſimæ libera obſeruatio.

De Septimana in ALBIS.

Septimana hæc cur dicatur in Albis.

SEptimana illa, *quæ ſequitur Paſchalem idem vulgò vocatur* Septimana in Albis, *propter Angelos, qui in Reſurrectione Domini in albis veſtibus apparuerunt: & quia alim baptizati in Sabbatha Sancto his diebus candidis veſtibus vtebantur vſque ad Sabbathum in Albis, in quo depoſuerunt eas: vel etiam, quòd tunc ſolebant illi qui baptizati erant confirmari ab Epiſcopis, & albas alias veſtes induere vſque ad ſequens Sabbathum: Beleth in Ration. cap. 130. & Durandus in Rat. lib. 6. cap. 86. & 89. Chryſoſtomus etiam Serm. 8. de Reſurrectione inquit,* Eo die quo Paſchalis ſolē-

nitas concludi ſolita fuit. Neophytos commutaſſe habitum, quem candidum eo vſque geſtarint. *Vndè etiam ſolennitas huius ſeptimanæ* dies *ſeu* Feſtum Neophytorum *vocatur ab Auguſtino Epiſt.* 119. *ad Ianuarium.*

Septimana hac tota feſtiua fuit.

Fuit autem, ſecundùm conſuetudinem Primitiuæ Eccleſiæ, maximè verò ex conſtitutione Conſtantini Magni, tota Feſtiua: Paulus Diaconus lib. 11. *Roman. rerum: vbi etiam indicat, qua ratione hanc Solennitatem hoc toto octiduo celebrandum præceperit, nimirùm ſine negotio cuiúſque operis. Hoc decretum Conſtantini poſteà confirmauit Concilium vniuerſale VI. Conſtantinopol. anno* 681. *iuxta Panuinium, celebratum in Trullo can.*66. A Sancta, *inquiens*, Reſurrectionis die vſque ad nouam Dominicam tota ſeptimana Eccleſiis vacare Fideles oportet, Pſalmis & Hymnis & Spiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes, Feſtúmque celebrantes, & diuinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis Myſteriis iucundè fruentes. Nequaquam ergò his diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum. *Et in Meldenſi Synodo can.* 77. *ita ſtatuitur:* Dies octo Sacroſanctæ Paſchalis feſtiuitatis, omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, audientiali, ac ſacramentis exigendis: qui ſecùs fecerit, excommunicetur. *Idem confirmauit Carolus M. Ludouicus, & Lotharius in legibus quas collegit Anſegiſus Abbas cap. de Feriarum obſeruatione. Extat enim in decretis de Baptiſmi temporibus, de Conſec. diſt.* 4. *c. Non ratione: & refertur à Rhenano Annotat. ad Tertulliani librum de Corona militis.*

Remiſit tamen paulùm rigorem hunc Synodus Moguntina anno 813. *iuſſu Caroli Magni habita, in qua ca.* 36. *ita ſancitur:* Præcipimus diem Dominicam Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari: ſimiliter feriam ſecundam, tertiam & quartam: A feria quinta ante Miſſam licentia ſit arandi vel ſeminandi, & hortum vel vineam excolendi, & ſeptem circumducendi, ab alio verò opere ceſſare decreuimus. *In hanc etiam ſententiam Durandus in Ration. lib.*6. *cap.* 86. Tribus, *inquit*, primis diebus Paſchæ ſolenniter eſt feriandum: in ſequentibus verò licet viris ruralia opera, quæ magis neceſſaria ſunt, exercere: ſed fœminis non licet nere, nunquam autem choreas ducere. *Et in Conſtitutionibus ad tollendos abuſus in Eccleſia per Laur. Compegium anno* 1524. *Ratiſponæ editis, ſancitur ca.* 20. vt dies Paſchæ cum feria ſecunda & tertia duntaxat Celebris habeatur.

Superſtitiones progreſſu temporis in hanc ſeptimanam obſeruatæ.

Aduerte autem quàm religiosè progreſſu temporis hæc Solennia obſeruarint. Durandus in Ration. lib. 6. *cap.* 89. *Alij deſcendunt, inquit, proceſſionaliter ad fontes Baptiſmatis cum cereo per hanc totam hebdomadam, cantantes canticum Exultationis: & populus ſequitur, ſcilicet viri per ſe, & mulieres per ſe, in memoriam eius, quòd Hebræi Pharaone & ſuis in mare rubro ſubmerſis fecerunt, qui pro gratiarum actione de ſubmerſione hoſtium per totam hebdomadam redibant ad mare viri & mulieres ſeparatim, cantantes canticum. In his etiam Proceſſionibus Neophyti quotidiè per hos ſeptem dies à patrinis & matrinis ad Eccleſiam ducuntur, & paſcuntur corpore Domini, & cerei præcedunt eos. Cereos autem, quos in Sabbatho Sancto, dum baptizarentur, habuerunt, per hanc hebdomadam in quibuſdam locis ad Miſſas & Veſperas accendunt, & in Sabbatho in Albis, ac ſequenti Dominica illos accenſos offerunt Sacerdoti. In quibuſdam etiam Eccleſiis his ſeptem diebus, quandò deſcenditur ad fontes, præfertur quidam ſerpens imaginarius ſuper virga, & candela nouo lumine accenſa ſuper caput ſerpentis retorta affigitur, ex qua Cereus Paſchalis, & omnes alia candela in Eccleſia accenduntur. Hæc Durandus.*

Paſſio Dominica in ludum ſcenicum conuerſa.

Alij verò ludos ſcenicos & quidem ex Sacroſancta hiſtoria Paſsionis Chriſti inſtituunt, qui hac ſeptimana Paſchatis populo publicè in theatra exhibentur. Fit hoc manifeſtè contra authoritatem Conſtantinop. Concilij Vniuerſalis 6. *in cuius can.*66. *præcipitur,* Ne à Sancta die Reſurrectionis vſque ad Cœnam Dominicam tota ſeptimana ALIQVOD publicum fiat ſpectaculum. *Hanc etiam conſuetudinem grauiſſimè inſectatur Ludouicus Viues in ſuis Comment. ad cap.* 27. *lib.* 8. *Auguſtini de Ciuitate Dei.* Mos nunc eſt, *inquit*, quo tempore Sacrum celebratur Chriſti, Morte ſua genus humanum liberantis, ludos, nihil propè à ſcenicis illis Veteribus differentes, populo exhibere: etiamſi aliud non dixero ſatis turpe exiſtimabit quiſquis audiet, ludos fieri in re maximè ſeria. Ibi ridetur Iudas quàm poteſt ineptiſſima iactans, dum Chriſtum prodit: ibi diſcipuli fugiunt militibus perſequentibus, nec ſine cachinnis & actorum & ſpectatorum: ibi Petrus auriculam reſcindit Malcho, applaudente pullata turba, ceu ita vindicetur Chriſti captiuitas. Et poſt paulùm, qui tam ſtrenuè modò dimicarat, rogationibus vnius ancillulæ territus abnegat Magiſtrum, ridente multitudine ancillam interrogantem, & exſibilantem Petrum negantem. Inter tot ludentes, inter tot cachinnos & ineptias

Digitized by Google

prias ſolus Chriſtus eſt ſerius & ſeuerus: cúmque affectus conatur mœſtos elicere, neſcio quo pacto non ibi tantùm, ſed etiam ad lacrymas ſuggeſſit, magno ſcelere atque impietate non tam eorum qui vel ſpectant vel agunt, quàm Sacerdotum, qui eiuſmodi fieri curant. *Hæc Viues. Manlius in ſuis locis Communibus fol. 11. hiſtoriam recenſet, qua oſtendere vult, Deum grauiter iraſci huiuſmodi Contemptoribus Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, eámque hoc modo proponi & repræſentari nolle. Cùm ageretur, inquit, in quodam celebri loco tragœdia de Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, quidam agens perſonam pendentis in Cruce Saluatoris noſtri, accepto in corde lethali vulnere ab alio, petente veſicam cruore imple tam, & lateri ipſius alligatam (hic militis illius egit perſonam qui lancea latus Domini aperuit, ex quo ſtatim exiuit ſanguis & aqua) mortuus concidit: alium etiam, qui deflentis ſub cruce perſonam repræſentabat, lapſu ſuo interemit, cuius mortem frater vindicans in eo, qui ipſum in ligna pendentem ſauciauit, capitali ſupplicio affectus eſt. Ita quatuor occubuerunt, non ſine ſuſpicione, Deum omninò nolle vt homines in eam ſeriis ludant rebus. Hæc ille.*

Feria huius vitæ Oſtermontag.

Feria illa, quæ proximè ſequitur Dominicæ Reſurrectionis diem, Germanicè der Oſtermontag*, multis in regionibus conuiuia agitantur, quæ ferè ouis & mellitis quibuſdam libis coctis atque placentis conſtant. Et pluribus in locis, quum Scholaſtici hymnum illum canunt,* Chriſte qui lux *&c. tùm cætera quóque turba puerorum & puellarum aſtiatim oua colligunt, ab iis maximè, qui eos è ſacro fonte leuarunt, & illa tum ſimul comedunt, quod vulgò* oſterlen *vocant. Ipſa verò oua ſic collecta, & cantùmnon emendicata* Zimpfeltag *vocant, quaſi* Zimboltag *propterea quòd illis ouis ceu ſymbolis collatis atque collectis vnà epulari conſueuerunt.*

Eadem die pleriſque in locis Papatus mulieres olim verberarunt maritos ſuos, & ſequenti die mariti vxores ſuas. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. dicit, fieri hoc, ad notandum quòd coniuges debeant ſe mutuò corrigere, ne alter ab altero exigat hoc tempore debitum thori. Decretum eſt enim in Concilio Eliberetino circa Silueſtri tempora, vt habetur de Conſec. diſt. 2. Omnis homo. & 24. q. 4. c. 1. quum die Paſchatis communicare debeant, tribus præcedentibus, & tribus vel quinque vel ſeptem ſequentibus diebus, ab amplexibus vt abſtineant: imò Liberius Papa hoc ſeruandum inſtituit per totam Quadrageſimam ad Paſcha vſque. Carranza & alij in Epitome Conciliorum hæc citant ex Gratiano, quia non extant in Canonibus Concilij Elibertini. Pauſanias in Achaicis indicat, in quodam Feſto Cereris, quod ſeptem diebus celebratum fuit in templo Cereris Myſiæ, quarta die mulieres ſuas viros in templum reuerſos deriſiſſe, & has viciſſim viros: de quo vide librum noſtrum de Feſtis Ethnicorum.

VINCENTIVS *Hiſpanus, Prædicatorij ordinis Monachus, obiit anno Chriſti 1418. Non. Aprilis. Canonizatus & Sanctorum Catalogo aſcriptus fuit à Calixto tertio, anno Domini 1455. Ob eámque rem ſupplicationibus Deo gratias egit, ab Eccleſia Mineruæ vſque ad S. Petrum continuata magno cleri ac populi Romani apparatu. Platina. Antoninus tit. 23. cap. 8. §. 4. Sabellicus Ennea. 10. lib. 6.*

SIXTVS *Epiſcopus Romanus factus ſub Adriano Imp. martyrio ſub eadem coronatur, 8. Idus April. vt Petrus de Nat. refert lib. 4. cap. 33.*

EGESIPPVS *natione Iudæus, vicinus Apoſtolorum temporibus fuit, claruit enim ſub Adriano & Antonino Impp. Ad fidem Chriſti conuerſus, ſcripſit omnes à Paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem hiſtorias libris quinque. Hiſtoriam etiam Iudaicam à Mathathia exorſus vſque ad belli Iudaici finem compoſuit. Sub Aniceta Romam venit, ibique ad Eleutherium vſque perſeuerauit, & diem ſuum obiit 7. Idus April. vt Hieronymus de viris illuſtribus & Pet. de Nat. lib. 4. cap. 36. referunt.*

DIONYSIVS *Corinthiorum fuit Epiſcopus, ſub Vero & Commodo Impp. hoc eſt, circa annum Chriſti 174. vt Euſebius in Chron. habet. Inſigni doctrina ornatus ſingulari fide & dexteritate Eccleſiam ſuam rexit & ad alias quóque epiſtolas ſcripſit. Tandem Corinthi obiit 6. Id. April. vt teſtatur Hieronymus de Viris illuſtribus & Pet. de Natal. lib. 4. cap. 37.*

PROCORVS *nepos fuit Stephani Protomartyris, Comes Ioannis Euangeliſtæ, & vnus ex ſeptem primis Diaconis ab Apoſtolis electis, vt eſt videre Act. 6. cap. Factus Epiſcopus Nicomediæ, à Ioanne Euangeliſta Antiochiam mittitur, vbi martyrio coronatus vitam finiuit 5. Idus Aprilis, vt indicat Pet. de Nat. lib. 4. cap. 39.*

DE SABBATHO IN ALBIS, in quo AGNVS DEI diſtribuuntur.

D*ies hic* Sabbathum in Albis *vocatur, quòd in eo baptizati in ſabbatho Sancto veſtes albas, quas per totam hanc ſeptimanam geſtarunt, deponunt.*

DE AGNVS DEI Confectione & Benedictione.

I*N eo quoque* Agnus Dei *diſtribuuntur à Pontifice Romano. Sed antequam ritum*

*Pater epiſt.119.ſcribit:quo etiam Paulus reſpexiſſe videtur 1.Cor.5.inquiens:*Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. *Chriſtus,nanque veterem hominem paßione, nouum autem Reſurrectione ſignificauit, vt ait Auguſtinus epiſt 57.ad Dardanum.*

Oſteren vnde.

Germani vocant Oſteren *voce corrupta ex* Vrſtende *quod Reſurrectionem ſignificat. Alij tamen deriuant à Latina dictione Hoſtia, qua eſt Chriſtus,pro peccatis noſtris immolatus,1.Cor. 15.Vnde Paſchales oblata,* die Oſterfladen, *quæ olim hoc tempore porobantur,ab offerendis hoſtiis dictæ. Alij ab* Oſt *deducunt,quod Germanis eſt* Oriens, *vnde & Auſtria* Oſterreych *dicitur, quòd in Oriente,vel orto ſole ſurrexerit Chriſtus. Angli vocant* Eoſter,*& Aprilem menſem, in quo plerunque celebratur Paſcha,* Eoſter monath *: idque à Dea quadam cui Teutonici populi in paganiſmo ſacrificarunt menſe Aprili, qua* Eoſter *fuit appellata,vt Geßnerus indicat in ſuo Mithridate ex Munſtero.*

De Hora Reſurrectionis Chriſti.

Hora reſurrectionis Chriſti incerta.

DIe tertia reſurrexiſſe Chriſtum à mortuis, extra controuerſiam eſt, de eo ſiquidem certa & luculenta Sacrarum Literarum extant teſtimonia.Quemadmodum autem incertum eſt, quoto die menſis primi paſſus ſit Dominus, ſic neceſſariò quóque ignoratur,quoto die menſis,& qua hora diei à mortuis reſurrexerit.Vnde Hieronymus epiſt.150. ad Edibiam, quaſt. 6. dicit, quòd Dominus reſurrexerit hora qua ipſe voluerit, & quæ nulli mortalium cognita ſit. *Quamuis igitur ei, qui Reſurrectionis Dominica horam inueſtigare & perſcrutari velit, quam Dominus abſconditam eſſe voluit,rectißimè illud Syracidis dici poſſet, cap. 3.* Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris:*ſed qua pracepit tibi Deus illa cogita ſemper,& in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.Non eſt enim tibi neceſſarium ea qua abſcõdita ſunt oculis videre tuis,&c.Enumerabo tamen ſimpliciter Theologorum ſententias, qua multis iam annorum centuriis in Eccleſia hac de re fuerunt.*

Theologorum ſententiæ de tempore reſurrectionis Chriſti 1.

*Docuerunt igitur aliqui, Chriſtum media nocte reſurrexiſſe,ex quorum numero eſt Athanaſius,qui in lib.de Virginitate ſic inquit:*Media nocte ſurgito, & laudato Dominum Deum tuum. In hac enim Hora ſurrexit Dominus à mortuis. *Hunc ſequuti ſunt Gregorius Nyſſenus in 1.& 2.Orat.de Reſurrectione Chriſti.Cyrillus lib.12.in Ioannem cap. 44.Dionyſius Alexand. in epiſt.ad Baſilidam Presbyterum Victor Antioch.in cap.16.Marci. Hieronymus quóque epiſt. 150. & Ambroſius in illud Luca 24.Vna autem Sabbathi valdè diluculo, &c. Nicephorus etiam lib. 1. hiſt.Eccleſ.cap.31. Denique Euthymius in cap.28. Matth.vbi dicit,* quòd omnes Sancti Patres dicant vnanimiter,Reſurrectionis Dominicæ tempus fuiſſe circa primum gallicinium, quod Dominici diei lucem prætulerit : *per quod nihil aliud intelligit,quàm media noctis tempus:paulò enim ſuprà,ad verba illa,Veſpere autem Sabbathi,&c. maniſeſtè dicit*, Omne dilucolum poſt ſextam horam noctis incipere,quando primùm galli canant,& hoc tempus etiam Matthæum innuere voluiſſe his verbis, Veſpere autem Sabbathi, &c. *Hanc etiam ſententiam comprobare vult Nyſſenus Orat. 2. de Reſurrect. Chriſti, conſuetudine veteris Eccleſia,qua in vigilia Paſcha,ſicut etiam ſuprà in Sabbatho Sancto diximus, vſque ad mediam noctem vigilarunt & ieiunarunt : in illo verò articulo temporis ieiunia ſoluerunt, quaſi ea ipſa hora Dominus reſurrexiſſet. Hinc quoque Euthymius, quum dixiſſet, omnes Sanctos Patres vnanimiter docuiſſe, tempus Reſurrectionis Chriſti fuiſſe circa primum gallicinium, addit:* Ideò quoque poſt ſextam noctis horam virtutis Sectatores ſoluto ieiunio lætitiam auſpicantur.

D. Auguſtini verò ſententia eſt libro 4.de 1.
Trinit.cap.6.& in dialogo ad Oroſium quaſt.26. Dominum non media nocte, ſed manè diluculo in aurora reſurrexiſſe. Dicit enim quòd ab hora qua mortuus eſt Chriſtus, vſque ad diluculum Reſurrectionis ſint horæ 40.adnumerata etiam hora 9. mortis. A veſpere autem Sepulturæ vſque ad diluculum Reſurrectionis ſunt 36.horæ. *Auguſtino adſtipulari videtur etiam Hilarius in cap. 28. Matth. Ignatius epiſt.2.ad Trallianos,Cyrillus Hieroſolymit.Catecheſ. 14. Ambroſius in Pſal. 45. Subſcripſerunt quóque huic ſententia Scholaſtici Doctores ferè omnes,& Antoninus tit.5. cap. 7. in ſpecie dicit*, quòd Chriſtus decima hora noctis ſurrexerit:*& probatur primò, Euangeliſta Marci teſtimonio,qui cap.16. ait :* Surgens autem Ieſus MANE prima Sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ. *Secundò, vaticiniis Prophetarum. Dauid Pſal. 30. ait :* Ad veſperum demorabitur fletus,& ad matutinum lætitia. *Pſal.* 57. Exurge gloria mea, exurgam diluculo. *Pſal.* 59. Exaltabo manè Miſericordiam tuam. *Qua omnia Auguſtinus de Reſurrectione Domini,qua facta ſit manè diluculo,exponit. Illud etiam Iona vltimo,* Et parauit Deus vermem aſcenſu diluculi, *Auguſtinus epiſt.49.ad Deo gratias,quaſt. vltima,de Chriſto interpretatur, qui & vermis dicatur Pſal.21.& ſit matutinus, quia diluculo reſurrexerit. Luctam etiam,qua in aurora facta eſt ab Angelo cum Iacobo Gen.32.Reſurrectioni Chriſti applicat Euſebius Emiſſenus homil. 8. in Paſcha.*

Ad

Prima ſententia refutatur.

Ad Euthymij autem rationes, quibus probare vult, Dominum media nocte reſurrexiſſe, reſpondent, PRIMÒ: *falſum eſſe quòd dicat,* omnes Sanctos Patres aſſerere Chriſtum ſurrexiſſe circa primum gallicinium. *Nam in genere loquuntur de gallicinio, nec addunt primum ne an ſecundum fuerit: videntur tamen ſecundum potiùs quàm primum intelligere, præſertim cùm dicat Euthymius Patres dicere, Chriſtum ſurrexiſſe in gallicinio, quod lucem Dominicæ diei præferat, nam hoc non de primo gallicinio, quod circa mediam noctem incipit, ſed de ſecundo, quod eſt in noctis vltima vigilia, intelligendum quiuis facilè videt: & proinde illud* primum *de ſuo addidit Euthymius. Secundum quoque gallicinium magis propriè & ſimpliciter, quàm primum, ſic appellatur. Sic enim Vergilius in ſuo Moreto canit:*

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitórque diem cantu prædixerat ales.

Plinius etiam lib. 10. hiſt. natur. cap. 21. de gallis gallinaceis loquens, Cum ſole, inquit, eunt cubitum, quartáque caſtrenſi vigilia ad curas, laborémque reuocant: nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere diémque venientem nunciant cantu. Accedit his omnibus Seruatoris authoritas qui Mar. 13. ait: Neſcitis quandò Dominus domus veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè: vbi manifeſtè inter tempus mediæ noctis & gallicinij diſtinguit. SECVNDÒ, *quòd Euthymius dicit, diluculum incipere poſt ſextam horam noctis, Middelburgenſis probat Par. 2. Paulinæ lib. 1. cap. 1. tempore Reſurrectionis Chriſti Hieroſolymis diluculum hora cum dimidia ferè ante ortum Solis incepiſſe. Ad conſuetudinem illam Ieiuniorum, quæ in Veteri Eccleſia multi ſtatim poſt mediam noctem ſoluerunt, reſpondetur etiam dupliciter.* PRIMÒ, *multos quoque vſque ad quartam vigiliam ieiunaſſe.* SECVNDÒ, *Ieiuniorum illorum Auguſtinus & Hieronymus non Reſurrectionem Domini, ſed duas alias cauſas afferunt, vt in die Sabbathi Sancti annotauimus.*

De Triduo Sepulturæ, ſeu Mortis Chriſti.

Quæſtio de triduo ſepulturæ.

QVæritur hic alia quæſtio, quandiu Chriſtus in Sepulchro manſerit? *Reſpondet quidem Dominus in Euangelio,* tribus diebus, & tribus noctibus. *Scribis enim & Phariſæis de cœlo ſignum petentibus dicit,* Signum non dabitur, niſi Signum Ionæ Prophetæ: ſicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: *Matth. 12. & Marci* 8. Oportet Filium Hominis pati multa, & reprobari à Senioribus, & à Summis Sacerdotibus, & à Scribis, & occidi, & POST tres dies reſurgere. *Iudæi autem hoc factum eſſe negant ex Euangelica hiſtoria: nam ſi die Veneris ad veſperam ſepultus prima Sabbathi diluculo ſurrexit, triginta ſex duntaxat horis in ſepulchro manſit, quæ tres dies & tres noctes efficere nequeunt.*

Ad hanc quæſtionem variè reſpondetur. Nonnulli pro prima nocte numerant illud ſpatium temporis trium horarum, quo tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram ab hora ſexta vſque ad horam nonam: vt refert Auguſtinus cap. 24. lib. 3. de Conſenſu Euang. & Theophylactus in cap. 28. Matth. Reiicitur autem ab Auguſtino hæc ſolutio, quòd per illam integrum triduum non habeatur. 1.

Reſponſiones ad obiectam quæſtionem.

Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrect. Domini, & Theophylactus in cap. 28. Matt. computant tempus ab inſtitutione Euchariſtiæ. Dicitur, *inquiunt,* Chriſtus fuiſſe in corde terræ, ex quo inſtituit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Vltima Cœna, quæ fuit in veſpera poſt feriam quintam: nam cùm ipſe haberet poteſtatem ponendi animam ſuam, manifeſtum eſt, quòd tunc immolauerit ſeipſum, cum tradidit diſcipulis corpus ſuum: nemo enim quiquam edit, niſi præparatum & mactatum ſit. *Videntur autem verba Chriſti non myſticè & figuratè, ſed ſimpliciter & ſecundùm literam intelligenda.* 2.

Euſebius Emiſſenus in Serm. feria 4. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ (ſi tamen eius ſunt Sermones illi) numerat tempus ex quo Chriſtus in poteſtate Iudæorum fuit. Omnis enim captiuus, qui ſe mortem non euaſurum ſcit, iam ſe mortuum dicit. 3.

Beda in homilia vigiliæ Paſchæ dicit, noctem Reſurrectionis Chriſti computari debere pro duabus noctibus, & tunc tres dies & tres noctes haberi, ſynechdochicè tamen. Nam, *inquit,* ab initio Creationis mundi vſque ad Chriſti Reſurrectionem dies præceſſit noctem: in nocte autem qua reſurrexit Dominus mutatus eſt hic ordo temporum, & nox præceſſit diem. *Sed hæc ratio falſa eſt: nam à principio mundi nox apud Iudæos præceſſit diem, vt ſuo loco indicauimus, & paulò pòſt in Auguſtini ſolutione rurſum probabimus. Et hic ordo temporum in Reſurrectione Chriſti apud Chriſtianos ſic mutatus eſt, vt, contrà quàm ſentiat Beda, tunc dies præcedere inciperet noctem.* 4.

Ioannes Ferus Serm. 9. in Dominic. Paſchæ, totum illud numerat tempus quod fuit ab hora ſepulturæ vſque ad veſperam poſt diem Dominicam, quandò Diſcipuli demùm crediderunt Chriſtum ſurrexiſſe: vt licet actu non fuerit in corde terræ vſque ad veſperam, fuerit tamen quantùm ad exiſtimationem Diſcipulorum. 5.

Errore autem videtur Ferus, quòd verba Chriſti, In corde terræ, *non vniuocè accipit, ſed partim actu, partim opinione. Adhac verba illa Chriſtus non dixerat Apoſtolis, ſed Iudais.*

6. *Middelburgenſis igitur aliam ſolutionem affert lib. 1. de die Paſſionis Dominica cap. 1. his præſuppoſitis; Paraſceuen non ſemper ſignificare feriam ſextam hebdomoda quam nos diem Veneris vocamus, ſed diem præcedentem quodcúnque Feſtum in quamcúnque feriam incidat. Deinde, Sabbathum non ſemper ſignificare diem ſeptimam hebdomada, ſed etiam alia Feſta in quamcúnque feriam incidant. Hinc infert ex Euangelica hiſtoria, Chriſtum crucifixum fuiſſe in Paraſceue Paſcha. ſeu in vigilia Paſcha, & reſurrexiſſe vna Sabbathorum, hoc eſt, vno dierum Paſchalium: Paſcha nánque Sabbathum vocatur, & ſeptem diebus continuis celebrabatur, & omnes hi ſeptem dies vocantur à Iudæis Sabbatha, quia in eis ab omni ſeruili opere quieſcendum Vult igitur Middelburgenſis ex Euangeliſtis nil aliud haberi poſſe,* niſi quòd Dominus crucifixus ſit in vigilia Paſchæ, & reſurrexerit à mortuis vna Sabbathorum, hoc eſt, vno dierum Paſchalium: non ſpecificando, néque de primo, néque de ſecundo. *Sed hanc ſententiam multa refellunt. Primò, Omnes Euangeliſta teſtantur, Chriſtum ſurrexiſſe vna vel prima Sabbathorum Hieronymus autem aliique Patres indicant, hac phraſi Hebraica denotari primam diem ſeptimana poſt Sabbathum. Reſpõdet Middelburgenſis primam Sabbathi, vel vnã Sabbathi id ſignificare quidem: in Euangelio autem non haberi,* vna Sabbathi, *ſed,* vna Sabbathorum, *quod non ſignificet primam diem ſeptimana, ſed vnam Feſtorum Paſchalium. Reſpondeo tripliciter: Primò, Dies Sabbathi in ſingulari, & Sabbathorum in plurali idem ſignificare, ſeptimam, ſcilicet diem, qua Sabbathum dicitur, patet ex lib. 1. Machab. 2. cap. vbi bis Sabbathorum nomen in plurali pro ſeptima die hebdomada ponitur.* Inierunt prælium in die Sabbathorum. *Et,* Non exibimus, neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem Sabbathorum. *Non autem intelligendum de die aliquo Feſtorum Paſchalium aut Tabernaculorum ex Ioſepho intelligitur. qui hunc locum quaſi interpretans, inquit:* Quibus non accipientibus verba, conflixerunt die Sabbathorum: & ſicut erant in ſpeluncis, ibi eos atroci incendio cremauerunt, quum repugnare propter diem Sabbathorum noluiſſent, ne in malis ſuis honorem Sabbathi tranſgredi viderentur. Nam vacare in eo nobis legitimum eſt. *Item,* Matathias docuit eos & Sabbathis pugnare, dicens, vobis metipſis eritis hoſtes ſi legem obſeruare volueritis, in illo die contra vos venientibus inimicis. Et exinde manſit conſuetudo pugnandi, etiáſi tali die bella conſurgant. *Vide etiam lib. 2. Machab. 15. cap. Secundò, Euangeliſta Marcus cap. vltimo manifeſtè dicit,* Ἀναςὰς πρωῒ πρώτῃ σαββάτου, *&c. quum reſurrexiſſet Ieſus manè prima Sabbathi, apparuit primò Maria Magdalena, &c. Factam autem hanc apparitionem ipſo die reſurrectionis, contra quam vult Middelburgen. ex cap. 20. Ioannis clarè perſpicitur. Tertiò, apud Euangeliſtas* σαββάτων, *vocabulum hoc loco Septimanam ſignificat: nam apud Hebraos hoc nomen in plurali numero in hac ſignificatione vſurpatur, vt eſt videre Leuit. 23. v. 15. & 25. v. 8. Obiicit Middelburgenſis, non poſſe dici, primam ſeptimanarum. Reſpondeo in lingua Latina non licet ſic loqui, ſed in Hebraa. Adhac, iuxta Middelburgenſis ſententiam, defendi non poſſet Chriſtum crucifixum fuiſſe feria 6. hoc eſt, die Veneris, & reſurrexiſſe feria prima quam in memoriam rei iam tum Apoſtolorum temporibus Dominicam appellarunt, & de quo nemo vnquã ab initio naſcentis Eccleſia vſque ad hac noſtra tempora dubitauit. Vnde Beda in lib. de Rat. temp. cap. 45. & de Rat. temp. cap. 17. inquit:* Quòd Dominus feria ſexta Crucem aſcenderit, & vna Sabbathorum, id eſt die Dominica reſurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare catholico, ne legi, quæ agnum Paſchalem decima quarta die menſis primi ad veſperam immolari præcipit, pariter & Euangelio, quod Dominum eadem veſpera tantùm à Iudæis, & manè ſexta feria crucifixum, ac ſepultum, prima Sabbathi reſurrexiſſe perhibet, videatur incredulus.

D. Auguſtini igitur ſolutio omnium optima videtur, qua per Synechdochen dies hos & noctes computat, vt pars pro toto accipiatur. Vult enim Pater ille pro tertia nocte numerandam eſſe noctem illam qua præceſſit diem Veneris. Vnde libro tertio de Doctrina Chriſtiana cap. trigeſimo quinto, Synechdoches mentionem faciens, Hoc modo locutionis, *inquit,* quo ſignificatur à parte totum, etiam illa de Reſurrectione Chriſti ſoluitur quæſtio. Pars enim nouiſſima dici, quo paſſus eſt, niſi pro toto die accipiatur, id eſt, adiuncta etiam nocte præterita, & nox in cuius parte vltima reſurrexit, niſi dies totus accipiatur, adiuncto ſcilicet illuſcente die Dominico, non poſſunt eſſe tres dies & tres noctes, quibus ſe in corde terræ prædixit futurum. *Idem lib. 3. de Conſenſu Euang. repetit. Meminit etiam ſolutionis huius epiſt. 49. ad Deo gratias lib. 4. de Trinit. cap. 6. & lib. 1. quaſt. Euang. cap. 7. Hanc Auguſtini ſententiam Patres Scholaſtici & ferè recentiores Theologi omnes ſequuntur. Reiicitur quidem à nonnullis tanquam infirma, quòd pro tertia nocte numerat noctem illam qua præceſſit diem Veneris, noctem enim illam ad diem ſequentem Paraſceues non pertinuiſſe: nam ab* 7.

initio

Digitized by Google

initio mundi vſque ad reſurrectionem Domini diem inchoaſſe ab ortu Solis, & finiiſſe in fine noctis ſequentis: diémque artificialem praeceſſiſſe & noctem ſequutam ad ſignificandum, quòd homo à luce gratiae caſurus eſſet in noctem culpae: Beda in homil. vigiliae Paſchae. Antoninus tit. 5. cap. 7. & alij. Sed haec manifeſtè falſa ſunt. Nam contrà ab initio mundi dies naturales non (vt nunc fit) ab ortu Solis, ad alium ortum, ſed à veſpera ad veſperam, ſeu ab vno occaſu Solis ad alium Iudaei computarunt. Priores enim extiterunt tenebrae: & Deus iuſſit lucem de tenebris ſplendeſcere, vt ait Paulus. Moſes etiam ordine illo creationem exprimit, vt dicat: Factum eſt veſpere & mane dies vnus: idque ſexies iterauit. Hinc factum eſt, vt etiam Sabbathi ſanctificatio à veſpere praecedentis diei iuxta legem inchoanda fuerit. Sic enim praecipitur Leuit. 23. A veſpera vſque ad veſperam quieſcetis in Sabbatho veſtro. Incipiebat autem veſpera, vt docent Iudaei à ſexta hora poſt meridiem, quia primus occaſus Solis in hanc incidit, ſi ab aequinoctio Iudaeorum more annum numerare incipias. Et habet haec ſolutio nullam prorſus difficultatem. Si enim Poëtis & Oratoribus mucrone pro gladio, tecto pro tota domo vti licuit, cur non Filio Dei pari ratione parte diei artificialis pro tota die naturali vti licuiſſet?

Controuerſia Primitiuae Eccleſiae de Die Paſchali.

Apoſtoli ab initio obſeruarunt Paſcha cum Iudaeis.

APoſtoli poſt mortem & reſurrectionem Domini obſeruarunt Paſcha vnà cum Iudaeis, cum quibus luna decima quarta, quacunque feria accidiſſet, Agnum Paſchalem comederunt: ſicut etiam Sabbathum, neomenias & reliqua ceremonialia cum Iudaeis ab initio obſeruarunt, vt Iudaeos lucrifacerent, & ad fidem Chriſti paulatim allicerent. Vnde Paulus 1. Cor. 9. inquit: Quum liber eſſem ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt plures lucrifaciam. Factus ſum Iudaeis vt Iudaeus, vt Iudaeos lucrifaciam: iis qui ſub lege ſunt, vt ſi eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege ſunt, lucrifaciam. Imò non ſolùm Iudaeos, ſed aliquos ex gentibus quoque circumcidi ab initio voluerunt. Sic enim Paulus Timotheum ex patre Ethnico natum circumcidit: & comam, quam ex voto nutrierat, totondit ex lege, Nazaraeorum more: & in hanc ſententiam plura alia de Apoſtolis leguntur, Act. 21. & 22. cap.

Apoſtoli legalia impugnarunt.

Creſcente verò Fidelium numero, & corroborata iam Chriſti fide, docuerunt Apoſtoli, non ampliùs obſeruanda eſſe legalia, ſed per aduentum Chriſti, qui vera eſt mundi lux & iubar, vmbras iſtas ceſſare debere, praeſertim quum viderent falſos fratres ex Iudaeis, obſeruationem legis, tanquam neceſſariam ad ſalutem, poſtulare. Hac occaſione Feſtorum quoque, neomeniarum ac Sabbathorum obſeruationes Iudaicae abrogatae & immutatae ſunt. Ac coeperunt quidem Apoſtolorum alij, ex quorum numero eſt Ioannes & Philippus Euangeliſta, in Orientis partibus Paſcha in memoriam Coenae Dominicae celebrare; ſed tamen more Iudaeorum decima quarta die lunae: id quod Polycarpum vidiſſe teſtatur Irenaeus ad Victorem Rom. Epiſcopum, vt eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 26. Hos multi alij ſequuti ſunt viri pietate & doctrina praeſtantes, quos recenſet Polycrates Aſiae Epiſcopus in epiſt. ad Victorem, apud Euſebium lib. eodem cap. 24.

Nonnulli Apoſtoli mutant tempus Paſchae.

Alios autem Apoſtolus, Petrum & Paulum praecipuè, in Diem Dominicum, proximum poſt plenilunium primi menſis, propter Reſurrectionis Dominicae memoriam, Paſcha reieciſſe, epiſtola Theophili Caeſarienſis apud Bedam lib. de Rat. temp. cap. 45. teſtatur, in qua ſcribit, Gallos in principio Eccleſiae ſemper Paſcha celebraſſe 25. Martij quòd putarent Chriſtum ea die reſurrexiſſe. Cappadoces autem nonnulli, eodem die celebrarunt, ſed propter aliam cauſam nimirum, quòd Chriſtum eo die paſſum fuiſſe & ipſo die Paſſionis agendum Paſcha crederent, vt refert Epiphanius haereſi 50.

Diuerſitas primitiuae Eccleſiae in celebratione Paſchae diu non fuit obſeruata.

Haec verò diuerſitas diu non eſt obſeruata, nedum à quoquam reprehenſa. Neque etiam inuenies Apoſtolos, & qui eos proximè ſequuti ſunt, vel de Paſchate, vel de aliis Feſtiuitatibus legem aliquam conſtituiſſe, quo nimirum tempore, quoue die aut menſe illa celebranda, ſed ſaluam & integram omnibus reliquerunt libertatem illam Fidelium in huiuſmodi adiaphoris, de qua Paulus loquitur Coloſſ. 2. Hoc Socrates hiſtoriae eccleſiaſt. lib. 5. cap. 22. de diuerſa Paſchatis, aliorúmque rituum obſeruatione prolixè diſputans, clarè teſtatur. Vnde ſimul intelligitur, quantum huic conſtitutioni tribuendum ſit, quae lib. 5. cap. 18. Clementis, ſub Apoſtolorum nomine extat. Sic enim legitur ibi: Oportet dies Paſchae celebrare poſt aequinoctium, cauentes, ne cum Iudaeis Feſtum agamus: quod ne fiat, obſeruare ſubtiliter aequinoctium verni temporis, quod eſt vigeſima ſecunda menſis duodecimi, qui dicitur Diſtrus, obſeruantes vſque ad vigeſimum primae lunae; ne in aliam hebdomadam incidat quartus decimus lunae, &c. Haec cum Socratis & Niſephori teſtimoniis non congruunt, qui indicant, Apoſtolos de feriis legem nullam dediſſe. Hinc Bonius Epiſcopus Oſtunenſis in Scholiis ad Conſtitut. Apoſt. inquit: Hoc totum caput delendum, vt nothum ac nouum. Quod luce clariùs perſpici poteſt ex ea Epiphanij diſputatione, qua vtitur aduerſus Audianos, imitantes in Paſchae obſeruatione Iudaeorum conſuetudinem. Ipſa etiam conſtitutio ſe prodit, & tantùm non vocem emittens

tens

tens clamat, ſe nouam eſſe. Ait enim æquinoctium fieri die 22. menſis *Diſtri*, hoc eſt, Martij. Perſpicuum eſt autem, Chriſti tempore æquinoctium fuiſſe 25. Martij: tempore verò Anatolij Laodiceni Epiſcopi, qui vixit Probo Imperante, anno Domini 280. æquinoctij tempus retroceſſerat tribus diebus, Sólque Arietem ingrediens, faciebat æquinoctium vernum 11. Calend. April. hoc eſt, 22. Martij, quod narrat Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccleſiaſt. Quare noua eſt conſtitutio, fortaſſe edita poſt Concilium Nicænum, in quo Paſchæ obſeruatio ad eam rationem redacta fuit, vt poſt æquinoctium vernum 14. luna obſeruaretur, & die Dominica, quæ poſt plenilunium prima eſſet, Paſcha celebraretur.

Pius I. Paſcha die Dominica celebrandum lege ſanxit.

Durauit hæc Libertas vſque ad Pium Romanum Epiſcopum, *qui circa annos Domini 147. claruit. Is, vt legitur epiſtola eius decretali 1. primus lege edixit*, vt Paſcha Dominica die celebraretur ab omnibus. *Vt autem decerneret hoc, permotum eum aiunt Hermetis cuiuſdam viſione, cui apparuit Angelus in Paſtorali habitu, eique præcepit, vt Paſcha die Dominico poſt lunam decimam quartam obſeruaretur. Habetur etiam de Conſec. diſt. 3. c. Noſſe. & refertur à Martino Polono ac Durando in Ration. lib. 6. cap. 86.*

Aſiatici Pij decretum non curarunt.

Non tamen Aſiatici Doctores hanc Pij conſtitutionem multùm curarunt, ſed ſemel receptam conſuetudinem retinuerunt: fuitque hæc res leniter & amicè ab initio inter vtrànque partem agitata. Quemadmodum verò ex paruis ſcintillis ſæpè maxima oriuntur incendia, ita hîc quóque factum eſt. Cùm enim Succeſſor Pij Anicetus decretum Anteceſſoris inſolentiùs contra Orientales vrgeret, venit vnicam hanc ob cauſam Romam Polycarpus, Ioannis Apoſtoli Diſcipulus, ad componendum hoc diſſidium. Cùm verò ii ea de re non conuenirent, neuter alterum condemnauit & conſtitutum eſt, vt quiſque de Paſchate ſuum morem ſeruaret, ea tamen lege, ne propter diſſimilitudinem in ceremonia illa de obſeruatione Paſchatis, concordia Eccleſiæ rumperetur. Quia non oportet, propter ceremoniarum obſeruantiam, rumpere fidei conſonantiam. *Hæc ferè Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. & Nicephorus lib. 12. cap. 33.*

Certamen de Paſchate

Poſt paucos annos imperantibus Marco Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo facta perſequutione Eccleſia ſub Sergio Proconſule Aſiæ, in qua Polycarpus & Sagaris Epiſcopi, vnà cum duodecim Diſcipulis, qui Laodicea Polycarpum ſequuti erant, Martyrio coronati ſunt, rurſum mota eſt hæc quæſtio, dicentibus Laodicenſibus, & aliis, Paſcha celebrandum eſſe ſecundùm traditionem Polycarpi, quam à Ioanne Euangeliſta didicerit: Eleutherius autem reſtitit & contradixit eis, Piique Pontificis ſententiam confirmauit. Cùm verò contentio hæc diutiùs duraret, Melito Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui propter Regnum Dei eunuchum ſe fecerat, defenſurus Aſiaticorum ſententiam, duobus libris Paſcha rationem conſcripſit, & docuit, Paſcha celebrandum eſſe quartadecima luna ſecundùm Ioannis Apoſtoli traditionem. Horum ſcriptis prouocatus & incitatus Clemens Alexandrinus & Origenis Præceptor Paſchalis ſolennitatis canonem edidit, rogatus à Fratribus, vt ea quæ à Succeſſoribus Apoſtolorum viua voce acceſiſſet, memoriæ commendaret, & iuxta Rom. Pontificum traditionem Paſcha die Dominica celebrandum eſſe docuit.

Circa annum verò 200. Imperante Seuero Pertinace maioribus & pertinaciaribus ſtudiis ab vtriúſque partis hominibus hæc controuerſia agitata eſt. Victor enim Rom. Epiſc. quadam Synodo Romæ habita ſanciuerat, vt Paſcha die Dominica, à 14. die Martij vſque ad 21. einſdem menſis celebraretur: *Hoc decretum ad diuerſos orbis Epiſcopos mittit, petens ne à Romana Eccleſia diuerſum ſentiant. Habiti igitur ſunt de hoc negotio diuerſi Epiſcoporum conuentus in Cæſarea Palæſtinæ, in Gallio, Ponto, Achaia & apud Oſtrœnam. Decretum harum Synodorum omnium fuit commune, nullo vnquam alio die quàm Dominico, iuxta morem & conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, Paſcha celebrandum, eiúſque ieiunia ſolennio ſoluenda eſſe: vt refert Euſeb lib. 5. cap. 23. & Niceph lib. 12. c. 33. In Aſia verò alterius partis conuentus facti ſunt, qui & decreuerunt & reſcripſerunt Victori ſe nolle à veteri conſuetudine, obſeruata inde vſque à Ioanne, Philippo Polycarpo, aliisque Sanctiſſimis viris, ad vnius imperium & minas diſcedere: vt apparet ex Polycratis, præcipui inter Aſiaticos Epiſcopi, epiſtola, cuius fragmentum extat apud Euſebium lib. 5. cap. 24. & 25. & Nicephorum lib. 4. cap. 37 Furore igitur & ira accenſus Victor & authoritate ſuperiorum Epiſcoporum ac Synodorum munitus, totius Aſiæ Epiſcopos excommunicauit, & ab Eccleſiæ vnitate excluſit: Euſebio teſte lib 5. cap. 25. & Nicephoro lib. 4. cap. 38. Et fuit hic primus Epiſcopus in quo myſterium iniquitatis manifeſtè agere cœpit. Diſplicuit hic præceps furor plurimis Epiſcopis, aliisque viris bonis & piis qui hortabantur eum, vt quæ pacis, vnitatis & dilectionis eſſent potiùs ageret & ſentiret, Euſebio & Nicephoro iiſdem locis teſtibus. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus imprimis, qui Polycarpi Diſcipulus fuit, etſi cum Occidentalibus Eccleſiis ſentiret, Paſcha non cum Iudæis, ſed more Eccleſiæ Roman. die Dominico celebrandum, Victorem tamen acriùs reprehendit & obiurgauit, quòd tot tamque præclaras Eccleſias Dei à fidei vnitate reſcidiſſet, eò quòd morem ſibi antiquitùs traditum, & ab Apoſtolis acceptum,*

ceptum, cuſtodirent: vide verba eius apud Euſebium libro quinto, capite vigeſimo ſexto, & Nicephorum libro 4. capite 39. Atque hoc modo res & controuerſia hæc paulùm ſedata fuit per Irenæum, & alios pacis amantes viros, hac conditione, vt quælibet pars ſuam retineret ſententiam. Euſebius & Sozomenus libro 7. capite 19.

Certamen de Paſchate renouatum.

Sed non diu hæc concordia durauit. Nam circa annum Domini 318. maxima denuò orta eſt contentio inter vtranq; partem: quam quum moleſtè ferret Religioſiſſimus Imperator Conſtantinus, ad concordiam & fidei vnitatem omnes hortatus eſt: & ſperans hoc malum præoccupari poſſe antequam latiùs diffunderetur, Aſiaticos primùm monuit, ne cum Iudæis Parricidis, & Iugulatoribus Domini noſtri aliqua ipſis intercedat communio. Theodoretus lib. 1. cap. 10. Verùm Aſiatici literis Imperatoris non obtemperantes in opinione ſua pertinaciùs perſtiterunt, aſſerentes modum obſeruationis Paſchæ à Ioanne Apoſtolo traditum nequaquam eſſe deſerendum. Nêque ſe Iudæorum Paſcha, & veteris legis vmbram ſeruare, ſed Paſcha nouum à Chriſto Seruatore inſtitutum, cuſtodire. Conſtantinus verò grauiſſimè ferens Eccleſiæ diuiſionem, miſit ad eos Oſium, Celeberrimum Hiſpaniarum Epiſcopum, vt diſſidentes conciliaret. Sed quum re infecta Oſius rediiſſet, & Synodi indicendæ neceſſitatem Arij veſania Imperatori impoſuiſſet, euenit, vt in Concilio M. Nicæa congregato, ſecundo loco diſſimilitudo & controuerſia de Paſchate propoſita, atque etiam ad æqualitatem reducta fuerit. In eo nanque perpetuo decreto conſtitutum fuit, vt die Dominico Paſchæ Feſtiuitas in omnibus omnium vbique terrarum Eccleſiis celebraretur. Extat ea de re exemplum epiſtolæ prolixæ Conſtantini, quam ad omnes Eccleſias & Prouincias miſit, apud Socratem lib. 1. cap. 9. & Theodoretum lib. 1. cap. 10. Atque hoc decretum confirmatum fuit in Synodo Arelatenſi 1. cap. 1. & Antiochena, circa annum 344. cap. 1. & in hodiernum diem obſeruatur in Eccleſia.

Ratio inueniendi diem Paſchalem.

Ad inueniendum autem diem Paſchæ Concilium Nicænum conſtituit, primò, vt Paſcha ſemper celebraretur poſt diem 21. Martij: nam illo tempore Æquinoctium vernale hoc die fuit, & Paſcha poſt æquinoctium celebrari debet. Secundò, vt poſt diem 20. Martij expectaretur luna 14. & poſt eam diem quæreretur Paſcha. Nam Paſcha celebrari debet à luna 15. vſque ad 21. incluſiuè. Et ad inueniendam lunam, aurei numeri Cyclum compoſuerunt. Vbicúnque enim in Calendario (vt vocant) aureus numerus inuenitur illius anni, ibi eſt Nouilunium. Tertiò, vt poſt lunam 14. occurrentem, poſt viceſimam diem Martij, expectaretur dies Dominica, & illa eſt Paſcha. Iſta verò regula, vt tunc temporis fuerunt optimæ, ita hodie fallunt, quando æquinoctium non eſt 21. die Martij fixum, ſed ſemper anticipat: nunc enim eſt 10. Martij. Vſu quóque compertum eſt aureum numerum antiquum non amplius fideliter Nouilunium indicare. Cúmque Ambroſij tempore, nata eſſet difficultas quædam, & ignoraretur, quænam eſſet vera dies Paſchæ ſecundùm Nicænum Concilium vndique miſſæ ſunt literæ Epiſcoporum vltrò citróque, & extat Ambroſij prolixa epiſtola 83. hac de re. Deinde cum circa annos 400. ſimilis difficultas orta fuiſſet, Innocentius 1. ita ſcripſit ad Aurelium Carthaginenſem: Quum in futuro anno ante diem 11. Cal. April. penè luna 16. colligatur: itémque quum in ante diem quartum Calend. memoratarum veniat 23. exiſtimaui 11. Calend. earundem die, Feſta Paſchalia celebranda: quoniam in vigeſima tertia luna, nullum Paſcha vnquam factum eſſe cognoſcimus, &c. Monet quóque Aurelium, vt ipſe etiam, coacta ſynodo, quæſtionem illam diſcuteret, & ad ſe ſcriberet Concilij ſententiam. Rurſum tempore Leonis, quum eadem orta eſſet difficultas, ſcripſit de ea Leo Papa ad Imp. Martianum in hanc ſententiam epiſt. 62. Ab vndecimo Calendarum April. vſque in 10. Cal. Maiarum legitimum ſpatium celebrandi Paſcha ſit præfinitum. Intra quod omnium varietatum neceſſitas concludatur, vt Paſcha Dominicum, nec prius poſſimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum & in nonum Calend. Maiarum videtur nonnunquam perueniſſe Feſtiuitas, quadam ratione defenditur. Quia etſi dies Reſurrectionis vltra terminum videtur exiſſe, dies tamen Paſſionis, limitem poſitum non videtur egreſſus. Ad octauum autem Calendarum Ma. Paſchalem obſeruantiam perducere, nimis inſolens, & aperta tranſgreſſio eſt. Hæc Leo. Conſtat autem anno 1546 incidiſſe Paſcha in 7. Calend. Maij, vt etiam teſtatur Surius Monachus in marginalibus annotationibus ad epiſt. 62. Leonis. Eadem ſcripſit Leo ad Eudoxiam Auguſtam, ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, & alios, vt eſt videre epiſtola 63. 64. 65. & 95. Africani quoque Epiſcopi, ne in ſuis Eccleſiis hac in re varietas aliqua accidere poſſet, in Carthaginenſi Concilio 3. anno 399. habito, decreuerunt, vt propter errorem omnes Epiſcopi obſeruationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi accipiant. Similiter in Carthaginen. Synodo 5. anno 420. ca. 7. præcipitur, diem Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus eſſe ſignificandum: de Conſec. diſt. 3. placuit. Et in Concilio Bracarenſi 2. anno 610. ca. 9. iniungitur Metropolitanis, vt ex diligenti collatione aliorum ante tres menſes Epiphaniorum indagent tempus Paſchatis, & deinde ſuis comprouincialibus indicent, & vno tempore celebrandum annuncient.

annuntient. *Idem ſtatuitur in Concilia Toletana 4. ca. 4. anna Domini 639. Et diu ante in Caucilio Aurelianenſi 4.circa Pelagij I.tempara, cap. 1.*

Certamen de Paſchate nondum ſopitum.

Nihilaminus tamen hinc inde alterius partis manſerunt reliquia,& Teſſareſcæ decatitæ, *Latinè* Quartodecimani *appellati ſunt: Nicephorus lib.4.cap.39.Fuerunt enim in Lydia ſub Arcadio, vt actiones Caucilij 1. Epheſini oſtendunt. Fuiſſe & Iaanni Conſtantinopolitana Epiſcopa iiſdem temporibus cum Quartadecimanis certamina Sacrates tradit lib.6.cap. 11. Idem etiam teſtatur li.7.c. 79. de Neſtorio Cauſtantinopalitana Epiſcopo,quòd per Aſiam, Lydiam,& Cariam Quartodecimanis multa mala intulerit. Sed & Philaſtrius qui claruit circa annos Chriſti 380.Trithemia teſte,in hæreſean Cataloga refert,huius conſuetudinis aſſeclas in Galatia Syria,Phrygia & Hieraſalymis ſua adhuc ætate multos fuiſſe. Celebrata quóque eſt Synodus apud Laadiceam Phrygia Pacatiana,authare Theadoſio Epiſcopa anno 368.in cuius ca.7.tanquam hæretici excommunicantur Quartadecimani, nec prius recipi pracipitur, quàm omnem condemnent hæreſim. Obſerua quoúſque praceſſerit hæc cantentio. Circa annum quóque 370.temparis appartunitatem nacti, per Martianum Nouatianum Valentis Imperatoris amicum, Synodo Epiſcoparum in Pazeno Bithynia vica conuacata, Paſchalis ſalennitatis rationem à B. Ioanne Apaſtala ipſis traditam, minimè immutandam eſſe decernentes,regulam de Paſcha abſeruatione tradiderunt,vt luna decimaquarta, quacunque feria accidiſſet, Paſchalis abſernaretur ſolennitas. Paſt aliquot annos Martiana iſta Nouatianarum iam facto Epiſcapo, Sabbatius quidam,ex Iudaa Chriſtianus factus, vnà cum Macario & Theoctiſto canonem feſtiuitatis Paſchalis ſub Valente Imp.in Pazeno canſtitutum, defendere conati ſunt. Martianus itáque ſynadum in Sangario Bithynia conuocauit,in qua Sabbatius cauſas diſſenſianis propaſuit,& amnium Epiſcoparum conſenſu, decretum editum fuit, quod appellarunt Ἀδιάφορον, quia in ea ſtatuerunt,* liberum cuíque eſſe debere, agere *Paſcha* quandò velit, ne propter opinionum contrarietatem,& Eccleſiarum diſcrepantiam, fidei vnitas diſſolueretur. *Sacrates libro quinta,capite vigeſimo primo,& in Tripart.hiſt.libro 9.cap.37.& Nicephorus libra 12.cap.31.*

Britanni quóque & Scoti apud Bedam lib. 3.hiſtoria cap.25.& lib.5.cap.22.Paſcha celebrabant prima Dominica poſt lunam decimam tertiam Martij,ita vt aliquandò ipſa 14. luna Paſcha celebrarent. Ac licet in hoc néque Iudais, néque Chriſtianis canſentirent: nam Iudaïs primus dies ſolennis erat luna 15. ſed incipiebant Feſtum à veſpera pracedente,id eſt, luna 14. ad veſperam, iſtis autem primus dies ſolennis erat decimusquartus,& cùm etiam ipſi inciperent à primis veſperis, neceſſariò incipiebant luna 13. nihilominus tamen ex imperitia exiſtimabant ita S.Iaannem celebrare ſolitum. Hoc igitur Auguſtinus, Benedictini Ordinis Monachus à Gregaria Papa anna Damini 597.cum cobarte militum Gallarum,& Italorum in Britanniam miſſus,vt eam Romana Pontifici lucretur, & eius quaſtuoſa ac ſuperſtitioſa iuriſdictiani ſubiiciat, reprahendit,ac cannocata Synado inter alia etiam poſtulauit,vt Paſcha eodem tempare quo Ramani celebrarent. Sed tunc canatus eius irritus fuit, Britannis aliquandiu Aſianas & Gracas ceremanias retinentibus. Auguſtinus igitur atrax bellum cancitauit,& libertatem ſuam Eccleſiaſticam defendentes atrociter perſequutus eſt. Poſt aliquat annas Honorius Papa ſuas vnltures in Anglia literis innat, & Scotos, vt in Paſchatis abſeruatione errantes, redarguit: idem etiam Iaannes 4.facit. Regino lib.1. Facta ſunt hæc circa annum 627.iuxta Bedam, qui tum temporis errorem hunc exortum dicit. Moti ſunt igitur his literis ad terriculamentis Pontificum Rom. Scoti in Auſtralibus Hyberniæ partibus, vt Romana more Paſcha abſernarent: Septentrianales verò, & vniuerſi Pictones,in veteri canſuetudine perſeuerarunt. Beda libro 3. cap. 3. Cùm igitur contrauerſia hæc inter partes compani nequaquam poſſet,ſed acerbiùs validiúſq; ſubindè agitaretur, adeò vt ipſam etiam Regiam infeſtaret: (nam cùm Rex Oſuuinus cum ſuis Scatorum more Paſchatis Feſtum celebraret, Regina Cantuarios ſuas ſequens, adhuc in Ieiunio perſiſteret,ſicque bis ageretur Paſcha in vno anno) Rex, vt huic malo occurreret, Synadum indixit, in qua duo potiſſimùm viri Calmannus Lindisfarnenſis Epiſcapus,& Vuilfridus Abbas pra vtraque parte non ſine contentione diſputarunt. Scoti affirmabant ſe conſuetudinem ſuam à Ioanne Apoſtolaper ſuos Maiores accepiſſe. Pontificij è cantrà Petrum ſui moris authorem faciebant. Ac multis quidem vltrà citróque allatis,tandem ab Oſuuino Rege canclusum eſt,ſe partes Petri potiares & meliares iudicare, ne ſibi aliquando ad cœlum venienti aſſenſus fores claudat. Sicque repudiata Scotorum conſuetudine, Ramana more apud Northanymbras Paſcha celebrari cœpit. Sed Colmannus cum ſuis aſſentiri naluit,& potius Epiſcapatu ceſſit: congeſſit etiam ex Antiquarum ſententiis & dictis librum contra ceremoniales Ramaniſtas pra ſociis Quartadecimanis, Balea teſte. Facta ſunt hac anna 654. Beda lib.3.cap. 25.& 26.& Sigebertus in Chranica. Circa annos Chriſti 700. Naitanus etiam Pictorum Rex in Pantificiorum conceſſit ſententiam,& in canſeſſu Doctarum & Pracerum decretum facit de Paſchate ſecundùm Romanam conſuetudinem celebranda, Beda lib.5.cap. 22. Non multa poſt quóque Huenſes Monachi, ab Ecberto inſtituti, ſub

Abbate

Abbate Duamchodo, anno Domini 728. Romano more Paſcha celebrare incipiunt, Beda lib. 5. cap. 23. Britones verò Paſcha Romanum & alias ceremonias Pontificias reſpuerunt, & impugnarunt, Beda lib. 5. cap. 24.

Inter hos ipſos etiam, qui Paſcha iuxta Niceni Concilij decretum obſeruarunt, diſcordiæ & diſſenſiones exortæ ſunt: quod in quartadecima lunæ perſcrutatione, & primi menſis terminatione ſæpenumero variarent, propter varietatem Calendarij, & Cyclorum, quibus pro quartadecima luna indaganda vtebantur. Alexandrini enim qui Nicenæ Synodo interfuerunt, nouum cyclum lunarem, quem decennouenalem vocant, Calendario ſuo coaptantes, à 4. Cal. Sept. principium eius ſtatuerunt, & à primo anno poſt Nicenam Synodum eum inchoarunt. Latini verò, iuxta conſuetudinem ſuam, quam ab Hebræis acceperant, à Inuentione autumnalis æquinoctij hunc Cyclum deduxerunt. Ex hac Cyclorum & Calendarij diuerſitate, multæ inter Græcos & Latinos contentiones ortæ ſunt, ex quibus etiam aliæ controuerſiæ indies pullularunt, tum de primi menſis exordio, quem Alexandrini & Græci ab 8. Id. Martij, ſed Latini à 3. Non. Martij auſpicandum duxerunt: tum de terminis Paſcha, ſiue limitibus conſtituendis, quos Græci ad dies 35. extenderunt: Latini autem ad 30. duntaxat dies limitandos putarunt, ne Paſcha primi menſis terminos excedat, & abominoſum Paſcha in ſecundo menſe fiat: tum etiam de embolismis collocandis potiſſimùm in anno octauo, & decimo nono Cycli Decemnoualis. Poſt multas contentiones Eccleſia Romana tandem approbauit doctrinam Alexandrinorum, & recepit Canones per Theophilum Alexandrinum editos, iuxta declarationem Dionyſij Abbatis Romani, qui circa annum Domini 532. Victorini & Latinorum de Paſcha celebratione ſcripta confutans, Alexandrinorum doctrinam in vſum reuocauit, cyclúmque Decemnoualem Paſchalem Theophili Romano Calendario inſcripſit, nulla in eo mutatione facta, niſi quantùm ſupputationis ratio expoſtulabat, propter diuerſa Calendariorum principia: quamobrem neceſſe fuit mutare denominationes numerorum à 4. Cal. Sept. vſque ad principium Ianuarij.

Ritus celebrandi Paſchalem diem.

Cœnam Domini loco Paſchæ celebrarunt in primitiua Eccleſia.

CElebrabatur Paſcha in veteri Teſtamento non tantùm propter memoriam liberationis ex Ægypto, aliorúmque beneficiorum, quæ Deus populo ſuo olim præſtiterat: ſed inprimis, quia typus erat Meſſiæ, qui ſuo ſanguine genus humanum à captiuitate & tyrannide Peccati, Mortis, Diaboli & Inferni liberare debebat. Quo etiam Ioannes Baptiſta reſpexit, inquiens: Hic eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Abrogauit autem Chriſtus hanc ceremoniam non ſolùm inſtitutione Cœnæ Dominicæ, in qua Corpus & ſanguinem ſuum comedendum & bibendum propinat, ſed etiam profuſione ſui ſanguinis in ara Crucis. Ideóque poſt Chriſti Reſurrectionem credentes non ampliùs Iudaico ritu Paſchalem Agnum mactarunt & comederunt, ſed eius loco Cœnam Dominicam celebrarunt in publicis congreſſibus, in quibus etiam Reſurrectionis memoriam decantarunt, & ieiunia præcedentis hebdomadæ ſoluerunt. Fuit hic ſimplex ritus Primitiuæ Eccleſiæ in celebratione diei Paſchalis: cuius etiam meminit Athanaſius in epiſtola ad Dracontium, vbi indicat, in Africanis Eccleſiis hoc ritu ſuo tempore celebratum eſſe Paſcha, vt primò conciones de Reſurrectione Domini ad cœtus collectos habitæ ſint, poſteà verò ad epulas populus conſederit, inſpiciente & præcipiente Epiſcopo, vt religioſè & ritè epularentur. Et in Aurelianenſi 1. ſynodo ca. 27. ſancitur, vt nulli ciuium Paſchæ, ſicut Natalis Domini & Quadrageſimæ ſolennia, in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas impediat. De Conſec. diſt. 3. Nulli ciuium.

Superſtitiones quæ hoc die introductæ, &c.

Progreſſu verò temporis varij abuſus & ſuperſtitiones acceſſerunt. Innocentius III. enim anno 1215. in Concilio Lateranenſi M. decreuit, vt omnes Fideles vtriúſque ſexus in anno ſemel ſaltem, nempe in Paſchate, Euchariſtiæ Sacramentum percipiant: ca. 21. Et hinc eſt, quòd in Papatu vulgus in Paſchate tantùm communicat. Hac autem de re nihil vel Chriſtus vel Apoſtoli definierunt, ſed liberum reliquerunt in cuiúſque Eccleſiæ arbitrio. Nam Chriſtus, Paulò authore 1. Corinth. cap. vndecimo dixit. Hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei commemorationem. Ipſe quoque Paulus eodem loco ait, Quotieſcúnque comederitis Panem hunc, & de Poculo hoc biberitis, Mortem Domini annunciabitis. Hinc legimus nonnullos in Primitiua Eccleſia ſingulis diebus, alios diè tantùm Dominica per totum annum, plures in celebrioribus Feſtis communicaſſe. Et manifeſtè Agathenſis Synodus diu ante Innocentium decreuit, vt Laici, qui Feſto Paſchæ, Pentecoſtes & Natiuitatis Domini non communicaſſent, in numero Fidelium non haberentur.

Romæ quoque hac die fit Statio apud S. Mariam Maiorem. Hoc inde ſumpſit originem, quòd cùm Gregorius I. Papa hac die ibi celebraret Miſſam, &, Pax Domini, pronunciaret, Angelus alta voce reſpondit, Et cum Spiritu tuo: in huius rei memoriam Statio ea die fit dicto loco. Propterea etiam cū Papa hac die ibi

Miſſam celebrat, & dicit, Pax Domini, *nihil ei reſpondetur. Ita quidem nugatur Durandus in Ration.lib.6.cap.88. Ergò ante Gregorium annos plus minus* 590. *à nata Chriſto hæc ceremonia nuſquam fuit.*

3. Proceſſionum origo in Dominicis. *Ante Miſſam etiam huius diei ſit* Proceſſio, *eò quòd Angeli dixerunt Mulieribus,* Ite, dicite Diſcipulis, quòd præcedat vos in Galilæam. *Similiter etiam Dominus,* Nunciate Fratribus meis, vt eant in Galilæam. *Ab hac Proceſſione omnes* Dominicales Proceſſiones *per annum originem ſuam habent. In ea præcedunt luminaria, cruces & vexilla: ſequuntur Sacerdotes albis induti veſtibus: & nihil ex Veteri, ſed Nouo tantùm Teſtamento cantatur. Poſt Proceſſionem ſequitur Miſſa, & tres cerei ante altare ardere conſueuerunt, ad Trinitatem ſignificandam, vt ibidem Durandus refert.*

4. *In die quóque Paſchali nihil comedendum arbitrantur Papiſtæ, quod à Sacerdote non ſit prius benedictum. Vndè in quibuſdam locis quæcùnque comedi debent ad Eccleſiam portantur, & in atria aut veſtibulo Eccleſiæ cum cruce & aqua benedicta, & in veſtibus ſacris à Sacerdote benedicuntur, & ipſe de ſingulis aliquid ad ſuam neceſſitatem accipit. Beleth in Rationali cap.*118. *Et multi hos benedictos cibos tanquam ad ſalutem animarum vtiles emunt: quod tamen prohibitum fuit in Laodicena 1. ſynodo, ca.*14.

5. *In quibuſdam etiam locis hac die, ſicut & in Natali Chriſti Epiſcopi aliique Præſules cum ſuis Clericis aleis ludunt vel etiam pila, interdum etiam ad choreas & cantus deueniunt, vt refert Durandus in Ration.lib.6.cap.86. & Beleth ca.* 120. *Faciunt hoc ad Ethnicorum imitationem, apud quos certo tempore anni ſerui cum dominis eadem poteſtate fruebantur. Exempla aliquot Græcorum ab Athenæo recitantur lib. 4. Dipnoſaph. Apud Romanos quóque Saturnaliorum diebus moris fuit, vt domini famulos ſuos conuiuio exciperent, ipſique ſeruorum officia fungerentur. Reprahendit autem Athenæus libro 6. hunc morem & conſuetudinem, minimèque vult (vt etiam Plato lib.6. de Legibus) dominas cum ſeruis & ancillis ſuis iocari atque nugari, ne & illis parendi ſeruiendique & ſibi imperandi conditionem difficiliorem reddant. Quantò minus hoc Chriſtianarum Epiſcopos & Antiſtites decet, præſertim in Paſchate & Natali Domini, quandò maximarum rerum memoria celebratur?*

6. *Quidam Hyberniæ populi arbitrati ſunt, obſequium ſe præſtare Deo, ſi per anni circulum furto & rapina congereſſent, quæ in Paſchali ſolennitate profuſiſſimis, tanquam ad honorem reſurgentis Domini, abſumerent conuiuiis: fuitque inter eos vrgens concertatio, ne fortè quis ab alio immoderatiſſimis ferculorum præparationibus vinceretur, vt referunt Magdeburgenſes Cent.*12.*ca.*6.

Conſtantinopoli quóque in die Paſchali Taraſius Archiepiſcopus finita communione, ſacris indutus veſtibus, ad Baſilicæ Veteris locum, qui dicebatur Eſtia, exibat, & egentibus parabat conuiuium, eiſque diſcumbentibus miniſtrabat, & vinum infundebat ac diſtribuebat, vt refert Ignatius in vita eius apud Metaphraſtem. 7.

De Riſu Paſchali.

AB iis verò lætitiæ ſignis, quæ in memoriam Reſurrectionis Dominicæ in die Paſchali edebantur, ſine dubio conſuetudo illa in plurimis Pontificiis Eccleſiis originem ſumpſit, quæ in ipſa Sacroſancto die Paſchæ inter concionandum, ad recreandum auditorum animos & riſum excitandum, quum nullo vnquam tempore nos magis oporteret eſſe ſerios, profana & ludicra proferuntur fabella ab ipſis Sacerdotibus, haud aliter quàm à ſcenicis Hiſtrionibus & Circulatoribus. De qua conſuetudine Oecolampadius in Epiſtola ad Capitonem de Riſu Paſchali, *Hunc morem, ait, tanquam ſatrum cuſtoditurus frater quidam, magno ſatis ineruditæ plebeculæ plauſu deblatterabat tam ridicula deliramenta, vt me pudeat eiuſmodi nugis chartas commaculare, ne aures pias offendam. Eum ego hominem non multò poſt conueni, rationem requirens, vnde ille inoleuiſſet, an Paſchalibus gaudiis dignus, an ab Apoſtolis in has vſque temporum feces profluxiſſet? Admonuit is me inſcitiæ meæ qui pulcherrimam, concionatorique in primis neceſſariam τῆς εὐτραπελίας virtutem ignorarem. In Paſchali die non tam ſerium eſſe oportere Concionatorem. Sequenti die in conatato multorum expoſui diſputationem noſtram: cœperúntque & ſodales ridiculas gerras memoriter ſinguli percenſere, quas alij aliis in locis audierant, eo ipſo die ſcilicet. Vnus, inſtar cuculi placentulis in caua ſalice deuoratis cucullabat: alius fimo bubulo incubans, tanquam vitulum producturus, appropiantes ſibilo more anſerum abigebat: alias Laicum vna nocte cutullo indutum, Sacerdotem eſſe perſuadebat, & ad altare transmittebat. Ita commemorabant, vt ante oculos rem depingerent. Aderat & qui D. Petri ſtrophas narraret, quibus hoſpites ſymbolis naulis defraudarit. Obſcæniores miſſas facio. Rogante autem me, num quid & allegorias tenerent? ſubitò repreſſus eſt clamor: nulli in numerato erat quod reſponderet. Vix tandem ſenior ait, audiſſe ſe ex Concionatoribus, non id tum agere eos, vt myſteria euoluant, ſed ne non feſtiuis & comes auditorum exhilarent.*

Contra Riſum Paſchalem. *Hunc autem morem grauiſſimè Oecolampadius in illa Epiſtola perſtringit. Et ne quis putaret ſibi ſoli diſplicuiſſe, inter alia dicit, ſe vidiſſe grauiſſimos viros alioqui Verbi Diuini nõ indiligentes auditores, ea hora domi delituiſſe,*

ne

ne talibus nugis contaminarentur. Vidi quoque, ait, & viderunt mecum alij permulti, nonnullos, ridentibus aliis Cancionatoris ineptias indignabundos tam auditorum quàm concionatorem reliquiſſe. Adducit etiam Ioannis Keyſerſpergij, ſimiliter hunc ritum deteſtantis, verba, ex ipſius Catulo Peregrini, quæ ſic habent: Quid eſt hic quòd tempore Paſchali inualuit corruptela, vt ad riſum & leuitatem populus per quoſdam prædicatores ridendos, cum exceſſu nimio etiam prouocetur? Planè deuotionem quam priùs conceperant, prorſus extinguentes. Profectò in talium labiis mors eſt.

De Quinquagesima intra Paſchalia & Pentecoſten.

Quinquageſima olim tota feſtiua.

Dies illi quinquaginta intra Paſcha & Pentecoſten omnes Feſtiui olim fuerunt Chriſtianis. Hæc inde colligitur, quòd Tertullianus in libro de Idololatria dicit: Si ſingulæ Gentium ſolennitates numerentur, non poſſent implere noſtram Pentecoſten, hoc eſt, quinquaginta illos dies Feſtos à die Paſchæ in Pentecoſten. *Et Hieronymus ad Lucinium Epiſt. 28. cùm dixiſſet, Vtinam omni tempore ieiunare poſſemus, addit:* Nec hoc dico, quod Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam. *Et Ambroſius in cap. 17. Lucæ inquit*: Maiores tradidere nobis, omnes quinquaginta dies Pentecoſtes, vt Paſcha celebrandos, quia octaua hebdomadis initium Pentecoſten facit. *Et Sermone 60. dicit*: Iſtorum quinquaginta dierum iugem & continuatam eſſe Feſtiuitatem, qualis eſt die Dominica. *Et Serm. 61. ait*: Inſtar Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies veluti Dominici deputantur, cùm poſt Reſurrectionem tota Quinquageſima Chriſtus cum hominibus commoratus ſit. *Chryſoſtomus quoque hos quinquaginta dies Feſtiuitatem Sanctorum dierum nominat, & dies eſſe Remiſſionis ac Indulgentiæ ait: monet præterea ſuos auditores, vt ita eam feſtiuitatem agant, ne relaxatione corporum puritas corrumpatur animorum: abſtineant ab omni luxu, ebrietate, laſciuia, & dent operam ſobria remiſſioni, ac Sanctæ ſynceritati: idque deberi non modò vtilitati ac ſaluti ipſorum, ſed etiam ipſi feſtiuitati ac tempori: Serm. 8. de Reſurrectione.*

Quinquageſima quomodo celebrata.

Propter honorem autem & gaudium Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, nec non propter glorioſum Sancti Spiritus aduentum hos dies cum magna lætitia egerunt inſtar Dominicæ diei. Vnde etiam toto hoc tempore, ſicut die Dominica, non ieiunarunt, nec de geniculis, ſed ſtantes adorarunt, vt indicat Tertullianus lib. de Corona militis, item Hieronymus aduerſus Montanos & Luciferianos. Et Ambroſius Serm. 61. ait: Scire debet Veſtra Sanctitas, cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis iugis & continuata Feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore, néque ad obſeruandum indicamus ieiunia, néque ad exorandum Deum genibus ſuccumbamus, ſed ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati Reſurrectionem Domini celebramus. *Item* Sic diſpoſuit Dominus, vt ſicut eius Paſſione in Quadrageſimæ ieiuniis contriſtamur, ita eius Reſurrectione in Quinquageſimæ feriis lætaremur. *Eadem etiam refert Durandus in Ration. libro ſexto, capite 86. & habentur diſtinct. 76. Scire. In conuentibus etiam horum dierum in hymnis & canticis* Alleluia *in ſignum lætitiæ vtebantur, vt indicat Auguſtinus Tractatu 17. in 5. cap. Ioannis: item Epiſt. 86. ad Caſulanum, & Epiſtola 119.*

Quinquageſima origo.

Hilarius in Prologo explanationis Pſalmorum ſolennitatis huius Apoſtolos Authores quodammodo facere videtur, ſic enim ait: Sabbatha Sabbathorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, vt his Quinquageſimæ diebus nullus néque in terra ſtrato corpore adoret, néque ieiunio Feſtiuitatem huius beatitudinis impediat. *Tertullianus autem de Corono militis numerat hanc Feſtiuitatem inter illa*, quæ ſine vllius Scripturæ teſtimonio, ſollus traditionis titulo, & conſuetudinis patrocinio recepta fuerint. *Et habuiſſe hanc ſolennitatem, vt etiam alias liberas obſeruationes, id probat ſatis, quòd iam pridem ſublata eſt penitùs: nam & ieiunia ſequentibus ſeculis intra Paſcha & Pentecoſten inſtituta, & geniculationes admiſſa ſunt: & tantùm Quadrageſimus dies, qui eſt Aſcenſionis; & Quinquageſimus, qui eſt Pentecoſtes, Feſtiui manſerunt.*

Quinquageſima libera obſeruatio.

De Septimana in Albis.

Septimana hæc cur dicatur in Albis.

Septimana illa, *quæ ſequitur Paſchalem idem vulgò vocatur* Septimana in Albis, *propter Angelos, qui in Reſurrectione Domini in albis veſtibus apparuerunt: & quia olim baptizati in Sabbatho Sancto his diebus candidis veſtibus vtebantur vſque ad Sabbathum in Albis, in quo depoſuerunt eas: vel etiam, quòd tunc ſolebant illi qui baptizati erant confirmari ab Epiſcopis, & albas alias veſtes induere vſque ad ſequens Sabbathum: Beleth in Ration. cap. 130. & Durandus in Rat. lib. 6. cap. 86. & 89. Chryſoſtomus etiam Serm. 8. de Reſurrectione inquit*, Eo die quo Paſchalis ſolennitas

 nitas

nitas concludi ſolita fuit. Neophytos commutaſſe habitum, quem candidum eo vſque geſtarint. *Vndè etiam ſolennitas huius ſeptimanæ* dies *ſeu* Feſtum Neophytorum *vocatur ab Auguſtino Epiſt.*119. *ad Ianuarium.*

Septimana hæc tota feſtiua fuit.

Fuit autem, ſecundùm conſuetudinem Primitiuæ Eccleſiæ, maximè verò ex conſtitutione Conſtantini Magni, tota Feſtiua: Paulus Diaconus lib. 11. *Roman. rerum: vbi etiam indicat, qua ratione hanc Solennitatem hoc toto octiduo celebrandum præceperit, nimirùm ſine negotio cuiúſque operis. Hoc decretum Conſtantini poſteà confirmauit Concilium vniuerſale VI. Conſtantinopol. anno* 681. *iuxta Panuinium, celebratum in Trullo can.*66. A Sancta, *inquiens*, Reſurrectionis die vſque ad nouam Dominicam tota ſeptimana Eccleſiis vacare Fideles oportet, Pſalmis & Hymnis & Spiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes, Feſtúmque celebrantes, & diuinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis Myſteriis iucundè fruentes. Nequaquam ergò his diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum. *Et in Meldenſi Synodo can.* 77. *ita ſtatuitur:* Dies octo Sacroſanctæ Paſchalis feſtiuitatis, omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, audientiali, ac ſacramentis exigendis: qui ſecùs fecerit, excommunicetur. *Idem confirmauit Carolus M. Ludouicus, & Lotharius in legibus quas collegit Anſegiſus Abbas cap. de Feriarum obſeruatione. Extat enim in decretis de Baptiſmi temporibus, de Conſec. diſt.* 4. *c. Non ratione: & refertur à Rhenano Annotat. ad Tertulliani librum de Corona militis.*

Remiſit tamen paulùm rigorem hunc Synodus Moguntina anno 813. *iuſſu Caroli Magni habita, in qua ca.* 36. *ita ſancitur:* Præcipimus diem Dominicam Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari: ſimiliter feriam ſecundam, tertiam & quartam: A feria quinta ante Miſſam licentia ſit arandi vel ſeminandi, & hortum vel vineam excolendi, & ſeptem circumducendi, ab alio verò opere ceſſare decreuimus. *In hanc etiam ſententiam Durandus in Ration. lib.*6. *cap.* 86. Tribus, *inquit*, primis diebus Paſchæ ſolenniter eſt feriandum: in ſequentibus verò licet viris ruralia opera, quæ magis neceſſaria ſunt, exercere: ſed fœminis non licet nere, nunquam autem choreas ducere. *Et in Conſtitutionibus ad tollendos abuſus in Eccleſia per Laur. Compegium anno* 1524. *Ratiſponæ editis, ſancitur ca.* 20. vt dies Paſchæ cum feria ſecunda & tertia duntaxat Celebris habeatur.

Superſtitiones progreſſu temporis in hac ſeptimana obſeruatæ.

Aduerte autem quàm religiosè progreſſu temporis hæc Solennia obſeruarint. Durandus in Ration. lib. 6. *cap.* 89. *Alij deſcendunt, inquit, proceſſionaliter ad fontes Baptiſmatis cum cereo per hanc totam hebdomadam, cantantes canticum Exultationis: & populus ſequitur, ſcilicet viri per ſe, & mulieres per ſe, in memoriam eius, quòd Hebræi Pharaone & ſuis in mare rubro ſubmerſis fecerunt, qui pro gratiarum actione de ſubmerſione hoſtium per totam hebdomadam redibant ad mare virè & mulieres ſeparatim, cantantes canticum. In his etiam Proceſſionibus Neophyti quotidiè per hos ſeptem dies à patrinis & matrinis ad Eccleſiam ducuntur, & paſcuntur corpore Domini, & cerei præcedunt eos. Cereos autem, quos in Sabbatho Sancto, dum baptizarentur, habuerunt, per hanc hebdomadam in quibuſdam locis ad Miſſas & Veſperas accendunt, & in Sabbatho in Albis, ac ſequenti Dominica illos accenſos offerunt Sacerdoti. In quibuſdam etiam Eccleſiis his ſeptem diebus, quandò deſcenditur ad fontes, præfertur quidam ſerpens imaginarius ſuper virga, & candela nouo lumine accenſa ſuper caput ſerpentis retorta affigitur, ex qua Cereus Paſchalis, & omnes aliæ candelæ in Eccleſia accenduntur. Hæc Durandus.*

Paſſio Dominica in ludum ſcenicum commutata.

Alij verò ludos ſcenicos & quidem ex Sacroſancta hiſtoria Paſſionis Chriſti inſtituunt, qui hac ſeptimana Paſchatis populo publicè in theatro exhibentur. Fit hoc manifeſtè contra authoritatem Conſtantinop. Concilij Vniuerſalis 6. *in cuius can.*66. *præcipitur,* Ne à Sancta die Reſurrectionis vſque ad Cœnam Dominicam tota ſeptimana ALIQVOD publicum fiat ſpectaculum. *Hanc etiam conſuetudinem grauiſſimè inſectatur Ludouicus Viues in ſuis Comment. ad cap.*27. *lib.*8. *Auguſtini de Ciuitate Dei.* Mos nunc eſt, *inquit*, quo tempore Sacrum celebratur Chriſti, Morte ſua genus humanum liberantis, ludos, nihil propè à ſcenicis illis Veteribus differentes, populo exhibere: etiamſi aliud non dixero ſatis turpe exiſtimabit quiſquis audiet, ludos fieri in re maximè ſeria. Ibi ridetur Iudas quàm poteſt ineptiſſima iactans, dum Chriſtum prodit: ibi diſcipuli fugiunt militibus perſequentibus, nec ſine cachinnis & actorum & ſpectatorum: ibi Petrus auriculam reſcindit Malcho, applaudente pullata turba, ceu ita vindicetur Chriſti captiuitas. Et poſt paulùm, qui tam ſtrenuè modò dimicarat, rogationibus vnius ancillulæ territus abnegat Magiſtrum, ridente multitudine ancillam interrogantem, & exſibilantem Petrum negantem. Inter tot ludentes, inter tot cachinnos & ineptias

ptias

prias ſolus Chriſtus eſt ſetius & ſeuerus: cúmque aff.ctus conatur mœſtos elicere, neſcio quo pacto non ibi tantùm, ſed etiam ad ſacra frigeſacit, magno ſcelere atque impietate non tam eorum qui vel ſpectant vel agunt, quàm Sacerdotum, qui eiuſmodi fieri curant. *Hac Vines. Manlius in ſuis locis Communibus fol.11. hiſtoriam recenſet, qua oſtendere vult, Deum grauiter iraſci huiuſmodi Contemptoribus Paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, eámque hoc modo proponi & repraſentari nolle. Cùm ageretur, inquit, in quodam celebri loco tragœdia de Paſsione Domini noſtri Ieſu Chriſti, quidam agens perſonam pendentis in Cruce Saluatoris noſtri, accepto in corde lethali vulnere ab alio, petente veſicam cruore impletam, & lateri ipſius alligatam (hic militis illius egit perſonam qui lancea latus Domini aperuit, ex quo ſtatim exiuit ſanguis & aqua) mortuus concidit: alium etiam, qui deflentis ſub cruce perſonam repraſentabat, lapſu ſuo interemit, cuius mortem frater vindicans in eo, qui ipſum in ligno pendentem ſauciauit, capitali ſupplicio affectus eſt. Ita quatuor occubuerunt, non ſine ſuſpicione, Deum omninò nolle vt homines in tam ſeriis ludant rebus. Hæc ille.*

Feria lunæ vitus Oſtermontag.

Feria illa, quæ proximè ſequitur Dominicam Reſurrectionis diem, Germanicè der Oſtermontag / *multis in regionibus conuiuia agitantur, quæ ferè ouis & melitis quibuſdam libis coctis atque placentis conſtant. Et pluribus in locis, quum Scholaſtici hymnum illum canunt,* Chriſte qui lux *&c. tùm cætera quóque turba puerorum & puellarum oſtiatim oua colligunt, ab iis maximè, qui eos è ſacro fonte leuarunt, & illa tum ſimul comedunt, quod vulgò* Oſterfem *vocant. Ipſa verò oua ſic collecta, & tandem non emendicato* Zimbfeltag *vocant, quaſi* Zimboltag *propterea quòd illis ouis een ſymbolis collatis atque collectis vnà epulari conſueuerunt.*

Eodem die pleriſque in locis Papatus mulieres olim verberarunt maritos ſuos, & ſequenti die mariti vxores ſuas. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. dicit, fieri hoc, ad notandum quòd coniuges debeant ſe mutuo corrigere, ne alter ab altero exigat hoc tempore debitum thori. Decretum eſt enim in Concilio Eliberttino circa Silueſtri tempora, vt habetur de Conſec. diſt. 2. Omnis homo. & 24. q. 4. c. 1. quum die Paſchatis communicare debeant, tribus præcedentibus, & tribus vel quinque vel ſeptem ſequentibus diebus, ab amplexibus vt abſtineant: imò Liberius Papa hoc ſeruandum inſtituit per totam Quadrageſimam ad Paſcha vſque. Carranza & alij in Epitome Conciliorum hæc citant ex Gratiano, quia non extant in Canonibus Concilij Elibertini. Pauſanias in Achaicis indicat, in quodam Feſto Cereris, quod ſeptem diebus celebratum fuit in templo Cereris Myſiæ, quarto die mulieres ſuos viros in templum reuerſos deriſiſſe, & has viciſſim viros: de quo vide librum noſtrum de Feſtis Ethnicorum.

VINCENTIVS *Hiſpanus, Prædicatorij ordinis Monachus, obiit anno Chriſti 1418. Non. Aprilis. Canonizatus & Sanctorum Catalogo aſcriptus fuit à Calixto tertio, anno Domini 1455. Ob eámque rem ſupplicationibus Deo gratias egit, ab Eccleſia Mineruæ vſque ad S. Petrum continuato magno cleri ac populi Romani apparatu. Platina. Antoninus tit. 23. cap. 8. §. 4. Sabellicus Ennea.10. lib. 6.*

SIXTVS *Epiſcopus Romanus factus ſub Adriano Imp. martyrio ſub eodem coronatur, 8. Idus April. vt Petrus de Nat. refert lib. 4. cap. 33.*

EGESIPPVS *natione Iudæus, vicinus Apoſtolorum temporibus fuit, claruit enim ſub Adriano & Antonino Impp. Ad fidem Chriſti conuerſus, ſcripſit omnes à Paſsione Domini vſque ad ſuam ætatem hiſtorias libris quinque. Hiſtoriam etiam Iudaicam à Mathathia exorſus vſque ad belli Iudaici finem compoſuit. Sub Aniceto Romam venit, ibique ad Eleutherium vſque perſeuerauit, & diem ſuum obiit 7. Idus April. vt Hieronymus de viris illuſtribus & Pet. de Nat. lib. 4. cap. 36. referunt.*

DIONYSIVS *Corinthiorum fuit Epiſcopus, ſub Vero & Commodo Impp. hoc eſt, circa annum Chriſti 174. vt Euſebius in Chron. habet. Inſigni doctrina ornatus ſingulari fide & dexteritate Eccleſiam ſuam rexit & ad alias quóque epiſtolas ſcripſit. Tandem Corinthi obiit 6. Id. April. vt teſtatur Hieronymus de Viris illuſtribus & Pet. de Natal. lib. 4. cap. 37.*

PROCORVS *nepos fuit Stephani Protomartyris, Comes Ioannis Euangeliſtæ, & vnus ex ſeptem primis Diaconis ab Apoſtolis electis, vt eſt videre Act. 6. cap. Factus Epiſcopus Nicomediæ, à Ioanne Euangeliſta Antiochiam mittitur, vbi martyrio coronatus vitam finiuit 5. Idus Aprilis, vt indicat Pet. de Nat. lib. 4. cap. 39.*

DE SABBATHO IN ALBIS, in quo AGNVS DEI diſtribuuntur.

Dies hic Sabbathum in Albis *vocatur, quòd in eo baptizati in ſabbatho Sancto veſtes albas, quas per totam hanc ſeptimanam geſtarunt, deponunt.*

DE AGNVS DEI Confectione & Benedictione.

IN *eo quoque* Agnus Dei *diſtribuuntur à Pontifice Romano. Sed antequam ritum*

illum referâmus, de eorundem Confectione & Conſecratione nonnulla dicemus, vt inde intelligatur quid ſint, & quanto illis tribuantur. Adſcribemus autem hæc ex Ceremoniali Romanæ Eccleſiæ, ne quid à me hîc fictum putes aliquis. In eius igitur libro primo, Sect. 7. ſic legitur. Agnus Dei ſoliti ſunt benedici à Summo Pontifice annis primo Pontificatus, ſeptimo, & deinceps ſingulis ſeptenis. Antiquitùs autem cera alba pro illis formandis per magiſtrum ceræ Palatij Apoſtolici, & per illos, qui volebant pro ſe Agnus Dei, ponebatur ſuper altare Beati Petri, quam Subdiaconus Apoſtolicus de altari accipiebat, & in aliqua camera capaci & idonea in Palatio ipſi cum aliis Subdiaconis & Acolithis Papæ manibus propriis formabant Agnus Dei cum magna deuotione, reuerentia & munditia. Habebant aliquos ſeruos, qui neceſſaria miniſtrabant. Et omnia fiebant impenſis cameræ, ceram albam mollificabant cum Oleo Sancto, & Oleo Chriſmatis quod ſuperfuerat de anno præterito. Deinde quum facta erat tota quantitas, præſentebantur capſæ plenæ Agnus Dei, & benedicebantur per Papam. Hodiè autem Sacriſta cum ſuis Capellanis & Clericis capellæ format ipſos Agnus Dei. Ceram ipſam ſumit vel ex Cereo benedicto in Sabbatho Sancti anni præteriti, vel aliundè expenſis Papæ. Non miſcentur Oleo Sancto aut Sacro Chriſmate: ſed puri & munti præſentantur in capſis Papæ in camera ſua. Pontifex aliquo die poſt Paſcha ante Sabbathum in Albis dicto ſine audita Miſſa in ſua priuata capella, indutus amictu, albo, cingulo, ſtola & mitra ſimplici, benedicit aquam benedictione communi, ſicut fit in Dominicis diebus à Sacerdotibus, in aliquo magno vaſe ibi præparato. Et ſi magis placet poteſt illa aqua prius benedici ab aliquo Epiſcopo domeſtico Papæ. Deinde Pontifex accedens ad vas prædictum, depoſita mitra ſtans dicit Verſum, Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſpon. Qui fecit cælum & & terram. Verſ. Dominus vobiſcum Reſpon. Et cum ſpiritu tuo. Oremus: Domine Deus pater omnipotens. Statutor elementorum omnium, & Conſeruator humani generis, Datórque gratiæ ſpiritualis, & Largitor ſalutis æternæ, qui aquas ex Paradiſi fonte manantes totam terram irrigare iuſſiſti, ſuper quas vnigenitus tuus ſiccis pedibus ambulauit, & in eis baptizari dignatus eſt, quæ vnà cum ſuo ſanguine de latere ſacratiſſimo profluxerunt, & baptizari in eis præcepit Diſcipulis omnes gentes, adeſto benignus & clemens, & nobis tua hæc magnalia recolentibus adueniat, vt eas quæ in hoc aquarum vaſculo ad gloriam tui nominis præparato infundere decreuimus, &

Nota. immergere, bene † dicas, & benedicta ſancti„ † fices, quatenus ipſorum veneratione & ho„ nore nobis famulis tuis crimina diluantur, abſtergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratia conferantur, vt tandem vnà cum Sanctis & Electis tuis vitam percipere mereamur æternam: per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Reſumit deinde mitram Pontifex, & infundit balſamum ex ampulla in aquam in modum crucis, dicens: Conſecrare & ſanctificare digneris Domine aquas iſtas per iſtam vnctionem balſami, & noſtram benedictionem, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus Sancti † Amen. Et ter ſignat. Deinde ex alia ampulla in eandem aquam infundit Sanctum Chriſma, & in modum crucis dicens: Conſecrare & ſanctificare digneris Domine aquas iſtas per iſtam vnctionem Sancti Chriſmatis, & noſtram benedictionem: in nomine Patris † & Filij † & Spiritus ſancti † Amen. Benedicta aqua vertit ſe ad capſas, vbi ſunt Agnus Dei, & ſine mitra ſtans dicit: Dominus vobiſcum. Reſpon. Et cum ſpiritu tuo. Oremus, Deus omnium ſanctificationum Dominator, Dominus, cuius pietas ſine fine ſentitur, qui Abraham Patrem fidei noſtræ præcepto tuo filium Iſaac immolare diſponentem in figuram redemptionis noſtræ per arietem vepribus inhærentem eius ſacrificium conſummare voluiſti, quique Moſi famulo tuo legiſfero iuge holocauſtum præcepiſti in agnis immaculatis offerri, te ſuppliciter deprecamur, vt noſtra vocis exoratus officio has cereas formas innocentiſſimi agni

imagine figuratas bene † dicere, & per inuoca- Nota.
„ tionem Tui Sancti Nominis ſanctificare digne„ ris, vt per eius tactum, & viſum Fideles inui„ tentur ad laudes, frigor grandinum, procella „ turbinum, impetus tempeſtatum, ventorum „ rabies, infeſta tonitrua temperentur: fugiant „ atque tremeſcant maligni Spiritus ante ſanctæ „ crucis vexillum, quod in illis exſculptum eſt, „ cui flectitur omne genu, & omnis lingua confi„ tetur, quia deuicta morte per Crucis patibulum Ieſus Chriſtus regnat in gloria Dei Patris: ipſe enim tanquam ouis ad occiſionem ductus in morte tibi Patri ſanctum ſui corporis obtulit ſacrificium, vt ouem perditam diabolica fraude ſeductam reduceret, & reductam ſuis humeris ad cæleſtis patriæ gregem reportaret: qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Deinde dicit aliam orationem: Omnipotens Sempiterne Deus, qui legalium hoſtiarum, & ceremoniarum es Inſtitutor, & quæ pro reſtauratione humani generis fieri inſtituiſti, vt plaſmatio tuo, quæ ſuggeſtione diabolica decepta, tuæ maieſtatis imperium contemnendo indignationem tuam incurrit & his hoſtiis atque ſacrificiis obediendo placari voluiſti, ſicut in ſacrificio Agni primitiarum inſtituiſti Abel, & in oblatione Melchiſedech Sacerdotis tui: atque in immolatione hoſtiarum, agnorum, arietum, & taurorum pinguinum, Abrahæ, Moſi & Aaron famulis tuis: quæ omnia illis in figuram contingebant, quia cum

tua

Digitized by Google

tua ſancta benedictione ſancta erant, atque ſalutifera offerentibus. Et ſicut ille Agnus, de cuius ſanguine poſtes & ſuperlimina domus linebantur, immolatus, populum tuum à perſecutione Ægyptiaca media nocte liberauit: & quemadmodum ille agnus innocens tua voluntate immolatus in ara Crucis Ieſus Chriſtus filius Protoplaſtum noſtrum, de Diabolica poteſtate eripuit: ſic iſti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos conſecrandos offerimus in conſpectu Diuinæ Maieſtatis tuæ. Tu eos bene † dicere, ſancti † ficare & conſe † crare digneris, vt tua larga benedictione ſanctificati eandem virtutem accipiant „ contra omnes diabolicas verſutias & fraudes „ maligni ſpiritus, vt illos deuotè ſuper ſe ferentibus nulla tempeſtas eiſdem præualeat, nulla „ aduerſitas dominetur, nulla aura peſtilens, neque aëris corruptio, nullúſque morbus caducus, „ nulla maris procella & tempeſtas, nullum incendium neque vlla iniquitas dominetur eis, „ neque præualeat homo: partus cum matre incolumis conſeruetur per interceſſionem Vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui tecum viuit, &c. Oremus tuam clementiam Omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creaſti, & poſt Adæ lapſum Noe & Filiis eius benedixiſti, qui iuſti coram maieſtate tua comparuerunt, atque tua miſeratione ab aquis diluuij ſalui facti ſunt, ſic iſtos Agnos bene † dicere, ſancti † ficare & conſecra † re digneris, quatenus eos, deuotè deferentes, „ ob reuerentiam & honorem Nominis Tui, liberentur ab omni inundatione aquarum, & ab „ omni fluctuatione diabolicæ poteſtatis, & à „ morte ſubitanea per virtutem Paſſionis Ieſu „ Chriſti filij tui, qui Tecum viuit & regnat &c. His finitis accingitur Pontifex, & ſumpta mitra ſedet apud vas aquæ, & Cubicularij ad eum portant Agnus Dei in peluibus argenteis, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati aſtantes eos extrahunt, & in peluibus portant ſuper menſas cum mappis præparatas vt ſiccentur. Et omnibus BAPTIZATIS per Pontificem, vel per eius Prælatos, ſurgens Pontifex ſtans ſine mitra, dicit ſuper eos has orationes Oremus, O Alme Spiritus qui aquas fœcundas, & cuncta viuificas, & in aquarum ſubſtantia maximáque ſacramenta conſtituiſti, quæ à te ſanctificante amaritudine dimiſſa in dulcedinem ſunt conuerſa, & tuo flatu ſanctificata, atque imperante lauacri ſuſceptione ſanctæ Trinitatis nomine omnia peccata diluunt: quæſumus Domine hi Agni ſacra & perenni vnda balſamóque Sacri Chriſmatis porfuſi, tu illos bene † dicere, ſancti † ficare & conſe † crare digneris, quatenus à te benedicti virtutem accipiant contra omnia Diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti eſſe poſſint inter aduerſa & proſpera, & tua conſolatione accepta nullum periculum timeant, nullámque formident vmbram, nulla ſæuitia Diabolica aut verſutia humana eis noceat: ſed fortitudine tuæ virtutis roborati, tua conſolatione glorientur, qui verè Paracletus diceris, & in Trinitate perfecta viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, qui verè es Agnus innocens, Sacerdos & Hoſtia: qui Prophetica voce Vitis es, Lapis angularis prædicaris: qui mundi peccata abſtuliſti, qui occiſus nos redemiſti Domine Deus in ſanguine tuo: atque poſtes pectoris & frontis noſtræ tuo cruore liniuiſti, ne diabolica nocturna verſutia, & meridiani incurſus, & populus ſæuiens, & ſuper domos noſtras tranſiens, vires in nos exercerent. Tu verè es Agnus immolatus pro noſtra reconciliatione, & iugis voluiſti à tuis Fidelibus in tuā memoriam immolari, & in Agnum Paſchalem ſumi ſub ſpeciebus Panis & Vini in ſacramenta in ſalutem, & in remedium animarum noſtrarum, vt præſenti ſæculo tranſacto, ad reſurrectionis & æternitatis gloriam venire poſſimus. Rogamus ergo Clementiam tuam, vt hos Agnos immaculatos bene † dicere, ſancti † ficare & conſe † crare digneris, quos de cera virginea in tuum honorem formauimus, per opera crucis, & ſacra vnda, balſamóque, & ſacro chriſmate liquori confecti in ſanctificationem tuæ Conceptionis, quam abſque contagione ac propagine humana ſola diuina virtute ſuſcepiſti. ſic eos deferentes tuearis, protegas & defendas ab omni periculo incendij, fulguris, procellæ & tempeſtatis, & ab omni aduerſitate cuſtodi per myſterium Paſſionis tuæ: & ſic eos liberare digneris ab omnibus periculis, & in puerperio laborantes, ſicut Matrem ſuam ab omni periculo liberaſti, & Suſannam de falſo crimine, & B. Theclam Virginem & Martyrem tuam ab incendiis, & Petrum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: ita nos ab hoc ſeculo illæſos abire facias, vt tecum ſine fine viuere valeamus: qui viuis, &c.

Nota blaſphemium.

His finitis reponuntur Agnus Dei in ſuis capſis, & in Sabbatho in Albis diſtribuuntur hoc modo, vt habetur in Ceremoniali Romanæ Eccleſiæ libro ſecundo, ſectione ſecunda. Veniunt ante Pontificem per ordinem omnes Cardinales, vnus poſt alium à ſeniore ad iuniorem, & factis reuerentiis, porrigunt mitras ſuas, cornua mitræ deorſum vertentes, & Papa imponit eis tot Agnus Dei, quot ei placet. Antiquitùs dabantur cuilibet Cardinali tres, Prælatis duo, aliis vnus tantùm. Diſtributio Agnus Dei

Solent etiam Pontifices Romani hos Agnus Dei ſæpè maximi muneris loco mittere Regibus & Principibus, & hic eſt quæſtus illis longè vberrimus. Sic Vrbanus quintus ad Imperatorem quendam Græcorum tres Agnus Dei miſiſſe perhibetur, cum his verſiculis: Agnus Dei vis.

Balſamus, & munda cera, cum Chriſmatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,

*Fonte velut natum per myſtica Sanctifica-
tum.
Fulgura deſurſum depellit,omne malignum
Peccatum frangit , vt Chriſti ſanguis, &
augit.
Prægnans ſeruatur,ſimul & partus liberatur.
Dona defert dignis,virtutem deſtruet iguis.
Portatus munde de fluctibus eripit vnda.*

Ergò qua verbum Dei merito & ſanguini Chriſti , ea Pontifices Romani ſuo Agnus Dei *per ſummam blaſphemiam tribuunt,nimirùm quòd crimina diluat , peccatorum maculas abſtergat, veniam impetret,gratiam conferat & ab omni malo protegat ac defendat.*

Agnus Dei & eius diſtributio ab Ethnicis ſumpta. *Hunc autem morem ab Ethnicis mutuatos eſſe Pontifices Romanos , non immeritò dixeris. Solebant enim illi inuicem in Saturnaliorum Feſto ſigillaria ſiue ſigillaritia munera mittere. Erant autem Sigillaria parua quadam imagines: Martialis in Apophoretis:*

*Gloria tam parua non eſt obſcura ſigilli.
Et rursùs:
Sum fragilis,ſed tu,moneo,ne ſperne ſigillum.*

Ita de Spartiano refertur,quòd Saturnalitia & Sigillaritia amicis inopinantibus miſerit frequenter. Et pueris in primis Sigillaria dari fuiſſe ſolita , ex illis Spartiani verbis videtur poſſe colligi: qua à parentibus ſigillariorum gratia acceperat , id vel Clientibus , vel Magiſtris ſpontè donauit.

Agnus Dei ceremonia ex Iudaiſmo *Vualafridus verò Abbas in libro de Officiis diuinis capite decimonono , Iudaicam eſſe ceremoniam dicit hanc* Agnus Dei *conſecrationem, eámque reprehendit.*

11. DOMINICA *prima poſt Paſcha* Quaſimodo *appellatur à textu qui ex priori Epiſt. Petri 2.cap. in ea cantatur, Quaſimodo geniti infantes, lac ſermonis ſyncerum expetite,vt per illud adoleſcatis &c. Qua verba noua vita ſpiritualis nos admonent.*

12. IVLIVS *primus Pontifex Romanus fuit. Athanaſius Oratione prima contra Arrianos, orthodoxum eum vocat , & virum Apoſtolicum: fuiſſe etiam profeſſorem ſyncerum , acerrimúmque defenſorem Nicanorum dogmatum ibidem teſtatur. Moritur Roma prid. Idus April.*

13. IVSTINVS *Gentilis ab initio fuit,& in diſciplinis philoſophicis , atque omni Gentilium eruditione , haud vulgariter excelluit. Chriſtianus autem factus,religionis Chriſtiana ac diſciplina acerrimus defenſor extitit , ac certamina multa ingenti animo ſuſcepit,à quibus nec minis vllis,nec morte denique ipſa deterreri potuit,vt à calumniis & blaſphemiis profeſſionem Chriſtianam vindicaret ſimúlque et plures adiungeret. Martyr autem obiit ſub Marco Antonino Vero, cùm paulò antè martyrio ſuo Polycarpus in Aſia functus eſſet: Idib. April. vt Hieronymus de Viris illuſtribus & Pet. de Natal. lib. 4. cap. 50. indicat.*

TIBVRTIVS *anno Chriſti* 174. *ſub Commodo Imperatore paſſus eſt* 18. *Calend. Maij, quòd Ioui ſacrificare nollet. Herm. Contractus, Vincentius & Pet. de Natalibus lib. 4. cap. 51.* 14.

OLYMPIA *in Perſide apud Cardilam vrbem anno* 253. 17. *Cal. Maij ſub Decio Imperatore poſt multos & horrendos cruciatus , quos propter Chriſtum conſtantiſſimè paſſa eſt , ſpiritum amiſit : Vincentius & Pet. de Nat. lib. 4. cap. 53.* 15.

CARISIVS *cum octo ſociis apud Corinthum martyrium paſſus eſt : nam ipſe & ſocij propter confeſſionem Chriſtianis nominis pelaga immerſi , perpetuas triumphi palmas à Domino percipere meruerunt,* 16. *Cal. Maij. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 55.* 16.

LANCEÆ Chriſti Feſtum.

I*Nnocentius VI.* Feſtum Lancex & Clauorum Chriſti *hoc die celebrandum inſtituit. Mirum eſt nullum Feſtum inſtitutum ab illis laqueo Iuda,aut tribunali Pilati Balaus De hoc feſto ita ſcribit Trithemius in Chron. Hirſaug.* Feſtum,*ait,*Lancex Chiiſti , Clauorum & Coronæ Domini noſtri Ieſu Chiiſti feria 6. poſt octauas Paſchæ ſingulis annis per vniuerſum orbem Chiiſtianum celebrandum Carolus 4. Impeiator impetrauit à Papa cum magnis indulgentiis , gratiis & remiſſionibus peccatorum. *Sub Innocentio VIII. Muſtapha Baſſa , qui ſimul etiam Viſirus erat, Romam Orator venit,ac ferrum lancea, qua latus Domini aperuit,ſecum attulit,vt Iouius indicat in vita Baiazetis 2. Refert Platina in vita Paſchalis 2 Belli ſacri tempore , quod aduerſus Infideles in Oriente geſtum eſt , ſub Boëmundo hanc lanceam in Baſilica S. Andrea Antiochia repertam eſſe. Idem author eſt in vita Gregorij IX. Balduinum Conſtantinopolitanum Imp. quum ſe ægrè ab hoſtibus inopia ararij tutaretur,& filium pignori mercatoribus Venetis,ab as mutuo acceptum , dediſſet , hanc lanceam cum ſpongia, qua Chriſtus potus eſt, Venetis pecunioſis vendidiſſe. Mirum igitur non iniuria alieni videri poſſet, vndè Muſtapha ſuam lanceam habuerit : niſi dicere velis , Balduinum lancea lignum tantùm vendiſſe , Turcam autem ferrum ſolùm attuliſſe Romam. Quicquid ſit , lanceam iſtam in hoc feſto ita inuocare ſolent:* Aue Ferrum triumphale , Intrans pectus tu vitale, Cœli pandis oſtia, Fœcundata in cruore, Felix haſta nos amore , Per te fixi ſaucia, *&c. qua certè atrociſſima eſt blaſphemia in Filium Dei, qui ſolus oſtia cæli merita ſuo nobis aperuit.* *Lancea Chriſti inuocatio.*

ANICETVS *Syrus , Romana Eccleſia in verbi Diuini miniſterio laborioſè præfuit: & anno* 169. *nati Seruatoris,* 15. *Cal. Maij , in magna* 17.

Chriſtiana

Chriſtianæ fidei conſtantia, pro Dei veritate ſanguinem poſtremò fudit. Platina, Baleus & Petrus de Natalibus libro quarto, cap.57.

18. DOMINICA *ſecunda à Paſchate vocatur* Miſericordia, *ab Introitu, qui in ea cantatur ex Pſal.* 33. Miſericordia Domini plena eſt terra, *&c.*

19. TIMON *Diaconus & Martyr de ſeptem primus ab Apoſtolis electus eſt, vt habetur Act.6. Is Euangelium Ieſu Chriſti diſſeminans Corinthum venit, ibíque à Iudæis & Græcis vt traditur flammis iniectus, ſed nihil læſus eſt: dehinc cruci affixus martyrium ſuum impleuit 13. Cal. Maij: Hieronymus in Martyrologio.*

20. SVLPITIVS *prædicatione & miraculis Flauiæ Domicillæ ad fidem Chriſti conuerſus, ſub perſequutione Traiani, quum ſacrificare Diis nollet capite plexus eſt 12. Cal. Maij. Pet. de Nat. lib.4. cap 68.*

21. SIMEON *Archiepiſcopus Seleuciæ, quum Solem adorare nollet, ſub rege Perſarum Sapore capite cæſus eſt 11. Cal. Maij, vt in Tripartita hiſtoria legitur.*

22. GAIVS *Dalmata Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Cæſari Diocletiano cognatus, peruenit ad tempora imperij Diocletiani, ſub quo continuata fuit ſæuiſſima perſequutio, ſic vt in cryptis & terræ cauernis, non in Papali palatio aut templo magnifico, latuerit diu: atque indè eductus anno Domini 295. vnà cum Gabinio fratre Presbytero coniugato ſub gladio 10. Cal. Maij vitam finiunt.*

23. GEORGIVS *natione Cappadox, Tribunus militum factus, in idola & Dæmonas gentilium acriter inuectus fuit. Captus igitur ſub Diocletiano Cæſare à Deciano in carcerem & vincula conicitur: mox vngulis acutis laniatus, calce ardente adustus, fidiculis diſtractus, mucronibus diſſectus, ac gladio tandem percuſſus eſt: & tamen in his tormentis omnibus animo neque ſubmiſſo, neque abiecto viſus eſt eſſe, ſed generoſam conſtantiam vſque ad extremum vitæ ſpiritum retinuit.*

Hac illius fortitudo & inuictâ conſtantia huiuſmodi fabulæ locum dedit, ſicut in vita eius legitur apud Iacobum de Voragine Legenda 56. & Petrum de Natalibus lib. 4. capite 81. In Libya vrbe Silea magnum periculum fuit à Dracone ingenti, qui in vicino ſtagno viuebat, & ſæpenumerò aggreſſus vrbem halitu ſuo venenato afflauit ciuibus peſtem & morbos fœdos, quibus multi eorum extincti ſunt. Etſi autem armati ciues ſæpiùs eum arcere conati ſunt, tamen vi & afflatu eius maligno repulſi in ſeruitutem triſtem redacti ſunt. Ex quo tandem euenit, vt pactionem facere conati ſint in hunc modum, vt ſingulis diebus duas oues illi vorandas traderent. Id quum ad tempus benè longum eſſet factum, penuria ouium tanta extitit, vt exolue- *re promiſſum ampliùs non poſſent. Idcircò in pactionem denuò venerunt, placuítque vt in ſingulos dies vnam ouem cum homine vno darent. Hic vt iure res tota agi videretur, ſors coniecta eſt quotidiè, & quemcunque illa tetigit, ad Draconem eductus eſt cum oue. Accidit autem, vt aliquandò etiam ipſa Regis Filia, eleganti forma & moribus eadem ſorte delecta ad Draconem à parentibus, cognatis, amicis & ciuibus cum ploratu & luctu magno educeretur. Sed quum adhuc in via eſſent, opportunè aduenit Georgius eques cataphractus, animum fortem & acrem præ ſe ferens. Hic audito luctu & ſqualore turbæ, ſtatim, quid rei eſſet, quæſiuit? Reſponderunt ei, duci ad Draconem vnicam Regis Filiam, impenderéque adeò ciuitati vniuerſæ exitium à Dracone, cuius ſæuitia ac voracitas expleri non poſſit, niſi totam ciuitatem exhauſerit atque abſorpſerit. Huius igitur miſertus Georgius, iuſſit bono eſſe animo, ſolatium atque opem præſentem pollicens, ſimul atque incitato in Draconem curſu irruit. Is verò occurrit ei prædæ auidus, rictúque immani mortem minitans. Georgius autem animo præſente ac læto haſtam contorſit, belluámque confodit, & ciuitatem internecione liberauit. Hoc facto recreati ciues, Georgium cum lætitia & gratulatione maxima exceperunt, in vrbem duxerunt, & omnia ſtudia atque officia veræ pietatis & gratitudinis cumulatè tribuerunt. Commentum hoc eſſe nemo non intelligit, quo tamen veteres humani generis redemptionem adumbrare voluerunt. Georgius enim hic eſt Chriſtus: Draco ſeu Serpens eſt Diabolus immani ſæuitia atque tyrannide graſſans in genere humano, nunc hunc, nunc alium diripiens atque deglutiens. Ciues vrbis Sileæ imago ſunt totius generis humani, quod eſt prædæ & direptioni Diabolo, nec ſe tueri vllo pacto poteſt. Solus Chriſtus ea eſt potentia vt Diaboli Inferníque robur omne comminuat atque frangat: pro quo ingenti beneficio gratias ei debemus agere ſedulò, & pietate ac gratitudine eum colere & celebrare.*

S Georgij fabula vnde.

Romæ hoc die Signiluſtrium *celebratur, in quo oſtenditur vexillum S.P.Q.R. ad imitationem Tubiluſtrij veteris.*

Commemorationis SEPTEM DOLORVM Beatæ Virginis Mariæ Feſtum.

GEorgius Hallerus Decanus Cœnobij Kiebaccenſis, à vaccis & riuo præterlabente ſic dicti, & in Marcha Bauarica ſiti, in ſibi ſuóque Paſtorali curæ commiſſo diſtrictu, primus inſtituit Feſtum Commemorationis ſeptem Dolorum B. Virginis Mariæ *circa annos Domini 1545. teſte Bruſchio in Chron. Monaſteriorum Germaniæ: de quo etiam ipſe tale templó*

tum

eius Cœnobij affixit Epigramma:

Conficiare tuis ne ſola doloribus agris
Virgo Parens Domini Diua Maria mei:
Solennem poſt Paſcha diem tibi dedico, Phœbus
Quem decimumnonum ſemper ab axe trahet.
Confluat hanc noſtram populus quo totus in ædem,
Et peragat Feſtum Fœmina Virque tibi.
Exorans Natúmque Patremq́, vt ceu tibi in iſtis
Aſuit ærumnis Virgo Maria tuis:
Sic quóque nos nuſquam lachrymantes atque gementes
Gratia Clementis deſerat ipſa Dei.

24. ADELBERTVS *Ampliſſima Familia Boëmorum natus fuit, vt Bonfinius indicat. Apud Fuldenſes, quorum conuerſatio toto orbe tum prædicabatur, literas feliciſſimè didicit, & monaſticum habitum, vt matris votum impleret, aſſumpſit. Boëmis autem Epiſcopo deſtitutis ipſe eligitur. Cùm autem ob eius gentis in Idololatria Ethnica & feritate pertinaciam extremam fruſtrà aliquandiù ibi docuiſſet, Romam abiit, ibíque monaſtica vitæ habitum denuò aſſumpſit. Sed Roma per Boleslaum Ducem reuocatus, rediit, Boëmis verò an quum obtinentibus, vt Bonfinius indicat lib.1. Dec. 2. plantandæ Religionis gratia Vngaros adiit, inde ad Polonos contendit, à quibus Gneſnenſi Archiepiſcopatui præficitur. Breui autem interiecto temporis ſpacio ad Boruſſos abiit, apud quos Ethnicorum Sacerdotum inſtinctu trucidatus ſcribitur anno Chriſti 995. iuxta Marianum Scotum: 9. Cal. Maij ſecundùm Trithem. vel 7. Cal. Maij, iuxta Petrum de Nat. lib. 4. cap. 87. vel 8. Cal. Maij, vt aliis placet.*

25. *Tertia* DOMINICA *à Paſchate* Iubilate *dicitur, ab Introitu eius diei,* Iubilate Deo omnis terra, *&c. ex Pſalmo 66.*

Eodem die Feſtum quóque S. MARCI *celebratur. Fuit is aliquandiu Comes Petri Apoſtoli, à quo etiam didicit Euangelium. Scripſit autem Euangelicam hiſtoriam in Ægypto, vel à Petro iuſſus, vel à Fidelibus rogatus, & vix perſuaſus, anno 10. poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, ſecundùm Theophylactum. Euſebius in fine lib. 3. hiſtor. Eccleſ. ait: Marcus quidem tanquam Interpres Petri, quæ meminiſſet, ea accuratè perſcripſit: non eo tamen ordine, quo dicta factáque ſunt à Domino. Neque enim Dominum audiuit, neq́; eſt ſequutus, ſed Petrum deinde. Quamuis interim Epiphanius dicat, Marcum fuiſſe vnum ex ſeptuaginta Diſcipulis Ieſu: lib. 2. tom. 1. contra hæreſes. Miſſus ad Ægyptum Alexandriæ Euãgelium docuit, & celeberrimam ibi Eccleſiam conſtituit. Inde ad Cyranæos & Pentapolitanos progreſſus, Chriſti verbum ibi quoq́; prædicauit. Cùm autem in Idolorum Cultores inueheretur, impetum in eum fecerunt, funibus pedes eius conſtringentes, crudelemq́; in modum per vrbem raptantes, tum ſaxis corpus eius alliſerunt, conſcinderuntq́;, vt ſanguis abundè proflueret. Poſteà carceri incluſerunt: indè verò extractus, per plateas immaniſſimè raptatus expirauit octauo Neronis anno circa annos Chriſti 64. 7. Cal. Maij. Corpus eius tranſlatum Venetias eſt ſub Leone Imp. & Iuſtiniano Duce Venetorum anno Domini 465. vbi adhuc conſeruatur in magnificentiſſimo templo, in honorem eius extructo: prid. Calend. Feb. quo die Venetiis feſtum tranſlationis eius celebratur.*

De Litania quæ fit in D. Marci Feſto alibi dicetur.

CLETVS *Papa ſub Domitiano Imp. paſſus eſt 6. Cal. Maij.* 26.

ANASTASIVS *Pontifex Rom. eligitur in ſuprema ſenectute, & quieuit in Domino 5. Cal. Maij, anno 404.* 27.

VITALIS *Mediolanenſis, quum Diis alienis ſacrificare nollet, Sacerdotis Ethnici inſtinctu Rauennæ profundiſſima facta fouea, in eam præcipitatus, & terra, lapidibuſq́; obrutus eſt, ſub Neronis imperio, circa annos Domini 50. 4. Cal. Maij: Pet. de Natalibus lib. 4 cap 95.* 28.

PETRVS *Mediolanenſis, qui etiam Veronenſis dictus, fuit Prædicatorij Ordinis Monachus homo ſanguinis Chriſtiani ſitientiſſimus, Prædicator Crucis, & Inquiſitor violentiſſimus, immaniſſimuſq́;. Cùm anno Domini 1252. ad lanienam inſtruendam proficiſceretur, inter Mediolanum & Comum à Nobili quodam interfectus eſt, diffiſſo eius capite, quòd tanta vehementia multorum arma in verè Chriſtianos, & à Romana Idololatria abhorrentes, expediuerat. Occiſus eſt 7. die Aprilis: ſed quia in feſta Paſchalia crebrò incidit is dies, Innocentius 4. qui eum canonizauit, Feſtum eius 3. Cal. Maij celebrare iuſſit. Surius ex Lentino Petri contemporaneo.* 29.

CATHARINÆ *Senenſis Feſtum, quod perquàm ſanctè percolunt Prædicatores monachi, eodem die celebrari cœpit, quum fuiſſet canonizata à Pio Pontifice Rom anno Chriſti 1461. Eius ſuperſtitioſiſſimam vitam & hypocriticam ſanctitatem habes deſcriptam in libro noſtro de Origine & progreſſu Monachatus, &c.* 30.

EVTROPIVS *Filius fuit, vt Pet. de Nat. nugatur ex Dionyſii Areopagitæ quodam libro, lib. 4. cap. 105. Xerxis cuiuſdam Perſarum Regis. Is à pueritia Græcis à Chaldæis literis imbutus, liberalibúſque artibus inſtitutus, à patre licentiam luſtrandi orbem nactus, in Galilæam cum Nicanore pædagogo venit, auditóque de Ieſu miraculis, eum videre & audire cupiuit. Interfuit igitur miraculo, quum Chriſtus quinque panibus 5000. homines ſatiaſſe. Ex morte illius*

non

non medicum dolorem concepit, ſed de Reſurrectione certior factus in eum credidit, Romamq́ ad Petrum abiit, à quo plenè in fide inſtitutus & in Galliam miſſus, quum ab Infidelibus primò lapidibus, deinde plumbatis caſus eſſet, tandem ſecuri caput ei amputatum fuit prid. Calend. Maij.

MAIVS.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM, quæ menſe Maio à Chriſtianis celebrantur.

PHILIPPI & IACOBI Feſtum.

1. Feſti huius origo. VIx tres Apoſtoli honorem hunc in Primitiua Eccleſia ſortiti fuerunt, vt peculiaria Feſta & Solennitates ipſis inſtituerentur, B. Rhenano in Annot ad Tertulliani lib. de Corona militis, teſte. Progreſſu autem temporis decretum fuit, vt Calendis Maiis celebrarentur ſolennitates in honorem omnium Apoſtolorum: quod Græci facere dicuntur in feſto Petri & Pauli. Poſteà autem duobus tantùm hic locus relictus eſt, Philippo & Iacobo. Durandus lib. 7. cap. 10.

PHILIPPVS Bethſaida natus, vnus ex 12. Apoſtolis qui primùm à Chriſto vocati ſunt, miſſus fuit quum Spiritum S. accepiſſet, in Scythiam ad prædicandum Euangelium: quam gentem ferè omnem ad Chriſtianam religionem conuertit. Poſtremò autem, quum Hieropolim Phrygiæ veniſſet, propter Chriſti nomen cruci affixus, lapidibusq́ obrutus eſt, Calend. Maij: Breuiarium Romanum.

IACOBVS, cognomento iuſtus, & Chriſti Apoſtolus, poſt Aſcenſionem Domini Hieroſolymorum Epiſcopus creatur. Cùm autem 30. annos Eccleſiæ illi ſanctiſſimè præfuiſſet, Chriſtum conſtantiſſimè prædicans, lapidibus primùm appetitur: mox in altiſſimum templi locum ductus, inde præcipitatus eſt. Qui, confractis cruribus iacens, ſemiuiuusq́ manus tendens ad cælum, grauiter eius capite fullonis fuſte percuſſo, animam Deo reddidit, 7. anno Neronis, Cal. Maij.

2. Quarta DOMINICA Quinquageſimæ Cantate appellatur, ab Introitu ex Pſal. 98. Cantate Domino canticum nouum, &c. qui eo die in Eccleſia cantatur.

ATHANASIVS Alexand. ab Alexandro, Alexandrinæ vrbis Epiſcopo educatus, poſtea in ſynodo Nicæna Diaconus, tandem ad eius vrbis Epiſcopatum promouetur. In docendo mirus & accommodatiſſimus artifex fuit, rebúſque gerendis admirabili quadam ſolertia, & inuictus Chriſtianæ religionis propugnator. Arianorum fictis criminibus in exilium pellitur: inde verò reuocatus, variiſque agitatus contumeliis, & inſidiis petitus, infracto tamen animo Chriſti cauſam ſuſtinuit, & tandem in Domino obdormiuit 6. Non. Maij.

INVENTIONIS S. CRVCIS Feſtum.

INuenta eſſe dicitur S. Crux, in qua Chriſtus pependit, à Platina in vita Euſebij, Durando in Rationali lib. 7. cap. 11. & aliis, tempore Euſebij Papæ ab Helena matre Conſtantini M. mediante Iuda quodam Iudæo, qui Chriſtianus factus Quiriacus vocatus eſt. De modo autem quo inuenta ſit, vide Sozomenum lib. 8. cap. 29. Theodoretum lib. 1. cap. 18. Rufinum, Antoninum tit. 9. cap. 1 §. 4. In rei huius memoriam Feſtum primò celebratum eſt iuſſu Helenæ Hieroſolymis tantùm, vt Nicephorus, verùm ſine omni authore, indicat lib. 8. cap. 29. Euſebius autem Papa 30. à Petro idpoſteà vbique terrarum celebrari præcepit. Vnde in Decretali eius ad Epiſcopos Thuſciæ & Campaniæ, & de Conſec. diſt 3 Crucis. ita legitur: Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ nuper nobis gubernacula ſanctæ Rom. Eccleſiæ tenentibus, 5. Non. Maij inuenta eſt, in Calendario die prædicto inuentionis Feſtum vobis ſolenniter celebrare mandamus: refert etiam Durandus in Ratio. lib. 7. cap. 11. Hoc autem decretum Vincentius in ſpeculo hiſtor. lib. 14. cap. 96. non Euſebio Papæ, ſed Helenæ tribuit. Deinde, quòd Platina & alij ex Damaſo tradunt, Crucem Chriſti ab Helena ſub Euſebio inuentam eſſe, qua nam ratione fieri potuerit, non inuenio, ipſo etiam Onuphrio Panuinio Auguſtinenſi monacho, in ſuis ad Platinam Annotat. aſtipulante: Nihil enim tum temporis Conſtantinus in Syria iuris habuit, quæ incredibili Maximini tyrannide premebatur. Deinde eo tempore quo hæc referuntur facta, Helena ſi Mariano Scoto credimus, adhuc fuit infidelis, neque etiam Conſtantinus adhuc plenè in Chriſtum credidit quod poſt Crucis in cælo viſionem demùm ardentiſſimè fecit. Sic enim Marianus ſcribit: Anno ſeptimo Conſtantini M. ad Euangelij veritatem 327. ſecundùm Dionyſij Cyclum 305. Conſtantino quartò, & Licinio quartò Coſſ. Conſtantino à Papa Silueſtro baptizato, ſcribit illi ſua mater Helena, vt negans Chriſtum, Iudæos ſequeretur. Tunc Idibus Aug. congregati ſunt cum Helena 120. ſapientiores Iudæorum, cum Conſtantino autem & Silueſtro Papa 24. Epiſcopi, à quibus Iudæi Sacra Scriptura ſuperati ſunt. Nicephorus etiam lib. 7. cap. 36. indicat, Helenam à Silueſtro demùm ad fidem Chriſtianam conuerſam eſſe. Quæro igitur, qui potuerit Euſebij tempore, qui 5. annis ante initum à Silueſtro Epiſcopatum obiit, Hieroſolymam religionis ergò proficiſci? Nam poſt Euſebium ante Silueſtrum Miltiades Rom. Eccleſiam 4. annos & 7. menſes rexit. Non immeritò ergò

Crux quando inuenta.

Crucem ſanctam non inuentam ab Helenâ.

Volateranus

Volateranus lib.22. Euſebij, ait, tempore Crucem inuentam ab Helena magna hiſtoria diſcrepantia eſt.

Sabellici ſententia de tempore Inuentionis crucis.

Sabellicus igitur Enne.7.lib.8.affirmat, Euſebium hiſtoricum, referre, quòd crux inuenta ſit tempore Silueſtri Papæ. Euſebius autem, quod pace Sabellici dixerim, diligentiſſimus ſcriptor, inuentæ Crucis ab Helena, & eius diei Feſti, ne vno quidem verbo meminit, vel in literis Conſtantini, vel in hiſtoria, in qua tamen, præſertim lib.3. de Vita Conſtantini, multa de Helenæ peregrinatione Hieroſolymitana, & repugnatione Caluariæ montis narrat. Nam quòd in Chronico eius hæc leguntur: Anno Domini 325. imperij Conſtantini 16. Helena Conſtantini mater, diuinis monita viſionibus, Beatiſſimum crucis ſignũ, in qua mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit, à poſterioribus inſerta eſſe videntur.

Rufini & aliorum ſententia.

Rufinus autem lib.1.cap.7. Theodoretus lib.1. cap.18. Sozomenus lib.2.cap.1. & 2. Socrates quáque lib.1.cap.17. hiſt. Eccleſ. indicant, Niceno Concilio iam celebrato, hoc eſt, anno 25. ferè poſt Euſebium, Crucem inuentam. Prorſùs verò non meminit eius Hieronymus in Chronicis, quod valdè miratur Vincentius in ſpec. hiſt. lib. 14. cap.102. Neque etiam Ambroſius: nam quod Orationem eius attinet in Theodoſium, in qua Inuentionis Crucis fit mentio, Eraſmus eam non, vt germanam, recipit.

Quæ quum ita ſint, non immeritò Gelaſius Papa diſt. 15. dicit, Inuentionem Crucis ab Helena, Nouellam eſſe reuelationem, quæ cum iudicio legenda ſit iuxta doctrinam Pauli, Omnia probate, & quod bonum eſt tenete. *Nihilominus tamen Gregorius 11. circa annos Christi 1347. Officium de Inuentione Crucis in eius Feſto fieri præcepit. Balæus in eius vita.*

ALEXANDER *Epiſcopus Romanus, Eccleſiam Rom. prædicando in primis iuuit, & multos ibi ciuium ad Religionem Chriſtianam conuertit, ob quam ipſe, ſub præſide Aureliano, ſupplicia grauiſſima, anno Domini 121. 5. Non Maij, ad mortem vſque paſſus eſt, de quibus P. de Natal. lib. 4. cap. 118. Adon Treuiren. Epiſcopus apud Surium tomo 6. de vitis Sanctorum refert, Damaſum Papam Alexandri huius Feſtiuitatem inſtituiſſe.*

4\. FLORIANVS *quum eſſet Centurio ſub Diocletiano & Maximiano Impp. ab Aquilino præſide iubetur à militibus proprijs cædi, deinde vt ſcapulæ eius acutis configantur. Tandem ligato ad collum eius ſaxo de ponte in flumen præcipitatur apud Lauriacum oppidum propter Chriſtianam religionem, 4. Non. Maij. P. de Natal. lib.4.cap.121.*

5\. GOTHARDVS *primò monachus Altahenſis in Bauariæ cœnobij, poſteà verò eiuſdem Abbas efficitur, & in commendam etiam accepit Herſeldenſe, Degerenſe & Cremenſe monaſteria: tandem Hildemenſis Epiſcopus creatur. Vixit ſub Ottone ſecundo & tertio, itémque Henrico II. Impp. & moritur 3. Non. Maij. Surius tomo 7. de Vitis Sanctorum.*

S. IOANNIS *Euangeliſtæ & Apoſtoli ante portam Latinam, hoc die Feſtum celebratur, quòd tunc Romæ eo loci in vas oleo calefacto plenum ſit immiſſus, ſaluúſque inde egreſſus ſub Domitiano Imp. Refert hoc Tertullianus: Hieronymus verò eius non facit mentionem: & ſunt qui incertiſſimum hoc eſſe dicant, adeò, vt etiam de loco ambigant, Epheſine an Romæ factum ſit.* 6

IVVENALIS *Presbyter & Medicus ex Africa Romam veniens, audienſq; Narnienſes Chriſtianam religionem recipere nolle, ad eos profectus multos conuertit, & tandem eorum Epiſcopus creatur, apud quos etiam moritur.* 7

APPARITIONIS S. MICHAELIS Feſtum. 8

Apparitiones Michaelis tres. 1.

Apparitiones S. Michaelis Archangeli tres ſunt, propter quas hoc feſtum inſtitutum dicitur. Prima facta eſt in monte Gargano. Quum enim diues quidam ex Siponto Campaniæ, nomine Garganus, bouem amiſiſſet, illúmque in monte quæreret, eo inuento in aditu ſpeluncæ iratus telo cœpit impetere bouem, quod inuerſum illum ſauciauit qui emiſerat. Eo miraculo territus conſuluit Epiſcopum qui triduanum indixit ciuibus ieiunium. Eo ipſo tempore apparuit S. Michael Epiſcopo dicens: Ego ſum Michael Archangelus, qui ſemper aſto in conſpectu Domini. Hoc autem ſigno declarare volui, me huius ciuitatis eſſe cuſtodem, & ſpeculatorem omnium quæcúnque in ea fiunt.

Poſteà circa annos Chriſti 390. vt Eccius habet tom.3. homiliarum fol.348.b Horolanus autem in Calendario Eccleſiaſtico annum annotat. 494. vbi etiam ex Vincentio & Antonino hæc ſub Gelaſio I. accidiſſe memorat, quum Neapolitani adhuc gentiles Sipontinis & Beneuentanis bellum inferrent, qui Chriſtiani erant, Epiſcopus Sipontinus rursùs indicta ieiunia triduana, iuſſit ſubditos ſuos S. Michaelis opem implorare, quòd ſe cuſtodem ciuitatis illius eſſe dixiſſet. Ea ipſa igitur nocte, priuſquam prælium iniretur, apparuit ante os ſpeluncæ S. Michael Epiſcopo, dicens, Orationem ſubditorum ſuorum eſſe exauditam, ſibíque victoriam promiſſam ex hoſtibus: commiſit etiam illi, vt mane ſummo circa quartam diei horam cum hoſtibus confligeret. Hinc confirmati Chriſtiani, aggreſſi ſunt hoſtes, mons Garganus concuſſus eſt, fulmina plurima apparuerunt, & caligo atra montis verticem occupauit. Quibus rebus territi Gentiles fugerunt, quos Sipontini Neapolim vſque inſequuti ſunt, multique 2

Neapolitani

Neapolitani ad fidem conuerſi.Hac Eccius cita-to loco & Vincentius in Spec. hiſt. lib. 21. cap. 102. Qua etiam,ſed breui compendio narrat Durandus in Ration.lib.7.cap.12.& Surius tomo 5. de Vitis Sanctorum.

3\. *Tertia apparitio facta eſt Romæ Gregorij M. tempore. Cùm enim is propter peſtem inguinariam Litanias maiores inſtituiſſet,& pro ſalute populi oraſſet, vidit ſuper caſtrum, quod olim Adriani moles dicebatur, Angelum Domini, qui gladium cruentum,quem manibus tenebat, in vaginam recondebat.Vnde Gregorius intelligens preces à Deo exauditas, Eccleſiam in honorem Angelorum ibi conſtruxit, & Caſtrum illud S. Angeli exin vocari iuſſit. Et quia poſteriores duæ viſiones 8. die Maij factæ perhibentur, iccircò in rerum iſtarum memoriam hoc feſtum inſtitutum dicitur: & Panthaleon Diaconus & Chartophylax magnæ Eccleſiæ, apud Surium tomo 5. de Vitis ſanctorum blaſphemè dicit,* Archangelum Michaelem Feſtum eius fide & deſiderio alacriter celebrantes,ex omni difficultate & noxio occurſu liberare,dare etiam eis ſalutarem gratiam,deducere quoque ad perfectionem ſemper vtilem & ad viam pœnitentiæ,eiſque peccatorum procurare remiſſionem, & in iuſtorum ſtationem connumerare in Regno cœlorum.

Quid de apparitionibus Michaelis ſtatuendum. *Quæ verò de Apparitionibus & Innocatione Michaelis & templis in honorem eius extructis à Vincentio,Durando,Petro de Natalibus, Eccio & aliis referuntur quum apud nullum fide dignum authorem extent, pro fabulis à multis habentur ſub titulo venerandæ antiquitatis Eccleſiæ obtruſis. Sed ſit ita factum vt referunt, illas tamen apparitiones illuſiones diabolicas,& quæ in honorem Michaelis inſtituta ſunt cultûs idololatricum, impium & prophanum fuiſſe liberè & ingenuè dico Pugnant enim cum doctrina Apoſtolica,veteriſque Eccleſiæ, & Conciliis, quæ iiſdem temporibus, quo hæc facta dicuntur,celebrata ſunt. Paulus enim monet Coloſſenſes 2. cap ſibi caueant à Pſeudoapoſtolis, qui vt legem facilius obtruderent eis poſſent, vel Angelorum cultum, quorum miniſterio lex lata fuit, inducebant, vel apparitiones & viſiones quaſdam Angelorum & Spirituum iactitabant.Vnde inquit:* Ne quis palmam vobis interuertat data opera per humilitatem & cultum Angelorum, &c. *In quæ verba Theodoretus ſic inquit,* Manſit diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Quocirca ſynodus quóque, quæ conuenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vſque diem, licet videre apud illos & eorum finitimos, Oratoria S. Michaelis. Illi ergò hoc conſulebant, vtique humilitate vtentes, dicentes vniuerſorum Deum, nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perueniri, & oportere per Angelos Diuinam ſibi beneuolentiam conciliare. Et hoc eſt quod Paulus dicit,In humilitate & cultu Angelorum. *Idem repetit Theodoretus in 3. cap. Coloſſen.* Præcipit,*inquit*,Paulus,vt Deo Patri gratiarum actionem emittant per Chriſtum, non per Angelos: Hanc etiam legem ſequens Laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, cauit, ne precarentur Angelos,& ne derelinquerent Chriſtum. *In Compendio quoque Hæreticarum fabularum,Contra innocationem angelorum. Cotnis hoc tribuit, quòd Angeli aliquis nomen innocent: & tamen Ieſuitas non pudet ſcribere,veterem Caianam hæreſim eſſe, Sanctorum innocationem improbare. Celebrata autem fuit Laodicena Synodus hæc,circa annum Domini 368. Operepretium autem eſt conſiderare,qua fraude Canon ille nunc in Tomis Conciliorum deprauatus*, Angelos in Angulos transformatis. *Ita enim nunc habet 35. Canon:* Canon Laodicenæ ſynodi deprauatus. *Non oportet Chriſtianos derelicta Eccleſia abire, & ad Angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta ſunt.Quicunque autem inuentus fuerit, occultæ huic Idololatriæ vacans, anathema ſit,quoniam derelinquens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei, acceſſit ad idola, &c. Theodoretus verò dicit,Canonem illum prohibere innocationem Angelorum, ne quis Angelos oret aut precetur, quaſi per illos aditum ſibi ad Dei gratiam & beneuolentiam facturus: cum hoc verò manifeſtè ſuperiora pugnant.*

STANISLAVS *in Polonia Epiſcopus ob Innocentio 4. canonizatur, diéſque Feſtum ei celebrandus indicitur hoc eodem die,quòd tunc occiſus eſſet. Factum anno Chriſti 1250. quum à cæde eius anni 175. effluxiſſent. Surius tomo 3. de Vitis Sanctorum. Cromerus lib.8.& 9. de Rebus Polonicis.*

DOMINICAM *quintam Quinquageſimæ vocant*, Vocem, *à cantu*, *Vocem iucunditatis annunciate &c.ex cap.64. Iſaiæ. Dies quóque Rogationum in ea incipiunt,de quibus ſuo loco.* 9.

HERMES, *ſi Dorotheo Abbati credimus, vnus ex 70. Chriſti Diſcipulis fuit, cuius meminit Paulus Rom.16. Nonnulli librum Apocryphum,vulgò* Paſtoris *dictum,ad eum, tanquam authorem referunt, ſed falsò, quod & Sophronius indicauit. Mortuus eſt Romæ 7. Idus Maij.*

GORDIANVS *Vicarius Iuliani Imp. conuerſus ad Chriſtianam Religionem à quodam Ianuario cum toto familia, decollatur Iuliani iuſſu 6. Idus Maij, & corpus canibus proiicitur, ſed illæſum manſit & ſepultum fuit. Iac. de Voragine Legenda 69. & Pet. de Natal. lib. 4. cap.149.* 10.

MAMERTVS *Viennenſis Epiſcopus, &* 11.

K Author

Author Rogationum *tribus ante Aſcenſionem Damini diebus, moritur Vienna 5. Id. Maij. P. de Natal. lib. 4. cap. 152.*

12. PANCRATIVS *Nobiliſſimis Parentibus ortus, ſed vtráque orbatus cum Dionyſio patruo Romam venit, vbi amplum patrimonium habuit. Cùm autem in ſuis prædiis in monte Cælio habitarent, in ea vico Carnelius Papa cum quibuſdam Fidelibus propter perſequutionem latitabat: à qua & fidem & baptiſmum ſuſceperunt patruus cum nepate. Poſt dies paucos Dionyſius moritur. Pancratius verò 13. annorum puer, perſequutoribus ſe vltrà obtulit. Ductus igitur ad Valerianum Imp. Diis ſacrificare iubetur: id verò cum facere nollet, iuſſit eum Auguſtus via Aurelia duci, & ibidem decallari 4. Id. Maij. P. de Natalibus libro 4. cap. 156.*

13. ASCENSIONIS CHRISTI IN cœlum Feſtum.

A*Pud vetuſtiores Authores* Feſti Aſcenſionis Chriſti *peculiaris mentia nulla fit, ſed camprehendunt illud ſub Quinquaginta illis feſtis diebus poſt Paſcha. Cùm verò illi non amnes vbique feſti amplius haberentur peculiaris ſalennitas facta eſt. Primus omnium, quod equidem ſciam, D. Auguſtinus epiſt. 118. peculiarem eius mentionem facit, vbi ſic inquit:* Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicut quod Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in cœlum, & Aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebrantur. *Vnde apparet ante Auguſtini tempora memoriam Aſcenſionis Chriſti celebratam fuiſſe, ſed ea moda vt diximus: poſterioribus autem temporibus, abrogata Quinquageſima, peculiaris ſalennitas facta eſt.*

Feſti huius propriæ ritus. *In hoc autem Chriſti Feſta, quo memoria Aſcenſionis Chriſti in cælos, & complementi ſalutis ac redemptionis noſtræ, celebrari debebat, multa ridicula, imò prafana & impia in Papatu hodiè fiunt, de quibus Thomas Naogeargus libro 4. Regni Pontificij ita canit.*

Poſt venit illa dies, ſuperas quas Chriſtus ad arces
Scandit, quam celebrant itidem potúque cibóque
Prælargo: quæ cuique aliqua eſt comedenda volucris,
Haud ſcio quapropter. Poſt prandia templa petuntur.
Truncus ibi, qui tempus adhoc eſt viſus in ara,
In ſummum trahitur, demiſſa fune lacunar,
Cœtu ſacrificûm deducente atque canente.
Inde ſtatim Satanæ præceps perturpis imago
Deiicitur, nonnunquam ardens, diruptáque prorſus.
Expectant pueri cupidè, virgíſque iacentem
Concidunt, lacerántque in paruas denique partes.
Poſt hac deiicitur panis, quem barbara turba
Nuncupat Oblata: cui ſæpè admixta papyrus
Impauit pueris: finiunt magno omnia riſu.
Ex laqueari etiam certa ſyphonibus arte
Eiaculantur aquas, ſi quem tinxiſſe laborant,
Atque ita finitur magno fabella cachinno.

SERVATII *quóque Feſtum hoc die celebratur, quòd tunc obiit. Fuit Epiſcopus Traiectenſis. Quod ſi Legendis monacharum credimus, vltra 300. annas vixiſſe eum comperiemus. Aiunt enim cantemporaneum fuiſſe Chriſta, eiúſque cognatum, ſic vt ſi Chriſtus liberas habuiſſet, cum Seruatia quarta gradu ex conſobrinis nepotes fuiſſent. Conſtat autem claruiſſe eum Ambroſij & Hieronymi ætate. Et tamen putidiſſimum hoc mendacium Henrici 5. tempore à Cæleſtina 4. Papa fuit approbatum in publico Cardinalium conſiſtario. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 162.*

FORTVNATVS *Vicentinus temporibus Diocletiani & Maximiani Impp. apud Aquileiam paſſus eſt ſub Euphemia Præſide. Cùm enim in Iouis templo ſacrificare nollet, iuſſit eum Præſes fuſtibus cædi: deinde in equuleo ſuſpenſum lampadibus adhibitis circa latera aduri, & poſthac extendi ſapinum feraénſque oleum ſuper ventrem eius perfundi: tandem eductus extra vrbis muros decallatus eſt pridie Id. Maij, & corpus eius Vincentiam tranſlatum. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 167.* 14.

TORQVATI, *Epiſcopi Actij in Hiſpania, Feſtum Idibus Maij celebratur. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 3.* 15.

DOMINICA *ſexta Quinquageſima* Exaudi *appellatur, à cantu ex Pſal. 27.* Exaudi Domine vocem mea, qua clamaui ad te. 16.

PEREGRINVS, *cuius Feſtum eodem die colitur, Romanus fuit Presbyter, quem Gallis petentibus doctorem Sixtus Epiſcopus Rom. miſit: apud quos quum Religionem Chriſtianam continuis perſecutionibus perturbatam, ac ſublatam propemodùm, reſtituiſſet, Romámque regredi decreuiſſet, in itinere Martyr factus eſt 17. Cal. Iunij. Nugantur ſuperſtitioſi homines, cùm corpus eius ad S. Dionyſium propè Lutetiam Pariſiorum aduceheretur, campanas vltrò ſonitum edidiſſe, & Monachos ſtupentes*

voce

Digitized by Google

voce de cælo admonitos ſancti viri corpus adeſſe, obuiam ei proceſſiſſe, ac in capſa argentea honorificè ſepeliiſſe. Pet. de Natal. lib. 5. cap. 5.

17. TORPETVS Piſanus ſub Nerone Imp paſſus eſt: nam cùm is Piſas reſtauraſſet, templum Dianæ ibi extruxit, vbi & cælum æneum fabricauit 90. columnis ſuſtentatum cum imaginibus Solis, Lunæ & Stellarum quæ artificiosè oriebantur & occidebant, cum foraminibus fiſtularum, per quæ guttulæ aquæ deſtillantes pluuiam ſimulabant: fecit etiam quadrigam ſubterraneam, quæ commota tonitrua mentiebatur. Torpetus autem Conſiliarius Imperatoris, ad fidem Chriſtianam conuerſus, cum hæc irrideret, poſt multa verbera eo loco quo Arnus in mare decidit capite truncatur 3. Cal. Maij: corpus autem in mare proiectum ac in Hiſpaniam delatum honorificè ibi ſepelitur 16. Cal. Iunij, quo in loco poſteà templum ædificatum eſt: & Feſtum die ſepulturæ eius ibidem celebratum. Pet. de Natal. lib. 5. cap. 8.

18. VENANTIVS ſub Decio Camerinæ captus & fuſtibus caſus, deinde in carcerem detruſus, indéque eductus leonibus obiicitur, ſed illæſus conſeruatur. Poſteà pedibus appenſus verſo deorſum capite faculæ ardentes eius vertici ſupponuntur. Cùm autem & hoc ſupplicij genus toleraſſet, manibus & pedibus extenditur, & ignis ſub eius ventre ſolummodò accenditur, & crudeliſſimè affligitur. Tandem, quum hæc omnia ſuperaſſet, gladio caput eius præciditur, & à Chriſtianis ſepelitur 15. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 12.

19. POTENTIANA Filia fuit Pudentis nobiliſſimi Rom. & Soror Praxedis. Cùm multos martyres ſepeliiſſet Romæ moritur ibi 14. Cal. Iunij inque cœmiterio Priſcillæ ſepelitur ſub Antonino Imp. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 15.

COELESTINVS V. Papa per Clementem 5. Sanctorum Confeſſorum Catalogo inſcriptus eſt anno Domini 1313. 3. Non. Maij. ab eius autem morte anno circiter 11. Fuitque eius Feſtiuitas inſtituta 14. Cal. Iunij, quo die mortuus eſt.

20. BERNARDINVS Senenſis anno Domini 1400. habitum Franciſcanorum Monachorum aſſumpſit, ætatis ſuæ anno 22. Anno verò 1420. ad eos Obſeruantes commigrauit qui in Columbarij antiquo monaſterio degebant, quod ſitum erat haud procul Senis in obſcuro nemore, ibique Minoritanæ Obſeruationis inſtitutum ſequi cœpit. Moritur autem 20. Maij anno Chriſti 1444. Canonizatur à Nicolao 5. anno 1449. vel iuxta alios 1450. eiúſque Feſtum hoc die celebrandum inſtituitur. Sabellicus Enne. 10. lib. 5. Antoninus tit. 24. cap. 5. §. 4. Platina & Surius tomo 7.

21. HOSPITIVS apud Niceam vrbem in Galliæ ex ſuperſtitione turri ſeipſum incluſit, & catenis ferreis corpore nudo ſe conſtrinxit, extrinſecus cilicio tantum indutus. Victu tenuiſſimo vſus eſt, pane ſcilicet cum paucis dactylis. Gregorius Turonenſis lib. 6. cap. 6. & 7. & 37. multa ſuperſtitioſa de eo commemorat, quæ iis qui talibus delectantur relinquimus. Mortuus eſt circa annum Domini 564. 12. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 27.

CASTVS & ÆMILIVS in Africa ob Chriſtianam Religionem viui exuſti ſunt 11. Cal. Iunij, circa annum Domini 241. ſub Gordiano. Cyprianus Serm. de lapſis, & Pet. de Nat. lib. 5. cap. 30. 22.

PENTECOSTES Feſtum, 23.

Pentecoſtes dies an olim feſtiuus.

POlydorus Vergilius libro 6. cap. 8. indicat, fuiſſe nonnullos qui putarint Pentecoſtes diem non fuiſſe feſtiuum inter Chriſtianos Apoſtolorum tempore. Et certè eius rei veſtigia nulla extant expreſſa in Nouo Teſtamento. Lucas quidem Act 20. ſic ſcribit, Feſtinabat Paulus ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſten faceret Hieroſolymis: & Epiphanius hæreſ. 75. exponit hoc de Pentecoſte Chriſtianorum. Nihilominus tamen Bellarminus quóque Ieſuita fatetur, non omninò eſſe certum an Lucas hic loquatur, ſicut & Paulus 1. Cor. 16. de Iudæorum, an Chriſtianorum Pentecoſte. Imò Beda etiam in Retract. & Thomas Vualdenſis tom. 3. de Sacramental. cap. 141. num. 1. de hoc dubitat. Suprà enim quum de Libertate Chriſtianorum ageremus circa Feſta, ſatis, opinor, probauimus, Apoſtolos initio naſcentis Eccleſiæ, ob infirmitatem nonnullorum, Iudæorum quoque Feſta ad tempus obſeruaſſe, ſicut alia ceremonialia. His adde quæ Marcellus Francolinus de Tempore horarum Canonicarum cap. 84. ſcribit: Oportere, inquit, hæc verba Lucæ intelligere de Feſto Pentecoſtes Chriſtianorum, non Iudæorum, videtur parùm probabile, & contra communem Expoſitorum ſententiam. NAM TVNC TEMPORIS non erãt adhuc Celebres Chriſtianorum Feſtiuitates, cùm Euangelium non eſſet adhuc plenè promulgatum. Quærit quidem Polydorus citato loco, Cur tanta Paulus opere ad hunc diem agitandum properaſſet, niſi fuiſſet iam tum apud Chriſtianos feſtus quàm celebratiſſimus? Sed facilis eſt reſponſio: Quia enim ingens multitudo Iudæorum in Feſtis celebrioribus conueniebat, Paulus hac occaſione vſus eſt ad Euangelij propagationem. Quæ etiam cauſa fuit, quòd Seruator ipſe in maioribus Feſtis Hieroſolymam plerúnque aſcendit, & in celebratiſſimo Feſto Paſchatis ibidem mori voluit.

Mentionem tamen eius diſertè faciunt, Irenæus apud Iuſtinum quæſt. 115. quamuis li-

ber ille non videatur eſſe Iuſtini, Tertullianus de Corona militis, Origenes lib. 8. contra Celſum, Hilarius præfatione in Pſalmos, Theophilus lib. 1. Paſchali, Hieronymus epiſt. ad Marcellum, Greg. Nazianzenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Auguſtinus epiſt. 118. In Elibertina quoque Synodo, circa tempora Niceni 1. Concilij habita, ca. 43. ſancitur, vt cuncti diem Pentecoſtes celebrent: quod qui non fecerit, quaſi nouam hæreſim induxiſſet puniri præcipitur.

Pentecoſtes cur celebretur à Chriſtianis.

Quemadmodum autem hoc Feſto memoria legis diuinæ promulgatæ quondam in monte Sinaï recolebatur à Iudæis magno ſtudio, vt coniicitur ex Act. 2. cap. Sic à Chriſtianis feſtum hoc obſeruari cœptum eſt, propter miſſionem Spiritus Sancti, hoc die viſibiliter factam, qui legis diuinæ vnicus, idémque optimus interpres eſt.

Superſtitioſi ritus in Pentecoſte obſeruati.

Superſtitioſum verò ritum in Pentecoſtes Feſto obſeruatum Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papiſtici ita deſcribit:

In Pentecoſte mites albeque columbæ
Funiculis leuiter vinctæ mittuntur ab alto.
Lignea poſtremò cælo dependet eodem.
Cernis vt idolis ludant, doceántque popellum,
Non ſecus ac puppis teneræ aſſueuere puellæ.

DESIDERIVS *quoque Lingonienſium Epiſcopus hoc die colitur. Cùm enim Vuandali Croſco duce Gallias vaſtarent, & inter cæteras Lingonenſium etiam ciuitatem obſiderent, motus calamitate Eccleſiæ ſuæ hic Epiſcopus, editiorem muri locum cœpit, ſupplicémque pro ſuo grege agens, lamentabili oratione clementiã Ducis implorauit: indéque ſe mox in templum contulit, pro peccatiſque populi, & ad Deum intercedens ardentiſſimũ gemitibus orauit. Vuandali autem expugnata vrbe trucidantes promiſcuam multitudinem Chriſtianorum, demùm & Epiſcopum orationi inſtantem offendunt: quem magna immanitate è templo abreptum, ad Ducem ſuum adducunt. Cúmque ſe animo paratiſſimo ad necem vel vltrò offerret, modò reliquo cœtui parceretur, eductus ex vrbe capite plectitur, 10. Cal. Iunij, anno Chriſti 411. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 31. & Vincentius lib. 20. cap. 1.*

24. DONATIANVS *cum fratre Rogatiano in Gallia ſub Diocletiano & Maximiano Impp. propter Chriſtianam religionem, extenſus ac laniatus, deinde lancea militari perfoſſus, nouiſſimè capite cæſus eſt 9. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 37.*

25. *Vrbani dies criticus.*

VRBANVS *fuit 16. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, multóſque ad fidem Chriſti conuertit, tandémque martyrij coronatus eſt ſub Alexandro Imp. 8. Cal. Iunij. Dies hic Criticus cenſetur, quòd ſerenitas eius abundantiam, pluuia verò penuriam vini portendant. Quæ ex cauſa, incertum eſt. In Alſatia, feraciſſima vini regione, ſi hoc die cælum ſerenum fuerit, imaginem ligneam Vrbani magna cum pompa per vicos & compita ducunt: ſin pluuium ſit, per lutum eandem trahunt & volutant. Acriter autem reprehendit hanc conſuetudinem Molanus Pontificius in lib. de Picturis cap. 26. Abolendus eſt, inquit, Abuſus ille ter execrandus, nondum locis quibuſdam abolitus, vt ſcilicet D. Pauli & S. Vrbani imagines in profluentem conijciantur, ſi forſan eorum dies feſtus inciderint in pluuium cælum, aut fœdam tempeſtatem, maximè ſi in die Conuerſionis Pauli hoc accidat. Scripſit in regno Nauarra, librum de Superſtitionibus, Martinus de Arles, Doctor Theologus, contra eos qui tempore ſiccitatis, imaginem S. Petri, aut corpus S. Felicis Labiani, ad oram fluminis proceſſionaliter ducunt, & ſubmergunt, vel ſubmergere attentant, inde ſperantes ſortiri ſuum effectum, &c.*

QVADRATVS *Apoſtolorum Diſcipulus, & Athenis verbi Dei Præco fideliſſimus pluribus annis, tandem ibi in pace obdormiuit, 7. Cal. Iunij. Hieronymus.* 26.

BEDA *ex infimo Angloſaxonum genere natus, & in cœnobio inſtitutus, mox euaſit vir doctiſſimus, & ob exactam Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritiam, ſtili ſuauitatem, & dicendi copiam, à multis Gregorio M. Prælatus fuit. Tandem ob aſſiduos labores anno Chriſti 734. Sigebertus tres annos minùs habet, ætatis ſuæ 72. moritur 6. Cal. Iunij.* 27.

WILHELMVS *Aquitaniæ dux, Pictanienſis Comes & S. Bernardi Diſcipulus fuit. Is, quòd liberis careret, abiectis ſecularibus armis Monaſticen profiteri cœpit, anno ferè Domini 1150. Ac primùm relictis omnibus Romam venit: deinde ſolleratiæ gratia loricam ferream ſuper nuda carne cum triplici catena indutus Hieroſolymam petiit. Poſt S. Iacobi oraculum in Hiſpania conſuluit: rurſúſque Hieroſolymam petens, à Saracenis captus, pauloque poſt dimiſſus ac reuertens, in inſulam Hetruriæ proximam applicuit, in qua in loco deſerto aliquandiu ſubſtitit, Eremitarum modo in ſaltibus proximis victitando duriſſimè. Poſtremò inde egreſſus cœnobia aliquot conſtruxit, in quæ hinc inde diſperſos Eremitas collegit, & in ſolitudinibus agentes homines. Tanta autem ſuperſtitione hoc vitæ genus excoluit, vt eius fratres* Vuilhelmitæ *primò dicerentur, qui poſteà ab Innocentio 4.* Auguſtinenſes *appellati ſunt. Moritur 5. Cal. Iunij, vt Pet. de Nat. indicat lib. 5. cap. 61.* 28.

MAXIMINVS, *quem alij* Maximum *vocant, Treuirenſium Epiſcopus celeberrimus fuit, hoſpes & amicus Athanaſij quem in Gallias deportatum à Conſtantino Imp. benignè ſuſcepit, vt cum quo fidei ac doctrinæ puritate conſtanter ſentiret. Aduerſi quid ab Epiſcopis Orientalibus in Synodo Sardicenſi paſſus eſt. Sozom. lib. 3. cap. 11. Moritur 4. Cal. Iunij, Pet. de Natal. teſte lib. 5. cap. 64.* 29.

S. Trinitatis Feſtum.

30. *Feſti huius antiquitas.* DVrandus in Rationali lib. 7. cap. 34. affirmat Gregorium 4. qui Pontificatum Rom. tenuit circa annos Chriſti 834. inſtituiſſe, vt Feſta celebrarentur non ſolùm in honorem Apoſtolorum & Martyrum, ſed etiam* TRINITATIS, *Angelorum, &c. Ex Pothone autem Prumienſium Presbytero, qui floruit circa annos Domini 1152. colligitur, haud diu antè hæc tempora hanc à Monachis Solennitatem inſtitutam. Nam inquit:* Miramur ſatis, quid viſum fuerit HOC TEMPORE, quibuſdam monaſteriis, mutare colorem optimum, nouas quaſdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut deuotiores ſumus? Superba mente præſumimus, quiquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit. Neque verò noui in huiuſmodi aliquid inuenire poſſumus, quod eorum quiuerit diligentiam præteriiſſe. Quæ igitur ratio hæc Feſta celebranda nobis induxit? Feſtum videlicet S. TRINITATIS, & Feſtum Transfigurationis Domini &c. *Lib. 3. de Statu domus Dei. Alexander 3. quoque teſtatur, cap Quoniam, de feriis. ſuo quidem tempore fuiſſe hoc Feſtum in vſu apud quaſdam Eccleſias, non tamen Romæ, nèque etiam neceſſarium eſſe vt celebretur. Verba eius hæc ſunt:* Feſtiuitas S. Trinitatis, ſecundùm conſuetudinem diuerſarum regionum, à quibuſdam conſueuit in Octauis Pentecoſtes, ab aliis in Dominica prima ante Aduentum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana IN VSV non habet, quòd in aliquo tempore huiuſmodi celebret ſpiritualiter Feſtiuitatem, cùm ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & ſimilia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. *Micrologus etiam in libro de Obſeruationibus Eccleſiaſticis, cap. 60.* repræhendit eos, qui Feſtum hoc celebrant. *Et quia videri alicui poſſet, feſtum hoc eſſe antiquum, quum Præfatio de Trinitate ſit vna ex nouem, quas Pelagius 2. tanquam antiquiſſimas ſeruari præcepit: reſpondet Micrologus, hanc Præfationem in omnibus Dominicis cantari ſolitam, nèque eſſe propriam feſti Trinitatis. Poſteà tamen etiam Romæ receptum fuit.*

31. PETRONELLA *à Legendarum inſulſiſſimarum Authoribus filia S. Petri Apoſtoli fuiſſe perhibetur. Hanc Romæ febribus laborantem, interceſſione Diſcipulorum cum Petro diſcumbentium, à parente ſanatam eſſe iidem nugantur: & ob hanc cauſam à febricitantibus inuocatur. Sed hanc fabulam natam ex ea hiſtoria, quæ in Euangelio extat de Socru Petri, quiuis intelligit. Mortua dicitur prid. Cal. Iunij, anno Chriſti 35. Hinc fit, vt Petronella auxilium à febricitantibus imploretur.*

IVNIVS.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ menſe IVNIO à Chriſtianis celebrantur.

PAMPHILVS *Martyr & Sacerdos Cæſareæ Palæſtinæ oriundus, in eadem ciuitate paſſus eſt martyrium ſub Maximiani perſequutione, Cal. Iunij. Hieronymus de Viris illuſtribus.* 1.

ERASMVS *Epiſcopus Lucridinus Diocletiano & Maximiano Impp. in Campania plumbatis & fuſtibus cæſus, reſina quòque, ſulphure, plumbo liquefacto, & feruenti pice, cera, oleóque perfuſus, inde tamen integer & inuiolatus euaſit. Quo miraculo multi ſe ad fidem Chriſti conuerterunt. Itáque iterum detruſus in carcerem, conſtrictus ferreis grauiſſimiſque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus eſt. Deinde à Maximiano variis affectus ſuppliciis, tunicáque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta Diuina virtute ſuperauit: atque in Campaniam profectus plurimis & in fide confirmatis, & ad fidem conuerſis, inſignem martyrij palmam adeptus eſt, 4. Non. Iunij. P. de Nat. lib. 5. cap. 75. & Breuiarium Rom. nouum.* 2.

EODEM *die ſtrages Sendomiriæ à Tartaris edita anno Domini* 1260. *quaſi martyrum Chriſti, anniuerſaria viſitatione & celebritate, magno populi concurſu Sendomiriæ in hodiernum vſque diem recolitur, magna Alexandri 4. Pont. Max. indulgentia cumulata ac dedicata. Cromerus lib. 9. rerum Polonicarum.*

CORPORIS CHRISTI FESTVM.

CORPORIS Chriſti Feſtiuitatem cum Octauis, *die Iouis poſt Trinitatis ſolennia, celebrandam, Vrbani IV. qui Pontificatum Romanum tenuit circa annos Chriſti 1264. inuentum & inſtitutum eſſe, in confeſſo apud omnes eſt.* 3.

Cauſa autem motiua ſuper prima huius Feſti origine & inſtitutione, non eadem recenſentur. Sed hanc, inquit Balæus, accipe certiorem eſſe ex Arnoldo Boſtio ac Petro Præmonſtratenſi. Anno Domini 1264. reuelatio, ſuper hoc Sacramenti Feſto celebrando, cuidam EVÆ *fœminæ in terra Leodienſi, in otio ſuperſtitioſo recluſæ, ac Pontifici ante Papatum familiariter notæ, facta eſt: quam per ſuas literas Pontifici ſignificauit, rogans vt Feſtum illud Papali authoritate ſolennizandum ordinaret: Cui has literas remiſit Vrbanus Papa.* VRBANVS *Feſti huius orig.*

Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectæ in Chriſto Evæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scimus, ô Filia, quòd magno deſiderio deſideravit animo tuus, ut ſolenne Feſtum Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti inſtitueretur in Eccleſia Dei, à Chriſti Fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideò tibi ſignificamus ad gaudium, quòd nos ad corroborationem Catholicæ fidei dignum duximus ſtatuendum, ut de tam mirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipſo facit Eccleſia, ſpecialior & ſolennior memoria celebratur, certum ad hoc deſignantes diem, videlicet feriam quintam, proximam poſt Dominicam feſti Pentecoſtes proximè ſequentem, ut ipſa feria 5. devota turba fidelium, propter hoc ad Eccleſias affectuosè concurrant. Sitque dies ille univerſis Chriſticolis nova feſtivitate iucundus, & ampla iucunditate feſtivus, prout in literis Apoſtolicis, quas per univerſum mundum ſuper hoc direximus, plenius continetur. Et ſcias quòd nos huiuſmodi feſtum cum omnibus noſtris fratribus, Romanæ videlicet Eccleſiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis, tunc apud Sedem Apoſtolicam commorantibus ad hoc, ut videntibus & audientibus de tanti feſti celebritate præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur animo tuo Dominum, & exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo: quia viderunt oculi tui ſalutare tuum (horrendum idolum) quod paravimus ante faciem omnium populorum. Latare inſuper, quia Omnipotens Dominus tribuit tibi deſiderium cordis tui, & voluntate labiorum non fraudavit te cœleſtis gratiæ plenitudo, &c. Hanc epiſtolam ſe vidiſſe teſtatur Arn. Boſtius ac legiſſe, epiſtola 6. ad Ioannem Paleonyderum, ut refert Balæus de Script. Britan. Cent. 4. cap. 38.

Onuphrius Panuinius in ſuis ad Platinam Annotationibus, in vita Urbani 4. quæ de viſione monialis iſtius Evæ ex Boſtio & Petro Præmonſtraten. narravimus, fabulam eſſe dicit. Turpe enim & valdè ignominioſum fore putavit, ſi hoc feſtum quo Pontificij aliud non habent maius, in unius mulierculæ gratiam inſtitutum diceretur. Itáque ille aliam originem huius Feſti indicat. Dicit enim, propter miraculum quoddam quod Vulſiniis in diœceſi & ditione Vrbevetana in eccleſia S. Chriſtianæ acciderit, ab Urbano 4. inſtitutum fuiſſe. Nam dum Sacrificulus quiſpiam ſacra Miſſarum ſolennia celebraret, ſacramento iam confecto, de panis & vini Tranſſubſtantiatione, & Chriſti corpore dubitavit. Unde ſtatim ex hoſtia, quam in manibus tenebat, vivus ſanguis manare cœpit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Urbanus 4. Corporale primùm ad ſe ab Epiſcopo loci cum proceſſione in urbem veterem transferri voluit, & illud ſolennitate inſtituta in Eccleſia Vrbevetana recondidit, ut in ea corpus Chriſti maiori coleretur honore, quàm in quotidianis Miſſarum ſolenniis. Hæc Panuinius. Narrat etiam Pet. de Natalibus lib. 5. cap. 45. Antoninus tit. 19. cap. 13. §. 1. miraculi huius quoq; mentionem facit, non tamen addit, quod propter illud Feſtum hoc inſtitutum ſit.

Ptolemæus Lucenſis refert, Urbanum Papam ad petitionem Thomæ Aquinatis hoc feſtum inſtituiſſe, non tamen adnotata cauſa. Illud certum ex Antonini tit. 19. c. 13. §. 1. Aquinatem Officium feſti Corporis Chriſti cum hymno & proſa compoſuiſſe, quæ extant inter eius opera. Et ab Urbano in præmium retulit columbam argenteam, Nauclero teſte. Hinc fit, ut ſemper in dextro humero columbam, & manibus calicem geſtans depictus conſpiciatur Thomas.

Quod autem ad ipſam Bullam attinet, cuius in ſuo ſcripto ad Evam ſuam meminit Urbanus, & quam per univerſum orbem Chriſtianum diraxit, commendat in ea ab initio mirandum in modum Euchariſtiæ Sacramentum, & tandem ad Corporis Chriſti Feſtum deſcendens, in hæc verba erumpit: *Licet, inquit, hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolenniis frequentetur: conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipſo ſemel ſaltem in anno, ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolennior & celebrior habeatur. In die nánque cœnæ Domini, quo die Chriſtus hoc inſtituit Sacramentum, univerſalis Eccleſia pro pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione chriſmatis, adimpletione mandati, circa lotionem pedum, & aliis plurimum occupata, plenè vacare non poteſt celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſervat Eccleſia, ut quamvis in Litaniis & Miſſis ac aliis ipſorum memoriam ſæpius renovemus: nihilominus tamen ipſorum natalitia certis diebus per annum ſolennius recolat, feſta propter hoc eiſdem diebus ſpecialia celebranda. Et quia in his Feſtis circa ſolennitatem debitum aliquod per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, ſtatuit ipſa Mater Eccleſia certam diem, in qua generaliter Omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipſorum celebratione communi, quicquid in propriis ipſorum feſtivitatibus omiſſum exiſteret, ſolveretur. Potiſſimè igitur exequendum eſt ergo hoc vivificum ſacramentum* Corporis & Sangvinis *Ieſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona, ut feſtivitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo quod in aliis Miſſarum officiis circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur: & fideles (feſtivitate ipſa inſtante) intra ſe præterita memorantes, id* Bulla de inſtitutione huius feſti edita.

quod

quod in ipſis Miſſarum ſolenniis ſecularibus forſan agendis impliciti, aut alia ex negligentia vel fragilitate humana minus plenè geſſerant, tunc attentè in humilitate ſpiritus & animi puritate reſtaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis (imò mulierculis mihi familiariter notis) diuinitùs reuelatum feſtum huiuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum: Nos itáque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus ſtatuendum, vt de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia, ſolennior ac ſpecialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes & deſcribentes diem, videlicet feriam 5. proximam poſt octauam Pentecoſtes: vt in ipſa quinta feria deuota turba fidelium propter hoc ad eccleſias affectuosè concurrant, & tam clerici quàm populi gaudentes in cantica laudum ſurgant: tunc enim omnium corda & vota, ora, labiáque hymnos perſoluant lætitiæ ſalutaris: tunc pſallat fides, ſpes tripudiet: exultet charitas, deuotio plaudat: iubilet chorus puritas iocundetur: tunc ſinguli alacri animo pronaq́; voluntate conueniant, ſua ſtudia laudabiliter exequendo tanti feſti ſolennia celebrantes. Et vtinam ad Chriſti ſeruitium ſic eius fideles ardor inflammet, vt per hæc & alia proficientibus ipſis meritorum cumulis apud eum qui ſe dedit pro eis in precium, tribuitq́; ſe ipſis in pabulum, tandem poſt huius vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Ideòque vniuerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus in remiſſionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelſum & tam glorioſum feſtum prædicta quinta feria ſingulis annis deuotè ac ſolenniter celebretis, & faciatis ſtudiosè per vniuerſas eccleſias ciuitatum veſtrarum & diœceſum celebrari: ſubditos veſtros in Dominica dictam quintam feriam proximè præcedente, ſalutaribus monitis ſollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confeſſionem, eleemoſynarum largitionem, attentas & ſedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera, taliter ſe ſtudeant præparare, quòd huius pretioſiſſimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintq́; ipſum ſuſcipere reuerenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum. Nos enim Chriſti Fideles ad colendum tantum feſtum, & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui matutinali feſti eiuſdem officio in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint centum: qui verò Miſſæ totidem. Qui autem in primis ipſius Feſti veſperis interfuerint ſimiliter centum: qui verò in ſecundis, totidem. Illis verò qui Primæ, Tertiæ, Nonæ, Sextæ ac Completorij officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipſarum quadraginta. Illis autem qui per Octauas illius Feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum Officiis interfuerint, centum dies, ſingulis Octauarum ipſarum diebus, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli authenticè confiſi de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Extat in Clement. extra de Reliq. & vener. Sanctorum. tit. Tranſiturus ad patrem.

Ritus huius feſti.

In hoc verò ab Vrbano Papa inſtituto feſto hodiè in Proceſſione Sacramentum, ſeu hoſtia conſecrata circumfertur & oſtentatur populo in MONSTRANTIA, *quæ inde nomen habet, videlicet à monſtrando ſeu oſtentando panaceo illo Deo, in eam incluſo. Græcè Hierothecam, vulgus Sacerdotum Portatilem Sacramenti Loculum vocat, teſte Bruſchio de Monaſteriis. Tum à populo cuncta flexis genibus adoratur etiam, non ſecus quàm ſi verus Chriſtus præſens adeſſet. Ritum verò pompam & ceremoniam hanc Thomas Naogeorgus eleganter in Regno ſuo Pontificio ad hunc modum deſcripſit:*

Corporis hinc veniunt Chriſti celeberrima Feſta,
Quorum quis dicat ludos, morémque profanum?
Nanque Sacrum portant Panem reuerenter, & omni.
Diuino cultu circum vel templa, vel vrbes,
Incluſum fabrefacto argento. Porrò gerentis
Brachia ſuſtentant duo Summi, deq; Senatu,
Ornati ſertis. Alij de more caducum
Sericium geſtant ſuſpenſum, ne quid ab alto
Incidat, aut ſtercus fundat mala deſuper ales.
Luditur & Chriſti perſonis paſſio multis.
Vrſula cum iunctis incedit pulchra cateruis.
Tuq; Georgi acer crocodylum interficis haſta.
Principis inferni trahitur domus: eſtque videre
Dæmonas innumeros tetra, turpique figura.
Chriſtophorus puerum geſtat per cærula Chriſtum.
Impletur telis quidam, crebrisq; ſagittis.
Incedit gladium portans Catherina, rotamque
Terribilem: calicem, & ſacrum fert Barbara Panem.
Hiſtoriæque illic in panis aguntur honore.
Multa alia, iucunda rudi ſpectacula plebi.
Quid memorem vexilla, cruces, candelabra longa,
Diuûm reliquias, calices, idoláque culta?
Quæ vel ſacrifici geſtant, populuſue tributim.
Ante illum incedit Panem Baptiſta, manúque
Monſtrat: eum eſſe Dei, tollentem crimina mundi,
Agnum: quem contra ſpargunt floresq; roſasq;

 Angelica

Angelica forma duc:tintinnabula dulci
Multa ſane crepitant, vernant & compita ramis,
Atque plateæ omnes, quáque itur gramine Feſto
Sternuntur, redoléntque via, atque aulæa feneſtris
Hærent: incedunt Monachorum agmina multa,
Et monachæ cantu reboant, raſique ſcholæ.
Vltrò nonnulli cithara aut teſtudine ludunt.
Procidit in genua occurrens, & pilea tollit,
Diuinóque omni Panem veneratur honore.
Nempe Deum eſſe ſuum credunt: non carnis, vt olim,
Sed iam naturam Panis ſumpſiſſe minuti.

Et mox:

In vicis equitant circum frumenta coloni
Cum crucibus multis, vexilliſque: ipſe Sacerdos
Vnà equitat, geſtans Panem in pendente crumena,
A collo: inque locis certis deſcendit & alta
Voce Euangelium canit. Hæc frumenta tuentur,
Scilicet à ventis, pluuia: rubigine certò, &c.

Ritus huius Feſti Romæ

ROMÆ *in hoc Feſto, in medio Pontificalis pompa, non longè ante Pontificem, ducitur equus albus, manſuetus & phaleratus, portans Sacramentum, quod ipſi in puluino ornato, & hierotheca incluſum Sacriſta impoſuit. Equus habet ad collum tintinnabulum benè tinniens. Suprà portatur baldachinum, cum inſignibus Papæ. Equum præcedunt duodecim familiares Papæ pedites, rubra veſte induti, portantes duodecim intorcinia ante Sacramentum: Inde duo familiares Sacriſtæ equeſtres, etiam rubro induti portantes lanternas argenteas cum lumine, ante Sacramentum. Extat hæc pompa deſcripta lib. 3. Ceremoniarum Rom. Eccleſiæ, Leoni 10. inſcripto: nec ſemel in iiſdem repetitur. Lib. 1. Sect. 2. de proceſſione Coronati Pōtificis ad Lateranum. Sect. 5. de proceſſione Pontificis, & coronati Cæſaris per vrbem. Sect. 12. de Ordine; quo modo Papa in vrbe, de loco ad locum in ſolenni pompa, vel in Pontificalibus equitat. Et lib. 3. de Officio Sacriſtæ.*

Ritus & pompa huius Feſti Ethnica eſt.

In hac pompa nihil omninò habent, cuius vel tantillum veſtigium in Sacris literis extet, ſed in ea illarum rerum vſum reuocant in Eccleſiam Chriſti, quæ in Cereris, Iſidis, Dianæ, igniſque Perſici honorem, ab Ethnicis olim inſtituta fuerunt, quod Petrus Viretus lib. 1. de Adulterata Cœna Domini eleganter demonſtrat. Et hoc verum eſſe quiſque faciliùs iudicare poterit, ſi de priſcis horum ſacrorum ritibus, teſtes audierit, veteres Ethnicorum Theologos, & cum his quæ in hoc Chriſtianorum Feſto peragi, vel ab aliis audiuit, vel ipſe vidit, diligenter contulerit. Ex illorum numero primum Vergilium teſtem producemus, apud quem Georg. 1. hæc de Cereris pompa & amburbalibus ambarualibúſque ſacris leguntur.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refert Cereri, lætis operatus in herbis.

Et mox:

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Térque nouas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus, & ſocij comitentur ouantes,
Et Cererem clamore vocent.

Ouidius verò tanquam formulam inuocationis refert Faſt. 4. Deinde docet tædis & albis veſtimentis cultam fuiſſe. Sic enim de tædis:

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris ſacris nunc quóque tæda datur.

Item:

Sed ſi thura aberint, vnctas accendite tædas.

Et alibi:

Et per tædiferæ myſtica Sacra Deæ.

De albis autem veſtimentis:

Alba decent Cererem: veſtes Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris vſus abeſt.

Nihil hîc obſeruatum ab Ethnicis legimus, in huius Deæ ſacris & pompa, quod à Papiſtis non ſit ad vnguem expreſſum, in hac qua de nunc agimus pompa Nam Hoſtia, quam Sacram Salutarémque appellant & ſalutant, pererratis omnibus plateis, vt loquitur Apuleius lib. 3. Aſin. in modum eorum, qui luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtiis circumforaneis expiant, circumducitur? Annon quaſi piacularis & luſtralis Hoſtia, circum vrbes, compita & agros, annuatim geſtari ſolet, hunc penè in modum quē à Vergilio & Ouidio modò deſcriptum audiuimus? Quamobrem nullo aptiore alio nomine quàm Apuleiano, Circumforanea Hoſtia *dici poterit.*

Néque ab hoc ritu admodum diſcrepant, quæ Claudianus de Iſidis pompa his verſibus tradidit:

— ſic Numina Memphis
In vulgus proferre ſolet: penetralibus exit
Effigies breuis illa quidem: ſed plurimus infra
Liniger impoſita ſuſpirans veſte Sacerdos,
Teſtatur ſudore Deam: Nilotica ſiſtris
Ripa ſonat, varióſque modos Ægyptia ducit
Tibia.

Etenim tum demùm Sancta ſua Numina, ſacris efferunt Papiſtæ adytis & penetralibus, ac in vulgus proferunt, quum Sacroſancta illa & Salutaris Hoſtia circumfertur: cuius effigies breuis & illa quidem; baiulos habet & primorios cultores, linigeros Sacerdotes, quorum pompa tota vario muſicorum inſtrumentorum, tintinnabulorum & crepitaculorum tinnitu perſonat.

His quóque admodùm ſunt conſona quæ

Apuleius de Dianæ pompa narrat. In hac enim tanquam in tabula, eam nobis propemodùm oculis ſubiicere videtur, qua ſuum Pontificij Panaceum Deum hoc Feſto venerari conſueuerunt. Sic autem inquit lib. 11. *de Aſin.* Ecce pompæ magnæ paulatim præcedunt anteludia, vocibus cuiúſque ſtudiis exornata pulcherrimè. *Et mox:* Inter has oblectationes ludicras popularium, quæ paſſim vagabantur, iam ſoſpitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido ſplendentes amicimine, varióque lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, quâ Sacer incedebat comitatus, ſolùm ſternebant floſculis: *In hac verò pompa, linigeri Sacrificuli, harum mulierum vices gerunt, ſplendentes & ipſi candido amicimine, varióque geſtantes geſtamine: hoc vno differunt, quòd pro verno coronamine, raſus vertex coronæ formam refert. Hoc etiam intereſt quòd non ipſi ſibi ſolùm, ſed populus floribus & frondibus ſternit. Pergit Apuleius* Magnus, *inquit*, præterea ſexus vtriúſque numerus, lucernis, tædis, cereis, & alio genere facti luminis, ſyderum cœleſtium ſtirpem propicíantes. Symphoniæ dehinc ſuaues, fiſtula, tibiáque, modulis dulciſſimis perſonant. Eas amœnus lectiſſimæ iuuentutis, veſte niuea & cataclyſta, prænitens ſequebatur chorus, carmen venuſtum iterantes. Ibant & dicati magno Serapi tibicines, qui familiarem templi Deíque modulum frequentabant, & plerique, qui facilem Sacris viam dari prædicarent. *Néque deſunt etiam in hac Papiſtica pompa, ſacri hymni, Deo, cui inſtituta eſt, dedicati, eiúſque modulis attemperati: præſertim religioſum illud*, Pange lingua &c. *quod magno boatu reſonant. Quod verò mox ſubiicis, apprimè ſacrificulis Papiſticis conuenit.* Hi capillum deraſi funditùs vertice prænitentes, magnæ Religionis terrena ſydera, & Antiſtites ſacrorum Proceres, qui candido linteamine, cinctum pectoralem ad vſque veſtigia ſtrictim iniecti, potentiſſimorum Deûm proferebant inſignes exuuias. *Habes hîc rurſùm, & raſum capillitium Papiſticorum ſacrificulorum, & ſacrorum ornatum, & ſacras reliquias, quæ ab Apuleio exuuia Deorum nominantur. Vocat præterea Sanctos illos Sacerdotes*, terrena ſydera. *Papiſtici verò, vt ſe gloriantur Apoſtolorum eſſe Succeſſores & Vicarios, ita illorum ſibi titulos & nomina arrogant, voluntq́; haberi lux mundi. Et paulò poſt ait Apuleius:* Secundus veſtitu quidem ſimilis, ſed manibus ambabus geſtabat altaria. *Quæ verò ſequuntur, propiùs pertinent ad penetralem illum Deum Papiſticum, qui circunfertur, eiúſque delubra, ſacraria, atque pyxides, quibus concluſus tenetur.* Nec mora, *inquit*, quum Dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. *Incedit profectò & hic penetralis Deus pedibus humanis. Niſi enim baiularetur, ferretúrque humanis pedibus, ne moueri quidem loco poſſet. Item:* Ferebatur, *ait*, ab alio ciſta ſecretorum capax, penitùs celans operta magnificæ religionis. Gerebat alius felici ſuo gremio, Summi ſui Numinis venerandam effigiem, &c.

Hîs admodùm affinia ſunt, quæ de ſolenni Perſicorum Regum pompa traduntur, qui ipſi quóque ſacrum ſuum ignem circumferre & venerari ſolebant, eundem & pro Deo colentes, & Orimaſda nuncupantes. Quum enim progredi cœpiſſet agmen ſacra pompa, ignis ille ſacer argenteis altaribus præferebatur: hunc inſequebantur Magi: Magos deinque treceni ſexaginta iuuenes, puniceis velati amiculis, totidem numero, quot dies annus continet. Nam hic Sacer ignis imaginem illis referebat Solis, quem ibi Mythræ nomine venerabantur. Et ne quis putet me iniuriam facere Pontificiis, non puduit illos ipſos pompam huius feſti ſuámque idololatriam tanquam Chriſtianam ex his probare Ethnicorum deliriis. Refert enim Manlius tom. 3. *Locorum Commun. fol.* 28 *quendam Epiſcopum, ſtatim poſt ſuam electionem & confirmationem, in ſua diœceſi mandatum edidiſſe, cuius exordium fuerit:* Sicut Regem Perſicum præcedebat equus ignem geſtans, qui à Perſis pro Deo adorabatur: ſic nos præcedet conſecrata hoſtia, quam vt verum corpus Domini coli & adorari ab omnibus noſtris ſubditis mandamus.

Ritus & pompæ in hoc feſto origo eiúſque progreſſus.

Cæterùm ex ordine hiſtoriarum & ſerie temporum demonſtrabo deinceps, quomodo poſt puriora antiquitatis tempora, ſenſim & paulatim, facta ſubinde maiori & deteriori inclinatione, ad ſpectacula & deliria hæc Ethnica in Regno Pontificio deuentum ſit. Apud Euſebium lib. 5. *cap.* 24. Romani Epiſcopi hoſpitibus ſimpliciter mittunt Euchariſtiam. *Irenæus enim tantùm habet verbum* ἐπεμπον. *Idem Euſebius lib.* 6. *cap.* 34. *indicat*, Presbyterum quendam puero tradidiſſe Euchariſtiam ad Serapionem perferendam. *Exuperius Toloſanus* in caniſtro vimineo & in vitro portat Corpus & Sanguinem Domini. *Ex Tertulliano quóque & Cypriano colligitur*, mulierculis datam fuiſſe Euchariſtiam domum perferendam. *De circumgeſtanda autem Euchariſtia, oſtentanda, adoranda, de præferendis luminaribus, crucibus, campanis & reliquis ceremoniis apud Papiſtas vſitatis hodie, nulla vel teſtimonia, vel exempla extant in vera antiquitatis hiſtoriis. Apud Gratianum quóque nihil tale inuenitur. Sed hac de re vide plura in libro noſtro de Origine templorum, &c. cap.* 5. *Innocentius* 3. *autem cum in Lateranenſi Concilio anno* 1215. *celebrato, Tranſſubſtantiationis dogma approbaſſet, &*

hominibus

hominibus perſuaſiſſet, in Sacramento Cœnæ nihil ſupereſſe ſubſtantiæ vel panis vel vini, ſed verum ibi contineri Corpus & Sanguinem Domini, tùm primùm cœpere in templis parare tabernacula, thecas & ædiculas quibus incluſerunt Sacramentum. Mandauit enim vt Euchariſtia in omnibus Eccleſiis ſub ſeræ & clauis cuſtodia conſeruetur. *Decretal. lib. 3. tit. 44. cap. ſtatuimus. Non tamen hic mos ab omnibus ſtatim Eccleſiis admiſſus aut receptus fuit: quod ex decreto Honorij tertij facillimè poteſt intelligi, quo Innocentij huius nouam inſtitutionem omnibus Eccleſiis obtruſit. Id lib. 3. Decretal. tit. de Celebrat. Miſſ. ita habet:* Ne propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauiùs exardeſcat, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo, & ſignato honorificè collata deuotè & fideliter conſeruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem ſuam, vt cùm in celebratione Miſſarum eleuatur Hoſtia Salutaris, ſe reuerenter inclinet, idem faciens, cùm eam defert Presbyter ad infirmum. Quam in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine ferat, & referat manifeſtè & honorificè ante pectus, cum omni reuerentia & timore, ſemper lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes Fideles fides & deuotio augeatur. Prælati autem huiuſmodi mandati grauiter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi Diuinam & noſtram volunt effugere vltionem. *Quo ipſo, quòd tam diſtrictè præcipit, ſatis conſtat, id quod ſic mandat diu non duraſſe, ſed ſi authore & approbatore maximè inſtitutum. Nec enim edictis nec mandatis tam diſtrictis habemus opus, in his retinendis quæ aut vetus conſuetudo, aut honeſta aliqua ratio Maiorum authoritate confirmata commendat. Sunt hæc igitur nupera: in veris veræ antiquitatis hiſtoriis tale quid non reperitur. Adhuc tamen reſpectu aliquo ad vſum hæc ipſa inſtituta fuerunt: quandoquidem nihil aliud præcipimus, quàm vt panis conſecratus ad ægrotos deferatur, eis exhibeatur & ore percipiatur, vtque in hunc vſum in templis ſub fideli cuſtodia conſeruetur.*

Longius progreſſum ab Euchariſtiæ vſu à Chriſto inſtituto.

Poſt hæc verò tempora, annis circiter 40. ab eo vſu Euchariſtiæ, qui à Chriſto inſtitutus eſt, longiùs diſceſſerunt, inſtituto ab Vrbano quarto Corporis Chriſti Feſto. Obſeruatu verò digniſſimum eſt, quòd ne hæc quidem conſtitutio Vrbani de hoc nouo Feſto, in ipſo etiam Papatu temporibus illis ab omnibus Eccleſiis approbata & recepta fuit. Vndè poſt annos 50. Clemens 5. Papa anno Chriſti 1311. in Viennenſi Concilio, conſtitutionem illam ab omnibus præcisè ſeruandam, coactus fuit præcipere. *Teſtatur hoc Gloſſa in Clementinis, de Reliquiis & Veneratione Sanctorum. Animaduertendum etiam, ab his ipſis quóque Pontificibus hanc feſtiuitatem, non eo modo, quo hodiè celebratur, inſtitutam fuiſſe. Nulla enim prorsùs in Bulla Vrbani mentio fit* Circumgeſtationis & Oſtentationis: *nec vllum verbum ibi extat*, de pane conſecrato per octiduum in Monſtrantiam includendo, circumgeſtando & oſtentando. *Neque etiam mentio ibi fit vlla* ſpectaculi alicuius theatrici, pompæ & externæ adorationis circumgeſtati & adorati panis. *Sed finis inſtitutionis illius his verbis in Bulla exponitur:* vt ſtudeant ſe taliter præparare, quod huius precioſiſſimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reuerenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum. *In his manifeſtè dicitur, propter vſum, porrò ipationem ſeu communionem ſolenniorem inſtitutum primò fuiſſe illud Feſtum: & in illo vſu, in quo debita reuerentia & deuotia requiritur, gratias agendas eſſe Chriſto, pro immenſo hoc beneficio, quòd corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum tribuit. Hinc colligitur, ea quæ hodiè in hoc feſto peraguntur, ne primis quidem eius authoribus nota fuiſſe: veluti eſt*, Incluſio, Circumgeſtatio, Oſtentatio, Spectatio & Adoratio Panis, *extra vſum diſtributionis & ſumptionis.*

Nomen huius feſti mutilatum.

Ipſa etiam appellatio mutilata eſt Vrbanus námque & Clemens, vocant Feſtum Corporis & Sanguinis Chriſti: *& in Reſponſorio illius Feſti canitur, Omnes qui de vno Pane, & de vno Calice participamus. Hodiè verò tantùm* Corporis Chriſti Feſtum *appellatur: à qua mutilatione Germani etiam vocant*, deß heiligen Fronleichnams tag: *ac ſi diceres*, deß herrlichen vnd koſtlichen leichnams Chriſti tag. Dann Fron ein alt Teütſch wort / nicht anders heütigs tags heißt / dann herrlich / fürnemb vnd koſtlich. Dahar mann auch in den hohen Gſtifften vnd Kirchen den fürnembſten Altar / Fronaltar nennet.

Longè igitur poſt Vrbanum & Clementem V. quóque circa Conſtantienſe Concilium hæc omnia, quæ in hoc Feſto peraguntur hodiè, excogitata & introducta ſunt, & proinde recentia, nupera ac nouitia ſunt. Et tamen Concilium Tridentinum, etſi fateatur quoque, hoc feſtum non habere teſtimonium vel Scripturæ, vel Traditionis Apoſtolicæ, vel veræ Antiquitatis in veteri & priori Eccleſia, ſed ſerò in Eccleſiam inductum eſſe, nihilo minus ſub Anathematis pœna omnibus ſeruandum præcipit, can. 6. de Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Vbi quis meritò miretur, vndè nouo huic & tali feſto tanta repentè acceſſerit authoritas.

Oſtenſis

Feſtum hoc cur inſtitutum, & à Chriſti fidelibus non debeat obſervari.

Oſtenſis igitur initiis & progreſſu huius Feſti, de re ipſa etiam quaedam deinceps dicemus: vt intelligatur, quam ob cauſam Feſtum hoc ſit inſtitutum, quare pro eo, tanquam pro aris atq; focis, tanta contentione dimicent Pontificij, & cur à verè Chriſti Fidelibus nec poſſit nec debeat recipi.

1\. *Nam primò, Celebratio huius Feſti, qualis eſt in Papatu, proponit confirmat & ſtabilit mutilationem Euchariſtiae: nam altera tantùm ſpecies, contra inſtitutionem Chriſti proponitur. Et credibile eſt, eo ipſo tempore, nouis acceſsionibus deformatum fuiſſe hoc feſtum, quando in Conſtantienſi Synodo mutilatio haec omnibus Eccleſiis obtruſa fuit.*

2\. *Secundò Celebratio iſtius Feſti, Sacramentum Euchariſtiae ex vſu diuinitus inſtituto, trãſfert in aliam actionem & quidem longè diuerſum vſum qui non habet teſtimonium verbi Dei. Non enim diſtribuitur non accipitur, non manducatur, ſed circumgeſtatur, oſtentatur & adoratur. Et ad retinendum praecipuum neruum Papatus, quòd nimirum Euchariſtia habeat veram rationem Sacramenti, etiam extra vſum à Chriſto inſtitutum, licet transformetur in aliam actionem & diuerſum vſum: idcirco tanta contentione de hoc feſto pugnant. Manet verò firmiſsimum illud axioma. Symbola non habere Sacramentorum rationem, extra ſuum vſum, hoc eſt, ſumptionem, & extra actionem his verbis à Domino praeſcriptam:* Accipite, comedite, accipite, bibite. *Nam ne in naturali quidem alimonia panis habet cibi rationem, niſi in eo qui pane veſcatur. Sed in eo Panis hic Caeleſtis, id eſt, ad diuinum vſum ſignificandum & praeſtandum extra ordinem deſtinatus (ideoq; Sacramentum factus) à naturali differt, quod naturalis vim elementarem ſibi habet à natura ſic inſitam, vt quandiu panis eſt, illa non careat, ſiue quis eo vtatur, ſiue minus: panis autem ille caeleſtis ſignificatione tantùm Sacramentum, id eſt, ſpiritualis cibus eſt: idque vſus ipſius reſpectu, nempe eſus & potus ſicut aqua, quae in Baptiſmo adhibetur, non eſt Baptiſmi aqua, niſi quis ea, ſicuti Chriſtus inſtituit, tingatur.*

3\. *Tertiò, Celebratione huius Feſti perſuadentur homines, Chriſtum in Pane illo, quum circumgeſtatur, verè adeſſe: imò hunc Panem non ampliùs eſſe panem, ſed ipſiſsimum Chriſtum: ideóque volunt Chriſtum ibi adorandum eſſe, etiam externo latriae cultu, cùm tamen probare non poſsint Chriſtum taliter in Sacramento, & in hunc vſum, vt adoretur, adeſſe velle. Et eſt verè horribilis Idololatria adoratio Panis, quem ipſiſsimum Chriſtum eſſe putant in Sacramento.*

4\. *Quartò, per iſtud Feſtum abducuntur homines à crebriori & vero vſu Coenae Dominicae: perſuadentur enim ſumptionem cum magno periculo coniunctam eſſe: cultum verò huius feſti ſine omni periculo multo magis eſſe meritorium.*

Quintò, Euchariſtiam ideò inſtituit Seruator, vt ipſe in ea ſe nobis offerat, donet, applicet, & obſignet beneficia & merita mortis ſuae. Vrbanus verò huic feſto tribuit remiſsionem peccatorum: dicit enim in Bulla, Seruari debere id in remiſſionem peccaminum. Quibus vtique noſtro operi tribuunt quod ſolius eſt mortis Chriſti. 5.

Sextò, Pontifices largiſsimas Indulgentias promittunt illis, qui cum reuerentia Panis Feſtum hoc celebrant. Nam Vrbanus 4. his qui interſunt officiis huius feſti in veſperis vigiliae & feſti & in matutinis, & in Miſſa, conceſsit centum dies Indulgentiarum: pro quolibet dictorum officiorum, & pro qualibet aliarum horarum dies 40. & in qualibet die Octauarum pro omnibus horis ſimul dies centum. Martinus autem 5. anno Domini 1400. Curia Florentiae reſidente, duplicauit Indulgentias conceſſas intereſſentibus diuinis his officiis ab Vrbano: addidit & nouas ieiunantibus vt illam feſti ac etiam Communicantibus in ipſo feſto centum dies conceſsit: ſimiliter etiam aſſociantibus proceſsionem, quae fit manè cum Sacramento: aſſociantibus etiam Sacerdotem cùm defert ſacramentum infirmis aliquot indulgentiarum quãque dies contulit. Sed & Succeſſor eius Eugenius 4. Florentiae manens cum Curia duplicauit dictas indulgentias conceſſas à Martino V. qua de re vide Eugenij 4. Bullam in Tomis Conciliorum, & Antoninum tit. 19. cap. 13. §. 1. Ex his Iulianus Pomerius hanc ſummam colligit: Qui, inquit, ipſo die feſto interſunt primis vel ſecundis veſperis, vel Miſſae, vel matutino pro ſingulis indulgentias 400. dierum. Summa igitur diei Feſti aſſurgit ad 16000. indulgentias: infra octauam pro ſingulis 400. dierum inſimul. Summa ſummarum igitur erit per Feſtum & totam Octauam eius, 44000. dierum indulgentiae. Qui verò illo die communicant, illis 400. dierum indulgentias largiuntur. Et notet Lector quòd tantundem indulgentiarum promittitur Spectatori, quantum ei qui communicat, 400. ſcilicet dierum. Si verò tota ſumma colligatur in quadrupla proportione, veneratio Sacramenti extra vſum à Chriſto praeſcriptum excedet ipſam communionem, hoc eſt, vſum diuinitùs inſtitutum. Et addit Pomerius: Eum, qui velit indulgentias illas aſſequi, oportere firmum eſſe in fide: Ja freylich ſo muß er ein gewiſſne haben/ daß ihme ein wagen mit heuw darduch möge fahren: *vt ſcilicet credat, tantam poteſtatem eſſe apud Eccleſiam, quòd poſsit dare tot & tales indulgentias: qui enim hanc poteſtatem negant, quod faciunt haeretici, non conſequuntur eas.* 6.

Aperta eſt itaque huius Feſti inſtitutione, non feneſtra, sed latiſsima porta Idololatriae, omnium quae vnquam fuerunt horrendiſsimae. *Prognoſtica feſti huius.*

Eius

Eius verò prægnoſtica duo certiſsima fuerunt. Primum apud Thomam Cantipratenſem Dominicanum, lib. 2. cap. 54. ſuarum Apum, ſeu de Vniuerſali bano extat. Anno enim Domini 1256 apparuit illi Diabolus, ſicuti ibi disertè fatetur, candida caſula indutus, tanquam in alba pyxide ſacramentum perferens. Vide hiſtoriam apud ipſum authorem, lectione digniſsima eſt. Meminit eius etiam Balæus Cent. 4. cap. 38. Alterum, quòd eo anno quo feſtum hoc inſtitutum fuit, Cometa horrendus per tres totos menſes apparuit: & Vrbana ad Patres ſuos deſcendente ipſe quóque diſparuit. Quo ſigno abſque dubio iuſtus Deus iram furorémque ſuum toti mundo ob tam horrendam & abominandam idololatriam ſignificare valuit. Antoninus tit. 19. cap. 13. §. 1. & Nauclerus Gener. 43. Hic etiam Vrbanus ille ipſe fuit, qui ob Regnum Siciliæ talem pertexuit telam, qua poſtmodum crudeliter, ſed vt Antichriſtum decebat, inter ſe Galli & Germani, & rurſus etiam Hiſpani commiſsi ſunt, tantúſque effuſus eſt Sanguis Chriſtianus, quantus vix in tribus illis decantatiſsimis Punicis bellis profuſus legitur. Ergò dignum quóque illo fuit hoc inuentum qua Deo ſuo Maozim peculiare feſtum inſtituit & dedicauit.

Feſtum hoc quibus rationibus probare conetur.

Sed rationem etiam videamus, qua hic Pontifex in ſua Bulla hoc Feſtum probare conatur. Ea verò eſt, vt quod in aliis Miſſarum officiis circa Euchariſtiam eſt prætermiſſum, id in hoc feſto deuota diligentia ſuppleatur. Reſpondeo, Si quid ab aliquo ſit neglectum aut prætermiſſum in Euchariſtiæ Celebratione, reſarciendum id non quomodolibet, ſed ratione à Chriſto præmonſtrata. Ea non eſt, vt includatur, circumgeſtetur, oſtentetur ac adoretur, ſed vt deuotè comedamus & bibamus, in Commemorationem Domini. Et Paulus explicans hanc Commemorationem, disertè dicit: Quotieſcúnque manducaueritis & biberitis, mortem Domini annuntiate donec venerit. *In Feſto verò illo, quæ Chriſtus inſtituit & mandauit, diſtributio, ſumptio & commemoratio mortis Domini, prætermittuntur: & alius vſus ab hominibus ſuperſtitioſis nuper excogitatus cultus præſtantioris opinione ſupponitur. Hoc an liceat nobis nec ne, Lectori iudicandum relinquo. Fruſtra, inquit Deus, me colunt mandatis hominum. Idem etiam reſpondetur ad Ieſuitarum argumentum: populum Chriſtianum in hoc Feſto Deo gratias agere debere, ob tantum & tam ſingulare beneficium nobis impenſum. Item, vt populus ſic inſtruatur circa myſteria fidei noſtræ, & eorum aſsiduè recordetur. Nam non quæritur, An Deo ſint gratiæ agendæ ob Mortem Chriſti: &, An populus in myſteriis fidei ſit erudiendus Feſto hoc vel alio: ſed, An eo pacto id ſit agendum quo Pontificij hodiè volunt, an verò eo quo Chriſtus æternus Dei filius iuſsit?*

QVIRINVS, *quem alij Cyrinum ſcribunt, Epiſcopus fuit Siſciæ (Euſebius Seeſiam vocat) Pannoniæ ſuperioris vrbe. Tempore Diocletiani & Maximiani Impp. appenſa ad collum eius mola in flumen de ponte præcipitatus, ibique ſubmerſus eſt, prid. Non. Iunij. Prudentius in hymnis, & Pet. de Nat. lib. 5. cap. 85.* 4.

BONIFACIVS *Anglus, in patria educatus & in literis inſtitutus, tandem Romam venit ad Gregorium II. Papam. Is quum Bonifacij mores, audaciam ſtudium ac zelum erga Rom. ſuperſtitiones anno integro cognouiſſet, Germaniæ eum Apoſtolum creat: & breui quidem tempore ſub iugum Pontificum Francos, Noricos, Baios, Thuringos, Cattos Saxonum partem, Dacos, Sclauos & Friſios redegit: vbique templa & monaſteria extruens. Cùm in Friſia eſſet, Pogoni (Bergomenſis Mahometanos ſomniat fuiſſe) indignè ferentes, quod Pipinum proditorem Regem Francorum vnxiſſet, Childerico legitimo Rege contra ius depoſito, armati in eum & ſocios impetum faciunt & ipſum cum 50. familiaribus ſuis trucidant ac ciſtas eius, in quibus libri erant & reliquiæ Sanctorum, diripiunt, Nonis Iunij, anno Domini 755.* 5.

ARTEMIVS *cum Vxore & Filia Romæ paſſus eſt ob Chriſtianam Religionem, 8. Idus Iunij. P. de Nat. lib. 5. cap. 92. Quidam Benigni Presbyteri Diuionenſis martyrium huc referunt: ſed is paſſus eſt, Cal. Nouemb. iuxta P. de Nat. lib. 10. cap. 3.* 6.

PAVLVS *Epiſcopus Conſtantinopolitanus aliquoties, ob defenſionem Catholicæ Fidei, à Conſtantio Imp. Arriano de ſede ſua eiectus, ſed ſemper reſtitutus, poſt multas & varias calamitates Arrianorum inſtinctu tandem iterum Conſtantinopoli exturbatur, & Cucuſum, Cappadociæ oppidulum relegatur. Sed ne hoc quidem exilio eius exatiantur Arrianorum crudeles animi, miſsis eo quibuſdam ſuæ cruentæ voluntatis adminiſtris (quod etiam Athanaſius in ſua Apologia ſcribit) palàm quoque curauere ſtrangulandum, 7. Idus Iuny, Philippo præfecto carnifice ad eam rem vſi. Socrat. lib. 2. Adon in Martyrologio, P. de Nat. lib. 5. cap. 95.* 7.

MEDARDVS *natus eſt patre Nectardo Franco, & matre Prothaſia Romana, in territorio Viromadenſi. Epiſcopus electus, Viromadenſem ſedem Nouicomum tranſtulit, propter ſubuerſionem. Deinde in Epiſcopatu Tarnacenſi Eleutherio ſucceſsit. Sigebertus, Volaterranus & Turonenſis lib. 4. cap. 9. Dies eius* ὑετώδης *eſſe putatur, quòd pluuia huius diei triginta dierum pluuiam portendat, ſecundùm ruſticorum regulam. Hæc opinio inde nata videtur, quòd commenti ſunt eo die, quo Medardus eſt mortuus, aqua calida pluiſſe. Vinearum quóque patronus vulgò habetur: quòd furem in vinea ſua vuas rapien-* 8.

tem

tem ita ligauerit, vt inde exire nequiuerit, niſi de ipſius voluntate, ſicut Fortunatus nugatur. Mortuus eſt anno 537. ſub Iuſtiniano Imp. 6. Idus Iunij. P. de Nat. lib. 5. cap. 87.

9. PRIMVS & FELICIANVS ſub Diocl. & Maximiano Impp. poſt varios & horrendos cruciatus, quos ob Chriſtum pertulerunt, animam reddiderunt Deo in vrbe Numenta, Idibus Iunij, circa annos Domini 287. P. de Nat. lib. 5. cap. 99.

10. ONOPHRIVS per annos 60. in eremo vaſtiſsima ac profundiſsima Ægypti manſit hominibus incognitus. Eum Pannutius abbas, deſertum idcircumiens, reperit aſpectu terribilem, capillis longis & canis, nudum corpus habens vtcunque contectum, vt monſtrum potius aut feram quàm hominem exiſtimaret Pannutius, P. de Nat. lib. 5. cap. 106.

11. BARNABAS vnus fuit ex 7. Chriſti diſcipulis, de quo multa in actis Apoſt. leguntur. Tandem Salaminem peruenit, vbi Iudæi comprehendentes eum multis iniurijs affecerunt: tandem ligantes funem in collo eius, extra vrbis portas traxerunt, eumque combuſſerunt ibi, 3. Idus Iunij. Sub Zenone Imp. reliquiæ eius repertæ ſunt, & recondita. Theod Lector in Collect. lib. 17. Petrus de Nat. lib. 5. cap. 105.

12. BASILIDES Romanus ſub perſequutione Diocletiani in patria, ob Chriſti confeſsionem, ſcorpionibus duriſsimè caſus, dehinc in carcerem detruſus, & poſt dies ſeptem Imperatoris iuſſu gladio truncatus eſt capite, & feris expoſitus, prid. Id. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 109.

13. FELICVLA virgo, Petronellæ collactanea, vt ſcribit Marcellus, mortua ſorore, à Flacco Comite comprahenditur, & quum nec ei nubere, nec Dijs ſacrificare vellet, in cloacam præcipitata necatur, Idibus Iunij. Pet. de Nat. lib, 5. cap. 112.

ANTONIO monacho Minoritæ Vliſipponenſi diem obitus ſui conſecrat Idus Iunij Gregorius IX eumque magna celebritate ſeruandum conſtituit anno Chriſti 1232. Vincentius lib. 30. cap. 135. Antoninus tit. 24. cap. 4. §. 6. Hodiè Patauij religioſiſsimè colitur. Sabellicus Enne. 9. lib. 6.

14. VALERIVS & RVFFINVS tempore Diocletiani & Maxim. Impp. ob Chriſtianam religionem in territorio Sueſsionen. ſub Præſide Rictionaro decollati ſunt, 18. Cal. Iul. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 116.

15. VITVS puer, & MODESTVS eius Præceptor ſub Diocletiano, poſt multos cruciatus verberum, carceris, exilij, ignis & equulei, martyrio coronantur, 17. Cal. Iul. Pet. de Nat. lib 5. cap. 18.

Quum TEVPVLANA coniuratio Venetijs hoc die penitùs ſublata eſſet, inſtituit Senatus Venetus, vt eius æternam memoriam ſacrámque pio conſtantique amore retinerent. Inuiſitur igitur ab omnibus ordinibus D. Vitiphanum 15. menſis Iunij die: inuiſit Dux, vniuerſusque Senatus & populus, magna cum pompa & gaudio, perſolutiſque Deo gratijs patres ipſos ſecum redeuntes intra Palatinas ſuas ædes Princeps publicus excipit epulis. Egnatius lib. 5. cap. 2.

ROLANDVS Caroli Magni ex ſorore Nepos, quum pro fide Chriſtiana adverſus Saracenos fortiter pugnaret, & inter præclara eius prælij facinora ſua manu multos, tùm verò Maſuirium Imperatorem Saracenici exercitus iugulaſſet, ſiti extinctus eſt, 16. Calend. Iulij. 16.

PAVLA virgo apud Hiſpanias in ciuitate Malica, poſt multa tormenta, lapidibus obruta, inter ſaxa moritur, Pet. de Nat. lib. 5. cap. 125. 17.

MARCVS & MARCELLIANVS fratres, ſacrificare Romæ nolentes, in carcere pluribus diebus detinentur. Demùm educti, & ad ſtipitem ligati, confodiuntur lanceis, Diocletiani Imp. iuſſu, 14. Cal. Iulij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 124. 18.

GERVASIVS & PROTHASIVS fuerunt fratres vterini, B. Vitalis Martyris filij. Cùm Aſtaſius Comes Mediolanen. bellum pararet aduerſus Arcomannos, vates & ſacerdotes Ethnicos de belli euentu conſuluit. Reſponderunt illi, Deos reſponſa dare nolle, nec victoriam ei polliceri, priuſquam Geruaſius & Prothaſius Dijs ſacrificarent. Comprahenduntur igitur, & ſacrificare iubentur. Sed quum id facere recuſarent, Geruaſius plumbatis cæditur, donec animam reddidit Deo. Prothaſius verò in equuleo ſuſpenditur, deinde fuſtibus cæditur, tandem capite plectitur, 13. Cal. Iul. anno Chriſti 51. vel iuxta alios 57. Petrus de Nat. lib 5. cap. 126. 19.

SILVERIVS Campanus, Hormiſdæ Pontificis Filius, primus imperiali aſſenſu ad Epiſcopatum Romanũ promotus eſt Gotthorum ſuffragio. Theodatus enim Gotthorum Rex, lege edixit, vt qui non conſentiret electioni eius gladio puniretur. Inſtigante igitur Vigilio Diacono, eúmque accuſante, quòd Romam Gotthis prodere voluiſſet, in exilium à Theodora Auguſta & Antonia Beliſarij Ducis vxore, in Pontum inſulam relegatus fuit. Res parui momenti, vt apparet, Pontificatus Romanus tunc erat, quum inferiorum Principum iuſſu ac mandato Præſules illi eligerentur, & à fœminis deponerentur. Tandem annò Domini 537. in exilio cucullatus miſerè perijt, 12. Cal. Iul. Balæus in eius vita. P. de Nat. lib. 5. cap. 131. 20.

ALBANVS Moguntinenſis Epiſcopus, quum Franci in Gallias irrumperent, in æde ſacra, capta Moguntia, trucidatus eſt. & vnà multa hominum millia, vt Auentinus lib. 2 in Honorio Imp. refert. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 133. indicat. Albanum à Gentilibus captum flagellis & tandem gladio cæſum eſſe, 11. Cal. Iulij. 21.

22. DECIES MILLE *Martyres hoc die in monte Ararath, propter fidem in Chriſtum trucidati ſunt iuſſu Adriani & Antanini Imperatarum. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 137.*

23. EDELTRVDIS *Regina Virgo Sacra, vt ſcribit Sigebertus, anno decimoquarto Conſtantini iunioris, in Anglia claruit, & duobus nuptn viris, virgo tamen permanſiſſe dicitur, & à poſteriore, cum qua duodecim annis in coniugio permanſit, impetraſſe dicitur, & à poſteriore, cum quo duodecim annis in caniugio permanſit, impetraſſe, vt abſaluta à coniugia monaſterium ingredi liceret, in quo etiam martua eſt. 9. Cal. Iul Beda l.4. hiſt. & Pet. de Nat. l. 5. c. 142.*

NATIVITATIS Sancti Ioannis Baptiſtæ Feſtum.

Feſti huius antiquitas.

N*Atiuitatis S. Iaannis Baptiſta Feſtum poſt annos Chriſti 400. celebratum ex Maximi Taurinenſis Epiſcapi homilia apparet, quam in illo habuit. Celebratúrque maiari cum ſolennitate, quàm Decollatianis: Durandus Rational. lib. 7. cap. 26. In eo verò tria fiunt.*

Ritus.

Nam in quibuſdam locis, ex antiqua canſuetudine, colligunt pueri oſſa, & alia immunda, & ſimul cremant, vt fumus fiat. Habent hoc à gentibus. Antiquitus enim dracones hoc tempore ad libidinem propter calorem excitati, volando per aërem frequenter in puteas ſemen emittebant, unde aqua inficiebatur: & qui ex hac aqua bibebant, aut aerem corruptum hauriebant, vel moriebantur, vel in grauem marbum incidebant. Hoc animaduertentes medici, ignes iuſſerunt frequentes & paſſim circa fontes fieri, & quæcunq; magnum atque immundum redderent fumum ibi cremari, ea ſiquidem dracanes fugari poſſe arbitrabantur. Cum igitur circa hoc tempus, quo S. Ioannis Feſtum celebrandum inſtitutum fueras, hæc imprimis fiebant: idcirco adhuc ab aliquibus quoq; obſeruantur. Durand. Ratian. lib. 7. cap. 14. & Beleth. cap. 1. 37. Per hos ignes ſaltatur, ſicut apud Romanos in Palilijs. 2. Ferunt etiam in hoc Feſto faces ardentes cumque illis arua & ſegetes circumeunt, quare illas benedictas exiſtimant. Durandus ibidem. 3. Rotam quoque hoc die in quibuſdam lacis voluunt, ad ſignificandum, quòd Sol altiſſimum tunc locum in cælo occupet, & deſcendere incipiat in Zodiaco. Durandus ibidem. Perſuaſum denique eſt vulgo, ſi circa diem S. Ioannis pluat, officere id nucllanis. Cauſa fortaſſe eſt ipſarum tunc teneritudo, humaris impatiens. Audiui qui dicerent, eſſe apinianem vanam ac ſuperſtitioſam, que, etiam in alijs id genus obſeruationibus multis ſimplicium animos teneat.

25. ELIGIVS *Lemauicenſis, adultus aurifabro inſtituendus traditur, Ea arte percepta, profectus eſt in Galliam, ad artificem Regum: ibique, paucis annis ſplendore operum ita inclaruit, vt regi eſſet chariſſimus. Præfectus poſteà Epiſcopatui, elegit certos dies ſingulis ſeptimanis, quibus pauperibus, leproſis & infirmis inſeruiret: excepit eos, pauit & lauit. Suſpenſas etiam & alio genere ſupplicij interfectas, de cruce & rotis paſſim collegit & ſepeliuit. Claruit anna Christi 650. Obijt anno vitæ 70. Chriſti verò 665. Vincentius libro 23. capite 86. &c.*

IOANNES & PAVLVS *cubicularij fuerunt, iuxta Iuonem, Conſtantiæ filiæ Canſtantini. Cùm autem gentiliſmum recipere nollent ſub Iuliana* 26.
Apaſtata, clam capite plectuntur & in foueam praijciuntur. 6. Cal. Iul. anna Domini 363. Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 9.

SEPTEM DORMIENTIVM *fabulam deſcribit Durandus in Rationali lib. 7. cap. 18. Antoninus tit. 7. cap. 7. §. 6. & tit. 16. cap. 1. §. 20.* 27.
Vincentius lib. 21. c. 29. Cùm Decius Imp. ſtatuam Epheſi collocaſſet, eamque adarare omnes cogeret, inuenti ſunt ſeptem Chriſtiani qui impio Cæſaris edicto obtemperare noluerunt. Eorum nomina fuerunt iuxta Durandum, Marcus, Martinianus, Dionyſius, Ioannes, Serapion & Conſtantinus. Vincentius pro Marco Malchum ponit, & Martinianum prorſus omittit, ſex tantùm numerans. Accuſati autem hoc nomine, fidem ſuam conſtanter profeſſi ſunt. Cùm autem à Cæſare, cuius ſatellites erant, deliberandi ſpacium, vſque ad reditum eius, impetraſſent, ipſi intereà in cauernas montis Cælij profugerunt, ibique ſe occultarunt. Quod cùm cognouiſſet Cæſar, edicta iuſſit cauernas montis occludi, vt fame illic contabeſcerent. Illi verò ibi obdormierunt, & ſomno ſepulti iacuerunt trecentos annos, iuxta Durandum, Vincentius autem habet 192. tantùm. Ad cauernam verò eam in qua dormierunt, quidam ſtabulum ædificare voluit: & magna excitata igne lapides ſoluti ſunt, qui erant in oſtio cauernæ, euigilaruntque ſeptem hi Dormientes circa annum Chriſti 451. vt annotat Palmerius in Chron. vel iuxta Sigeb. anno 443. Tunc miſerunt ſeptimum, vt in vrbe carnes ipſis emeret (Vincent. pro carnibus panes habet) putantes ſe per vnam tantùm noctem ibi dormiuiſſe. Numerata pecunia pro carnibus, à lanijs non fuit agnita: Re verà vltrò citroque agitata, tandem compertum fuit eos diutiſſimè in ſpelunca montis dormiuiſſe. Sed fidem his habeat, qui nimis facilè credere didicit. In rei autem huius memoriam feſtum quotannis celebrandum inſtitutum fuit.

LEO *Thuſcus, Romanus Pontifex, Canoni* 28.
Miſſæ multa, non ſine magna Dei blaſphemia addidit.

PETRI ET PAVLI Apoſtolorum Feſtum. 29.

P*ETRVS & PAVLVS hoc die Romæ necati eſſe dicuntur, ſub Nerone Imp. Petrus*

Digitized by Google

trum quidem cruce, Paulum verò gladio. Ac de Paulo dubium nullum eſt: de Petro verò controuertitur, quum multis argumentis probari poßit, eum Romæ non fuiſſe. Feſti huius origo. *Inſtitutum autem fuit in locum Feſti Herculis & Muſarum, quod Romæ hoc die celebrabatur. Poſt annos* 500. *à nato Chriſto hac occaſione cœpit celebrari ſolenniùs. Feſtus ſenator Romanus ad Imperatorem Anaſtaſium Conſtantinopolim ob negotia quædam miſſus, Imperatricem quóque adiit, eámque cohortatus eſt, vt Feſtum Petri & Pauli, quod aliâs quóque obſeruari ſolebat, aliquantò honorificentiùs agitaretur. Mulier igitur ad eiuſmodi pompas procliuis, Feſti admonitionibus locum relinquens, ſplendidius multò quàm hactenus factum fuerat, panegyrim illam celebrari curat, vt Theodorus Lector lib. 2. & Nicephorus lib. 16. cap. 35. narrant.* Ritus huius feſti. *Meminit huius Feſtiuitatis Ambroſius Serm. 6. vbi indicat, Conuiuia celebrata fuiſſe in ea à Chriſtianis. Et Viennæ Auſtriæ naumachia hoc die editur in Danubio, & ſimul tunc epulantur Senatores & Conſules, vt refert Lazius.*

30. Pavli Commemoratio *celebratur pridie Calend. Iulij, non quòd Paulus hoc die paſſus ſit: ſed quum Feſtum præcedens Petri & Pauli ex veteri inſtituto eodem die celebrandum occurrat, vno tamen die, quoad officium, non potuerit celebrari, & inconueniens fuiſſet alterum ipſorum carere officio ſingulari, conſtituit Gregorius M. vt ipſa die, qua paßi eſſent, fieret quoad officium,* Solennitas Petri, *& ſequenti die* Commemoratio Pauli, *Beleth in Rationali cap.138. & Petrus de Natalibus lib.6. cap. 26.*

IVLIVS.

Festa Et Memoriæ Sanctorvm, quæ menſe Ivlio à Chriſtianis celebrantur.

1. Theobaldvs *parentibus clariſſimis atque ditiſſimis natus, tribus annis peregrinatus eſt, & nouem in eremo apud Vincentiam durißimam vitam egit, tandémque in ea mortuus eſt Calend Iulij circa annos Domini* 1050. *ſub Henrico II. Imp. Pet. de Nat. lib.6. cap.36.*

Venetis *etiam Iuliæ Calendæ ob receptã Liguſtico bello Clodiam, Andreæ Contareni Ducis auſpiciis, ſacræ habentur. Egnatius lib. 18. cap. 16.*

2. Visitationis Beatæ Mariæ Feſtum.

Feſti huius origo. C*Vm circa annum Domini* 1378. *ingens ſchiſma eſſet inter Vrbanum VI. & Clementum VII. quorum hic à Gallicis, ille verò ab Italicis Cardinalibus electus fuerat, vnde cædes, latrocinia, rapinæ & alia multa mala ſequuta ſunt, Vrbanus VI. vt his malis ſubueniret,* Visitationis Mariæ Feſtum in craſtinum Octauarum B. Ioannis Baptiſtæ celebrandum inſtituit: *decreuítque Indulgentias, his qui matutinali officio Feſti huius intereſſent, centum dierum: qui autem primis feſti veſperis ſimiliter centum: qui ſecundis totidem: illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ ac Completorij officiis intereſſent pro qualibet horarum 40. dies: illis autem qui per octauas Feſti matutinalibus veſperorum Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis intereſſent centum dies ſingulis octauarum diebus: vt habetur in Bulla Bonifacij noni, qui hoc feſtum Vrbani literis publicauit.* Feſti huius confirmatio. *Non tamen videtur ab omnibus approbatum receptúmque eſſe: quocirca in Synodi Baſilienſis Seß. 43. confirmatum & omnibus Eccleſiis obtruſum fuit, hoc decreto: Cùm in hoc tempore tota Chriſtianitas in laboribus & anguſtiis conſtituta cernatur, cúmque ferè vbique diuiſiones & bella per humani generis hoſtem introducta vigeant, & ipſa etiam Eccleſia militans non mediocriter procellis agitetur, dignum iudicauit hæc Sancta Synodus, ſolennitatem, qua congruè* Viſitatio Beatæ Virginis Mariæ *appellatur, in ſingulis Chriſtianorum Eccleſiis celebrari, vt honorata in hac die celebritate per pias & deuotas fidelium mentes Mater gratiæ & omnis conſolationis ſacerrima Virgo Maria, benedictum filium ſuum iam multis hominum peccatis offenſum, ſua interceßione conciliãs, pacem & vnitatem fidelibus largiatur. Ideóque ſtatuit & decreuit eadem Sancta Synodus, ad honorem ipſius Virginis Dei Genetricis, vt poſt expleta Reſurrectionis Dominicæ, Pentecoſtes, glorioſæ Trinitatis, ſacri Corporis Chriſti, Beatorum Ioannis Baptiſtæ & Apoſtolorum Petri & Pauli ſolennia, in quibus Eccleſia poſt ſolennitatem Annuntiationis Dominicæ, quam præfata* Viſitatio *temporis ordine confeſtim ſequebatur, eſt occupata, per ſingulas Chriſtianorum Eccleſias, quolibet anno: 6. Non. Iulij feſtum huiuſmodi Viſitationis glorioſæ Virginis celebretur. Hoc igitur ſolenne Feſtum amplectantur Chriſti fideles, & omnes qui Beatam Virginem ſingulari deuotione proſequuntur, ſecum in hac ſolennitate exultationis ſuæ congaudeant. Quam vt eò libentiùs in diuinis honorent officiis, quo magis in ſpiritualibus fuerint excitati muneribus, ipſa Sancta Synodus omnibus Chriſti fidelibus, qui matutinis, Proceßioni, Sermoni, Miſſarum ſolenniis, vel primis aut ſecundis veſperis huius glorioſæ Virginis Feſtiuitatis interfuerint, pro vnoquoque officiorum prædictorum centum dies de iniunctis pœnitentiis miſericorditer elargitur. Hermannus Vuitckindus in ſuo Computo Ec-*

cleſiaſtico dicit, hanc ſolennitatem in Concilio Baſilienſi anno Domini 1432. inſtitutam, ad ſupplicandum litandúmque Mariæ, vt Turcos, Chriſtianis infeſtos, peſſunderet, quemadmodum ipſa montes Iudææ calcauiſſet in iſto ad cognatam ſuam itinere.

PROCOPIVS in vulgatis Calendariis hic ponitur: Petrus autem de Natalibus libro ſexto capite ſeptuageſimo ſcribit, paſſum eum eſſe octauo Idus Iulij. Cæſarienſis fuit in Palæſtina, functus in Oriente Ducali dignitate, quam ei Diocletianus tribuerat. Is contra dæmones gentium, eorúmque cultores liberè & animosè depugnauerat, ſolius Chriſti potentiam laudibus ſupremis efferens. Deinde aurea & argentea idola, quæ fieri ſibi curauerat, impietate cognita, diminuerat, eorúmque pretium inter pauperes diſtribuit, propterea innumeras pœnas torturæ, fidicularum, vngularum, quibus eius conciſa cutis eſt, ignium, facum, ferramentorum, mucronúmque ſuſtinuit, & tandem gladio percuſſus eſt. Nicephorus lib. 7. cap. 15.

4. S. Huldrycus ex primaria Sueuorum Nobilitate de Kyburg & Dillingen natus, à primis annis in Cœnobio Sancti Galli educatus, ibique Grammatices, Latinæ linguæ & Sacrarum literarum non mediocrem intellectum, ſub Vaninga Monacho percepit. Adeò autem monaſtica vita delectabatur, vt niſi ab amicis prohibitus fuiſſet, monaſticum habitum aſſumpſiſſet, Schedelio auctore. A propinquis poſtea Auguſtano Epiſcopo Adelberto committitur, qui in grauiſſimis negotiis eius opera fideli vſus eſt. Eo defuncto Huldrycus in ſede ſubſtituitur. Cùm ad annum ætatis 83. perueniſſet, annis in Epiſcopatu 50. tranſactis mortem obiit 4. Non. Iulij. Ioannes 17. Papa eum in Sanctorum numerum retulit anno 993. vt in Bambergenſi hiſtoria ſcribitur. Auentinus autem lib. 5. Annal. indicat, Henricum tertium Imp. anno 1044. eum in feſtos retuliſſe, ob inſignem, quam de Vngaris reportarit victoriam.

S. Huldrychus an fuerit author epiſtolæ ad Nicol. 1. Papam contra cælibatum ſacerdotum.

Quæritur à nonnullis, an hic Epiſcopus Author fuerit eius Epiſtolæ, quæ ſub eius nomine contra Cælibatum Sacerdotum ad Nicolaum primum Rom. Pontificem circumfertur. Ieſuitæ, vt huius Epiſtolæ authoritatem eleuent, magnã, nec tamen contemnendam, controuerſiam mouent de tempore, quo ille Huldrycus vixit. S. Huldrycus, inquiunt, creatus eſt Epiſcopus anno Domini 924. vt Hermannus Contractus & Abbas Vrſpergenſis docent, vel anno 903. vt dicitur ſcriptum eſſe in Chronico Auguſtanæ Eccleſiæ. Nicolaus autem Papa primus obiit anno Domini 867. vt Onuphrius annotauit in libro de Romanis Pontificibus: non ergo potuit ſcribere Epiſcopus Huldrychus ad Papam Nicolaum qui iamdudum obierat. Reſpondeo: Æquiuocationem eſſe in nomine Huldryci. Diuerſi enim fuerunt Huldryci: alter, qui ad Nicolaum primum ſcripſit, alter verò, qui imperante Henrico Aucupe Imp. vixit, & poſt mortem Sanctus dictus fuit: hic obiit anno 973. iuxta Cõtractum, Trithemium in vita Sigeri Abbatis 7. Hirſaugien. & eam picturam Genealogiæ S. Huldryci, quæ adhuc hodie oſtenditur in arce Kiburgenſi Tigurinorum ditionis: alter verò obiit anno 900.

Huldrychi diuerſi.

Obiiciunt, non duos, ſed vnum tantum Huldrycum in Catalogo Auguſtanorum Epiſcoporum inueniri. Reſpondeo, id inuidiâ & odio Vaticiano Sacrificulorum & Monachorum factum eſſe aduerſus Coniugij Sacerdotum defenſorem, quem haud dubiè non ſolùm ex catalogo illo ſed ex omni memoria hominum euulſum voluerunt, ne comprobatum eſſe coniugium tale ab ullo Epiſcopo videretur. Neque hoc nouum aut mirum videri debet alicui in iſtis hominibus, qui ſibi quiduis licitum eſſe putant. Ex ipſo Decalogo, quem Deus ſuo manu ſcripſit, ſecundùm præceptum totum, de non habendis & colendis idolis ſeu imaginibus, nefaria auſu expungere non ſunt veriti. Idem etiam fecerunt in Can. 44. Carthaginenſis 4 Synodi, qui ſic habet, Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat: illi verba Radat eraſa, ſubſtituerunt, Clericus nec comam nutriat, nec barbam. Et quid hodie Ieſuitæ non audent? Qui quum videant, cùm ex Patribus, tùm ex hiſtoriis, aliorúmque ſcriptis, ſuis decretis, placitis, ſcriptis, dictis & factis repugnantia & oppugnantia, terras mariáque peragrantes, & bibliothecas omnes perluſtrantes, id ſibi iuris vbique ſumere non erubeſcunt, vt Patrum & hiſtoricorum tùm veterum cùm recentiorum ſcripta interpolent, voces, ſententias, quin integras paginas addant, aſſuant, detrahant, mutent, mutilentque pro arbitratu & libidine ſuo, quod ipſi, honeſto ſcilicet nomine, libros repurgare vocant. Et hæc veriſſima eſſe Lector ex Indice repurgatorio librorum à Ieſuitis compilato intelliget. Ad hæc non ſolus hic Huldrycus in hoc Catalogo omiſſus eſt, ſed in aliis etiam alij. Cyriacum, quem Iac. de Voragine in Lombardica hiſtoria 19. à Petro fuiſſe Romæ epiſcopum, in nullius probati authoris Catalogo horum epiſcoporum reperies, quòd eius nomen Cletus inde expunxit, vt ab eodem indicatur Legenda 153. Similiter etiam Ioannam 8. fœminam eraſerunt. Aimoinus ſcribit in ſua hiſtoria, Clodoueum Francorum Regem per S. Seuerinum Abbatem S. Mauritij in Valeſia à febri liberatum. In Catalogo verò Abbatum Cœnobij huius Seuerini nulla prorſus fit mentio. At non ſequitur inde, Seuerinum non fuiſſe Abbatem huius Cœnobij. Præfuiſſe autem Epiſcopatui Auguſtano Huldrycum quendam circa annos Chriſti 865. qui mortuus ſit anno 900. habeo, ipſorum quoque Pontificiorum iudicio teſtes

non

Digitized by Google

nam vulgares. Æneas Syluius, qui factus Romanum Pontifex Pius 2. dictus eſt in ſuo Germania ita ſcribit: Vixit (Huldrycus) anno nongenteſima ætatis ſuæ octuageſimo tertio. Quibus vtiq; verbis non obſcurè indicat, fuiſſe ante 900. annum Huldrycum qui tunc mortuus ſit. Iacobus de Varagine in Aurea Legenda cap. 202. manifeſtè ſcribit, Huldricum anno Chriſti 900. mortem obiiſſe. His adde, quòd Onuphrius, qui ſe in Annotationibus ad Platinam fol. 120. in penitioribus hiſtoriarum ſtudiis verſatum eſſe gloriatur, & cui Pontificij ipſi multùm in hiſtoria tribuunt Huldrycum ſub Nicolai primi Pontificatu collocat, & quidem ad annum Domini 859. Sed aiunt hos ipſas, ſicut etiam alios quos ex ſua parte habent, de nullo alio quàm de S. Huldryco ſcribere. Reſpondeo, In nominibus facilè erratur, vt vni ſæpè aſcribatur, quod alteri eiuſdem nominis tribuendum ſit. Alioquin de vno & eodem illos ſcribere ratio temporum diuerſiſſima credere prohibet. Sed eſto vtrinſque partis authores nullum alium quàm S. Huldrycum intellexerint, nondum tamen vicerunt. Habent Ieſuitæ ex ſua parte Hermannum Contractum, Abbatem Vrſpergenſem & alias. qui dicunt S. Huldrycum anno Chriſti 924. Epiſcopum creatum, & anno 973 mortuum eſſe. Diſſentis Chronicon Auguſtanæ Eccleſiæ, quod tamen pro ſe citant, quæ indicatur anno 992 cum mortuum. Ex noſtra parte eſt Æneas Syluius, qui poſteà Pontifex Rom factus eſt, quem procul dubio errati non arguent. Iacobi de Voragine Aurea Legenda Onuphrius Panuinius & alij, qui ſcribunt, S. Huldrycum mortem obiiſſe anno 900. ætatis anno 83. Epiſcopatus 50. Igitur Epiſcopatus 50. Igitur Epiſcopatum iniiſſet anno Chriſti 840. Panuinius autem in Chronico Eccleſ. initium Pontificatus Nicolai refert ad annum Domini 958. Sed demus etiam hoc Ieſuitis, vnum tantùm fuiſſe Huldrycum Auguſtanum Epiſcopum, & quidem eum qui mortuus eſt anno 973. adeoque Epiſtolam hanc quæ ei tribuitur ad Nicolaum primum non eius eſſe, ſed confictam ab aliquo: illi ſaltem hoc viciſſim nobis dent, non eſſe nuperam, ſed antiquiſſimam, vt quæ diù ante Gregorij 7. Papæ tempora ſcripta fuit. Sic enim Bertholdus Presbyter Conſtantienſis ad Hermanni Contracti Chronicon Appendice, & anno 1585. ab Vrſtiſio in lucem edita, ſcribit: Anno 1079. Gregorius Papa Synodũ Romæ menſe Februario collegit, in qua inter alia Presbyteros deinceps in fornicationem lapſos, abſque ſpe recuperationis, depoſuit, & ſcriptum, quod dicitur S. Vdalrici ad Papam Nicolaũ, de nuptijs Presbyterorum, & Capitulũ Paphnutij de eadem re, damnauit. *Meminit huius Bertholdi Trithemius, & dicit eum claruiſſe circa annos Chriſti 1060. hoc eſt, circa tempora Gregorij ſeptimi ſub quo hæc acciderunt. Hinc intelligimus, ante quingentos annos hanc Epiſtolam non ſolùm extitiſſe, ſed etiam pro S. Huldryci habitam fuiſſe.*

Epiſtola Huldrici cum Verbo Dei congruit.

Adhæc cuiuſq; hominis ſit, ſiue Huldryci, ſiue alterius, Spiritum tamen Sanctum Authorem planè præ ſe fert. Colligitur hoc ex argumentis quibus coniugium Sacerdotum defendit, & contraria refutat. Dicit enim 1. in Veteri Teſtamento Dominus Sacerdotibus coniugia conceſſit. 2. Non legitur hoc in Nouo Teſtamento prohibuiſſe. 3. Chriſtus & Paulus affirmant, non omnes poſſe capere conſilium continentiæ. 4. Paulus disertè dicit, ſe non habere præceptum Domini de Cœlibatu. 5. Idem ait, Diaconi & Epiſcopi ſint vnius vxoris viri. 6. Item. propter fornicationem vnuſquiſque ſuam habeat vxorem. Et, Melius eſt nubere quàm vri. *7 Citat Canonem Apoſtolorum: Nec Clericus vxorem propriam ſub obtentu religionis abijciat. 8. Citat decretum Silueſtri, quo ſtatuit, vxorem Diaconi à Sacerdote benedicendam eſſe. Quod tamen decretum Pontificij in ſuis Conciliorum tomis, ſicut alia, expunxerunt. 9. Allegat regulam Clericorum, quæ extat diſt. 23. Clericus ſit pudicus,* aut certè vnius matrimonij vinculo fœderatus *10. Quia Nicæna ſynodus Sacerdotibus coniugium liberum permiſit. 11. Paulus dicit,* Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem: *Nam & qui vxores habẽt poſſunt eſſe tanquam non habentes: Et qui nubunt, poſſunt in Domino nubere, hoc eſt, ſicut ipſe explicat, in contrahenda matrimonio nihil quod Dominus prohibeat attentare. 12. Dicit, præceptum cœlibatus Sacerdotum eſſe oneroſum & importabile, contra Euangelicam inſtitutionem, & S. Spiritus dictamen, contrarium tam Veteri quàm Novo Teſtamento. Chriſtus enim dicit,* Qui poteſt capere capiat. *Iſti verò dicunt. Qui non poteſt capere anathemate feriatur. Item dicit, eſſe morbum, imò peſtilentiam, prauitatem intentionis, fatuam & turpem ſuggeſtionem, doctrinam Phariſaicam, periculoſum hæreſis decretum, quod cæci duces cæcorum in Eccleſiam Dei introducant, manipulum zizaniæ, commentum infanta. imò eſſe Spiritus illos erroris, & Dæmoniorum prohibentium nubere. 13. Fructum Cœlibatus Pontificij graphicè depingit. Secundò, Argumenta aduerſariorum ſolidè refutat Huldrycus. 1. Clerici debent ſe caſtrare propter regnum Dei. Reſpondet: Paulus dicit, ſe de cœlibatu præceptum non habere, conſilium autem dare. Et Chriſtus dicit, Non omnes hoc conſilium capere poſſe. 2. Sine caſtimonia nemo videbit Deum R. Caſtimonia non eſt in Virginali flore, ſed etiam in coniugali coniunctione. 3. Prætenderunt ſpeciem externam Sanctitatis & Puritatis in cœlibatu coram hominibus. R. Potiùs deberent nobis perſuadere, vt in conſpectu eius, cui omnia nuda & aperta*

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt, erubeſcamus peccatores eſſe, quàm in conſpectu hominum mundi. Nam qui hominibus placent, apud Deum confuſi ſunt, iuxta Pſalmiſtam. 4. Oppoſuerunt exempla aliorum cœlibatum, & inde ipſi Epiſcopi Clericos coniugatos in deſpectum adduxerunt. Ad hoc reſpondet dupliciter. 1. Non debetis præſumere de donis veſtris, nec propterea alienum ſeruum iudicare. 2. Dicit, falſam eſſe ſpeciem continentiæ, ſub qua fœdiſſima libidines lateant, &c. 5. Allegarunt exemplum Gregorij M. Sed hoc refutat oppoſita narratione de ſex millium infantum 6. Illud Pauli, Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, *non ſpecialiter ad laicos, ſed generaliter* ad omnes *ſine exceptione dicit pertinere. 7. Maritum vnius vxoris, non de Eccleſia intelligendum dicit, quia Paulus addit, Qui ſuæ domui preeſſe neſcit, quomodo Eccleſiam Dei curabit?*

Ritus autem à Pontificijs in Feſto S. Huldryci obſeruati ſic deſcribuntur à Thoma Naogeorgo lib. 4. Regi Papiſtici.

Huldryci idolum quodcunque altare recepit,
Illuc carpones plebs fert, mulloſque lupoſque,
Vt ſancti illius redimat teneátque fauorem.
In Templo ſedet. atque adeo ipſa non procul ara,
Venales habeat qui piſces, atque minoris
Vendat, vt inſanis ne copia deſit emendi,
Nec quicquam perdit: nam mox oblatus ad ipſum.
Quiſque reportatur, bis vti aut ter veneat idem.
Impietas ita fert quæſtum, fulcítque culinam.
Religio autem vnde hæc noua? quali Numine pollet
Huldrycus, motos vt piſes quærat, amétque
Offerri ſibi? quos nulli gens nulla Deorum
Obtulit, & Dominus ſuper his nil ſanxit Hebrais?
Multum ſtultitia ſit & impietatis vbique.

5. ANSELMVS *Nobilibus Parentibus ortus, in Becenſi monaſterio Monachum induit, anno ætatis 27. Abbas autem factus eſt anno Chriſti* 1080. *iuxta Sigebertum. Tandem Lanfranco in Archiepiſcopatu Cantnarienſi ſucceſſit, mortuúſque eſt anno ſalutis* 1109. *3. Non. Iulij, ſecundùm Pet. de Natal. lib. 6. cap. 56.*

6. TRANQVILLINVS *pater Marci & Marcelliani Martyrum, quum audiſſet. quòd Zoe vxor Nicoſtrati pro Chriſti nomine paſſa eſſet, indignè ferens, quòd fœmina viros ad palmam præcederent, in forum procurrit, & ſe Chriſtianum liberè profeſſus eſt: ob eamque cauſam lapidibus obrutus martirium paſſus eſt ſub Dioclet. Imp. prid. Non. Iulij. Pet. de Natalibus lib. 6. cap. 61.*

7. NICOSTRATVS *in magna alioquin apud Dioclet. Imp. gratia, cum à S. Sebaſtiano ad fidem Chriſti conuerſus eſſet, & in ea conſtanter perſeueraret, percuſſus eſt gladio, Nonis Iulij. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 63.*

KYLIANVS *natione fuit Scotus. Cùm apud ſuos parùm profeciſſet, prædicatione nouorum rituum de Paſchate, tonſura & ſimilibus, cum ſocijs ſuis in Angliam, inde in Galliam, & tandem in Germaniam ſeceſſit. Cùm autem videret Gosbertum Præfectum etiam adhorere à nouis ceremonijs Papiſticis, Romam abijt, & inpetrauit à Conone, vel (vt Balæus vult) à Benedicto, vt Epiſcopus Vuirtzburgenſis ordinaretur, anno* 686. *Interfectus eſt poſteà à ſuis auditoribus qui ægrè ferebant Religionem antiquam ab ipſo immutari, anno* 697. *8. Idus Iulij. Curio Regino. Otho Friſing. lib. 5. cap. 13. Trithemius de Origine Franc. Balæus Cet. 1. cap. 79. & Cent. 14. cap. 23.* 8.

CYRILLVS *Epiſcopus Romæ coniectus in ignem, illæſus euaſit, & à Præfecto dimiſſus eſt. Cùm autem conſtanter Chriſtum prædicare pergeret, capite cæſus eſt, 7. Id. Iulij. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 71.* 9.

SEPTEM FRATRES, Ianuatius, Felix, Philippus, Siluanus, Alexander, Vitalis & Martialis, *filij fuerunt S. Felicitatis Martyris. Hi cum Dijs Gentium immo. lare nollent occiſi ſunt, 6. Idus Iulij, ſub Antonino Imp. Ianuarius tandiu plumbatis cæſus eſt, donec expirauit. Felix & Philippus fuſtibus interempti ſunt. Siluanus per præcipitia deiectus. Alexander. Vitalalis & Martialis capitalem ſubiere ſententiam. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 77.* 10.

PIVS *Aquileienſis, Romanus Epiſcopus, multa vera pietatis opera, in Eccleſia Chriſtiana feciſſe perhibetur: martyrij gloriam anno Domini 159. 5. Idus Iulij adeptus eſt. P. de Natal. lib. 6. cap. 82.* 11.

NASON *vnus ex 70. Diſcipulis Chriſti fuiſſe perhibetur in Adonis Martyrologio. Cyprijs Euangelium prædicans ibi in pace obdormiuit, 4. Id. Iulij. Pet. de Natalibus libro 6. cap. 88.* 12.

HENRICVS 2 *Imperator ab Eugenio 3. Papa in Diuorum numerum recipitur, & anniuerſarium ipſius diem ſolenniter celebrari conſtituit 13. Iulij. anno* 1146. *quo die mortuus fuerat anno* 1024. *Gigas. Epiſcopus Baſilienſis Ioannes Senn impetratis anno Chriſti* 1348. *quibuſdam reliquijs Henrici 2. à Bambergenſibus, inſtituit etiam per totum ſuum Epiſcopatum diem obitus eius celebrandum, non tantùm propter ſanctitatem & miracula eius, ſed etiam propter merita erga Baſilienſes. Vrſtiſius in Chron. lib. 3. cap. 10.* 13.

BONAVENTVRA *natione Tuſcus, patria Balneoregius, habitum religionis S. Franciſci aſſumpſit, anno ætatis ſuæ 22. eiuſque eandem Generalis Miniſter creatus eſt. Moritur anno* 14.

ſalutis

Digitized by Google

ſalutis 1274. ætatiſ ſuæ 53. Iulij 13. vt refert Octauianus de Martinis. In vulgatis autem Calendarijs refertur ad diem 14. Iulij. Sixtus 4. autem eum inter Diuos retulit. Panuinius.

15. DIVISIO 12. Apoſtolorum *ad prædicandum, Idibus Iulij celebratur, vt Pet. de Natal. lib. 6. cap. 99. indicat: In vulgatis igitur Calendarijs non rectè ad diem 16. refertur. Hoc enim die duodecimo anno poſt Aſcenſionem Domini ad euangelizandum verbum Dei per mundum diuiſos idem oſſerit eodem loco: Et quidem Orientem ceßiſſe, Thomæ & Bartholomæo: Meridiem, Simoni & Matthæo: Aquilonem, Philippo & Thaddæo: Mediterranei maris prouincias, Ioanni & Andreæ: Medium mundi, Matthia & Iacobo Iuſto: Occidentis regna, Petro & Iacobo Zebedæi: Mundum totum, Paulo. Ita quidem ille, de ſortitis ab Apoſtolis orbis terrarum inter ſe prouincijs, de quo etiam Euſebius lib. 3. cap. 1. leuiter aliquid innuere videtur ex traditione. Verùm hiſtoriæ ipſæ teſtantur, ijſdem in prouincijs & locis plures Apoſtolos, tùm vno & eodem tempore, tùm etiam diuerſo Euangelium plantaſſe, & Eccleſias conſtituiſſe. In Samaria ſimul Petrus, Ioannes & Philippus diaconus docuerunt, Act. 8. Antiochiæ etiam viri Cyprij. & Cyrenenſes, & Paulus, & Barnabas, Agabus, &c. Act. 11. & 13. Silas & Iudas, Act. 15. & Petrus, Gal. 2. docuiſſe commemorantur. In Epheſo Paulus, Act. 19. & Ioannes Apoſtolus, Euſebio lib. 3. cap. 1. Eccleſiam plantaſſe dicuntur. Quod etiam dicit Pet. de Natal. anno duodecimo Apoſtolos ad prædicandum diſceßiſſe Hieroſolymis, habet ex Euſebij lib. 5. cap. 18. vbi ex Apollonio refert, hoc Dominum precepiſſe Apoſtolis. Sed non exactè id cum hiſtoria congruit. Nam & ante illos annos inde diſceßiſſe conſtat, & Paulus anno 17. Apoſtolatus ſui Hieroſolymis reperit aliquos Apoſtolos, quos etiam tunc aliquandiu ibi manſiſſe indicat, Galat. 2. cap. Alij cauſam huius feſti referunt ad diuiſionem oßium Petri & pauli. De qua Durandus in Ration. lib. 7. cap. 15. ita ſcribit. Silueſter Papa volens Eccleſias conſecrare, quas Conſtantinus Imp. in honorem Petri & Pauli conſtruxerat, tam parua, quàm magna oſſa duorum Sanctorum ex æqualance ponderauit, & vnam medietatem in vna Eccleſia, aliam in alia collocauit. Hinc quidam deinde Feſtum inſtituerunt de hac diuiſione, die 15. Iulij. Verùm tunc non Diuiſio duodecim, ſed duorum Apoſtolorum dicendum eſt.*

16. HILARIVS *Monachus Oſtienſis, quòd Dijs ſacrificare nollet, fuſtibus cæſus, & martyrio coronatus eſt ſub Iuliano Imp. 17. Cal. Aug. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 105.*

17. ALEXIVS *Ephemiani Senatoris Romani opulentiſsimi filius, prima nuptiarum nocte virginitatis amore, & (vt videri volebat) pro Chriſto, ſponſam ſuam deſeruit: & ſpontè exilium eligens, atque Edeſſam Meſopotamiæ nauigans, per annos 16. ibi incognitus omnibus, etiam parentis ſeruis, ibi manſit, hominumque eleemoſynis vixit. Inde verò Tarſum Ciliciæ nauigare conſtituens, vi tempeſtatis Romam defertur, & ad parentes redit: in quorum ædibus ſimiliter 17. annos ſpecie mendici, vt ignotus, aliorum mendicorum more eleemoſynas ac ſtipem accepit, quorum magnam turbam parentes in ſuis ædibus ob filij abſentiam alebant. Moriturus, vitæ ſuæ totius narrationem ſeu hiſtoriam in charta complexus eſt, ex qua, ipſo iam defuncto innotuit Parentibus, tanto tempore ſub mendici habitu filium ſuum aluiſſe. Dies abitus aſſignatur in Lombardica hiſtoria illa fabuloſa plurima, & talia quidem, vt videri poſsit ad ſimilitudinem hiſtoriæ de Vlyſſe efficta. Et tamen illam poſterior ætas approbauit, propter opinionem electitiorum aperuim, vt patet ex 27. q. 2. Scripſit nobis.*

MARINA *quoque hoc die colitur, quòd eo mortem obijt, quum aliquot annos ſub habitu virili in monaſterio fuiſſet. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 108.*

Veneti etiam, ob receptum Patauinum anno 1509. paucis antè diebus à Maximiliano Imp. occupatum, hunc diem publica lege quotannis velut auſpicatiſsimum, imperiique recuperandi initium, Feſtum habent, ſolennique ritu celebrant. Guicciardinus lib 8.

MATERNVS *Petri Diſcipulus fuiſſe perhibetur, & Treuirenſis Epiſcopus: paſſus ſub Nerone Imp. 15. Cal. Auguſti.* 18.

RVFFINA *paupercula Chriſtiana, Hiſpali vaſa fictilia mercabatur, & ex eo quæſtu, neceſſarijs ſibi ad victum reſeruatis, aliorum inopiam ſubleuabat. Cum autem vaſa in platea ciuitatis diſtraheret, matronæ aliæ idolum lapideum, ex veteri conſuetudine, circumferentes, poſtulabant ab ea vas ad vſum Dei ſibi dari. Quum autem id facere recuſaſſet, indignatæ matronæ idolum ſuper eius vaſa proiecerunt, eáque omnia contriuerunt. Ruffina autem idolum longius abijciens id confregit. Accuſata igitur apud Præſidem vrbis, primæ equulei extenſione & vngularum laniatione excruciatur, deinde in carcere inedia & varijs doloribus affligitur, tandem capite plectitur, & cadauer comburitur, 14. Cal. Aug. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 117.* 19.

COELESTINI V. *Papæ celebritas quoque 14. Cal. Iulij, qua die mortuus eſt, quotannis obſeruatur, ſub nomine Petri Confeſſoris, ex inſtitutione Clementis 5. Auenioni facto. Platina & Volateranus in Clemente 5.*

MARGARETHA *Antiochiæ oriunda, Filia fuit Sacerdotis Ethnici. Eius eximia pulchritudine cum captus eſſet Olibrius Præſes Orientis,* 20. *& eam vxorem ducere in animo haberet, deprehenſo quòd Chriſtiana eſſet, & nullo modo eius*

in Chriſtum fidem flectere, aut emollire blanditijs poſſet, varijs deinde tormentis eam aggreſſus eſt. Nam humi extenſa virgis primò crudeliter cæſa eſt, deinde ferreis laminis concluſa, & clauis affixa, ferreis liniata eſt fuſcinis, ac ſic in carcerem ducta. Poſtridiè quũ in ſententia perſiſteret, iubet Præſes vt nudata lampadibus pectus vratur & latera, ac deinde de ligno depoſita, in magnum lebetem aqua plenum vincta conijciatur, ac ſic ſuffocetur. Vnde cum nihilominus euaſiſſet, tandem caput ei amputatur 13. Cal. Aug. Ab alijs tamen dicitur Margaretha paſſa. 3. Id. Iuly. In vulgatis tamen Calendarijs ad Id. Iul. dies eius panitur, quo etiam hodiè ab omnibus colitur. A parturientibus, tanquam altera Iuno Lucina, inuocatur apud Pontificios. Nugantur enim, quum martyrium ſubire vellet, inter cætera oraſſe etiam pro parturientibus, vt quæcunque in partu nomen eius inuocaret, ſtatim edita prole periculum partus euaderet.

21. ARBOGASTVS ex Hybernia ortus, in Alſatiam venit & in nemore quodam, vbi nunc Hagenoa ſita eſt, Oratarium canſtruxit, & prædicanda verbum Dei Eccleſiam callegit. Dagobertus Rex eum Argentinam miſit, vt turbas in religione excitatas ſedaret, anno Domini 646. & Ciuibus imperauit vt eum audirent. Præfuit ei Eccleſiæ annos 12. Obijt anno Chriſti 658. Cùm in agone eſſet, petijt vt iuxta patibulum, ad imitationem fati Chriſti, ſepeliretur quod etiam factum eſt. Munſterus in Coſmographia. Bruſchius de Epiſcopis & Balæus Cent. 14. cap. 81.

22. Maria Magdalena in Euangelica hiſtoria ſæpè fit mentio: vt quòd Chriſtus ab ea eiecerit ſeptem dæmonia: quòd ſecuta ſit Chriſtum, miniſtrans ei de facultatibus ſuis: Luc. 8. quòd dirum ſpectaculum, Chriſtum in cruce pendentem, ibique animam exhalantem, ſuſtinere potuerit: quòd Sabbatho elapſo, inter primas fuerit, quæ vnguento comparato, ſummo mane ad monumentum properarit: quòd Chriſtus ei ſe primò patefecerit: Matt. 26. & 28. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. & 20.

Maria Magdalena quæ fuerit.

Contrauerſia autem eſt de hac Maria, an ſoror Lazari & Marthæ fuerit, nec ne? Græci nonnulli negantem, Contrà verò Latini affirmantem partem tuentur. Hac de re Gerardus à Nazareth Epiſcopus Laodicenſis librum edidit, in quo probat. Mariam Magdalenam vnam tantum eſſe fœminam in Euangelica hiſtaria, & eam quidem fuiſſe ſarorem Lazari, his rationibus: 1. Si Maria Magdalena non eſſet ſoror Marthæ, ab Euangeliſtis diſtingueretur accuratiùs, ſicut Iudas alter ab Iſcariathe diſcernitur. Breuitatis autem gratia, & quia nota tum fuit, cognominis non ſemper fit mentio. 2. Soror Marthæ ſemper penè circa pedes Chriſti verſatur, vt hiſtória teſtatur: pedes Chriſti rigat & vngit. Luc. 7. & Iaan. 11. & 12. Reſuſcitato Chriſto ad pedes ſe demittit. Vel ex hac, inquit, nota cognoſci Maria Magdalene ſatis poteſt. 3. Idem Ambraſius ſentit, cum inquit: Quis vnquam cognoſcere potuit, quanta virtutum itinera duxerit, haud dubium quin Dominus, dum largum ſanguinis fluxum ſiccat in Martha, dum Dæmanes pellit ex Maria, dum quatriduanum reſuſcitat Lazarum? His verbis innuit, ſororem Lazari Mariam illam eſſe, quam Marcus Magdalenam nominans, ſeptem dæmonia dicit habuiſſe. Quamuis ille Pater, quod & ipſe Gerardus annatat, dubitat, an plures Mariæ Magdalenæ einſdem nominis fuerint. Sed Auguſtinus de Conſenſu Euangeliſt. lib. 2. cap. 79. vnicam tantum Mariam Magdalenam fuiſſe ſentit. 4. Narratio Ioannis idipſum teſtatur: Erat, ait, quidam languens Lazarus à Bethania, de Caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis. Hoc dicens Iaannes atteſtatur Lucæ, qui hoc in damo Phariſæi Simanis factum eſſe narranit. Iam itaque hoc Maria fecerat. Quo autem in Bethania rurſum fecit, aliud eſt, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, ſed pariter narratur à tribus alijs Euangeliſtis. 5. Hieranymi ſententiam cum Auguſtini Gerardus cancordat. Reprahendit Hieronymus eos, qui duas Marias Magdalenas ponunt. Et ſic argumentatur Gerardus: Cùm iuxta fidem Euangeliorum, quatuor fuiſſe Marias tantummodo aſſerat Hieronymus, neceſſe eſt, vt Sororem Lazari, quia ipſa etiam Maria vocatur, earum vna fuerit. Sed nullam earum Sarorem Lazari fuiſſe, aliquis doctor expaſuit. Matrem quippe Domini, aut eius materteras, nema vnquam prabare poterit ſorores Lazari fuiſſe. Nan ſolùm enim Maria Cleophe, ſed & Maria Iacobi, vt fertur, Domini matertera fuit, Reſtat igitur, vt Maria Magdalene Sororem Lazari fuiſſe credatur, aut Hieronymo, quotuor duntaxat Marias fuiſſe dicenti, contradicatur. 6. Gregorius in Homilijs inquit: Quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam eſſe credimus, de qua Marcus ſeptem Dæmonia eiecta fuiſſe teſtatur. Dicit adhuc apertiùs, Maria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate Peccatrix, amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, etiam vox veritatis impletur, qua dicitur: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. 7. Beda ait: Primò apparuit Dominus Mariæ Magdalene flenti ad monumentum: deinde etiam eidem, & alia Maria, regredientibus renunciare Diſcipulis. Et mox: Non dubitandum

quin

Digitized by Google

quin ipſa ſit mulier, quæ, ſicut Lucas refert, quondam Peccatrix ad Dominum cum alabaſtro venit vnguenti. Eadem eſt ergo mulier. Idem ait Auguſtinum etiam aſtruere. 8. Latini nouerunt vnam tantùm Mariam, & vnius tantùm Feſtum colunt. Ad obiectiones ſic reſpondet. 1. Si ſoror Lazari Maria Magdalena diceretur, hoc cognomine ab Euangeliſtis Luca vel Ioanne deſignaretur ſoror Marthæ. R. Non eſt ſufficiens probatio, quia nec Marthæ cognomen exprimitur. Deinde fuit mulier nota, vt non ſemper neceſſe fuerit cognomen addere. Præterea vtitur inuerſione: Quia, inquit, non diſtinguitur, itáque eadem eſt 2. Magdalena à Magdalo appellatur. Maria verò Soror Lazari habitabat Bethania. R. Infirma eſt hæc probatio: quia potuit alibi naſci, & alibi habitare. 3. Ambroſius duas Magdalenas videtur aſſerere. R. Auguſtinus diſſentit. Præterea Ambroſius per Fortaſſe dubiam ponit ſententiam: ſi plures, inquit, Mariæ, plures fortaſſe & mulieres. 4. Hieronymus diſſentit. R. Poſſet reconciliari Hieronymus, non eandem ſecundùm immutationem vitæ, eandem verò ſecundùm identitatem perſonæ dixiſſe. Sed in vltimo lib. contra Iouinianum duas ponit. Verum ipſe Hieronymus ſe declarat in epiſtola ad quæſtiones Edibiæ. Maria Magdalena, inquit ſola & cum altera ſiue cum aliis mulieribus memor beneficiorum, quæ in ſe Dominus contulerat, ad ſepulchrum eius frequenter excurrit: & nunc adorauit quem videbat, nunc fleuit quem quærebat abſentem. Licet quidam duas Marias Magdalenas ex eodem vico Magdalo fuiſſe contendant & alteram eam eſſe, quæ in Matthæo Dominum vidit reſurgentem, alteram quæ in Ioanne eum quærebat abſentem. Quatuor autem fuiſſe Marias in Euangeliſtis legimus. Vnam Matrem Domini Saluatoris, alteram Materteram eius, quæ appellata eſt Maria Cleophe: tertiam Mariam, matrem Iacobi & Ioſeph: quartam Mariam Magdalenam. Ergo conſentit Auguſtino, & in ſequentibus duas Magdalenas aſſerentium ſententiam reprobat. 5. Origenes diſſentit. R. Opponimus Origeni Ambroſium & Auguſtinum. Concludit autem totam hanc diſputationem Gerardus his verbis: Non eſt in hac re valdè pernicioſus error, vnde & aliter atque aliter credi ſine magno periculo poteſt. Bonum tamen eſt, ſi fieri poteſt, vt non modo de hac, ſed & de omni controuerſia quod verius eſt, vel veroſimilius hoc teneatur.

Feſtum hoc quis inſtituerit.

Feſtiuitatis autem Mariæ Magdalenæ, hac die celebrandæ, Alberonem, quem Mariani Scoti Appendix Perodelberum vocat, Laodienſium Epiſc. inuentorem fuiſſe narrat Catalogus eiuſdem ſedis Antiſtitum, circa annum 1125. Eandem ſolennitatem in ſuo Epiſcopatu inſtituit Theodericus, natus ſanguine Comitum de Iſenburg & Epiſcopus Monaſterienſis. quòd eo die primùm poſuiſſet lapidem Eccleſiæ nouæ S. Pauli. Cranz. lib. 8. cap. 5 Metrop. Factum circa annum 1230. Lubecenſes quóque eam hac occaſione obſeruare cœperunt anno Do. 1227. Ipſo die Mariæ Magdalenæ dicato, manus conſeruerunt Lubecenſes cum Vualdemari Regis Daniæ copiis. Verum quia Lubecenſes aduerſum Solem habuerunt, votum vouerant, ſe quotannis Feſtum diem Mariæ Magdalenæ ſolenniter celebraturos, ſi prælio ſuperiores exiſterent: & extemplò aiunt Mariam Magdalenam ſe Soli obieciſſe, & tandem etiam poſt pugnam dubiam victoriam penes Lubecenſes fuiſſe: Cranzius lib. 7. cap. 41. Saxoniæ. Sic bello Liguſtico 3. pace inter Venetos & Genuenſes facta, reſtitutis hinc inde captiuis, Genuenſes, qui ad duo millia fuere. die Magdalenæ vinculis ſoluti, ad illius ædem longo agmine quaſi Diuæ ſuam ſalutem gratulaturi, cum luminibus acceſſere. Mouit nouum illud ſpectaculum Venetam ciuitatem ad Religionem, vt iam inde diem ipſum, quod antea non fuerat, inter Solennes ac Feſtos habuerit: Sabellicus lib. 3. Dec 2. 23.

APOLLINARIS *Rauennæ Epiſc. captus ab Idolorum Sacerdotibus, præcipitatur in mare vnde tamen ereptus eſt. Sed virgis cæſus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quũ autem ſubiectus ignis nihil eum læderet, in exilium mittitur. Aliquandiu autem latens, profectus eſt in Æmiliam, & ibi Chriſtum prædicauit. Comprehenſus autem à Præfecto, equuleo cruciatur, inque eius plagas aqua feruens infunditur, ſaxóque os tunditur: mox ferreis vinculis conſtrictus, includitur in carcere quarto denique die imponitur naui, & in exilium mittitur. Cum autem in Thracia in Serapidis templo Dæmon ſe reſponſa daturum negaret, dum Apollin. ibi moraretur, inde rursùs pellitur. Itáque reuerſus Rauennam, ab iiſdem illis Idolorum Sacerdotibus Centurioni cuſtodiendus traditur, ſed quum eſſet Chriſtianus noctu Apollinarem dimiſit. Re cognita, ſatellites eum inſequuntur, & plagis in itinere confectum, quòd mortuum crederent relinquunt. Quem quum inde Chriſtiani ſuſtuliſſent, ſeptimo die exhortans illos ad fidei conſtantiam, migrauit ad Dominum ſuum, 10. Cal. Aug. anno Chriſti 70. Nouum Breuiarium Rom & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 128.*

S. BRIGIDA, *Regina quondam Sueciæ Neritiæ, quæ peculiarem Ordinem monaſticum virorum & mulierum inſtituit, vt in libro noſtro de Origine Monachatus eiúſque Progreſſu indicauimus, hoc etiam die feſto colitur, quòd tunc mortua eſſet anno Domini 1373. A. Bonifacio 9. circa annum 1400. aſcripta eſt in Catalogum Sanctorum Antoninus tit. 22. cap. 3. Cranzius in Sax lib. 10. cap. 13.*

CHRISTINA

24. CHRISTINA *nobiliſſimis parentibus in Italia orta, ſed idololotris, acerbo multa ab eiſdē propter Chriſti confeſſionem perpeſſa eſt, tandémque tyrannus tradito, poſt horrendos cruciatus, capite multata eſſe dicitur, 9. Cal. Aug. anno Chriſti 287. Iacobus tamen de Voragine Legenda 93. & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 130. ſagittis interemptam volunt.*

25. S. IACOBVS *Apoſtolus, qui dicitur Maior, ad differentiam Iacobi Minoris, Filius fuit Zebedæi & Mariæ Sororis Matris Domini, à quo Maria Iacobi cognominata eſt, ſicque conſobrinus extitit Chriſti, & frater Ioannis Euangeliſtæ. Hieroſolymis maiorem vitæ ſuæ partem exegit: interdum & in vicinio occaſione dota docuit. Tandem Hieroſolymis ab Herode interfectus eſt, anno 3. Claudij, Chriſti verò 45. ante diem Azymorum. Act. 12. Et credibilè eſt ibidem à Fidelibus ſepultum Iacobum, quum de tranſlationibus corporum Sanctorum in longinquas regiones in Apoſtolorum Actis, nihil legamus. Poſterioribus demùm temporibus, de tranſlatione huius Iacobi in Hiſpaniam, & ſepulchro, mira ſparſa ſunt mendacia, in quæſtum à Sacrificulis excogitata. Quidam enim à Diſcipulis eius corpus integrum Compoſtellam Hiſpaniæ tranſlatum eſſe dicunt 8. Cal. Aug. vnde etiam nunc Feſtum eius celebratur, non 8. Cal. April. quando paſſus eſt, & Lupam Reginam, ad fidem conuerſam ex ſuo palatio D. Iacobo Eccleſiam dedicaſſe, cúmque ibi ſepeliuiſſe, & omnia ſua ornamenta Eccleſiæ conſecraſſe. Beleth in Ration. cap. 140. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 133. Iacob. de Voragine Legenda 94. qui hoc ex Beletho referunt, alioquin apud nullum probatum authorem legitur. Alij truncum corporis D. Iacobi Toloſæ, & caput tantùm Compoſtellæ ſepultum dixerunt. Et noſtri quidem homines Compoſtellæ D. Iacobi ſiue corpus integrum, ſiue truncum aut caput ſaltem, iam aliquot ſeculis, magnis tranſactis itineribus, religionis ergò viſitarunt. Erroris autem mendaciique cauſam hanc eſſe autumat Funccius lib. 5. Comment. ad ſuam Chronologiam. Raphael Volateranus Geogr. lib. 2. tradit, Alphonſum 3. qui ob res egregiè geſtas cognomento Magnus dictus eſt, & circa annum Chriſti 883. regnare cœpit, Templum D. Iacobo Compoſtellæ ædificaſſe: & nihil de hoc amplius dicit. Iacobus tamen de Voragine in Lombardica hiſtoria Legenda 187. ex Turpini Remenſium Archiepiſcopi ad Leoprandum Diaconum Aquiſgranen. indicat ſcripto, Carolum M. in Hiſpania ex auro quod Reges & Principes ſibi dederint D. Iacobo templum extruxiſſe. Addit Sabellicus Enne. 8. lib. 8. & Erphordienſis. cap. 68. Turpinum, vnà cum aliis nouem Epiſcopis hoc templum conſecraſſe, eámque Eccleſiam Principem in omnes alias conſtituiſſe. Vt videas, incertum ferè eſſe quis hoc templum extruxerit. Hinc ego coniicio, quum ſequentibus inde ſeculis, peregrinationes ad Sanctorum templa increbreſcerent, magnóque ea res Sacrificulis auaris quæſtui eſſet, quendam habendi cupidine ductum, hoc mendacium templo illi affinxiſſe, quòd corpus Iacobi Apoſtoli illuc tranſlatum eſſet. Cui deinde ficto miraculo, apud imperitum vulgus fidem fecerunt: donec tandem inualeſcente fama, ea, quæ tribus iam ſeculis fuit, peregrinatio ſit exorta. Et quum à peritis rerum quæſitum eſſet, quo pacto, aut quando corpus Sancti eò allatum eſſet, quiquid fingere, quod lucro eſſet, hypocriſis & temeritas non eſt verita. Hoc etiam die Peregrini & Hiſpani equiles feriantur.*

Compoſtellana peregrinatio unde.

CHRISTOPHORI *memoria hoc ipſo quóque die celebratur. Duxit is ex Cananæa originem, fuitque corporis ſtatura procerus admodùm. Diuinitùs autem illuminatus, in Lyciam eo animo venit, vt Chriſtum paſſim prædicaret. Captus autem à Rege Dagno, in caput Chriſtophori galeam ignitam iuſſit imponi, cùm prius atrociter ferreis virgis caſus eſſet: deinde ad ſcamnum ferreum, quod corporis eius ſtaturam æquabat, eum alligari, ipſúmque multo ſuppoſito igne inflammari, Chriſtophorum exuri, & corpus illius feruenti oleo perfundi præcepit. Admirabili autem modo liberatus, Chriſtum rursùs prædicauit, ſed comprahenſus, ad palum alligatur, & milites ſagittis eum conficere volebant, manſit autem prorsùs illæſus. Itáque ad extremum, capitis obtruncatione martyrium ſuum complevit, 8. Cal. Aug. Bergomenſis & Hartmanni quoddam Chronicon. Item Pet de Nat. lib. 6. cap. 135. & Lombardica hiſtoria cap. 95. Huic narrationi progreſſu temporis multa fabuloſa aſſuerunt, quæ paucis referam ex Legenda Iacobi de Voragine & Pet. de Natal. Chriſtophorus aliquandiu oberrans & dominum quærens, tandem ad Eremitam venit, à quo iuſſus eſt migrare ad proximum fluuium, ac per eum, quòd ingenti eſſet ſtatura, peregrinantes tranſportare. Quo munere dum aliquandiu functus eſſet, noctu tandem puer venit, qui ſe deferri per flumen ab eo petiit. Eo igitur in humeros ſublato, flumen ingreditur: aqua autem in immenſum intumuit, ac viſus eſt ſibi Chriſtophorus onus grauiſſimum portare. Exportatus autem ad littus, Chriſtophorus de grauitate oneris conqueritur, cui puer dixit, non ei hoc mirum videri debere, quandoquidem Creatorem totius mundi portarit ſe enim eſſe Chriſtum, & ſimul euanuit. Hæc narratio de Chriſtophoro peruulgata eſt, ſed veram hiſtoriam non eſſe quiuis intelligit. Pugnet*

Fabula Chriſtophori.

gnat enim cum articulo fidei, Aſcendit in cœlos, inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. *Et ne huiuſmodi impoſturis fidem adhibeamus Chriſtus ipſe nos monuit, Matth.24. c. inquiens*: Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce, hîc Chriſtus, aut hîc, ne credite. *Item, Si dixerint vobis*, Ecce in deſerto eſt, ne credite, neque egredimini. *Cogitationem tamen, pij cuiuſdam hominis, hanc narrationem fuiſſe, & allegoriam de Eccleſia & fidelibus interpretandam, non negauerim.*

Votum faciunt hoc die in Papatu matres in balneis, pro infantibus vt creſcant.

26. *S. Anna Mater fuit Virginis beatæ Mariæ Dei Genitricis, de tribu Iuda, & ciuitate Bethlehem. Ea tribus viris ſucceſſiuè nupta fuit. Ex quorum primo Ioachimo B. Virginem Mariam genuit: ex ſecundo, aliam Filiam Mariam nomine ſimiliter peperit, quæ nupta Alpheo, quatuor filios edidit, Iacobum minorem Apoſtolum, Ioſephum Iuſtum, Simonem & Iudam. Ex tertio, Salome dicto, tertiam filiam, Mariam etiam nominatam procreauit, quæ Zebedæo nupta, Iacobum Maiorem Apoſtolum & Ioannem Euangeliſtam genuit, & ante huius mariti obitum in pace quieuit. 7. Cal. Aug. vt tradit Hieronymus. Eius diem Feſtum, quemadmodum etiam Ioſephi, Sixtus 4. Papa ſolennitatibus veterum addidit; Onuphrius in Appendice ad Platinam, & Balæus in vita Sixti.*

Paraſrenariorum, ita vocant famulos à pedibus, hoc die multis in locis ſunt feriæ.

27. S. MARTHA *in vulgatis Calendarijs ad hunc diem ponitur: ſed à Pet. de Natal. lib. 6. cap. 51. dicitur paſſa 4. Cal. Aug. hoc eſt, 29. die Iulij. Fuit ſoror Lazari & Mariæ, vt Euangelica hiſtoria teſtatur. Ambroſius putat, hanc fuiſſe eam, quam Dominus à ſanguinis profluuio liberauit. Multa manifeſtè falſa à Pet. de Nat. de ea narrantur, quæ illis relinquimus qui iſtiuſmodi nugis delectantur.*

28. PANTHALEON *Nicomediæ Senatoris Filius, & Medicæ artis ſtudioſus, à quodam Hermolao in Religione Chriſtiana inſtitutus, eam conſtantiſſimè profeſſus eſt. Tandem poſt varios & horribiles cruciatus, capite truncatus eſt ſub Maxim. Imp. 5. Cal. Aug. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 146.*

29. BEATRIX *Romana, ſub prætextu Chriſtianæ Religionis à Lucretio Imperatoris Vicario comprehenditur, reuera autem, quòd prædio eius, ſuo vicino, inhiaret, & in carcere clàm noctu ſtrangulatur, vt eo potiri poſſet. 4. Cal. Aug. circa annos 287. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 153.*

30. ABDON *in Perſia regulus, à Decio Imp. catenis vinctus atque diuerſis afflictus pœnis, Romam pertrahitur. Ibi quum ſimulacho Solis ſacrificare nollet, Valeriano Præfecto puniendus traditur: à quo plumbatis primò cæditur, deinde in amphitheatro duobus leonibus, & quatuor vrſis obijcitur, ab ijs verò non læditur. Poſtremò capite truncatur. 3. Cal. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 158.*

GERMANVS *Ciuis natus Antiſiodorenſis, ex Præfecto territorij illius, ab Amatore Epiſcopo eius loci ſibi ſurrogatur. In qua functione verbum Dei fideliter docuit, & doctores falſos & veritati contradicentes conuicit. Rauennæ ex Britannia rediens, mortuus eſt anno Domini 450. prid. cal. Aug. Vincentius lib. 20. cap. 15. & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 61.* 31.

AVGVSTVS.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ menſe AVGVSTO à Chriſtianis celebrantur.

D*Euictis ad Lubecam vrbem Rugianis Gentilibus ab Henrico Sclauorum Duce, ſtatutum eſt, vt ſingulis annis in rei geſtæ memoriam Calendæ Auguſti ſacræ haberentur. Factum circa annum Domini 1167. Helmoldo cap. 37. in Sclauorum Chronico teſte.*

DIVINI PETRI AD VINCVLA FESTVM. 1.

D*E origine Petri ad Vincula feſti magna reperitur diuerſitas apud Authores. Quidam ex Gentiliſmo deducunt, ad imitationem videlicet celebritatis eius, quæ apud Ægyptios habebatur in honorem Auguſti Cæſaris. Sic enim Durandus ſcribit in Ration. lib. 7. cap. 19. ex Beda: Theodoſia, inquit, vxor Theodoſij 2. Im. Hieroſolymam proficiſcens, vidit Alexandriæ Feſtum celebrari Calend. Auguſti ad honorem Cæſaris propter triumphum habitum de Cleopatra Regina Ægypti, & Antonino Viro eius. Vnde vehementer doluit; quòd damnato & gentili tantus honor exhiberetur. Veniens igitur Hieroſolymam, catenas quibus Petrus ſub Herode fuerat conſtrictus, acquiſiuit, & Romam rediens, eas Apoſtolico repræſentauit, qui illas catenas, quibus ſub Nerone fuerat alligatus, apportari præcipit. Theodoſius ergò in honorem B. Petri Eccleſiam ædificauit, & ibi catenas repoſuit, quæ dedicata eſt Calend. Auguſti. Quod autem Durandus Theodoſij Imp. coniugem Theodoſiam nominat falſum eſt, vnicam enim habuit Eudoxiam. Breuiarium igitur Romanum nouum apud Surium, & Nauclerus Generat. 15. hanc ſiue fabulam ſiue hiſtoriam paulò aliter referunt: nimirum, Eudoxiam Theodoſij 2. Imp. coniugem, Hieroſolymis, quo ex voto* Feſti huius origo.

profecta fuerat, Romam reuerſam, attuliſſe ſecum catenam illam, qua ſub Herode Petrus in carcere vinctus, ſed tamen Angelo liberatus fuerat, eámque iunctam alteri catena, qua idem Apoſtolus ſub Nerone ligatus fuerat vnam factam: & ob hoc miraculum tantum honorem vinculis illis haberi cœptum, vt propterea hæc nomine S. Petri ad vincula Eccleſia dedicata ſit in Exquilijs, eiuſque memoria dies Feſtus inſtitutus Calendis Auguſti: nec meminere feſti Alexandria in honorem Auguſti celebrati, vt Durandus, quod Imperatrix hac ſolennitate in melius mutare voluerit. Balæus Centur. 1. cap. 36. & Funccius in Chron. hæc facta referunt ſub Sixto Pontifice Rom. circa annos Chriſti 437. Eudaxia, inquit Balæus, mulieris adhortationibus, Petri catenas conſecrauit Sixtus, & eiſdem annuale Feſtum confirmauit. Iacobus de Voragine Legenda 105. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 3. Mantuanus lib. 8. Faſtorum, hoc quidem Eudoxia, verùm non Theodoſij coniugi, ſed eius Filiæ Valentiani iunioris vxori adſcribunt: & diſſentiunt non ſolùm in hoc à ſuperioribus, verumetiam in eo, quòd dicunt, Eudoxiam hac ſolennitate Feſtum quoddam Romæ in honorem Auguſti celebratum, non Alexandriæ, in melius commutare voluiſſe. Sic enim Iac. de Voragine ex Beda quoque, Cùm, inquit, Romam rediiſſet Cal. Aug. & in honorem Imperatoris Gentilis Rom. ſolennizare videret, dolens quòd damnato homini tantus honor exhiberetur, cogitánsque quòd eos non facilè à tali cultu & conſuetudine reuocare poſſet, effecit vt obſeruantia quidem ſic ſtaret, ſed in honorem S. Petri fieret, & illum diem vniuerſus populus ad Vincula nominaret. Habita igitur collatione cum B. Pelagio Papa populum blandis exhortationibus induxerunt, vt obliuioni traderetur memoria Principis Paganorum, & celebris fieret memoria Principis Apoſtolorum. Quod dum cunctis placuiſſet, illa catenas quas Hieroſolymis attulerat Protulit & populo oſtendit. Papa verò & illam catenam protulit qua ſub Nerone idem Apoſtolus vinctus fuit. Hæ ergò illi ſociata, ita miraculosè vna catena facta eſt, ac ſi ſemper vna & eadem extitiſſet. Vnde Papa & Regina protinùs ſtatuerunt, vt quod hominum indiſcreto religio faciebat gentili damnato, in melius mutata faceret Apoſtolorum Principi Petro. Ipſa igitur vincula Papa cum Regina in Eccleſia S. Petri ad Vincula poſuit, & ipſam muneribus multis ac priuilegijs magnis dotauit, ac prædictam diem vbique celebrem fore conſtituit. Inſunt autem huic narrationi duo, quæ eam manifeſtæ falſitatis arguunt. Primò dicitur, Eudoxiam Imperatricem de hoc Feſto deliberaſſe cum Pelagio Papa: at Theodoſius 2. Imp imperium ſuſcepit anno Chriſti 412. Valentianus autem iunior maritus huius Eudoxiæ iuxta Iac. de Voragine, anno 430. Pelagius I. autem Papa Pontificam ſellam aſcendit anno D. 555. iuxta Funccium, vt poſt Eudoxiam annis circiter 125. floruerit. Deinde dicitur, Eudoxiam cum Pelagio Papa populum Rom. blandis exhortationibus induxiſſe vt loco Ethnici feſti, S. Petri ad vincula coleret: mox autem, eos hoc decreuiſſe & ſtatuiſſe ſcribitur. Petrus de Nat. lib. 7. cap. 3. quoque non minus fœdè errat: dicit enim, Theodoſium anno 325. regnare cœpiſſe, eoque tempore Eudoxiam eius filiam Hieroſolymam profectam fuiſſe: plus igitur centum annis à vero aberrat: & Helena mater Conſtantini M. anno 325. Hieroſolymam profecta à quibuſdam dicitur. Dicit Mantuanus, feſtum hoc inſtitutum ab Eudoxia Imperatrice & Siricio Papa in memoriam & honorem Catenarum Petri. Siricius autem Papa abijt anno Chriſti 400. & Valentinian. Eudoxiæ maritus Imp. Occidentis creatus eſt anno demum 430.

Polydorus Vergilius huius Feſti antiquiorem originem eſſe putat, adductus libelli cuiuſdam fabuloſa narratione, qui Hieronymo, tam etſi parùm verè, ipſo quoque Polydoro teſte, adſcribitur. Nã lib. 6. cap. 8. Petri, inquit, ad Vincula, rogatu Imperatoris ad memoriam tormentorũ, quæ pro religione tuliſſet, conſtituta eſt celebritas à Silueſtro (circa annum Chriſti 325.) quæ ad Vincula nuncupatur. Adſcribam autem verba ipſa authoris huius epiſtolæ, vt intelligatur quàm probè conſentiant. Cùm, inquit, Calen. Auguſti Cæſar Octauianus Romam ingrederetur, ob triumphum de Antonio & Cleopatra parta victoria, ac pacem firmiſſimam toti orbi collatam, vocatus eſt Auguſtus, qui primò ſolùm Cæſar dicebatur. Coronatur ciuitas, fit lætitia ingens in populo, ſtatuitur à Senatu & omnibus Romanis ſcriptũ firmatur, nunciaturque per vniuerſum orbem omnibus gentibus Octauianum Auguſtum inter Deos coli debere: & vt menſis iſte, qui antiquitùs in ordine menſium Sextilis dicebatur, in honorem Auguſti Auguſtus vocetur: & hoc tripudium ſolennitatis ob triumphum Auguſtalis victoriæ lege perpetua cuſtodiretur. Sic vſque ad Conſtantini M. imperium ventum eſt: qui poſtquam dignatione ſuperna, per S. Apoſtolos Petrum & Paulum viſitatus, & per Silueſtrum Papam baptizatus eſt, & ex perſecutore fidei Defenſor, & mandatorum Chriſti Cuſtoditor aſſiduus factus, harum ſolennitatum phantaſmata perhorreſcens, Papæ dicit Silueſtro: Hactenus Pater humanis vtens legibus, omni ſtudio & hos dies, & alias excolebam. Nunc quia placuit Domino noſtro Ieſu Chriſto me peccatorem ſibi famulum facere, iniquum mihi videtur harum celebritatum fauorabilibus extolli. Vide ergo quomodo ad honorem ſummi Dei, B. Petro Apoſtolo hanc diem dedicem. Sanctus autem Silueſter cum ſui cleri conſilio reſpondit:

eſt

Digitized by Google

Eſt carcer, in quo B. Petrus pro Chriſto vinculatus fuit, & ſacroſanctis lauacra pluribus ibi baptizatis dedicauit: hunc omni ſorde purgari facias, quatenus Eccleſia ibi fabricata ad honorem tanti Apoſtoli fidelium vota pereniter reddantur. Hac audiens Auguſtus lætus efficitur, purgatur locus fabricatur Eccleſia, & dedicatur ab eodem Papa. Affuit ibi Auguſtus, & ſacris ſcriptis per veredarios mundauit in hæc verba. Notum eſſe volumus omnibus Chriſtum piè colentibus, B. Petrum Apoſtolum, à Deo nobis datum Paſtorem & Principem, ſumma ſtudio venerari velle aſſiduè, & maximè in hac die Cal. Aug. in quo vt Deus à nobis ſoliti eramus adorari, vt ipſe pius Paſtor precibus Deo fuſis nos & imperium noſtrum adiuuare dignetur. Sanctus autem Silueſter hunc diem celebrem omnibus Eccleſiis eſſe inſtituit, &c. Obſeruandum autem quod Eraſmus admonet, hanc epiſtolam non eſſe Hieronymi, ſed Blatteronis & impoſtoris cuiuſdam, quod etiam res ipſa declarat.

Alij originem huius Feſti referunt ad Alexandri 1. Papæ tempora, qui Epiſcopatum Rom. tenuit circa annos Do. 114. Nam Durandus in Ration. lib. 7. cap. 19. & Iac. de Voragine Legenda 105. ſic ſcribunt: Cùm Quirinus Tribunus plebis Filiam haberet gutturoſam, illa ad mandatum S. Alexandri Papæ, qui ſextus fuit à Petro, quæſiuit vincula, quibus B. Petrus fuit ligatus Romæ ſub Nerone: quibus oſculatis liberata eſt, & Quirinus cum tota familia baptizatus. Sic quidem illi: Antoninus autem hiſtoricus tit. 7. cap. 5. indicat, filiam Quirini oſculo Vinculorum Alexandri huius, non Petri, quibus iuſſu Quirini fuerat vinctus, ſanatam fuiſſe. Pergunt illi: Tunc, inquiunt, dictus Alexander Papa hoc Feſtum Cal. Aug. celebrandum inſtituit, & in honorem B. Petri in vrbe Eccleſiam fabricauit, vbi vincula ipſa repoſuit, & ad Vincula nominauit, & Calen. Aug. dedicauit: in qua Feſtiuitate populus illic ipſa Vincula oſculatur. Quàm verè autem norrent templum ab Alexandro Papa Romæ circa annos Chriſti 114. ædificatum, quod ad Vincula nuncuparit, ipſi ſanè viderint. Quaſi verò credere opus habeamus, hoc Epiſcopis Romanis eo tempore permiſſum, tanta indignitate & tyrannide tractatis fidelibus, & communi totius ciuitatis Ethnicorum odio contemptis, vt ne prodire quidem plerúnque auderent, nedum templa magnifica extruere, & benignè ſecum agi tum crederent, quam intermiſſis perſequutionibus, in vrbe tollerarentur. Ipſe quóque Tertullianus vetus author, & qui ſub Pertinace Imp. circa annos Chriſti 200. centum ferè annis poſt hunc Alexandrum, multo tempore Romæ vixit, palàm innuit, ne ſuo quidem tempore alia templa Chriſtianis fuiſſe, quàm ſimplices domos, in quibus ſtatis diebus fideles congregarentur. De iiſdem temporibus idem teſtatur Polydorus lib. 5. cap. 6. Eo ferè, inquit, toto temporis interuallo, tantum aberat, vt aliquod templum à noſtris Chriſtianis publicè ædificaretur, vt etiam omnia eſſent occulta, & ſacella potiùs, atque eadem abdita, & plerúnque ſubterranea, quàm aperta in locis ac publicis fierent. Et mox: Romæ, ait, non reperio, quod ſciam, aliud antiquius templum ædificatum aut dicatum, vel ad vſum ſacrorum fuiſſe conuerſum, quàm Thermas Nouati in vico Patritio, quas Pius Pontifex Praxedis eximiæ Sanctitatis fœmina rogatu Diuæ Prudentianæ eius ſorori dedicauit: qui fuit annus circiter 150. Illud etiam mirandum, templum in honorem S. Petri ad Vincula extructum primò ab Alexand. Papa, deinde à Conſtantino M. tertiò à Theodoſio 2. quartò ab eius filia Eudoxia. Pet. de Natal. quoq; lib. 7. cap. 3. indicat, Balbinam Quirini filiam attactu catenarum Alexandri Papæ ſanatam: addit autem, Balbinam catenas illas ex deuotione apud ſe retinuiſſe, & ſæpè eas oſculatam fuiſſe: Alexandrum igitur ipſam adhortatum fuiſſe, vt catenas illas relinquat, & potiùs Petri catenas inquirat quas ſi reperire poſſit eas cum ſumma deuotione retineat. Quirinum igitur ad filiæ inſtantiam in carcere vbi Petrus detentus fuerat, diligenter catenas illas quærere iuſſiſſe, eáſque tandem repertas filiæ dediſſe: Alexandrum ergò hoc Feſtum in memoriam catenarum Petri Cal. Aug. celebrandum inſtituiſſe, quòd eo die repertæ fuerint. In tanta igitur ſententiarum diuerſitate cui tutò credendum Lector putas? Nulli nimirum.

Feſtum hoc ſolennius obſeruatum.

Circa annum 900. Pet. de Natal. & Iacobus de Voragine habent annum 464. quidam Comes Othonis Imp. familiaris occupatus ab immundo ſpiritu, ſéque dentibus dilanians, iuſſu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ductus, vt catenam collo attigit, à dæmone liberatus dicitur in Breuiario nouo Rom. eccleſiæ, ac deinceps Romæ vinculorum iſtorum religio propagata eſt, & tandem plus eis tributum fuit, quàm viuificæ S. Spiritus virtuti & merito Chriſti, vt patet ex illa oratione quæ extat apud Surium tomo 4. de Vitis Sanctorum: ita enim habet: Has Catenas reuerentes veneramur & colimus, & pro animarũ emendatione habemus. His omnẽ ſenſum & membrũ admouentes illorũ ſanctitate implemur, & per mẽtis intelligentiã S. Spiritus gratiã in animos ipſos admittimus. Deceret certè deceret nõ ſolùm Catenas, quæ manus illas adſtrinxerunt, magnoperè venerari: ſed etiam indicia omnia, ad quæ Apoſtoli membra acceſſerunt, ſingulatim amplecti ac reuereri, & in illis ſingulis diem feſtum ac panegyrim celebrare. Oratio quidem, in qua hæc leguntur, Ioanni Chryſoſtomo à Simeone Metaphraſte apud Surium adſcribitur, ſed falsò.

STEPHANVS I. Epiſcopus Romanus ſub Galliena Imp. cùm multos gentilium ad Chriſtum conuertiſſet, capite multatur anno 255.

vel iuxta alios 260.4.Non.Aug.

3. S. STEPHANI INVENTIO.

S. Stephani Protomortyris Reuelatio facta dicitur cuidam Luciano Hieroſolymitana Eccleſia Presbytero anno Domini 417. qua etiam ab eo deſcripta Græco ſermone,& ab Auito Preſbytero Hiſpano in Latinum conuerſa extat apud Surium tomo 4. de Vitis Sanctorum, Iac. de Voragine Legenda 107. & P. de Natalibus lib. 6. cap.15. Inuentio autem eiuſdem facta eſt eodem anno ſub Honorio Imp. iuxta Nicephorum, Vincentium & alios, die illa, qua celebratur iam eius paſſio, videlicet Decemb.26. & paſſus fuit die illa qua eius inuentio ab initio celebrabatur, nimirum 3. Auguſti: ſed hæc feſta poſterioribus temporibus ſunt tranſlata, hanc ob cauſam. Ad Stephani Inuentionem quum moxima hominum multitudo conueniret, cùm propter reuerentiam Natiuitatis Domini, tùm propter miracula quæ quàm plurima in eius Inuentione edebantur, ideóque maiori cultu annuatim illum diem celebrarent fideles, quàm diem Paſſionis: quòd Paſſio eius dignior eſſet quàm Inuentia, ſtatuerunt Veteres, vt Feſtum Paſſionis transferretur ad hunc diem Inuentionis, & contra feſtum Inuentionis ad Feſtum Paſſionis. Referunt etiam Beleth in ſuo Rationali cap. 143. & Durandus libro 7. cap.21.

4. ARISTARCHVS, *cuius fit mentio Act. 20. & Coloſſ.4. cap. vnus fuit ex 70. Diſcipulis, & Pauli Apoſtoli Comes indiuiduus & concaptiuus Romæ, & cum eo vſque ad finem perſeuerauit. Poſt mortem verò Pauli, à quo Epiſcopus Theſſalonicenſis, vel iuxta alios Apameenſis conſtitutus fuerat, poſt multa certamina à Chriſto coronatus eſt, & quieuit in pace pridie Non. Aug. Pet. de Nat. lib.6. cap.19.*

5. OSVVALDVS *Northumbrorum in Anglia rex pietatis ſtudioſiſſimus, & in pauperes liberaliſſimus fuit. Sed à gente Merciorum, & Rege eius Ethnico, in Maſerfeld, pro religione & patria libertate fortiter dimicans: caſus eſt: Beda lib. 3. cap. 6. & 9. anno Domini 643. Non. Auguſti.*

DOMINICVS *Prædicatorum Ordinis author fuit. Mater eius Ioanna quum adhuc eum vtero geſtaret, in ſomnis ſibi viſa eſt catulum (alij lupum habent) ardentem facem ore geſtantem portare, qua totus mundus accenderetur. Antoninus dicit, hoc ſignificare voluiſſe Deum, naſciturum ex ea Prædicatorem eximium, qui facem igniti eloquij portaret, quo frigeſcentem in multorum cordibus charitatem vehementius inflammaret, & ſedula prædicationis latratibus lupos arceret à gregibus, dormientes quoque in peccatis animas ad virtutum vigilantiam excitaret. Verùm ſi de ſimilibus idem ſit iudicandum, dico, ſignum hoc fuiſſe & præſagium cruentiſſimæ illius laniona & maximarum turbarum, quas non ſolùm Dominicus in Gallia, ſed & eius Diſcipuli in toto orbe excitarunt. Referunt enim Hecubam prægnantem facem ardentem ſibi parere viſam, tandémque Paridem enixam eſſe, qui fax illa fuit Aſiæ & Europæ infauſta, & Troiæ patriæ ſuæ exitialis. Sic Dominicus in Scholis inſtitutus & Canonicus regularis factus, concionibus ſuis & inuectiuis in Albigenſes adeò hominum in animos concitauit, vt arma cœperint Principes, & plus quàm centum millia ex Albigenſibus miſerè trucidati fuerint. Poſthæc aſcitis duodecim ſociis Prædicationis Ordinem, vti diximus: inſtituit: de quo vide plura noſtro libro 6. de Origine & Progreſſu Monachatus, cap.4. & ſequentibus. In agone mortis poſitus, conuocatis duodecim fratribus Bononienſis conuentus, teſtamentum condidit, & ea quæ poſſederat eis iure hæreditario reliquit, charitatem, humilitatem & paupertatem, prohibens omninò ne quis in Ordine ſuo poſſeſſiones induceret temporales, maledictionem Dei & ſuam imprecans ei qui hunc ordinem terrenarum diuitiarum puluere macularе præſumeret. Antoninus tit.23. cap.4. §.13. Iac. de Voragine Legenda 108. Pet. de Natal. lib.7. cap.22. Moritur autem anno Domini 1221. Non. Aug. & anno 1233. Gregorius 9. Pontifex Max. eum inter Deos retulit, decreuitque vt Nonis Aug. Feſtum ſeu natalitia eius celebrarentur, concedens pænitentibus & confeſſis, item viſitantibus feſtiuitatem hanc ſingulis annis cum deuotione, vnum annum de iniuncta ſibi pœnitentia. Antoninus tit.23. cap. 4. §. 17. Chron. Martini. Sabellicus Enne.9. lib.6.*

NONAS *Auguſti Genenſes quoque ſolenni honore colendas inſtituère, quòd iis anno 1434. Alfonſum Regem Aragonum nauali prælio viciſſent & cœpiſſent: Bracellus libro 4. belli Hiſpanici.*

S. MARIÆ ADNIVES *feſtum Romæ quoque hoc die huiuſmodi illuſione inſtitutum vngantur. Vſque ad tempora Liberij Papæ nulla intra vrbis Romæ ambitum in honorem Virginis Mariæ fuit Eccleſia. Quidam verò Ioannes Patritius Rom. ob filium à Maria precibus impetratum, cupie quidem ei extruere in vrbe templum, ſed neſcit locum. Nonis igitur Aug. intempeſta nocte in Eſquilio monte tantum ſpatium nine miraculosè oppletur quantùm templo magnifico extruendo ſufficeret, quod Maria Virgo in ſomnis Pontifici Liberio & Ioanni ſignificat. Templum igitur ædificatur eo loco, quod S. Mariæ Maioris nominatur, dotatur, conſecratur & in rei memoriam Feſtum inſtituitur, ſi credere fas eſt Pet. de Natal. lib. 7. cap. 21. & Mantuanus lib.8. Faſt.*

SIXTVS II. *Epiſcopus Roman. natione* 6.

GRÆCVS,

Digitized by Google

Græcus Athenienſis, ex philoſopho Chriſtianus factus, ſub Deciana & Valeriana perſecutione accuſatus quòd Chriſtianam Religionem contra Imperatorum decreta prædicaret, capitur, quúmque Marti ſacrificare nollet, capitis pœnam ſubiit 8. Idus Aug. Palatina, Pet. de Natal. lib. 7. cap. 30.

TRANSFIGVRATIONIS CHRISTI Feſtum.

FEſtum Transfigurationis CHRISTI *circa annum Domini 700. in vſu fuiſſe, ex Damaſceni & Coſmæ hymnis intelligitur, quos in eo decantandos compoſuerunt. Ex Pothone tamen Prumienſium Presbytero colligitur, circa annos Chriſti 1100. à plurimis Eccleſiis nondum fuiſſe approbatum & receptum. Sic enim inquit in libro de Statu domus Dei: Miramur ſatis quid viſum fuerit* HOC TEMPORE *quibuſdam monaſteriis, mutare colorem optimum,* NOVAS *quaſdam inducendo celebritates. Numquid Patribus doctiores aut deuotiores ſumus? Superba mēte præſumimus, quidquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit. Neque verò nos ēn huiuſmodi aliquid inuenire poſſumus, quod ipſorum quiuerit diligentiam præteriiſſe. Quæ igitur ratio hæc Feſta celebranda nobis induxit? Feſtum videlicet Trinitatis, & Feſtum Transfigurationis Domini, &c. Floruit hic Potho circa annos Chriſti 1150. Calixtus 3. demùm Papa anno 1457 feſtum hoc inſtituit celebrandum per vniuerſum orbem ſub officio duplici, 6. die Auguſti: ipſéque Officium eius compoſuit, & iuſſit eo modo, atque cum his Indulgentiis celebrari, quibus Feſtum Corporis Chriſti in pretio habetur. Fecit hoc propterea, quòd hac die Machometus Turcarum Imperator Chriſtianis armis fuerat ſuperatus anno 1455. Sic enim Stella ſcribit: Voluit Calixtus, vt in meridie ſonum campanis darent, ſicut & ſerò, ad ſalutationem Virginis Mariæ: vt ea oratione eos adiuuarent, qui contra Turcas continuè dimicabant. Ea etiam de cauſa Transfigurationis Domini noſtri Ieſu Chriſti Feſtum & Officium ordinauit, iuſſitque illud cum Indulgentiis ipſis celebrari, ſicut in ſolennitate Corporis Chriſti. Miſitque ad Armenios & Perſas, vt eadem cum eo aduerſus Turcas facient: & quoſdam ruſticos id facere nolentes, laqueis interemit. Tametſi non id vnum in ceremonia illa ſancienda ſecutus videri poteſt: eadem enim die & ipſe Pontifex creatus fuit. Sabellicus Enne 10. libro 6. Palmerius, Platina, Antoninus titulo vigeſimo ſecundo, cap. decimo quarto, & Bolaus in vita Calixti. Celebratur autem hoc Feſtum ſexta die Auguſti, non quòd tunc ſit facta Transfiguratio: conſtat enim factam fuiſſe circa principium Veris: ſed quid ea die ab Apoſtolis, qui cum Chriſto fuerunt in monte Thabor, fuit manifeſtata, publicata & prædicata, vt Durandus indicat in Rat. lib. 7. cap. 22. Hac etiam die vinum nouum, ſi inueniri poteſt, in Sanguinem Chriſti in Papatu conficitur: vel ſaltem de matura vua in calice aliquantulùm eliquatur. Racemi etiam benedicuntur, & populus communicat pluribus in locis, Petro de Natalibus teſte lib. 7. cap. 29. ex libro Mitral. : vbi ritus huius hanc rationem affert: Dominus, inquit, Diſcipulis in die Cœna dixit,* Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno patris mei. *Illa verò transfiguratio Domini, & quòd dixit Nouum vinum, repræſentat glorioſam innouationem, quam Chriſtus poſt Reſurrectionem habuit. Et ideò in hac die Transfigurationis, quæ Reſurrectionem repræſentat, nouum vinum inquiritur, in quo nouitas æternæ dulcedinis oſtenditur, quæ ſanctis poſt Reſurrectionem in patria propinabitur.*

AFRA *Cretenſis Meretrix per prædicationem Narciſſi Hieroſolymorum Epiſcopi ad Chriſtum conuerſa, quum idolis Gentium ſacrificare amplius nollet, in ignem coniecta ſpiritum emiſit, ſed Non. Aug. vt Petrus de Nat. refert lib. 7. cap. 28. non 7. Id. Aug. vt in vulgatis habetur Calendariis.* 7.

CYRIACVS *Diaconus Romæ ſub Maximiano Imp. poſt multos & horrendos cruciatus propter Chriſtum capitis tandem ſupplicium ſubiit 17. Cal. April. quo die & ſepultus fuit: ſed eius corpus inde tranſlatum eſt à Marcello Papa & Lucina Matrona, & in via Oſtienſi ſepultum 6. Id. Aug. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 35.* 8.

ROMANVS *Miles Rom. ſub Decio Imp. propter Chriſtianam Religionem capitis ſupplicio afficitur. Pet. de Nat. lib. 7. cap. 40. & Vincentius lib. 13. cap. 17.* 9.

LAVRENTIVS *Hiſpanus, à Sixto 2. Rom. Epiſcopo Leuita ordinatus Chriſtum fideliter docuit. Poſt mortem autem Sixti, Laurentius propter non redditos theſauros Decio Imp. carnificibus eſt traditus & in craticulam ferream poſitus, vt ſuccenſis carbonibus lento igne aſſaretur. Cùm autem in craticula omnem feruorem ignis alacri anima ſuſtineret, En, inquit, conuerſus ad aſtantem Imperatorem, vnum latus iam ſatis eſt aſſatum: cape igitur & ede, aſſaturámque verte. Quin palàm profeſſus eſt ſe non torreri, ſed refrigerari carbonibus. Tandem autem ſpiritum emiſit. Vincentius lib. 11. cap. 93. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 43.* 10.

TIBVRTIVS *Filius Chromatii Præfecti Romæ ſub Diocletiano & Maximiano capitis pœnam ſubiit propter Chriſtum 3. Idus Aug. Vincent. lib. 12. cap. 17. & Pet. de Natal. lib. 7. cap. 46.* 11.

12. CLARA *Aßiſij nota eſt ſuperſtitioſis Parentibus. In infantia vſa eſt cilicio, cúmque ad pubertatis annos veniſſet nuptias aliquoties auerſata eſt Audiens demũ de Franciſco concine ſuo familiaritatem nimis magnam cum eo contraxit, eiuſq́ iuſſu Parentes ſuos ſine cauſa deſerens & ad S. Damiani templum commigrans, ibi pauperum Dominarum ordinem, qui & à Fundatrice Clariſsimarum Orda dicitur, inchoauit ſub Regula Franciſci anno Chriſti 1225. In hoc Ordine per annos 42. arcta tuguriolo incluſa apud S. Damiani templum ſeipſam inedia vigiliis aliiſque carnificinis mirum in modum excruciauit, tandémque moritur pridie Idus Aug. eoq́ die Feſtum Claræ Alexander 4. Papali authoritate præcepit coli in tota Eccleſia, anno Dominicæ Incarnationis 1255. ab obitu verò Claræ 2. ipſéque primus apud Anagniam in Eccleſia Maiori ſolenniſsimè celebrauit.*

13. HIPPOLITVS *Romanus à S. Laurentio ad Chriſtum conuerſus, iuſſu Decij Imp. à Valeriano vrbis Præfecto pedibus ad colla indomitorum equorum ligatus, per ſpinas & tribulos miſerè trahitur, ſicque expirat. Vincentius lib. 11. cap. 95. & Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 56.*

14. EVSEBIVS *Presbyter Romanus, quum fidem Catholicam conſtanter defenderet, & Conſtantium Imp. ac Liberium Epiſcopum Rom. tanquam hæreticos damnaret, quòd Arriana fidei conſenſiſſent, ab Imp. comprahenſus rogatu Liberij, & in carcerem incluſus, poſt menſes 7. obdormiuit 19. Cal. Septemb. vt refert, Pet. de Nat. lib. 7. cap. 62.*

15. FESTVM ASSVMPTIONIS B. Mariæ Virginis.

Feſti huius antiquitas. H*Orolanus Calendario Eccleſiaſtico refert, Feſtum Aſſumptionis Mariæ circa annos Chriſti 364. per Damaſum Papam inſtitutum eſſe, & adducit teſtem Durandum, quum tamen lib. 7. cap. 24. vbi de hoc Feſto agit, & alibi nuſpiam inueniatur. In vſu autem fuiſſe circa eius tempora Feſtum hoc, ex Sermone de Aſſumptione Mariæ intelligitur, qui quidem inter opera Hieronymi extat, ſed eius non eſt, verùm Sophronij Hieronymi familiariſsimi, quod multis coniecturis in Cenſura Sermonis huius Eraſmus probare conatur. In eo dies Aſſumptionis, vocatur Solennitas, Celebritas & Feſtiuitas, quæ incomparabilis ſit omnium Sanctorum Feſtiuitatis. Non autem vbique & ab omnibus tunc receptum & obſeruatũ fuiſſe ex Nicephoro coniicia, qui lib. 17. cap. 28. inquit: Mauritius Imp. Sacroſanctæ Genetricis Dormitionem ſeu Aſſumptionem 15. Auguſti menſis celebrari præcepit. Verùm ne ſic quidem Eccleſiis omnibus obtrudi potuit, vt apparet ex conſtitutione Caroli M. lib. 1. cap. 158. vbi ita legitur: Hæ ſunt feſtiuitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, S. Stephani, &c. & in fine: De Aſſumptione, aut, S. Mariæ interrogandum relinquimus. Vnde apparet per annos plus minus ducentos etiam poſt Mauritium Imp. dubitatum fuiſſe, ſit ne hoc Feſtum celebrandum, an non. Mox autem Ludouicus Caroli F. gratificari volens quibuſdam idololatris & ſuperſtitioſis hominibus, in Synodo Aquiſgrani anno 818. vel iuxta alios 819. habita, diem Aſſumptionis Mariæ Feſtis addidit, & celebrare præcepit, vt Auentinus indicat lib. 4. Annalium. Et poſt annos aliquot, Leo 4. Papa decreuit, vt Octaua Aſſumptionis Mariæ celebrarentur in Romana Eccleſia, quod prius non fiebat, teſte Antanino tit. 16. cap. 1. §. 6. Factum hoc anno Domini 847. iuxta Sigebertum: idque eam ob cauſam, quòd hic Papa eodem die precibus ignem ſtitiſſet, vt Catoniano & Gelliano verba vtar: Funccius. Sed nec ipſa vbique & ab omnibus Chriſtianis recepta & approbata fuerunt. Nam duodecima demùm à Chriſto nato ſecula, eas Reinoldus ſuperſtitioſus Colonienſium Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu inſtituit.* Collectarum *verò &* Cantus *Feſtiuitatis huius authorem facit Gregorium M. Eccius parte 3. homil. de Aſſumptione Mariæ hom. 4. Hinc intelligitur, Feſtum hoc creſcente idololatria tandem factum eſſe omnium maximum & celeberrimum. Teſtatur id etiam Durandus in Rat. lib. 7. cap. 24. Hoc Feſtum, ait, eſt maius omnibus aliis, quæ fiunt de Maria. Vnde etiam habet Octauas & Ieiunium, quod non habet aliud Feſtum de illa. Et Petrus Cluniacenſis lib. 2. de Miraculis cap. 30. refert, moris eſſe Romanorum Feſtum Aſſumptionis Mariæ inter vniuerſas anni Feſtiuitates præcipuo honore colere, & ſpeciali deuotione venerari: indéque fieri, vt inter alia cereos maximos faciant, quos in vigilia Feſtiuitatis huius accendant, &c. Bonfinius quoque lib. 1. Dec. 2. indicat, Stephanum Vngariæ Regem edictum promulgaſſe, vt omnibus Vngaris dies Aſſumptionis Mariæ in primis eſſet ſolennis, eámque Dominæ diem appellarent: cæteráque eius feſta ieiuniis & ſingulari deuotione tranſigerent. Factum hoc circa annum Domini 1010.*

Feſti huius ritus. *In hoc feſta herba, plantæ, item radices & fructus arborei in Papatu colliguntur & benedicuntur, quòd Maria roſæ & lilio comparatur. Vuitikindus in Computo ſuo Eccleſiaſt. hac de re ita ſcribit: Ferre ſolent hac die mulieres in templa faſciculas herbarum, in quas conſecratione Sacerdotis immitti vis fugandi cacodæmonas, ſpectra, veneficia, & prohibendi fulmina, aliáque noxia creditur, ſi ſuffitus ex iis fiat. Ob quam cauſam Feſtum hoc vulgò* Herbarium *vocatur.*

HISTORIA de Dormitione & Aſſumptione B. Mariæ Virginis.

BEata Mariæ Virginis Dei Genitricis poſtremò fit mentio Actorum cap. 1. his verbis: Apoſtoli omnes perdurabant vnanimiter in oratione & deprecatione, cum vxoribus, & Maria Matre Ieſu. & cum ipſius Fratribus. Poſt Apoſtolorum verò tempora quidam otioſi & ſuperſtitioſi homines quum de multis aliis, tùm verò de morte & tranſitu B. Mariæ fabuloſas & tanta Virgine indignas contexuerunt narrationes. Ex earum numero illa quoque eſt, quæ extat in libello cui titulus, De Tranſitu Beatæ Mariæ: qui Ioanni Euangeliſtæ & Apoſtolo adſcribitur. Is verò inter Apocryphos libros recenſetur & damnatur à Gelaſio Papa diſtinct. 15. Hieronymus quoque ſeu verius Sophronius in Epiſtola de Aſſumptione Mariæ monet Paulam & Euſtochium, vt ſibi à libro hoc apocrypho caueant, ne fortè (inquit) ſi venerit in manus veſtras illud apocryphum de Tranſitu Mariæ Virginis, dubia pro certis recipiatis: quod multi pietatis amore, ſtudio legendi charius amplectuntur, &c. Ex eo tamen originem ſuam habent, ipſo quóque Molano teſte, li. de Picturis cap. 67. quæ poſterioribus ſeculis Nicephorus lib. 2. cap. 21. 22. & 23. Simeon Metaphraſtes, Damaſcenus, Michael Syncellus ex Græcis: ex Latinis verò Gregorius Turonenſis in lib. de gloria Martyrum cap. 4. Iacobus de Voragine Legenda 114. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 65. Ioannes Clichtoueus & alij, de Aſſumptione Mariæ tam in corpore quàm in anima, narrarunt. Eorum ferè ſumma hæc eſt. Cum ſexageſimum ætatis annum ageret Maria, venit ad eam Angelus Domini. Ex Epiphanio verò non obſcurè colligitur, Mariam Virginem ad 72. ætatis annum perueniſſe: dicit enim, quum Chriſtum filium Dei concepiſſet, fuiſſe eam annorum 14. & 15. peperiſſe: cum filio autem vixiſſe annis 33. poſt Mortem verò Domini ſuperuixiſſe 24. annis. Angelus hic Matri Ieſu indicat ex hac vita ei migrandum eſſe poſt triduum. Conuocantur igitur ad eam qui vel amoris neceſſitudine, vel generis propinquitate ei coniuncti eſſent. Apoſtoli omnes ex diuerſis terrarum locis, in quibus tum Euangelium prædicabant, in nubibus per aërem Hieroſolymam ad domum Mariæ deferuntur, à quibus ipſa ſuper humiliore lecto ponitur. Nocte ab hinc tertia venit Filius eius Ieſus Chriſtus circa horam tertiam de cælo cum Angelorum ordinibus, Patriarcharum cœtibus, Martyrum agminibus, Confeſſorum acie, Virginum choris, & ante thorum Mariæ acies ordinantur, & dulcia cantica audiuntur. Cúmque bis à filio ad ſe vocata eſſet, tandem in manus eius tradidit animam ſuam. Apoſtolis autem mandat Dominus, vt corpus Virginis Matris in vallem Ioſaphat deferant, & in monumento nouo, quod ibi inuenturi ſint, id recondant, ſeque triduo ibi expectent. Sed pugnant hæc cum verbis Chriſti veri, Adhuc pauliſſper vobiſcum ſum: Ioannis 13. Pugnant etiam cum articulo Fidei, Aſcendit in cælos, inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Monet etiam nos Dominus, ne huiuſmodi verbis fidem adhibeamus: Si quis inquit, vobis dixerit, Ecce hîc Chriſtus, aut hîc, ne credite, &c. Deinde Epiphanius contra Antidicomarianitas, non ſe poſſe affirmare & dicere ſcribit, de Genitrice Dei, vel quòd immortalis permanſerit, vel quòd vitam morte commutarit. Tertiò, non probat etiam ea quæ ex Nicephoro retulimus Molanus & ipſe Pontificius de præſentia Apoſtolorum in obitu Mariæ: dicit enim, Quòd Beata Maria dum moritur, & ſepelitur, Apoſtoli omnes adeſſe pinguntur, referendum eſt inter eas picturas, quæ populari pietate vniuerſaliter receptæ ſunt magis, quàm ex ſolida ſacræ ſcripturæ, aut ſolidi Doctoris authoritate. De Mariæ verò decubitu in lectulo ita ſcribit Clichtoueus cap. 6. de Aſſumptione Virginis: Crediderim eam non decubuiſſe lecto more ægrotantium, & qui morbo preſſi claudunt hanc vitam, cum néque infirmitate vexata credi potiùs debeat, néque debilitate proſtrata, ſed flexis reuerenter genibus acceptiſſimum Deo Spiritum commendaſſe. Sublata in cælos à Filio anima Beatæ Matris, Apoſtoli & alij funus efferunt in vallem Ioſaphat, quæ eſt inter montes Sion & Oliueti poſita, ibique id terræ mandant. Tertia die redit Chriſtus ad monumentum corpúſque Matris reſuſcitat, & ſecum in cælos euehit ſpectantibus Apoſtolis. Hæc omnia, inquit Iacobus de Voragine, videntur eſſe illud Apocryphum, de quo Hieronymus: ſed & alia multa ibi narrantur potiùs ad ſimulationem quàm ad veritatem, quæ ſunt relinquenda magis quàm aſſerenda.

Cùm verò de hac totali Mariæ Aſſumptione à pluribus non immeritò dubitaretur, ſothanica quadam, ſi non fabula eſt, viſione quadam confirmata fuit, quam Antoninus tit. 19. cap. 11. Vincentius lib. 8. cap. 80. Iacobus de Voragine Legenda 114. & alij his ferè verbis referunt. S. Eliſabeth, inquiunt, Regis Vngariæ Filia, & Vxor Landtgrauij Thuringiæ per viſionem vidit in loco remotiſſimo ſepulchrum quoddam multo lumine circumfuſum, & quaſi ſpeciem mulieris in eo, quam circumſtabat multitudo maxima Angelorum: ſicque eam alacriter ſuſcipientes cum magno concentu in cælum deduxerunt. Poſt modicum temporis Eliſabeth Angelum, cum quo loquebatur de hac viſione, interrogauit: qui ei reſpondit, Oſtenſum eſt tibi in hac viſione, quomodo Maria Virgo aſſumpta ſit in cælum anima & corpore.

Fabuloſa narratio de Tranſitu Mariæ confirmatur viſionibus fictis

& corpore. Addit Iacobus de Voragine, Mariam huic Elizabethæ quóque apparuiſſe, dixiſſéque, Poſt Aſcenſionem Domini anno integro & tot diebus quot ſunt à die Aſcenſionis vſque ad diem meæ Aſſumptionis ſuperuixi. Et quum interrogaſſet Elizabeth vtrum hoc deberet aliis quóque indicare, reſponſum fuit, nec carnalibus nec infidelibus manifeſtandum, nec ſpiritualibus & deuotis occultandum. Facta ſunt hæc circa annum Domini 1230.

De Tranſitu Mariæ antiquitatis ſententia. Vera autem antiquitas de Aſſumptione B. Mariæ in corpore & anima certi nihil definire voluit, ſed in medio reliquit. D. Hieronymus ſuprà citato loco, Quomodo, inquit, vel quo tempore, aut à quibus perſonis Sacratiſſimum Corpus Mariæ ablatum fuerit, vel vbi tranſpoſitum, vtrumúe ſurrexit, neſcitur: quamuis nonnulli adſtruere velint, eam ipſam reſuſcitatam & Beatam cum Chriſto immortalitate veſtiri. Quid autem horum verius, ambigimus: melius tamen Deo totũ committimus, quàm noſtra auctoritate aliquid temerè deffinire, quod non probamus. Si eadem mens poſterioribus ſeculis hominibus fuiſſet, à multis nugis & fabulis abſtinuiſſent. Extat quidem inter opera Auguſtini libellus, in quo aſſeritur, totaliter Mariam aſſumptam fuiſſe ſed habet is, Eraſmo teſte, ne pilum quidem Auguſtini. Antoninus quóque narrationem de Viſione S. Elizabethæ non magni facere videtur. Sic enim ſcribit: Quòd, inquit, aſſumpta ſit Maria in anima & corpore, ſatis communiter creditur, & dicitur à Doctoribus. Quòd autem poſt annum & menſes tres migrauerit, opinio communis eſt in contrarium, ſcilicet quòd duodecim annis ſuperuixerit poſt Aſcenſionem Domini, & tertia die ſuæ mortis in corpore ſuſcitata & glorificata cum Chriſto. An etiam 40. die corpus eius viuificatum fuerit & aſſumptum in cœlum, vel antè, omninò eſt ignotum, & à Doctoribus non inſinuatum. Durandus etiam in Ration. lib. 7. cap. 23. indicat, S. Elizabetham de viſione hac tractatum compoſuiſſe, qui tamen non ſit authenticus, nec ab Eccleſia Romana comprobatus.

16. De origine Solennitatis & Venerationis ROCHI hæc tradit Cranzius lib. 9. cap. 25. Metrop. Circa annos, inquit, 1320. Rochus Narbonenſis Prouinciæ Nobilis iuuenis, cuius Pater erat Dominus oppidi Agathapolis, in locupleta hæreditate, dimiſſus à parentibus ad annum ætatis 12. patriam deſerens, quam patruo commiſit gubernandam, Italiam petiit, peregrinatus pro Chriſto (In Breuiario autem Carmelitarum ſcribitur, Rochum bona, quæ à progenitoribus acceperit, deſeruiſſe, & ea pauperibus erogaſſe.) In Italia vidit plagam crebreſcentem peſtilentiæ, & miſertus ægrotantium, crucis impreſſione multos liberauit Romæ, Aquopendente, &c. Ceſenæ notior factus auffugit. Placentiam igitur adiit: ibi cùm multos curaſſet orationis impendio, ipſe quoque percuſſus eſt eodem morbo, velut ardente ſagitta in coxam eius emiſſa. Illicò eiicitur, vexatus blaſphemia, En qui alios curare præſumit, ipſe ægrotat. In nemore ſolita precũ præſidia, integrã recepit ſanitatem. Tum in Gallias reuerſus, patriam inuenit bellis tumultuantem. Eò quum conceſſiſſet à lictoribus capitur, tanquam explorator in carcerem coniicitur, vbi quinquennium egit in ſumma patientia. Demùm laxatus, domum patrui, velut alter Alexius, mendicantis habitu excoluit: anno ætatis ſuæ 32. mortuus eſt. Hæc Cranzius: quæ tamen aliter etiam in Breuiario Carmelitarum referuntur, vbi ſic legitur: poſtremò humanæ laudis metuens Rochus, Galliam repetens, plurimis vbique curationibus mirus, febri in via corripitur, & in eremi ſolitudinem ſub arbore iacuit, hominibus quidem ignotus, ſed cani nobilis cuiuſdam cognitus, qui ei panem de Domini ſui menſa quotidiè afferebat. Ad extremum, quum oppidum ſuum in Gallia tum bellis anxia perueniſſet creditus explorator, in carcerem coniicitur, vbi peſte mortuus eſt 17. Cal. Septemb. Inuenta eſt addit Cranzius, tabula ad latus demortui his verbis ſcripta: Peſte laborantes ad Rochi patrocinium fugientes, contagionem illam truculentiſſimam euaſuros ſignifico. Eares ad patruum eius vrbis Principem perlata, fecit attonitum. Vbi diligentius rem explorat, vidit ex fratre nepotem. Tum perterrefactus ſoluitur in lachrymas: Sacellum ei dedicat, vbi miraculis fulgeſcit. Venit deinde in obliuionem Rochi nomen: ſed anno Chriſti poſt 1415. quum Concilium Conſtantiæ ageretur, ibique peſtis deſæuiret, ex Germanis cœpit Italis nomen eius inſigne fieri. Ad annum autem 85. Venetias corpus eius deportatur, vbi ſummo in honore, dicato ſacello, Feſtum eius percolitur 17. Calend. Septemb.

MAMMES puer ſeptennis apud Cæſaream Cappadociæ ſub Aureliano Imp. & Præſide Antiocho paſſus eſt 16. Cal. Sept. P. de Nat. lib. 7. cap. 72. 17.

HELENA Cœli Britannici Regis vnica filia, Conſtantini Magni Imperatoris Mater fuit. 18. Inter omnes ætatis ſuæ fœminas, nulla inueniebatur ea forma corporis præſtantior, in liberalibus artibus, inſtrumentis muſicis & linguis doctior. Ob has corporis & animi dotes eximias Conſtantius Chlorus Cæſar illam vxorem duxit, atque ex ea filium Conſtantinum Magnum in Britannia genuit. Marito defuncto Hieroſolymam abiit ex voto. Romæ tandem octogenaria in Chriſto obdormiuit 15. Cal. Septemb. filio adhuc ſuperſtite, anno 337. Quæ à Petro de Natalibus lib. 7. cap. 73. de Helena hæc narrantur, à vero prorsùs ſunt aliena. Ei Conſtantinus filius poſt obitum ingentes tribuit honores: quales ſcilicet

cum

-torio decebant, quæ tam piè ſanctéque vixiſſet. Extra vrbem Romam ſepulta, in templo rotundo marmorea vrna depoſita, atque biennio poſt vnà cum vrna Conſtantinopolim deportata eſt, & in imperialia monumenta ædis S. Apoſtolorum illata, latiſque diurnis & nocturnis memoriis celebrata. Hieraſolymis in primis, Virgines illæ, quibus Helena veluti quædam ancilla inſeruierat, præcipuis eam ſunt memoriis ſolenniter proſequuta, Nicephoro teſte lib. 8. cap. 30.

19. SEBALDVS Regis Daniæ filius, nocte prima nuptiorum ſponſam ſuam deſerens, in eremum fugit, & ibi 15. annos manſit. Romam inde profectus à Gregorio II. in Germaniam prædicandi cauſa miſſus fuit, & propè Noribergam in ſolitudine vixit. Tandem Noriberga in Oratorio fratrum D. Martini mortuus eſt, & à Martino V. in numerum Deorum relatus, & 14. Sept. eius honoribus annuatim tribuitur. Curio libro ſecundo Chronologiæ.

LVDOVICVM Epiſcopum Toloſanum, Caroli Regis Siciliæ filium inter Sanctos Confeſſores retulit Ioannes 22. Papa, qui ab aliis 23. vocatur anno Pontificatus ſui primo, Domini verò 1317. Et feſtiuitatem hanc 19. Aug annuatim celebrantibus, duos annos & duas quadragenas: accedentibus verò ad ſepulchrum eius annis ſingulis infra eiuſdem Feſti octauam, vnum annum & 40. dies de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxauit, vt ex eius Diplomate apparet apud Surium tomo 4. de Vitis Sanctorum. Alij verò hanc canonizationem Bonifacio aſcribunt: Platina.

20. BERNARDVS ex Burgundiæ nobilibus Parentibus oriundus, relicto ſeculo Ciſtercium ſe contulit cum ſociis 30. anno Domini 1113. ibique ita ſe geſſit, vt mox Abbas Clareuallenſis cœnobij conſtitueretur: cui per annos 36. præfuit, & monaſteriorum ſui Ordinis 160. author extitit. Tandem moritur ætatis ſuæ anno 64. 13. Cal. Septemb. Alexander tertius anno 1164. eum inter Deos retulit, Feſtum eius mandans celebrari die obitus ſui. Antoninus tit. 17. cap. 1. §. 10.

21. PRIVATVS Epiſcopus paſſus eſt in ditione Gualitanæ ciuitatis. Nam cùm in perſecutione Valeriani & Gallieni Chriſtum prædicaret, & Deos Paganorum adorare recuſaret, iudicis ſententia capitis ſupplicium ſubiit 12. Cal. Sept. vt Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 89. ex Adone refert.

22. SYMPHORIANVS Auguſtoduni nobilibus Parentibus Chriſtianis genitus, quum adhuc eſſet adoleſcens, tanta morum grauitate pollebat, vt ſenes multos antecelleret. Cùm verò Pagani Feſtum Veneris celebrarent, Symphorianus autem imaginem eius adorare nollet, primò cæditur, deinde carceri includitur: inde verò eductus quum ſacrificare nollet, capite truncatur 11. Cal. Sept. circa annum Domini 270. vt refert Pet. de Natalibus lib. 7. cap. 93.

ZACHÆVS quartus fuit à Iacobo Apoſtolo Hieroſolymorum Epiſcopus vt Euſebius teſtatur lib. 4. cap. 5. Moritur in pace 10. Cal. Sept. 23.

BARTHOLOMÆVS Apoſtolus Galilæus, 24.
tùm in Indiam citeriorem, quæ ei ſorte obuenerat, progreſſus eſſet, plurimos ibi ad Chriſtum conuertit. Inde veniens in Armeniam, vbi Polemonem Regem cum coniuge, ac præterea duodecim ciuitates ad Chriſtianam Religionem perduxit. Ea verò res tantam illi conciliauit inuidiam, vt Polemonis frater, Sacerdotum illius gentis inſtinctu, viuo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi iuſſerit, ac caput abſcindi: quo in martyrio animam Deo reddidit. Corpus eius Albani, vrbe maioris Armeniæ, vbi paſſus fuerat, ſepultum eſt: quod poſtea ad Liparam inſulam delatum, & inde tandem Romam ab Ottone II. Imp. ſub Gregorio V. Pontifice, portatum, in Tiberis inſula, in Eccleſia eius nomine dicata, collocatum fuit. Agitur autem Romæ dies Feſtus 8. Cal. Septemb. & per octo conſequentes dies illa baſilica magna populi frequentia celebratur, vt in Nouo Breuiario Rom. legitur. Plurimis tamen in locis 9. Cal. Sept. Feſtum eius celebratur, quòd tunc excoriatus cantùm eſſet.

LVDOVICVS filius Ludouici octaui Regis 25.
Gallorum, quum multos annos regno ſuo magna cum laude præfuiſſet, alteram ſuſcepit expeditionem in Syriam, quum certa ad eum allata eſſet fama de periculis Terræ ſanctæ, anno Chriſti 1270. ſed moritur in portu Carthaginis 25. Aug. Bonifacius VIII. autem hunc diem ei Feſtum agi præcepit: Bergomenſis. Sabellicus verò Enne. 9. lib. 7. hæc Ioanni 22. tribuit.

GENESIVS mirabiliter, accepto per iocum 26.
Baptiſmo, ad Chriſtum conuerſus, ſub Diocletiano capite cæſus eſt Arelat. 7. Cal. Sept.

GEBHARDVS Vthonis Comitis de Bregentz 27.
filius, ex aluo matris, partus doloribus extinctæ, exſectus, Conſtantienſis factus eſt Epiſcopus, quo in munere ſedulus fuit Baaliſmi Propagator: obiit anno 996. 6. Cal. Septemb.

PELAGIVS I. Papa Gotthorum applauſu 28.
Pontificatum Rom. adeptus eſt: Principis authoritatem ac populi conſenſum in ordinandis Pontificibus neceſſariam eſſe decreuit. Conſtituit etiã, vt Clerici quotidiè Canonicas horas ſepties murmurarent: Abbates regaliter eligerentur: hæretici per ſecularem magiſtratum punirentur: vt Quadrageſimali tempore hora nona ſacrificia miſſare liceret. Primatum etiam Eccleſiæ Rom. non à ſynodis aut ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto inſtitutum, primus aſſeruit. Memorias mortuorum primus approbauit & Miſſæ addidit. Moritur anno 556. 5. Cal. Sept.

AVGVSTINVS Carthaginenſis Philoſophus & Rhetor primò eximius Manichæorum hæreſi addictus fuit: ſed ab ea ad orthodoxos defecit, & ab Ambroſio Mediolan. Epiſcopo baptizatus eſt.

Clarnit anno 380. non minùs vita ſanctitate, quàm excellenti doctrina inter ſplendidiſsima noſtra fidei lumina meritò referendus. Annos 140. aut ampliùs eò, Hipponenſis Epiſcopi munere functus eſt, obiitque ætatis ſuæ anno 76. Salutis circiter 400. 5. Cal. Sept. Anno 718. die 28. Martij è Sardinia Papiam iuſſu Aliprandi Regis corpus Auguſtini tranſlatum eſt ibique in Eccleſia Petri, quæ dicitur Cælum aureum, collocatum, annis ab eius obitu 280.

DECOLLATIO S. Ioannis Baptiſtæ.

29. Feſti huius cauſæ. DEcollationis S. Ioannis Baptiſtæ Feſtum *quatuor de cauſis inſtitutum eſſe*
1. *Iacobus de Voragine in Lambardica hiſtoria, Pet. de Nat. lib 7. cap. 132. aliique referunt ex lib. Mitrali de Officio. Primò propter ipſam decollationem Baptiſtæ, cuius integra hiſtoria deſcripta extat apud Matthæum 14. & Marcum 6. cap. cui poſterioribus temporibus otioſi homines multa fabuloſa aſſuerunt. Hac verò die Ioannes decollatus non eſt, ſed circa dies Azymorum anno Mortem Chriſti præcedente: oportuit autem Ioannem tanquam minorem cedere Chriſto*
2. *maiori. Secundò celebratur hoc feſtum propter ipſius oſsium concremationem & collectionem, quæ 4. Cal. Sept. ſecundùm aliquos facta eſt. Nam, vt Ioſephus & Hieronymus indicant, atque etiam lib. 12. hiſtoriæ Scholaſt. refertur, decollato Ioanne Baptiſta, Diſcipuli eius corpus apud Sebaſten vrbem Palæſtinæ, quæ quondam Samaria appellata eſt, ſepelierant inter Heliſæum & Abdiam Prophetas. An verò Diſcipulis tam procul, nempe Macharunte Samariam vſque, vbi & Iordanis fuit tranſeundus, & aliquot porrò milliaria, licuerit cadauer Ioannis deportare, præſertim Herodiade adhuc fremente, & Herode metuente populum ob recens interemptum tantum Prophetam, Samaritanis quóque Vatiniano odio Iudæis proſequentibus, pius Lector iudicet. Ad ſepulchrum verò eius quotidiè multa miracula fiebant, vt ingens hominum multitudo eò confluxeret. Iulianus igitur Apoſtata iuſsit Ethnicos in ignominiam & dedecus Chriſtianorum oſſa Ioannis per agros ſpargere. Sed cùm & illuc Chriſtiani venirent, nec miracula ceſſarent, rursùs Gentiles oſſa collegerunt & combuſſerunt. Dum autem ad cremandum colligerentur, multi Chriſtiani mixti Gentilibus oſſa colligentibus, quot & quæ occultare poterant reſeruarunt, & ad Philippum Hieroſolymorum Epiſcopum tulerunt: ita quidem Beleth in Ration. cap. 147. & Durandus in ſuo Ration. lib. 7. cap. 26. Vincentius autem lib. 18. cap. 60. Iacobus de Voragine & Petrus de Natalibus dicunt, quoſdam Monachos Hieroſolyma venientes, ſe clam colligentibus Ethnicis immiſcuiſſe, & magnam oſsium illorum partem ſuſtuliſſe. Liber verò Cypriani, qui tamen falsò ei adſcribitur, de Reuelatione capitis Ioannis, habet, poſt concremationem oſsium Ioannis, quoſdam Monachos Hieroſolymis ad locum ſepulturæ Ioannis veniſſe, & quicquid reliquum de oſsibus eius in monumento repererint, ad patrem ſuum Ioſephum detuliſſe Hieroſolymam. Oſſa hæc Hieroſolymam delata à Philippo Hieroſolymit. Epiſcopo, vel iuxta alios à Ioſepho Monachorum Patre, tranſmiſſa Athanaſio [vel, iuxta Belethum & Durandum Anaſtaſio] Alexandriæ Epiſcopo per Iulianum Diaconum, Alexandriæ ſeruata ſunt vſque ad Theophilum eius vrbis Epiſcopum, qui ea in templo Serapis à ſordibus purgato repoſuit, & baſilicam illam in honorem Ioannis conſecrauit. Falſus autem Cyprianus dicit, Theophilum, iubente Theodoſio Principe, omnia idolorum fana in regione Alexandrina deſtruxiſſe, & Eccleſiam miræ magnitudinis conſtruxiſſe, & in honorem S. Ioannis Baptiſtæ conſecraſſe, illiúſque oſſa quæ ſibi direxerat Athanaſius, in eadem Eccleſia congregatis vicinis Pontificibus ex omnibus regionibus cateruatim, omnibúſque ordinibus clericorum & populorum, honorificè conſtituiſſe. Nunc autem oſſa hæc Genuæ eſſe dicuntur, ex approbatione Alexandri 3. & Innocentij 4. vbi feſto die deuotè coluntur. Placuit autem Gilberto feſtum hoc, in rei huius memoriam, Collectionis potiùs, quàm Decollationis nominare. Tertiò, celebratur hoc* 3.
Feſtum in memoriam Inuentionis capitis Ioannis, quæ 4. Cal. Sept. facta dicitur. Sicut enim legitur lib. hiſt. Scholaſt. cùm S. Ioannes Macharunte caſtello capite truncatus eſſet, caput eius Herodias Hieroſolymis iuxta regiam Herodis clam ſepeliri curauit, timens ne Propheta reſurgeret, ſi corpus cum capite ſepultum eſſet. Id verò progreſſu temporis reuelatum fuit duobus Monachis Occidentalibus Macedonianæ hæreſis, vt Sozomenus lib. 7. cap. 21. indicat: qui, vt Iacobus de Voragine & Pet. de Nat. referunt, id iuxta Herodis regiam Hieroſolymis ſaccis cilicinis inuolutum inuenerunt 7. Cal. Martij. Domum autem redeuntes, quidam Edeſſenæ ciuitatis figulus, paupertatem fugiens, ſe eis comitem adiunxit. Cùm autem ſaccum in quo caput Ioannis erat depoſitum portaret ille, admonetur inſomnis à S. Ioanne, vt Monachos illos desereret clàm, & caput Ioannis Edeſſam tranſferret. Paruit ille, atque caput Baptiſtæ in ſpecu quodam ignobili recondidit, & aſſeruauit. Facta hæc eſſe Lombardica hiſtoria & Pet. de Natalibus referunt ſub Martiano Imp. id verò falſiſsimum eſſe, ſequentia probabunt. Nam poſt aliquot annos caput hoc iidem ſcribunt reuelatum cuidam Marcello, quem Beleth & Durandus Presbyterum, Iac. de Voragine autem & Pet de Nat. Monachum nominant, & ab eo Edeſſenæque vrbis Epiſcopo Iuliano inuentum eſſe 4. Cal. Sept. ex qua die

Feſtum in rei memoriam ibi celebrari cœpit, quod de Reuelatione eſſet appellandum. Cùm verò Mardonius tempore Valentis Imp. τῆς βασιλικῆς οἰκίας μείζων, hoc eſt, imperialis domus Maior comperiſſet, quòd caput Ioannis inuentum eſſet, indicauit Valenti, qui id Conſtantinopolim deferri præcepit. Qui verò ad eam rem perficiendam miſſi fuerant cum ſplendido comitatu in imperiali curru id aduehebant. Cùm autem ad Pantychium prædium Chalcedonenſe peruenìſſent, ita ibi conſtitit, vt vlterius promoueri nulla vi aut arte potuerit: ideóque in pago Coſilai deponunt, quod is Mardonij eſſet. Poſtea Theodoſius Maior id inde Conſtantinopolim transferre volens, ſola, vt fertur, Matrona (quæ ſacra quidem Virgo videri volebat, ſed Diaconum adhærentem ſibi & cuſtodem habebat) totis viribus repugnabat. Nihilo ſecius Imperator thecam in qua caput erat purpura inuoluit, & ſecum auexit, atque ante vrbem Conſtantinopolim recondidit, in loco quem Hebdomon vocant, ibique templum DEO *erexit maximum & venuſtiſſimum. Extant hæc apud Sozomenum lib. 7. cap. 21. in Tripartita hiſtoria lib. 9. cap. 43. & Niceph. lib 12. cap. 49. vbi aliter ac Sozomenus templum hoc Baptiſtæ extruxiſſe Imperatorem ſcribit. Cæterùm Caput Ioannis Baptiſtæ Edeſſa maximo honore cultum, Beda de Ratione temporum narrat, ſub Martiano & Valentiniano Impp. poſt Valentem & Theodoſium plus ſexaginta annis. Quamuis autem magna ſit diuerſitas & diſcrepantia authorum in iis quæ hucuſque ex illorum relatione narrauimus, tamen ab iis omnibus diſſentit author libelli de Reuelatione capitis Ioannis apud Cyprianum. Dicit enim caput quidem Ioannis à duobus Monachis inuentum eſſe iuxta palatium Herodis, ſed vbi palatium id fuerit non indicat, & inde clàm Hieroſolymam fuiſſe delatum. Non multò verò poſt ibi à latronibus raptum eſſe, & in quodam ſpecu abſconditum, ſed à Marcello inuentum, & Ioanno Alexandrino Epiſcopo Theophili Succeſſori allatum 4. Cal. Sept. in ſolennitate Collectionis reliquiarum illius. Annis inde non multis elapſis, Felicem quendam Monachum iuſſum diuinitùs Alexandria hoc caput clàm ſurripere, & in Galliam transferre: Potuiſſe Monachum & ad Pipinum tunc Galliæ Regem detuliſſe, qui baſilicam ædificarit non longè à Vultonna littore, in quo cum aromatibus collocarit caput hoc: conuocatíſque à Pipino & Felice Pontifice Sacerdotibus, omnique nobilitate, conſecratam illam Eccleſiam & liberaliſſimè dotatam, nec non Monachorum collegium ibi inſtitutum fuiſſe. Eccius tomo 3 homilia quarta de Aſſumptione Mariæ aſſerit, Brianſ. & Franciſcum Moro affirmare, Ioannem Baptiſtam corpore ſimul & anima in cælo eſſe Sed quomodo hæc conueniunt cum iis quæ hucuſque de obſeruatione reliquiarum Ioannis in terris narrauimus? Sed errore videntur illi in nomine: hoc enim de Ioanne Euangeliſta & Apoſtolo refert Hieronymus & Nicephorus libro ſecundo cap. 42. Quartò* 4.
celebratur etiam hoc Feſtum propter digitũ Ioannis, quo Chriſtum oſtendit, dicens, Ecce Agnus ille Dei *&c. tranſlationem, & Eccleſia in eius honorem dedicationem hoc die factam. Digitus enim ille, qui comburi non potuit, à Monachis illis, de quibus ſuprà, inuentus eſt, quem B. Thecla ex oris transmarinis detulit in Mauritaniam, vt Durandus habet: Beleth dicit, delatum fuiſſe in Romaniam: Lombardica hiſtoria verò in Normanniam, ibique in honorem S. Ioannis Eccleſiã ædificatam, quæ hoc die, quo Feſtum eius hodiè celebratur, fuerit dedicata: Statutum enim fuiſſe à Pontifice, vt hic dies per vniuerſum orbem Chriſtianum S. Ioanni Sacer haberetur. Iuxta hos verò dies hic Dedicationis eſſet nominandus. Sed quæro, quæ nam Thecla illa, quam illi Sanctam vocant, fuerit? Mentio quidem fit in hiſtoria Eccleſiaſtica duarum Theclarum, quarum altera Iconio, altera verò Aquileia oriunda fuit, ſed ambæ ſub Nerone paſſæ ſunt. Hiſtoriam etiã de Inuentione digiti Ioannis Metaphraſtes apud Surium aliter recitat: non enim meminit digiti, ſed totius manus, nec à Thecla, ſed à Luca Euangeliſta repertam aſſerit, quam Antiochiam allatam in magno pretio & honore ciues eius vrbis habuerint: Iuliani verò tempore reconditam fuiſſe, ne reperiretur à tyranno, ſed ſub ſequentibus Imperatoribus Chriſtianis repertam, & ſub Iuſtiniano Imp. cum capite eius & tunica Chriſti Conſtantinopolim perlatam. Refertur ibidem, draconem quendam Antiochiæ in ſpelunca latitantem, & damno multo Antiochenis inferentem, interemptum fuiſſe iniecto digito Ioannis in gulam eius: In cuius rei memoriam Antiocheni magnificum templum in Sancti honorem extruxerint. In quo quum digitum hunc repoſuiſſent (ſed quis eum rursùs ex Draconis gula aut ventre exemit?) Sanctum exinde feſtis anniuerſariis honorare cœpiſſe: Inde verò ablatum & Chalcedonem tranſportatum veneratione ibi haberi, & diem Feſtum Depoſitionis huius celebrari. Has diuerſas & inuicem repugnantes ſententias ſi quis conciliare poterit, is ille erit mihi magnus Apollo. Propterea autem pluribus eas commemoraui, vt intelligat Lector, quàm nulla fides huic narrationi ſit adhibenda, quum quiuis animaduertat, ad confirmandam mortuorum cultum & venerationem excogitata & ficta hæc eſſe à ſuperſtitioſis hominibus. Relinquamus igitur eo nimium credulis, præſertim quum Euangeliſta, Spiritu Sancto procul dubio gubernati, ne locum quidem indicare voluerunt, vbi Baptiſta terræ mandatus eſt: quaſi obuiam ituri ſuperſtitioni, quæ poſtea in Eccleſiam Chriſti irrepſit.*

FELIX *Presbyter paſſus eſt Romæ ſub Diocletiano*

cletiano & Maximiano Impp. Cùm enim idolis ſacrificare nollet, iuſſit eum Præfectus vrbis capite truncari. Dum autem ad ſupplicium duceretur, quidam ex improuiſò obuiam ei factus, dixit, Et ego ſum Chriſtianus. Dixerunt ei carnifices, ergò & tu idem ſupplicium ſubibis. Cùm autem nomē eius ignoraretur, vocatus eſt Avdactvs, quaſi Felici audacter aſſociatus, iuxta Durandum in Rat. lib. 7. cap. 27. vel iuxta Pet. de Nat. Adavctvs, quòd Felici auctus ſit ad coronam, ipsíque pro confeſſione fidei corona ſit aucta. Paſſi ſunt autem 3. Cal. Sept.

31. Pavlinvs Epiſcopus Treuirenſis & Martyr à Conſtantio Imp. Arriano in exilium ob Catholicam fidem actus, hìnc inde errans, tandem fatigatus in Phrygia defunctus eſt prid. Cal. Sept. Adon in ſuo Martyrologio.

SEPTEMBER.

Festa Et Memoriæ Sanctorvm, quæ menſe Septembri à Chriſtianis celebrantur.

1. Verena Virgo fuit Thebaidis, paſſa eſt anno Domini 288. ſub Diocletiano & Maxim. Impp.

Ægidivs Athenis in Græcia natus, Parentibus mortuis patrimonium in pauperes erogauit, & in Galliam ipſe profectus eſt anno Domini 715. ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum: ac biennium apud ipſum commoratus in eremum ſeceſſit, ibíque in antro quodam horrido latuit: ad quod Carolus Martellus in venatione venit canum ductu, qui ceruam ſectabantur, quæ homini illi lac præbuiſſe dicitur Carolus miratus hominis Sanctitatem, cœnobium de conſilio eius extruxit ad Nemaſenſem vrbem iuxta Rhodanum, cui illum præfecit. Ranulphus lib. 5. cap. 28. Carolus Martellus petiit ab eo, pro ſe oraret Dominum, vt ſibi condonaret delictum, quod nemini auderet indicare. Orante autem Ægidio, charta in altari reperitur, continens delictum Caroli, idque precibus Ægidij dimiſſum eſſe indicans: ac erat adſcriptum. Quòd omnia peccata pœnitenti, & iuxta Ægidij verba concepta oranti condonentur. Quæ ſuperſtitionem confirmant, conceptis verbis precium ineſſe vim quandam diuinam. Tandem moritur Cal. Sept. Arnulphus etiam Imperator ſuperatis cæsíſque 100000. hoſtibus ipſis Cal. Sept circa annos Chriſti 895. decreto publico edixit. vt is dies in perpetuam rei memoriam deinceps ſacer eſſet. Auentinus lib. 4. Annal.

2. Emericvs, Regius quidam iuuenis. Veſtprinij, cum Amanuenſi ædem D. Georgij adiit: & inter precandum percontatus eſt, quid numini omnium gratiſſimum præſtaret? Tum cum fulgore vox inſonuit: Nihil, Emerice, Deo virginitate antiquius, gratiúſque putes, atque inde iuuenis perpetuam virginitatem probauit. Bonfinius.

Mamertvs Epiſcopus Viennenſis ob terræmotus & horrendas tempeſtates atque luporum rabiem Letanias tribus diebus ante Aſcen- 3.
ſionem Domini inſtituit. In vulgatis Calendariis dies obitus refertur ad 3. Non. Septemb. à Pet. autem de Nat. ad 5. Idus Maij. lib. 4. cap. 152.

Theodosia Virgo Cæſarea Palæſtinæ, 4.
martyrium paſſa eſt ſub Diocletiano circa annos Chriſti 284. Nicephorus.

Hercvlanvs ab Alexandro Epiſcopo 5.
Rom. ad Chriſtum conuerſus & baptizatus, martyrium ſubiit ſub Aureliano Imp. 7. Cal. Octob. iuxta Pet. de Nat. lib. 8. cap. 102. in vulgatis autem Calendariis ponitur ad Non. Sept.

Magnvs fuit quidam Confeſſor in Sueuia 6.
iuxta Horolanum.

Regina fuit Clementis cuiuſdam gentilis 7.
de vrbe Aliſia filia formoſiſſima. Olibrius autem Præfectus quum Chriſtianam eam comperiſſet, iuſſit in equuleo leuari, & virgis cædi vngulíſque lacerari illam, vt aſtantes crudeliſſimum ſupplicium valde horrerent. Tandem poſt cruciatus multos ac varios gladio cæditur 7. Id. Sept. P. de Nat.

Nativitatis B. Mariæ Feſtum. 8.

Dvrandus in Ration. lib. 7. cap. 28. teſtatur, Feſtum Natiuitatis B. Mariæ, quando nimirum in hunc mundum nata fuit, olim non celebratum eſſe. Circa annum verò 695. per illuſionem ſathanicam (ſi vera ſunt quæ referuntur) à Sergio Papa inſtitutum fuit hac occaſione: Vir quidam pluribus annis audiuit Angelos hac nocte ſolennizantes in cœlis: cui cauſam quærenti, reuelatum eſt, Angelos gaudere quòd B. virgo nata fuerit illa ipſa nocte. Hoc Papa Sergius comprobauit, & Feſtum Natiuitatis eius 8. die Sept. celebrari præcepit. Durandus vt ſuprà: Beleth in ſuo Rat. Sigebertus in Chron. ſub Sergio: Iſidorus lib. de Officiis. Vincentius in Spec. lib. 8. cap. 119. Pet. de Nat. lib. 8. cap. 51. & Baptiſta Mantuanus lib. 9. Faſt. Factum hoc eſt prorsùs ad Ethnicorum imitationem, apud quos Natalem Telluris ſolenni ceremonia obſeruatum fuiſſe, ex Arnobij libro ſeptimo contra Gentes intelligitur. Habuit etiam hoc Feſtum olim non Octauam, ſed Innocentius quartus Papa eam inſtituit circa annos Chriſti 1244. Vacante enim Romana Eccleſia per obitum Gregorij 9. Romani omnes Cardinales in quodam conclaui incluſerunt, vt citius prouideretur Eccleſiæ. Sed quum per plures dies concordare non potuiſſent, & ipſi à Romanis multas moleſtias ſuſtinuiſſent, Cardinales Mariæ vouerunt, ſi eius meritis concordarent, & abire liberè poſſent, Octauas ſuæ Natiuitatis celebrandas inſtituere velle. Sicque Cœleſtinum Papam elegerunt,

runt, & liberati ſunt, votûmque adimpleuit Innocentius quartus, quòd Cæleſtinus ſolùm 18. dies ſuperuixiſſet. Durandus Ration. lib. 7. cap. 28. Vincentij Continuator. Antoninus tit. 19 cap. 4. §. 6 Platina. Iacobus de Voragine in Lombardica hiſtoria. Gregorius XI. Natiuitatis Mariæ feſto Vigiliam addidit: Balaus in eius vita.

9. GORGONIVS *paſſus eſt apud Nicomediam ſub Diocletiano Imperatore. Cùm enim in maxima apud Imperatorem eſſet gratia & authoritate, Chriſtianam Religionem amplexus eſt Id verò Imperator moleſtiſſimè tulit, cúmque nec minis nec blanditiis ab inſtituto auocari poſſet Gorgonius, tandem in equuleo leuatur, & flagris vngulíſque toto corpore laniatur, & deinde aceto & ſale, nudatis ferè eius viſceribus, perfunditur, atque in craticula aſſatur. Vltimò laqueo ſuſpendi iubetur, & corpus eius canibus exponi, ſed à Chriſtianis honorificè ſepelitur 5. Idus Septemb. circa annum Domini 270. Anno autem 764. Epiſcopus Metenſis Nepos Pipini Regis ipſum in Gallias tranſtulit & in Gorgonienſi monaſterio collocauit. Pet. de Nat. lib. 8 cap. 55.*

10. HILARIVS *Papa, natione Sardus, Leoni primo in Pontificatu Romano ſucceſſit. Hic conſtituit, vt nullus Pontifex Succeſſorem ſibi ordinaret, & Baſilicas auro argentóque inſigniter exornauit. Quieuit in pace 4. Idus Sept.*

11. FELIX & REGVLA *ex Thebæa legione, martyrium paſſi ſunt Tiguri ob fidem in Chriſtum ſub Dioclet. & Maxim. Impp. Anno verò demùm 880. memoria eorum celebrari cæpit Feſto die. Cùm enim Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopus in honorem iſtorum Martyrum dedicaſſet Tiguri duo templa Maius nimirum & Sanctimonialium*, das Groß münſter vnd Frowvenmünſter*: decreuit ſimul eorum Natalem non ſolùm Tiguri, ſed etiam in vniuerſo Epiſcopatu Conſtantienſi celebrare quotannis 11. Sept. quo die paſſi fuerant anno Domini 281. Stumpfius in Chron. lib. 6. cap. 14. ex Ruperto monacho S. Galli qui eo tempore vixit. Aiunt, cùm capitis ſupplicium ſubiiſſent, Martyres capita ſua manibus geſtaſſe multos paſſus ad eum vſque locum vbi hodie maius templum Tiguri cernitur.*

12. GVIDO *Brabantenſis ex ædituo Mercator fit, & ex mercatore rurſus ædituus. Mox Romam & inde Hieroſolymam peregrinatus eſt. In reditu moleſtias multas perpeſſus eſt fame, ſiti frigore, & inedia, donec tandem labore & ſanguinis fluxu confectus eſt prid. Id. Sept. anno 1112. Surius.*

13. AMATVS *Presbyter & Abbas monaſterij Romerici fuit: migrauit ex hoc ſeculo Idibus Sept. P de Nat. lib. 8. cap. 74.*

EXALTATIONIS CRVCIS Feſtum. 14

Feſti huius orig.

N*Icephorus lib. 8. cap. 29. ſolus & ſine omni authore refert, Hieroſolymis cæpiſſe iuſſu Helenæ Feſtum Exaltationis Crucis circa annos 325. Quia verò ibi de inuenta ab Helena Cruce loquitur, putarim, ipſum per Exaltationem, nihil aliud quàm Inuentionem & Leuationem ſeu Eleuationem Crucis de loco illo ſubterraneo, vbi multos annos latuit, intelligere. Alioquin apud nullum authorem huius Feſti fit mentio antè annum Chriſti 600. Otto Friſingenſis autem lib. 5. cap. 9. Sigebertus, Harolaus, Iac. de Voragine, Petrus de Nat. lib. 8. cap. 76. Antoninus tit. 13. cap. 4. §. 3. Durandus in Rat. lib. 7. cap. 29. aliíque feſti huius inſtitutionem Heraclio Imp. circa annos 631. adſcribunt vnanimiter. Vnde & Feſtum Inuentionis Crucis maius eſſe Durandus dicit, quàm Exaltationis, propter authoritatem inſtituentis, quòd illud à Papa Euſebio, hoc verò ab Imperatore inſtitutum ſit. Hiſtoriam autem originis feſti huius ſic narrat Iacobus de Voragine in Lombardica hiſtoria, ſicut & Pet. de Nat. lib 8. cap. 76. Anno Domini 615. Coſroe Rex Perſarum omnia regna Orientis ſuo imperio ſubiugauit: Hieroſolymam autem veniens à ſepulchro Domini territus fugit, partem tamen Dominicæ Crucis, quam Helena ibi reliquerat, aſportauit. Volens autem ab omnibus coli vt Deus, turrim ex auro & argento, interlucentibus gemmis fecit: & ibidem Solis & Lunæ & Stellarum imagines collocauit. Per ſubtiles etiam & occultos ductus quaſi Deus aquam deſuper infundebat: & in ſubterraneo ſpecu equi quadrigas trahentes in circuitu ibant, vt quaſi turrim mouerent & tonitrua ſimularent. Filio igitur ſuo regno tradito, ipſe in turri reſidebat, & iuxta ſe Crucem Domini collocans appellari ab omnibus ſe Deum iubet. Et, ſicut legitur in lib. Mitrali de Officio, Coſroë in throno reſidens, tanquam pater lignum crucis ſibi à dextris collocauit loco filij, gallum à ſiniſtris loco Spiritus ſancti poſuit, ſe verò iuſſit patrem nominari. Tunc Heraclius Imp exercitum copioſum collegit, & contra filium Coſroe iuxta Danubium (atqui Danubius in Germania eſt) fluuium dimicaturus aduenit. Tandem vtriſque Principibus placuit, vt ſuper pontem ſoli confligerent, & qui victor exiſteret, ſine damno vtriúſque exercitus imperium vſurparet. At Heraclius totum ſe Deo obtulit, & ſanctæ Cruci deuotione qua potuit commendauit: Ei igitur victoriam Dominus obtulit, & hoſtilem exercitũ imperio ſuo ſubiugauit. Coſroë autem ignorabat exitum belli. Heraclius igitur ad eum veniens & in throno aureo eum ſedere reperiens, quum Chriſtianam Religionem recipere nollet, gladio eum interemit: turrim verò illam deſtruens, argentum in prædam exercitui dedit;*

dedit, aurum verò & gemmas ad reparandum Eccleſias quas tyrannus deſtruxerat, reſeruauit, & ſacram Crucem Hieroſolymam detulit. Cùm autem de monte Oliueti deſcendens per portam, quam Dominus paſſurus intrauerat, in equo Regio & Apparatu Imperiali ingredi vellet, repentè lapides portæ deſcenderunt, & inuicem quaſi paries ſe clauſerunt. Super quo cunctis ſtupentibus, Angelus Domini ſignum Crucis in manibus tenens, ſuper portam apparuit, dicens: Cùm Rex cælorum ad Paſſionem per hanc portam intraret, non cultu Regio, ſed humili Aſello ingrediens, humilitatis exemplum ſuis Cultoribus reliquit. Et his dictis Angelus diſparuit. Tunc Imperator lachrymis infuſus ſeipſum diſcalciauit, & veſtimenta vſque ad camiſiam exuit, Crucémque Domini accipiens ad portam humiliter baiulauit ſtatimque porta aperta eſt, & ipſe cum magna pompa exaltari Crucem fecit. Hæc ibi. Sed paulò aliter hæc in Breuiario Romano noua referuntur, vbi hæc leguntur. Heraclius Dei monitu exercitu comparato, ſigna cum hoſte contulit, ac tres duces Coſroe, qui Crucem Domini Hieroſolymis abreptam in Perſidem ſecum abſtulit, cum tribus exercitibus ſuperauit. Quibus cladibus fractus Coſroe, in fuga, quum traiicere Tigrim pararet, Medarſem Filium ſocium Regni deſignat. Sed eam contumeliam quum Sinochius Coſroe maior natu filius ægrè ferret, patri ſimul & fratri necem machinabatur, quam paulò poſt vtrique ex fuga retracto attulit: atque ita regnũ ab Heraclio impetrauit ea conditione, vt Crucem Chriſti Domini reſtitueret. Ergò Crux quatuordecim annis poſtquam venerat in poteſtatem Perſarum, recepta eſt. Eam rediens Hieroſolymam Heraclius ſolemni celebritate ſuis humeris retulit in eum montem quo eam Saluator tulerat. Heraclius verò vt erat auro & gemmis ornatus, inſiſtere coactus eſt in porta quæ ad Caluariæ montem ducebat: quã enim magis progredi conabatur, eò magis retinêri videbatur: cúmque ea re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias Hieroſolymorum Antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſto triumphali ornatu in Cruce ferenda, parum Ieſu Chriſti paupertatem & humilitatem imitêre. Tum Heraclius, abiecto ampliſſimo veſtitu, detractíſque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Caluariæ loco Crucem ſtatuit, vnde fuerat à Perſis aſportata. Itáque decretum eſt, vt quotannis Exaltationis Crucis memoria celebraretur quòd ibidem fuerat repoſita ab Heraclio, vbi Saluatori primum fuerat conſtituta. Hæc vtique narratio in plurimis à priori diſſentit, vt Lector facilè intelligit. Nam quod ad poſteriorem eius tantum partem attinet, Heraclius Crucem inferre in vrbem Hieroſol. voluit, ſecùndùm Lombardicam hiſtoriam & alios: iuxta Breuiarium autem Rom. ex vrbe in montem Caluariæ efferre voluit. Deinde porta, qua egredi voluit Diuinitùs clauſa eſt, vt Sigebertus ſcribit, & lapides concurrentes clauſerunt tranſitum vt Lombardica hiſtoria & Vincentius referunt: vel Imperator in ea immobilis ſubſtitit, non valens, licet conaretur, progredi. vt Breuiarium Rom. & Blondus referunt. Id autem cur fieret, cùm miraretur: Angelus (vt Lombardica hiſtoria, Sigebertus & Vincentius nugantur) ſeu Zacharias Epiſcopus, vt alij habent, ei cauſam indicauit. Genebrardus in ſuo Chronico dicit, Honorium I. circa annos 630. hoc feſtum inuexiſſe in Occidentem.

Hac die Exaltationis ſingulis annis Crux à populo adoratur Romæ quam ex ligni eius ineffabili portione compoſitam Sergius I. Papa circa annos Chriſti 690. in ſacrario Petri inuenit Romæ in capſa argentea, lapidibus precioſis ornatã, eámque in baſilica Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, repoſuit, vt Nauclerus indicat Generat. 24. & Durandus in Rat. lib. 7. cap. 29. Antoninus etiam tit. 13. cap. 1. §. 6. Feſti honoratio.

Mirum autem videri alicui poſſet, vnde tam ineffabilis portio, vt Antoninus loquitur, Dominicæ Crucis Romam peruenerit, vbi vſque ad Sergij tempora abſcondita fuerit? Platina dicit, Conſtantinum M. Baſilicam ædificaſſe in atrio Seſſoriano, ſub titulo S. Crucis in Hieruſalem, ibíque partem Crucis ab Helena matre inuentæ repoſuiſſe. At ſuprà audiuimus, Sergium ineffabilem portionem Crucis non in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem, ſed in Conſtantiniana, quam hodiè Lateranenſem vocant, inueniſſe. Adhæc falſum eſt quod Platina dicit, Cõſtantinum partem S. Crucis in hoc templo Romæ repoſuiſſe. Intelligitur hoc ex Socrate, qui cùm libro primo cap. 17. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inuentionem Crucis deſcripſiſſet, tandem hæc ſubiungit: Crucis portionem, inquit, vnam thecæ argenteæ incluſam, ad memoriam illic (Hieroſolymis) viſere volentibus reliquit Helena: alteram autem Imperatori miſit, quam ille acceptam, credens eam ciuitatem fore ſaluam, vbi portio Crucis aſſeruaretur, in ſua ipſius ſtatua condidit, quæ Conſtantinopoli [non Romæ] in foro, quod Conſtantini dicitur, in purpurea ac magna columna conſiſtit. Petrus de Natalibus etiam lib. 8. cap. 76. indicat, Helenam inuentam Hieroſolymis Crucem per medium diſſecuiſſe, vt vnam partem ſecum Conſtantinopolim transferret, alteram verò Hieroſolymis in thecis argenteis reſeruaret: tertiæ partis Romam tranſlatæ nullam facit mentionem. Vnde Crux Romam peruenerit.

NICOMEDES*, pro quo in vulgatis Calendariis* NICODEMVS *ponitur, Petri Apoſtoli Diſcipulus, eiúſque in prædicatione Adiutor fuit. Comprahenſus eſt autem à Flacca Comite, quòd Feliculam martyrem ſepeliſſet & tandiu plumbatis cæſus, donec expiraret: quod factum eſt 17. Cal. Oct. ſub Domitiano Imp. vt refert Pet. de Natal. lib. 8. cap. 82.* 15.

EVPHEMIA

Digitized by Google

16. EVPHEMIA *Virgo, filia Senatoris Chalcedonenſis, poſt multos & horribiles cruciatus, quos propter Chriſtum ſuſtinuit, tandem vrſi morſu expirauit: Pet. de Natal. lib. 8. cap. 84. Factum 16. Cal. Octob. ſub Dioclet. Imp.*

LAMBERTVS *Traiectenſium Epiſcopus, quum Pipini primi Nepotis, amores illicitos aliáque aulæ ſcelera liberius reprahenderet, pellice Principis procurante interficitur 15. Oct. anno 698. Anno verò 1240. Robertus Leodienſium Epiſcopus à generali capitulo Ordinis Ciſtercienſis obtinuit, vt per vniuerſum illum Ordinem ſingulis annis Lamberti martyris Feſtum ſolenniter celebraretur, de quo antea ſimplex tantùm fiebat commemoratio. Catalogus Tungrenſium Epiſcoporum.*

18. FERREOLVS *in Auernia natus, quum Diis ſacrifi care nollet, confeſtim Vienna in Chriſti confeſſione capite caſus eſt 14. Cal. Octob. Pet. de Natal. lib. 8. cap. 91.*

19. IANVARIVS *Epiſcopus Beneuenti, ſub Diocletiano & Maxim. Impp. ad Timotheum Campaniæ Præſidem ob Chriſtianæ fidei profeſſionem Nolam perducitur: ibi quum eius conſtantia variè tentata fuiſſet, ſed fruſtrà, tandem Præſes veritus Imperatorum decreta lege protinus agere lictorem iubet, atque ita Ianuarius gladio percuſſus martyrij coronam adeptus eſt 13. Cal. Oct. Eius corpus primò Beneuentum, inde ad monaſterium Montis Virginis delatum, & in cathedrali Eccleſia conditum eſt tandem Neapoli Alex. 6. Pont.*

20. FAVSTA *Virgo apud Cyzicum annorum 14. paſſa eſt martyrium propter Chriſtum 12. Cal. Octob. Pet. de Nat. lib. 8. cap. 97.*

21. MATTHÆVS *Apoſtolus quis fuerit ex Euangelica hiſtoria notum eſt. In Iulio Africano, qui nuper ſub Abdiæ nomine prodiit, narratur, Matthæum Naddauer Æthiopiæ vrbem maximam veniſſe, ibique duos magos Zaroen & Arphaxat, confudiſſe: laſos ab ipſis homines ſanaſſe: duos ipſorum dracones, quibus ſtipati in vrbem venerint, ſopiſſe: & rurſus excitatos, iuſſiſſe manſuetè vrbe excedere: Regis Æglippi filium excitaſſe, eóque miraculo Regem, totúmque regnum conuertiſſe, ibique Eunuchum Reginæ Candaces, de quo in Actis legitur inueniſſe. Denique ab Hyrtaco Rege, qui Æglippo ſucceſſerat, capite truncatum, quòd diceret, Ephigeniam Æglippi filiam Chriſto dicatam, nec licere eam ducere vxorem. Multa alia ibidem de S. Matthæo leguntur, quæ totam narrationem ſuſpectam faciant, & arguunt poſteriori tempore ab aliquo confictam eſſe. Nam talia ei tribuuntur, quæ ab hiſtoria eius Euangelica prorsùs diſcrepant. Niceph. lib. 2. cap. 41. Matthæi hiſtoriam aliter recitat: quòd apud Anthropophagos, in ciuitate Myrmena docuerit, ac clauis denique in terram defixus ſit. Verùm & hic plurima ſuperſtitioſa, quæque cum priori narratione ex diametro pugnant, referuntur: nec putamus Lectorem iis legendis defatigandum eſſe.*

22. MAVRITIVS *dux fuit eius legionis, quæ Thebæa dicebatur: venit cum legione ſua ex Syria in Italiam euocatus à Maximino, occaſione ducendæ expeditionis contra Bagandas rebelles: ſeu inſidiis potiùs tyranni, qui in iſtis partibus ſæuiri faciliùs poſſe in Chriſtianos, quàm in Oriente putabat. Exercitum deinde Imperatoris per Alpes in Galliam ſequuti ſunt. Cúmque caſtra non procul ab oppido Octoduro haberet Imperator, Diis ſuis ſacrum inſtituit, conuocauitque ad id totum exercitum: ſeriò mandans, per Deorum aras iurarent, pugnare velle ſe & contra Bagandas rebelles, & Chriſtianos Diis Imperatoris inimicos perſequi. Nunciatur mandatum Imperatoris Thebano quóque exercitui, qui ad Rhodanum, in loco quem Agaunum dixere conſederat, ſed Octodurum accedere non vult: ſinguli enim ſecum certò ſecum conſtituerunt, malle ſe eo loci extingui: quàm aut Diis ſacrificare aut contra Chriſtianos arma ſumere. Quod etiam animo intrepido Maximino accerſenti eos, ſacramenti militaris nomine & religione, reſpondent. Ibi tum ira percitus tyrannus, decimum quémque eius legionis gladio cædi iuſſit: cui illi certatim ingenti cum lætitia ceruices obiecere ſuas. Rurſus autem accerſiti, Imperatori iuſſerunt reſponderi, ſuſcepiſſe ſe arma pro Reipub. defenſione, non aduerſus Chriſtianos. Iubet igitur ad ſupplicium poſtulari tyrannus iterum decimum quémque. Cùm verò nec tum de ſententia ſua cederent Chriſtianiſſimi milites, immiſit in legionem exercitum ſuum omnem Maximinus, ac cinctam vndiquáque iugulauit 10. Cal. Octob. Pet. de Natal. lib 8. cap. 103. Vincentius lib. 12. cap. 2.*

23. TECLA *colitur 23. Sept. quod B. Mantuanus his verbis teſtatur lib. 8. Faſt.*

Mauritio vicina dies natalia Tecla
Feſta colit.

Iconij nata & ab Apoſtolo Paulo ad Chriſtum conuerſa eſt, propter quem cùm multos & horribiles cruciatus ſuſtinuiſſet, tandem à Proconſule libera dimittitur, & apud Seleuciam, vbi progreſſu temporis extructum ei fuit templum, in pace moritur 9. Cal. Octob.

24. ROPERTVS *in vulgatis Calendariis ponitur ad diem 24. Septemb. cum mortuus ſit 27. Martij. Fuit is regio Francorum genere natus, & doctrina Chriſtiana Preco. Ad Theodonem Boiorum Regem Ethnicam venit, vt eum ad Chriſtum conuerteret. Aulici verò eius ſuadebant, auitas ceremonias nequaquam eſſe deſerendas, quæ ipſis tot victorias peperiſſent: Chriſtianam Religionem eſſe nouam, &c. Ropertus videns ſe fruſtra ſumere laborem, domum redit. Poſtea quum Theodoretus Franciæ Rex Reginedrudam filiam ſuam*

Theodoni 3. Boiorum Duci elocaſſet, iuſſit Ropertum denuò ad Boios iter facere, quos etiam cum Duce ad fidem Chriſtianam conuertit. Auentinus lib. 3. Annalium.

25. CLEOPHAS, *vt Pet. de Natal. teſtatur lib. 8. cap. 118. ex Adonis martyrologio, ſumpto ex Hieronymi ſcriptis & Chronicis antiquis; fuit vnus ex 72. Diſcipulis Chriſti, & alter illorum quibus Dominus Emauntem euntibus in die Reſurrectionis ſua apparuit: qui etiam in illa ipſa domo Caſtelli huius, in qua menſam Domino parauerunt, poſt Diſcipulorum diſperſionem, propter Chriſtum occiſus eſt 7. Cal. Oct. Vnde ſic Baptiſta Mantuan. lib. 8. Faſt. canit:*

Septimus Octobris cùm Lucifer ante Colendas
Naſcitur, ardentes Cleopham veneramur ad aras.

26. CYPRIANVS *ad Epiſcopatum Carthaginenſem è ſchala Rhetorum & communi vita vocatus ſanctimonia & eloquentia clariſſimus fuit. Sub Decio & deinde ſub Voluſiano Impp. propter Chriſtianiſmum in exilium actus, deinde reuocatus, cum ſub Valeriano & Galieno Impp. edictum quo capite cadendus decernebatur, audiſſet, Deo gratias egit, nihil præ ſe ferens triſtitiæ. Deinde ſuis mandauit, vt carnifici, à quo percutiendus erat, 25. aureos mercedi darent, quaſi beneficium ab eo, non interitum accepturus. Itáque oculos ipſe ſudario tegens, extẽſam ceruicem gladio ſubiecit, & martyrij coronam accepit anno 249. Dies obitus eius in vulgatis Calendariis ponitur ad 26. diem Sept. quum paſſus ſit iuxta Pet. de Natal. & alios 18. Cal. Oct. Baptiſta Mantuanus quoq; de eo ſic canit lib. 8. Faſt.*

Lux tua Septembris lux eſt bis ſeptima, quãdo
Dicitur illuſtri Crux exaltata triumpho.

De feſto autem Cypriani in Africis eccleſiis circa annos Chriſti 430. obſeruato, extat Auguſtini teſtimonium in lib de Gratia Noui Teſtamenti cap. 5. Memorat etiam Euagrius lib. 4. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 16. ex lib. 3. Procopij de bello Vuandalico. vniuerſos Carthaginenſes Cyprianum tanquam virum ſanctũ coluiſſe, & apud eos ante muros vrbis duo templa fuiſſe Cypriani: vnum, eo in loco vbi interfectus ſit alterum vbi corpus eius ſepultum. Addit Euagrius loco citato, Carthaginenſes hoc Feſtum Cyprianicum appellaſſe, quòd anniuerſariis ſacris, præter cultus alios quos ei exhibuerũt, ſumma Religione peregerint. Nautas autem Hyemem feſtum illud cognominare conſueuiſſe eò quòd in id tempus, quo Lybies Feſtum illum diem perpetua lege celebrare ſtatuerunt, hyems inciderit.

27. COSMAS & DAMIANVS *Fratres Arabes, in Ægea vrbe nati, nobiles Medici fuerunt ſub Diocletiano & Maximiano Impp. Eorum religionem cùm Lyſias Præfectus cognouiſſet, adduci eos ad ſe iubet, ac Deos venerari eis imperat, id ſi recuſent, cruciatus & necem minatur. Vt verò conſtantes eos in ſuo propoſito manere videt, Colligate, inquit, manus & pedes iſtorum, eóſque exquiſitis torquete ſuppliciis. Quibus iuſſa exſequentibus, nihilominus Coſmas & Damianus in ſententia perſiſtebant. Quare ſecuri eos percuti iubet, & ſic martyrij coronam acceperunt 5. Cal. Octob. vt legitur in Breuiario Rom. nouo. & Bapt. Mantuana lib. 8. Faſt.*

WENCESLAVS *Dux fuit Bohemiæ, & Chriſtianæ Religionis amantiſſimus, ob quam etiam interfectus eſt. In commemorando autem eius martyrio Pet. à Natal. lib. 8. cap. 127. turpiſſimè fœdiſſiméque lapſus eſt. Necem enim Vuenceſlai in Henricum Imp. quem dicit gentilem fuiſſe transfert, ſic inquiens: Vuenceſlaus Dux Bohemiæ tempori Henrici Imp. martyrium paſſus eſt. Cùm enim vocatis Principibus & Baronibus cunctis ad curiam Imperatoris fratris ſui germani ipſe poſtremus omnium adueniſſet, & alij Principes indignati locum ei ad ſedendum dare nullatenus decreuiſſent, ſtatim vt aulam intrauit Imperator aſſurgens. ipſum præ cæteris honorauit: ab eo etiam adhuc gentile ad conuiuium in dolo inuitatus eſt: & licet Cæſar eum honoraſſet ipſum tamen vt Chriſtianiſſimũ oderat: vnde cum Vuenceſlaus poſt prandium ex more ad Eccleſiam pergeret, cum Imperator cum turba gentilium inſecutus eſt. ipſúmque ante Eccleſiæ fores procumbentem occidi fecit. Huic narrationi tria inſunt falſiſſima. Primum eſt, quòd Imperatorem Henricum Ethnicum & Gentilem vocat. Quis enim Henricus ex Imperatoribus vnquam Gentilis fuit? Alterum, quòd Vuenceſlaum fratrem Imperatoris nominat: quũ vera hiſtoria narrent, Vuenceſlai patrem fuiſſe Vratiſlaum, à quo nullus Henricorum genitus eſt, & habuiſſe fratrem Boleſlaum. Tertium eſt, quòd ea Imp. Henrico tribuit ſoli, quæ partim Othoni Imp. partim verò Boleſlao adſcribenda ſunt. Sic enim Ioan. Dubrauius Epiſcopus Olomuncenſis li. 4. & 5. hiſtoriæ Bohemicæ ſcribit: Otho tunc regnabat, quo Germanorum primus coronam Cæſaream legitimè ſibi traditam in Germaniam intulit. Is Otho aliquando diem deliberandi cauſa ad conueniendum Principibus Vuormotiam edixerat: quo vbi Vuenceſlaus quóque euocatus fuiſſet, poſtridiè cùm ſolenne Sacrificium cunctantius Sacerdos facit, venit ipſe quóque cunctantius in Curiam. Quam moram quaſi ex ambitione natam, Principes adeò ægrè tulerunt, vt conſpirarint, ne quis ipſorum venienti aſſurgeret, aut ſupra ſe locum conſidendi daret, perſuaſúmque eſt etiam Cæſari. Sed Cæſar venienti aſſurgit, & aſſidere ſibi eum iubet, &c. Domum reuerſus Vuenceſlaus, inuitatur à fratre Boleſlao Praſi iſ⸗itur in Boleſlauiam ad fratrem, quúmque fortè in templo precibus intentus eſſet, ecce inuadit Boleſlaus* 28.

fratrem

fratrem inermem,patientérque plagam excipientem interficit 4.Cal.Octob.

S. MICHAELIS ET OMNIVM ANGELORVM Feſtum, quod Germani die Engelweyhe vocant.

MIchaelis archangeli Solennitatem vocant Dedicationem. *Dicitur autem ſic quòd hac die templum eius in monte Gargano ſibi dedicatum fuiſſe Michaelem reuelaſſe nugantur. Cùm enim,vt diximus 8.Id. May , archangelus Michael in monte Gargano Sipontinis contra Neapolitanas victoriam miraculosè contuliſſet, Sipontini quóque ante os ſpelunca,vbi Archangelus apparuerat, quotidiè orationibus vacarent, Sipontini adhuc dubitabant an prædictum locum ingredi vel dedicare auderent. Tunc Epiſcopus cenſuit ſuper his Romanum Pontificem conſulendum qui ſuper hoc requirendam decreuit Archaageli voluntatem. Inſtantibus erga cunctis triduo ieiunio,apparuit hac die Michael Angelus Epiſcopo; dixitque non eſſe opus Eccleſiam quam ipſe ædificarit dedicari, ſe enim, qui condiderit,etiam conſecraſſe:præcepitque vt die ſequenti ingrediens diuina celebraret myſteria. Mane igitur facto, Epiſcopus cum omni populo ingreſſus in antrum inuenit in eo excifam amplitudinem magnam,& in ea altaria tria, fontem quóque cum ſtillante è petra aqua dulciſſima,& vas vitreum pénſile ex catena argentea: quo aſcendentes iam homines bibunt inde. Epiſcopus quod reliquum erat adiunxit & fabricari cuſſit,Miniſtros etiam inſtituit ad cultum Diuinum.Nemo tamen ante lucem audet ingredi templum.His omnibus auditis,Papa diem illum, nimirum 3. Cal. Octob. quo hac facta fuerunt Sanctum inſtituit,& religiosè per totum orbem terrarum obſeruari præcepit in honorem S. Michaelis & omnium Angelorum. Narrant hac Lābardica hiſtoria,Pet.de Natal.lib.8.cap.130. Eccius tomo 3.homiliarum, & Surius tomo 5. de Vitis Sanctarum.Sed fabuloſa videntur,& conficta ab hominibus ſuperſtitioſis ad ſtabiliendum cultum Angelorum non ſolùm à Deo, ſed venerandа quoque antiquitate damnatum, vt ſuprà 8.Idus May indicauimus. Lombardica hiſtoria facta hac vult ſub Pelagio qui Pontificiam ſellam obtinuit circa annos Chriſti 560. non anno 390.vt illa aſſerit.Matth.Dreſſerus autem facta dicit ſub Felice Pontifice Rom.circa annum Domini 480.Horalanus verò in Calendario Eccleſiaſtico ſub Anaſtaſia Imp. & Anaſtaſia Rom. Pontifice circa annum 500. Et quoniam Michael angelus in Gargano monte apparuit,& locum ſibi in alto elegit,ideò et vbique ferè terrarum in editis locis Baſilica & templa conſtituuntur:Sanctis verò quaſi hominibus in ima templa dedicantur.Beleth in Rationali capite 154.*

VRSVS & VICTOR *ex Thebaa fuerunt legione: capitis ſupplicium paſſi ſunt Salodori nunc vrbe Heluetia, prid. Cal. Octob. vt Ado refert in Martyrologio.*

HIERONIMVS *Stridonenſis & Dalmata fuit: Parentes habuit tenuis fortuna. à quibus tamen in pietatis & literarum rudimentis inſtitutus eſt.Inde Romam profectus ibi baptizatus & liberalibus diſciplinis excultus fuit.Roma relicta peregrinationes varias ſuſcepit cum Bonaſo: ac perluſtrata Gallia in Syriam abiit: inde verò per Epiphanium Cypri & Paulinum Antiochia Epiſcopos Romam ob Eccleſia neceſſitates retractus eſt: ſúmque Presbyteri dignitatem ibi accepit,quod nomen ipſe multis in locis agnoſcit Cardinalem eum Roma factum, vt Cyrillus quidam nugatur.falſiſſimum eſt,cùm eo tēpore ne nomen quidem Cardinalis notum fuerit. Cùm verò calumniis & inuidia multarum Roma premeretur,Syriam repetiit, nobilibus Romanis Matronis nonnullis eum inſequentibus, & Bethleem tandem ſedem ſenectutis ſua elegit, ibique mortuus eſt annos natus 91. Prid. Cal. Octob.Chriſti anno 422. iuxta Proſperi Chronicon.Poſt tempus aliquod corpus eius cum Saluatoris Præſepio Romam tranſlatum eſt 7. Id. Ma. Reiectus deinde eſt dies hic in vigiliam Aſcenſionis à Pio 2.vt feſtiuius ac frequentius ageretur.plenaria ſepulchrum eius illo die adeuntibus criminum indulgentia condonata:vt habetur in eius vita apud Surium.*

OTTO II. *Bambergenſis Epiſcopus in Deorum numerum adſcriptus eſt per Clementem 3.Papam anno Domini 1189. & mandauit vt prid.Cal.Octob.Feſtum eius celebretur.Chronic. Bamb.*

OCTOBER.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ menſe OCTOBRI à Chriſtianis celebrantur.

REMIGIVS *natus fuit Landuni in Gallia,vbi ſtudiis diligenter in quodam Muſæo vocauit: vnde factum, vt ſuperſtitioſi ſcriptores eum ſolitariam ſeu monaſticam vitam amplexum eſſe finxerint. Mortuo Remenſium Epiſcopo Bernadio, totius populi ſuffragio in eius locum eligitur anno ætatis ſua 22. quòd ipſius pietas & doctrina in illa iam ætate famam ipſi peperiſſet. In hoc munere Francorum gentem vniuerſam, cum Rege Cladoueo ad fidem Chriſti: adduxit quam ob cauſam Francorum Apoſtolus & Patronus ab Hincmaro nominatur. Cùm annos 74. & amplius Remenſem rexiſſet Eccleſiam, mortuus eſt anno ætatis 96.Idibus Ianuarij, vt Hincmarus annotat, & ſepultus in Eccleſiolâ S. Chriſt. phori:*

Vbi ampliata poſtea Eccleſia, in nouam cryptam corpus eius tranſlatum fuit Calend. Octob. vnde etiam memoria eius hoc die celebratur.

2 LEODEGARIVS *Parentibus Nobilibus ortus ab ineunte ætate Didonis Pictavienſis Epiſcopi Diſcipulus fuit, à quo etiam Archidiaconus eſt ordinatus. Propter pietatem autem & prudentiam inſignem Clotarius Francorum Rex eum ad ſe in Regiam vocauit, nec multo poſt Auguſtodunenſi Epiſcopatui præficitur. Mortuo Clotario, effecit vt Childericus ei in regno ſuccederet: quare Ebroinum, aulæ Magiſtrum, & hominem ſceleratiſſimum, tam malè habuit, vt, defuncto Childerico, Leodegarium poſt diuturnam famem, & carceris ſqualorem, & oculorum euulſionem plantarum conciſionem, & linguæ ac labiorum amputationem, gladio tandem ferire iuſſerit. Factum circa annos Chriſti 680. 6. Non. Octob. Adon Viennen. ætate 6. Vincentius lib. 23. cap. 124. & 125. Sigeb. Pet. de Natalibus lib. 9. cap. 13.*

3 CRISPVS *Pauli fuit Diſcipulus: eius mentio ſit Act. 18. cap. obdormiuit in pace Corinthi. Adon: Pet. à Notal. lib. 9. cap 17.*

4 FRANCISCVS *Aſſiſij, vallis Spoletanæ ciuitate natus, Minoritarum ſectæ Fundatar & Author fuit. In patria literis operam dedit: cúmque in iis mediocriter profeciſſet, animum mercaturæ adiecit, tanquam vitæ generi quæſtuoſo. Affluentibus verò opibus inſolentior factus, profanam luxurioſam, & ſceleratam prorsùs vitam egit. Cúmque ad annum vſque ætatis 25. in omni vitiorum ac ſcelerum genere vixiſſet, tandem ad monachiſmum animum adiecit, regulámque pro Minoritis conſcripſit, quam Innocentius 3. approbauit: quod tamen alij Honorio 3. tribuunt. Mortuus eſt anno Chriſti 1226. 4. Non. Octob Referunt eum ante mortem in ecſtaſi cum Chriſto commiſſum atque compoſitum totidem plagis & ſtigmatibus, iiſdémque in locis à Chriſto compunctum fuiſſe. quot & in quibus Chriſtus in cruce pendens affectus fuerit, ob eámque cauſam per ſummam blaſphemiam Ieſum typicum eum appellant. In numerum Sanctorum Pontificiorum relatus eſt à Gregorio 9. anno Domini 1228. 17. Cal. Aug. & Feſtum eius celebrari mandatum die quo obiit. Gerardus Odonis Minoritarum generalis circa annos Chriſti 1330. ſcripſit Officium ſtigmatum Franciſci, quorum memoria olim celebrabatur in eius feſto. At Benedictus 12. Feſtum peculiare Stigmatum Franciſci toti ſuo ordini celebrandum conceſſit: Balæo authore Cent. 5. cap. 42. in Appendice ex libro Conformitatum Barthol. Piſani. Idem refert Cent. 7. cap. 22. in Appendice, Alexandrum 5 Franciſcanum de ſui Franciſci Stigmatibus bullas feciſſe, vt inter Chriſtianæ fidei articulos haberentur: ac ſolenne eorum Feſtum, quo venerarentur à fidelibus, ordinaſſe.*

PETRONIVS *Epiſcop. fuit Bononienſis, ſub Theodoſio Iuniore Imp. mortuus eſt 4. Non. Oct. Eius corpus ciuitati ignotum, Innocentio 2. Pontifice inuentum eſt, dum reliquias Henricus Epiſc. recenſeret, quas in ea Eccleſia extare à Maioribus traditum erat: Inuento autem eius corpore, ſancitum eſt, vt quo die illius obitus, eodem etiam coleretur inuentio, biennij indulgentia in octo ſequentes dies conceſſa. Quam ob cauſam canonicarum horarum officium, iam inde ab eo tempore in eius honorem inſtitutum, illis octo diebus perpetuò celebrat Bononienſis eccleſia. Carolus Sigonius in Vita Petronij apud Surium tomo 5. de Vitis Sanctorum.*

CONSTANS *Monachus Thebaidis martyrium paſſus eſt ſub Diocletiano & Maxim. Imp. circa annos Chriſti 286.* 5

FIDES *Virgo Agenenſis ciuitatis, quòd nollet ad imperium Daciani Præſidis Diis Ethnicis ſacrificare. ſuper cratem æream diuaricatis membris extenſa, & ſubſtratis carbonibus. flammiſque adipe iniecto, illæſa euaſit. Poſt multos tandem & diros alios cruciatus quos pro Chriſto ſuſtinuit capite tandem cæſa eſt prid. Non. Oct. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 26.* 6

BRVNONEM *Carthuſianorum Patriarcham canonizauit Leo 10. decreuitque, vt in ſingulis monaſteriis totius ordinis Carthuſienſis, & eorum eccleſiis ſiue ſacellis Feſtum eius ſingulis annis die 6. Octob. quo deceſſit è vita, colatur: conueniens etiam officium in honore eius agatur & decantetur; nec non quotidiè in Miſſa commemoratio eius fiat.*

SERGIVS *Primicerius fuit Maximiani Imp. miles Præclarus & Imperatori dilectus. Cùm autem Idolis ſacrificare recuſaret, capite cæſus eſt Non. Octob Pet de Natalibus lib. 9 cap. 29.* 7

PELAGIA *Antiochena Fœmina ditiſſima, ſed animo & corpore vana primò fuit Pœnitens autem Hieroſolymam abiit virili habitu, vbi vſque ad mortem perſeuerantis pro viro à cunctis habita: quum autem eam ſepelire vellent, fœminam fuiſſe deprehenderunt. Mortua eſt 8. Id Octob. circa annos Domini 280. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 36.* 8

DIONYSIVS *Athenienſis, vnus ex Areopagi iudicibus à Paulo ad Chriſti fidem conuerſus fuit. Veniens Romam à Clemente Epiſcopo miſſus dicitur in Galliam vt ibi Euangelium prædicaret. Eum Lutetiam Pariſiorum vſque Ruſticus Presbyter & Eleutherius Diaconus profecti ſunt: vbi à Feſcennio Præfecto, quòd multos ad Chriſtum conuertiſſet, ipſe cum ſociis virgis cæſus eſt: deinde, quòd Chriſtum prædicare pergeret, in craticulam ſubiectu igne iniicitur, variiſque ſuppliciis cum ſociis cruciatur: tandem annum ætatis agens 90. cum reliquis ſecuri percutitur 7. Id. Octob. Referunt eum abſciſſum ſuum caput ſuſtuliſſe. &*

progreſſum

Digitized by Google

progreſſum ad duo millia paſſuum in manibus geſtaſſe: à loco nimirum qui mons matyrum vocatur, vſque ad eum locum vbi nunc quieſcere dicitur Pet. de Natal. lib. 9. cap. 41.

Minoritarum Ordo impetrauit à Leone 10. *Pontifice M. vt Franciſcanis 7. illis qui à Sarracenis occiſi fuerant anno Domini* 1221. *liceret ſibi quotannis intra Octauas Franciſci, Solennes Ferias agere Reliſique Pontifex eos in numerum martyrum, eorúmque Feſtum celebrandum inſtituit ipſis feriis S. Dionyſij quòd tum lectiones ſuperſint, quia ex Franciſci vita recitantur. Publicatum eſt hoc Rotomagi in Capitulo generali Fratrum de Obſeruantia. Surius tomo 5. de Vitis Sanctorum.*

CLEMENTI II. *Pontifici Max. Leo 9. Papa diem etiam hunc per totum Epiſcopatum Bambergenſem dicatum eſſe iuſſit, quòd ante Pontificatum Epiſcopus ibi fuiſſet. Hiſtoria Bambergen. ex epiſtola Leonis ad Harduuicum Epiſcopum.*

10. GEREON *Martyr cum ſociis 318. militibus in campo apud Coloniam Agrippinam ad vnum omnes propter Chriſtum miſerè trucidati ſunt ſub Maximiano Imp. 6. Id. Octob. Pet. de Natal. lib. 9. cap. 47.*

11. BVRCKHARDVS *Anglus à Bonifacio conſanguineo ſuo in Germaniam vocatur, vbi Thuringos & Heſſos ad Papiſmum conuertit: tandem à conſanguinea Epiſcopus Herbipolenſis ordinatur anno Domini 748. eique muneri annos 43. præfuit. Author fuit, quòd Zacharias Papa Pipinum Regem Francorum pronuntiauit: cuius beneficij memor Pipinus ducatus Oſtrofrancorum adminiſtrationem Burckhardo & omnibus eius Succeſſoribus donauit anno Domini 752. vt Trithemius indicat in Epitome Francorum, Annales Francorum, & Valentinus Munzer in Chronographia, ætate 6. Obiit anno 791. 5. Id. Octob. In vigilia S. Burckhardi paſſim per Germaniam anſere veſcuntur. qui ab id Burckardinus appellatur: fortè quòd hoc tempore pinguefacti anſeres maturi videantur vel vt memoria Burckhardi hoc ritu ſeruetur.*

12. WILFRIDVS *Rippanenſis, in Anglia Papiſmum ſtrenuè propagauit, & ab id Eboracenſis Epiſcopus creatus eſt. Mortuus verò anno Chriſti 710. 4. Id. Octob.*

13. COLMANNVS *Lindisfarnenſis in Anglia Epiſcopus fuit, ea tamen ſede ceſſit ſpontè, quòd ritum celebrandi Paſcha Romano more, tonſuram Clericorum, & alias ſuperſtitiones Papiſticas recipere noluit. Mortuus eſt 3. Id. Octob. Beda.*

14. CALIXTVS I. *Papa conſtituit ieiunium die Sabbathi ter in anno fieri: frumenti, vini, & olei Iuxta quatuor etiam anni tempora, quatuor indixit eccleſia ieiunia, & in iis præcepit ordinationes fieri, quod hactenus menſe tantùm Decembri factum fuerat. Prohibuit, ne in accuſatione Presbyterorum infames & ſuſpecti admitterentur: & hæreticos eos declarauit, qui dicunt, Sacerdotes poſt lapſum ſi dignam egerint pœnitentiam, non poſſe redire ad priſtinos honores. Demùm Alexandri Seueri Imp. iuſſu, anno Domini 226. capitur fuſtibus cæditur, in carcerem recluditur, è feneſtra præcipitatur, corpúſque eius in puteum profundum demergitur, ſed inde extractum ſepelitur prid. Id. Octob. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 62. Platina alij.*

PLACIDIA *filia fuit Valentiniani Imp. & Eudoxia Filia Theodoſij Imp. M. Hieroſolyma, quo Sacrorum locorum luſtrandorum cauſa profectus fuerat, rediens, in itinere Verona obiit Idibus Octob. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 70.* 15.

HEDVVIGÆ *etiam Poloniæ Duciſſæ hoc die Feſtum celebratur mandato Clementis 4. Pontificis Max. qui eam canonizauit anno Do. 1268. Vincentij Continuator. Crantzius lib. 8. cap. 39. Metrop. & Trithemius.*

GALLVS *Scotus, anno Chriſti 566. iuxta Sigebertum, relicta patria, & cœnobio Bannocharenſi, in quo à Congello in vera pietate inſtitutus fuerat, in Burgundiam venit, & Luxonienſe cœnobium in Vaſaga monte extruxit, ac in illis locis circiter 48. annos Euangelium fideliter prædicauit. Inde verò pulſus, per Heluetiorum & Alemannorum fines ad Brigantinum lacum peruenit anno Chriſti 614. vbi idola deſtruxit, Eccleſiam collegit. Tandem ad Epiſcopatum Conſtantienſem vocatur, ſed alium ei functioni præficit, ipſe verò apud Heluetios in Eremo cellulam extruxit circa annum Domini 630. quæ progreſſu temporis in celeberrimum monaſterium commutata eſt. Ipſe verò ibidem reliquum vitæ ſuæ tranſegit, & mortuus eſt 17. Calend. Nou. anno ætatis 95. Circa annos demùm 1483. eleuatus & in Catalogum relatus eſt Deorum Papiſticorum. Stumpfius Annal. Heluet. lib. 5. cap 4.* 16.

LVCINA *Nobilis Matrona Romæ, tempore Diocletiani Imp. & Maximiani multorum martyrum corpora in prædia ſuo ſepeliuit, & pauperibus Chriſtianis multa de ſuis opibus dedit. Audientes hæc Imperatores, ipſam proſcriptione damnarunt: mortua eſt in exilio. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 28.* 17.

LVCAS *Euangeliſta fuit vnus ex 70. Chriſti Diſcipulis, vel iuxta alios Apoſtolorum Diſcipulus, Antiochenus, Græci ſermonis peritiſſimus, ſectator Apoſtoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Medicum eum ante conuerſionem fuiſſe ex Paulo ad Coloſſ. 4. intelligitur. Quod pictorem eum nonnulli faciunt, vt qui imagines Chriſti & Mariæ pinxerit quæ adhuc Romæ monſtrantur, fabuloſum eſt. Nam Chriſtum & eius Matrem orationis & eloquentia ſua, qua cæteris omnibus præſtare* 18.

viſus eſt,coloribus depinxit:alio autem modo eos depingere certè illi non fuit otium. Vixit 84. annos,uxorem non habens. In Bithynia poſtremò docuit.

> *Atque ibi poſt decimam cum lux octoua pruinis*
> *Spargeret Octobrem, gelidóque aſcenderet ortu*
> *In placidam lapſus migrauit ad athera mortem,*

vt Montuanus canit. Sepultus eſt Conſtantinopoli. ad quam vrbem Conſtantij Imp. 20. anno oſſa eius cum reliquiis Andrea Apoſtoli tranſlata ſunt de Achaia 5. Non. Mar. atque ibi magna cum ſolennitate collocata in magno Sanctorum Apoſtolorum templo. Theodorus Lector lib. 2. Collect. Plotina in vita Cleti. Euſebius lib. 3. cap. 4. eadem ferè habet. Nicephorus lib. 2. cap. 43. dicit, cum in Gracia de olea ſuſpenſum fuiſſe. Patauini hodiè gloriantur ſe eius oſſa habere in Cathedrali templo S. Iuſtina.

19. PTOLEMÆVS *ſub Antonino Pio Imp. Alexandria paſſus eſt ob Chriſtum 14. Cal. Nou. Pet. de Natal. lib. 9. cap. 83.*

20. CAPRASIVS *cum fratribus Primo & Feliciano in Galliis ciuitate Agenenſi à Daciano Praſide comprehenſi propter Chriſtum, vngulis primò laniantur, deinde capite plectuntur 13. Cal. Non. Pet. de Natal. lib. 9. cap. 86.*

21. VRSVLA *filia fuit vnica Noti nobiliſſima Britannorum Principis: ea. quum nondum nubilis à filio cuiuſdam tyranni ad nuptias expeteretur, Pater autem Deum offendere nolens filiam Gentili homini elocando, & ſimul iram tyranni metuens, nutanti patri ſuaſit vt & tyranno aſſentiretur, ea tamen propoſita conditione, vt ipſe & tyrannus decem virgines genere, forma & atate electas ſibi traderent, & tàm ſibi quàm ſingulis illarum mille Virgines ſubſcriberent, & comparatis ad numerum ipſarum vndecim triremibus, inducias trienníj ſibi darent, difficultate propoſita conditionis animum eius à ſe auertere tentans. Morem gerit ei Pater & Tyrannus: omnia feſtinanter parantur, naues & ad iter neceſſaria ſubminiſtrantur, Virgines de diuerſis mundi partibus congregantur, multi etiam ad hoc ſpectaculum ex diuerſis vrbibus conueniunt. Tandem naues ſoluunt: & iuxta propoſitum per mare triennio diſcurrunt. & omni ludorum genere ſe exercentes, modò belli praludia inchoant, modò fugam ſimulant, modò aliud fingunt donec Vrſula ad fidem omnes Virgines conuertiſſet. Quodam die ad portum Gallia, qui Tila dicitur, & inde Coloniam appulſa ſunt: nauibus porrò Baſileam aſcendentes Romam pedibus profecta, & indè rurſus Coloniam reuerſa ad vnam omnes ab Hunnis, qui vrbem obſederant, trucidata ſunt, cum comitum magno numero. ex quibus etiam Cyriacus Romanus Pontifex fuit. Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 87. Lombardica hiſtoria. Sigebertus & Bonfinius Vngaricorum rerum Decadis 1. lib. 5. Verùm hac narratio non modò fabuloſa, ſed apertè falſa eſt: quo factum eſt, vt illi ipſi qui eam deſcripſerunt, minimè conſentiant: patrem enim Vrſula, quem alij Notum nominant & Britannia Principem, Petrus de Natal. Maurum appellat & Scotia Regem fuiſſe dicit. Deinde aiunt, hunc Virginum exercitum Colonia triremibus per Rhenum Baſileam aſcendiſſe. Sed quis vnquam vel in Rheno triremes vidit, vel Colonia Baſileam vſque aduerſo rapidiſſimo flumine naues maximas aſcendiſſe audiuit? Tertiò, addunt Vrſula comitem Cyriacum Romanum Epiſcopum. Verum hic Pontifex apud nullos probatos authores in Catalogo Romanorum Pontificum legitur. Reſpondent, nomen eius à Clero fuiſſe ex Catalogo eraſum, quòd ob mulierculas quaſdam fatuas ſummum Pontificatum reliquiſſet. Eſto: at tempora non conueniunt. Petrus de Natalibus aliique dicunt, hac accidiſſe circa annos Domini 450. Iacobus autem de Voragine in Lombardica hiſtoria aſſerit Cyriacum hunc decimum nonum à Petro rexiſſe eccleſiam Rom. Pontiano igitur ſucceſſiſſet circa annos Domini 238. Alia quoque circumſtantia cum harmonia vera hiſtoria non congruunt. Praterea nullus qui his temporibus vixit, & ſcripſit, aut paulò poſt, eius in hunc modum meminit. Balaus Centuria 1. cap. 39. ex Scriptoribus Britannicis veram de Vrſula recenſet hiſtoriam. quòd genere Britanna fuerit, Dionoti Cornubienſium Ducis filia ingenio & eruditione clara. Cùm autem poſt ſubactas à Maximo Britannorum Rege, Romanóque Caſare, Armoricas terras, quas Minorem Britanniam hodiè vocant, Gallicarum mulierum aſpernati connubia Britanni, vxores ex ſua petebant gente, factum eſt. vt frequens mulierum numerus illuc ex inſula nauigare ſtatuerit, & inter illas Vrſula Conani Ducis eorum chariſſima deſignata coniunx. Sed ea cum vndecies vtriuſque ſexus millibus vi tempeſtatum periit, cateris ad littus à contrariarum factionum tyrannis interemptis. Vnde igitur gaudet Agrippina Colonia Vrſula oſſibus, ex Ponti, ſeu furentis Oceani fundo eò tranſportatis? Aut quî gloriantur Bergomates cum Colonienſibus eius capite ad ſe tranſlato? vt teſtatur Bergomenſis & Supplementum Chronic. Iacobi Philippi, quod factum hoc dicit ſub Martiano Imp. circa annos Chriſti 453.*

CORDVLA *vna fuit de virginibus vndecies millibus, qua Vrſulam ſequuta ſunt. Ea, quum ſocia trucidarentur timore perterrita, in naui nocte illa ſe abſcondit, ſed craſtina martyrij coronam quoque accepit. Cùm autem diu feſtum eius non fieret, quòd cum aliis paſſa non eſſet, longo poſt tempore cuidam recluſa apparuit, pracipiens vt ſequenti die à Feſto Virginum eius* 22.

quoque

quoque ſolennitas celebraretur, vt Iacobus de Voragine in Lombardica hiſtoria nugatur cap. 153.

23. SEVERINVS Colonienſis fuit Epiſcopus ſub Theodoſio Imp. coætaneus D. Ambroſio & Hieronymo: obiit 10. Cal. Nouemb.

24. SALOME Diſcipula Chriſti fuit: ea tempore Paſſionis Chriſti cum aliis ſanctis fœminis Cruci aſtitit, & de ſepultura eius ſollicita fuit. De qua Theophilus & Chryſoſtomus dicunt, quòd fuerit Mater Filiorum Zebedæi, quibus etiam adſtipulatur Origenes. Secundùm hos quum dicitur in Euangelio Marci: Maria Iacobi Minoris Ioſeph Mater & Salome: & iterum Maria Magdalena & Maria Iacobi ſubaudi minoris, & Salome: tunc illud nomen eſt Nominatiui caſus, & eſt nomen mulieris. Alij volunt eſſe genitiui caſus, & nomen viri, quòd ſcilicet fuerit alia quædam Maria Vxor Salome. Hieronymus tamen in ſuo Martyrologio tradit eam mulierem fuiſſe, & in pace Hieroſolymis obdormiuiſſe 11. Calend. Nouembris.

25. CRISPINVS cum Fratre Criſpiniano Roma diſcedentes Sueſſionum venerunt, vbi artem ſutoriam addiſcentes, de labore manuum ſibi victum quærebant. Cùm autem Rictiouarus præſes cognouiſſet eos Chriſtianos eſſe, poſt crudeliſſimos cruciatus gladio tandem eos cædi iuſſit 8. Cal. Nou. Pet. de Nat. lib. 9. c. 106. Sutorum hodiè in Papatu Patroni ſunt.

26. AMANDVS Epiſcopus fuit Burdegalenſis coætaneus S. Seuerino: obiit in pace 7. Cal. Nouemb.

27. COLVMBANVS Diſcipulus Congelli in Bannochorenſi Cœnobio, cum Gallo in Galliam & Germaniam venit Euangelij prædicandi cauſa, quem tandem in Sueuia reliquit, & in Italiam profectus in Coccijs Alpibus Bobienſe cœnobium condidit, Agilulphi Regis opibus adiutus: abſoluto opere poſt annum obdormiuit 11. Cal. Dec. quum dies obitus eius in vulgatis Calendariis ad 6. Cal. Nou. ponatur.

28. SIMON natus fuit in Cana oppido Galilea, Matth. 10. filius fuit Mariæ & Cleophæ iuxta Euſeb. lib. 3. cap. 11. IVDAS frater fuit Iacobi Minoris & Simonis: Apoſtoli fuerunt ambo: & Iudas quidem Euangelio illuſtrauit Ægyptum & Perſiam poſtea ſucceſſit Iacobo in Epiſcopatu Hieroſolymitano. Iudas vero Euangelium docuit in Meſopotamia & Ponto, itémque in Perſia cum Simone. Tandem ambo in crucem ſunt acti ſub Troiano Imp. Euſeb. lib. 3. cap 32. Niceph. lib. 2. cap. 40. Et ob hanc cauſam Feſtum eorum in vnum eundémque diem incidit.

29. NARCISSVS Hieroſolymitanus Epiſcopus 30. fuit, qui, ſiue pudore, ſiue impatientia motus, eò quòd à maleuolis falsò de impudica vita accuſaretur, deſerta ſua Eccleſia, in ſolitudinem ſeceſſit, ibique plurimos annos vixit. Cunctis autem ignorantibus vbinam locorum ageret, quaſi rediuiuus iterum apparet, & rogatus à fratribus Epiſcopatum rurſus ſubiit, vt Euſebius indicat lib. 6. cap. 9. & 10. & 4. Cal. Nou. ex his terris migrauit.

THEONESTVS Epiſcopus Altini capite 30.
caſus eſt 10. Calend. Decemb. vt habet Pet. de Nat. lib. 10. cap. 97. in vulgatis autem Calendariis ad 3. Cal. Nou. ponitur.

31. WOLFGANGVS natione Sueuus, ex Comitum de Pfulingen proſapia ortus, teſte Nauclera, Ratiſponenſium Epiſcopus 12. fuit, vir ſuo ſeculo doctiſſimus. Comes fuit Pilgrini quem Vngarorum Rex Geizo Bathanio auocauit, vt ſuam gentem in Chriſtiana Religione erudiret: quæ res eis feliciter ſucceſſit: Auentinus lib. 4. Annalium In Bohemia quoque, quæ à Gentiliſmo ad Chriſtum conuerſa fuerat, Epiſcopatum inſtituit de voluntate Otthonis 2. Imp. Chronicon de Ducibus Bauariæ. Anno 994. mortuus eſt prid. Cal. Nou. Eum Leo 9. Diuorum Catalogo aſcripſit circa annos Chriſti 1050. Crantzius in Metrop. & Auentinus lib. 5. Caſpar Bruſchius in Chronol. de Monaſteriis fol 44. tale luſit ſchediaſma de S. Vuolfgangi imagine:

Vuolfgangum quoties Diuum veneranda vetuſtas
Pinxit, ita hunc pinxit: geſtaret vt ipſe ſecurim
Dextra: ſed læua templum, cum turre decorum.
Hac pictura equidem voluit nihil ipſa vetuſtas
Significare aliud, quàm quòd Paſtoris honeſti
Pontificiſque pij ſummum eſt ſuper omnia munus.
Is ſemper templum debet geſtare, ſibique
Commiſſum populum doctrina paſcere ſana:
Nec curas alias animo geſtare priores.
Deinde ſecuri etiam ſordes reſecare pudendas,
Quiquid & arboribus teneris, plantiſque nocere
In vita poſſet, ſtudio debebit eodem.

NOVEMBER.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ menſe NOVEMBRI à Chriſtianis celebrantur.

OMNIVM SANCTORVM Feſtum.

CVM ſingula idola Romæ templa habere non poſſent, Romani templum extruxerunt, quod PANTHEON vocarunt, inde quòd, vt Dion hiſtoricus refert, in Martis Venerisque imaginibus, in eo templo conſtitutis, omnium Deorum imagines effictæ eſſent. Vel, quòd templū Pantheō Rom.

 ipſum

ipſum rotundum fuit, ideóque cœlo perſimile, & ſic quoque omnium Deorum habitatio cenſeri potuit. Petrus de Natalibus libro decimo cap. primo vult, ideò vocatum fuiſſe Pantheon, quòd extructum fuerit in honorem Cybelos omnium Deorum Matris. Circa annum verò Domini 610. Bonifacius 4. vel iuxta alios 3. Papa à Phoca Imperatore petiit & impetrauit, vt templum hoc ſibi concederetur, ſicut Platina & Iacobus de Voragine in Lombardica hiſtoria narrant. Vnde obiter cernere licet quid hoc tempore iuris habuerint Romani Pontifices. Eiectis igitur inde idolis & repurgato templo, dedicauit illud 4. Idus Maij in honorem B. Mariæ Virginis & omnium Martyrum: nondum enim fiebant feſta hac adhuc tempore de Confeſſoribus, ſed ſolùm de Martyribus: ſtatuitque idem Papa, vt ſingulis annis 4. Idus May celebraretur Feſtum de Martyribus omnibus, ſicut in Calendis eiuſdem menſis celebrabatur Feſtum Omnium Apoſtolorum. Templum verò Sanctæ Mariæ ad Martyres appellauit, quod hodiè Sancta Maria Rotunda dicitur à populo. Durandi Rationale lib. 7. cap. 34. Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 159. & lib. 10. cap. 1. Polydorus libro 6. cap. 8. Beda libro 2. cap 4. Anglicæ hiſtor. & de Ratione temporum libro 2. Regino libro 1. Balæus & Platina in Vita Bonifacij. Cùm autem Romam ad hoc Feſtum quotannis maxima hominum multitudo conflueret, & propter defectum victualium huic celebritati commodè vacare non poſſent, ideò Gregorius 4. Papa circa annos Chriſti 834. Feſtum hoc ad Calendas Nouembres tranſtulit, vt tunc collectis terræ frugibus in otio & rerum omnium abundantia, Mago ſuo Deo, ſcilicet Ventri, & nouis ſuis Diis, hoc eſt, Sanctis Mortuis opimiora Sacrificia poſſent offerre. Mantuanus libro 11. Faſt. cauſæ tranſlationis iſtius his verſibus meminit:

Ac Maij celebranda die ſolennia nono
Inſtituit: ſed in has patres traxêre Calendas:
Nam modò collecta fruges & in horrea miſſa
Otia parturiunt, iam tranſiuere labores,
Ceſſauere opera, tempus geniale propinquat,
Bruma venit, glacialis hyems apparet in altis
Montibus: &c. Et mox:
Apta celebrandis & idonea tempora Feſtis
Hac priſci videre Patres: ſed tempora Maij
Etſi fronde virent multa, tamen aſpera fiunt
Sæpius abſumptis iam frugibus, atque laborum
Et Solis creſcente æſtu ſpatióque dierum.

Feſti huius propagatio.

Non autem voluit Gregorius vt Feſtum hoc in honorem ſolùm Apoſtolorum & Martyrum celebraretur, ſed generaliter omnium Sanctorum, Sanctarum & Electorum, Trinitatis & Angelorum, idque per vniuerſum mundum. Durandi Ration. lib. 7. cap. 34. Petrus de Natal. & Polydorus vt ſupra. Crantzius in Metrop. libro 2. cap. 1. Ita factum eſt vt ſolennitas hæc in ipſam quoque Galliam & Germaniam, hactenus ibi incognita, ac Romæ tantùm celebrata, inuecta fuerit. Martinus in vita Gregorij. Vincentius libro vigeſimo quinto cap. & vigeſimo ſexto. Antoninus tit. 16. cap. 1. § 4. Balæus Cent. 2. cap. 20.

Sunt qui ſcribant, rogatu Ludouici Imp. Gregorium 4. hanc ſolennitatem inſtituiſſe, vt indicat Platina in Vita eius. Sed Vincentius lib. 25. cap. 34. refert, quòd Gregorius Ludouicum Imp. pro confirmatione huius Feſti rogarit. Vnde ſimul intelligitur, Pontifices Romanos his adhuc temporibus authoritate propria non potuiſſe Feſta inſtituere, quod poſtmodum ſibi ſoli vendicarunt.

Feſti huius cauſæ.

Cauſas autem inſtituta huius ſolennitatis tres aſſignant potiſſimùm. Prima eſt, Omiſſorum Feſtorum ſuppletio: nam propter Sanctorum multitudinem ſpecialiter de omnibus feriari non poſſunt homines. Altera eſt negligentiarum expiatio. Licet enim, inquiunt, paucorum Sanctorum Feſta agamus, tamen illa negligenter ſæpè agimus, & multa in iis per ignorantiam vel negligentiam omittimus, ea verò in hac generali feſtiuitate ſupplere poſſumus & de negligentia nos purgare. Vnde in Sermone qui hoc die per Eccleſias recitatur ſic dicitur: Decretum eſt vt hac die Sanctorum Omnium memoria habeatur, vt quicquid humana fragilitas per ignorantiam vel per negligentiam, ſeu per occupationem rei familiaris in ſolennitatibus Sanctorum minus benè peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur. Tertia ratio eſt, vt preces à Deo Interceſſione Sanctorum, qui hoc die omnes coluntur, faciliùs exaudiantur. Quod enim hoc die omnes Sancti ad intercedendum vniuerſaliter pro hominibus conueniant, fabuloſa narratione, ſeu diabolica viſione & illuſione confirmare conantur. Cùm enim ſequenti anno ab huius ſolennitatis inſtitutione Cuſtos Eccleſiæ S. Petri Romæ hoc die omnia altaria circuiſſet, & omnium Sanctorum Suffragia imploraſſet, ad altare S. Petri rediens, in Spiritu rapitur. Et vidit Regem Regum in ſublimi ſolio ſedentem, & omnes Angelos circumſtantes: deinde Regina cum diademate fulgente, cum Dominarum multitudine aduenit, cui rex aſſurgens iuxta ſe eam ſedere iuſſit. Poſt hæc venit quidam veſtitus pilis camelorum, quem ſequebatur multitudo venerabilium ſeniorum. Deinde aduenit alius in Papali habitu, quem plurimi in Pontificalibus ſequebantur. Poſtea proceſſit innumerabilis militiæ multitudo. Poſt quos venit turba diuerſarum gentium infinita. Hi omnes Regem flexis genibus adorauerunt. Angelus autem qui Cuſtodem ducebat, eidem viſionem expoſuit, dicens: Reginam Matrem Dei eſſe: Dominas verò Virgines continentes: pilis camelorum veſtitum Ioannem Baptiſtã: Seniores, Patriarchas & Prophetas. Papali habitu ornatum,

Digitized by Google

orwiatum, Petrum Apoſtolum: Pontifices, Apoſtolos omnes: Milites, Martyres: Turbam reliquam, Confeſſores. Has omnes ideò ad Regem Regum Chriſtum veniſſe, vt pro honore ipſis hac die in terris à fidelibus exhibito grotias agerent, & pro mũbe vniuerſa intercederent: ſicuti nugatur Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 1. Iacobus de Voragine in Lombardica hiſtoria Legenda 157. Ergò propter cultum Sanctorum mortuorum hoc Feſtum inſtitutum eſt maximè, contra manifeſtum Dei verbum, & primitiua Eccleſia doctrinam. Eſtque hic cultus horribilis idolomania, præſertim ſi illo perſuaſio accedat, hoc opere nos mereri Sanctorum patrocinium & interceßionem, vt vaniſsima illa viſione docere conantur, quam modò adſcripſimus: & disertè fatetur Roſarium, inquiens: Sancti magis patrocinantur & opitulantur iis, qui Feſta ipſorum celebrant. Item: Sancti merita ſua communicant illis, qui ipſos feſtiuitatibus honorant. Non mirum igitur, dæmones, vt Præmonſtratenſis narrat, à quibus antea in Pantheo ſæpiùs Chriſtiani percußi & læſi fuerant, poſteaquam Sanctis dedicatum fuit, ceſſaſſe: nam hac res eos ſuperſtitioſis Chriſtianis reconciliauit: & hoſtis armatus, atrio ſuo occupato, quietiſſe dedit. Neque etiam mirandum, hoc ipſo anno, quo feſtum hoc primò inſtitutum eſt à Bonifacio, Mahometem, Turcicæ tyrannidis authorem & virgam idololatriæ, coronatum eſſe regem Ægypti, Africæ & Syriæ Damaſci: & poſtea Sarracenos eo tempore, quo Gregorius hoc Feſtum tranſtulit ad Calendas Nouembris totique orbi Chriſtiano celebrandum obtruſit, in Italiam nauigantes ſacra & profana omnia diripuiſſe. Idololatria enim Ethnica mutatis tantùm nominibus, in Eccleſiam Dei hoc modo inuecta, in eáque reparata & inſtituta eſt: accedente præſertim temporis progreſſu Indulgentiarũ quæſtu, quæ in hoc tantùm feſto plurimis in locis publicè in templis venales ſunt expoſita.

2. Omnivm Animarvm Festvm, Sev Commemoratio omnium Defunctorum Fidelium.

Februa. Rom. Apud Romanos menſe Februario per dies duodecim continuos Februa celebrabantur pro Defunctorum Manibus: hiſque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis, ſacrificiiſque circa ſepulchra accenſis facibus cereiſque intentus erat. Vnde Plutarchus in vita Romuli Februarium menſem καθάρσιον, id eſt, expiatorium nominat. Et Iuba Manuſius nomen ei eſſe à tollendis atque abolendis ſpectrorum terriculamentis, maniúmque quibus parentabant phantaſmatis ſcribit, Athenæo teſte. Ab his Romanorum Februis Feſti Omnium Animarum origo. orta videntur eſſe illa Chriſtianis vſitata Omnium Animarum ſolennia & anniuerſaria iuſta, quæ poſtridie Calend. Nouemb. fiunt. Fateri hoc etiam cogitur Polydorus Vergilius lib. 6. cap. 9. de Inuentione rerum. Iampridem, inquit, increbuerat mos hic apud Veteres parentandi apud ſepulchrum, quod indicat M. Tullius in Philippica 1. dicens: Vt cuius ſepulchrum nuſquam extet, vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur. Et in Oratione pro Flacco, Litemus igitur, inquit, Lentulo, parentemus Cethego. Sic fiebant annua parentalia, id eſt, ſacrificium quotannis ad honorem mortuorum: id quod etiam Macrobius & Cato tradunt, ita ſcribentes: Laurentiam annua parentationis honore dignatam. Erant enim parentalia iuſta & conuiuia, quæ in funere & ad ſepulchrũ Parentum Cognatorúmque concelebrabantur à filiis ac conſanguineis, quorum auctor fertur Æneas fuiſſe, qui eo pacto Anchiſem Parentem primus omnium honorauit, ſupplicationibus coluit, atque eius memoriam numinis conſecrauit, velut Vergilius lib. 5. Æneid. deſcribit. Sic nos illud ipſum inſtitutum pro ſalute mortuorum obſeruamus. Vnde omninò factum videtur, vt Odiloni in mentem venerit huius religionis celebrandi anniuerſarias demortuorum exequias. Hucúſque Polydorus. Aſtipulatur Polydoro etiam Mantuanus qui lib. 11. Faſt ita canit:

> *His præſens deuota dies: ſuffragia dantur*
> *His hodiè: his crebris lucent altaria flammis,*
> *Et paribus ſtudiis vrbes ac rura parentant:*
> *Februáque exercent, ſicut Romana ſecundo*
> *Menſe ſuperſtitio Ioue tunc regnante ſolebat.*

De prima autem origine huius ſolennitatis apud Chriſtianos, duæ diſcrepantes ſunt ſententiæ. Martinus Polonus in Chronico ſuo refert, Bonifacium 4. inſtituiſſe, vt proximè ſequenti die poſt Feſtum Omnium Sanctorum, defuncti habeant per Eccleſias totius mundi ſacrificium pro redemptione animarum. Occaſionem dedit diabolica quædam illuſio. Nam anno ſequente inſtitutionem feſti Omnium Sanctorum, Cuſtos ille in Eccleſia S. Petri Romæ poſt viſionem illam de qua in priore Feſto diximus, ad alium locum & vtriúſque ſexus homines ductus ab Angelo, alios in ſtratis aureis, alios in menſis gaudentes diuerſis delitiis, alios nudos & inopes auxilium mendicantes ei oſtendit. Dixit autem hunc locum Purgatorium eſſe: abundantes verò animas illas eſſe, quibus ab amicis per multa ſuffragia ſubueniretur, egentes verò eſſe quorum cura in terris nulla haberetur. Tandem mandauit ei Angelus, vt iſta omnia ſummo Pontifici intimaret qui tunc erat Bonifacius 4. circa annos Chriſti 611. vt poſt Feſtum Omnium Sanctorum diem ſtatueret Omnium Animarum, vt ſaltem generalia ſuffragia pro illis die illa fierent, qui ſpecialia habere nequirent: vt refert Iac. de Voragine in Lombardica hiſtoria Legenda 157. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 1. Antoninus tit. 13. cap. 1. §. 1.

Cæterùm Odilonem, quartum Abbatem Cluniacenſium monachorum circa annos Chriſti 1010. omnes ferè vnanimiter tradunt primò inſtituiſſe hanc ſolennitatem per omnia ſui Ordinis monaſteria. Volateranus libro 2. Antoninus tit. 15. capite 15. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 8. Lombardica hiſtoria Legenda 8. Polydorus lib. 6. de Inuentione capite nono. Sigebertus. Petrus Damianus. Trithemius in Chronico Hirſaug. Bolaus in vita Ioannis XIX. Surius de Vitis Sanctorum tom. 3. Occaſionem talem annotat Antoninus tit. 15 capite decimoſexto, §. 5. Quidam, inquit, Religioſus reuertens Hieroſolymis dum mare tranſiret, eúmque cum multis aliis ventorum horror impelleret, applicuerunt ad inſulam quandam vel rupem, vbi quidam Sanctus manebat incluſus. Illic ergò aliquandiu tranquillitatem maris cum aliis expectans, dum cum illo incluſo frequenter colloqueretur, de patria requiſitus, Aquitanum ſe eſſe reſpondit: interrogatus inſuper, vtrum cœnobium, quod Cluniacum dicitur, & Odilonem eius Abbatem noſſet, Optimè ſe noſſe, inquit. Eo autem viciſſim interrogante, cur hoc ab ſe quæreret? Sunt nobis, inquit, vicina loca, ex quibus grauiſſima flammarum euomuntur incendia, in quibus etiam locis animæ diuerſa luunt, pro meritorum qualitate, tormenta. Ad quorum ſemper exaggerando ſupplicia ſunt innumerabiles dæmones deputati, qui innumerabiles eorum pœnas quotidie renouant, & eos ad rediuiua ſupplicia indeſinenter inſtaurant. Quos tamen ego frequenter audiui querulis lamentationibus eiulantes, quòd orationibus & eleemoſynis quorundam ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum ex Purgatorio. Inter cætera quóque permaximam de Cluniacenſium cœtu, & eorum Abbate mentionem faciunt, quia ſæpiſſimè per eos ſui iuris vernaculos perdunt. Quamobrem te per Dei nomen obſtestor, vt Sanctis Fratribus iſtis, hæc quæ tibi dixi fideliter referas. Ex noſtra quóque parte denuncies, vt orationibus & eleemoſynis magis ac magis inſiſtant: præſertim huius intentionis intuitu, vt de manibus Dæmonum eos qui ibi cruciantur, educant. Ille igitur regreſſus in patriam, quum hoc Abbati Odiloni, & Fratribus retuliſſet, idem pater Odilo per omnia monaſteria ſua generale decretum fecit, vt ſicut die prima Nouembris Omnium Sanctorum Feſtiuitas agitur, ita ſequenti die Pſalmis, Eleemoſynis & Miſſarum ſolenniis præcipuè, omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur. Hucuſque Antoninus: referunt etiam Vincentius lib. 25. cap 105. Petrus Damianus. Eccius parte 3. homiliarum de die Animarum homil. 4. Alphonſus Aluarez in Theſauro Chriſtianæ Religionis cap. 58. Balæus in Vita Ioannis 19. Surius de Vitis Sanctorum tomo 1.

Purgatory & *Hinc videmus, Purgatorium Ignem & Animarum Feſtum, fundamentum non habere aliud, quàm vaniſſimam de Ætna monte hominis ſuperſtitioſiſſimi perſuaſionem. Sicilia, inquit Iuſtinus lib. 4. terra eſt cauernoſa & fiſtuloſa: quo fit vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur. Intrinſecus ſulphur habet & bitumen, quod vbi ventus per ſpiramenta cauernarum incubuit, diu luctatus concipit ignem: ſic Ætna durat incendium. Sonitus etiam, quem incluſus ille gemitus & clamores Animarum eſſe putauit, ex fremitu æſtus maris & eructatione ignis ortus fuit. Puduit igitur vaniſſimi huius commenti ipſum etiam Polydorum, qui hac de re ſic ſcribit ingenuè lib. 6. cap 9. Odilo, inquit, Præfectus monachorum Cluniacenſium cùm in Sicilia, ſedente Romano Pontifice Ioanne XVIII. circa Æthnã montem frequenter audiret (ergò non habuit ex relatione aliorum) gemitus clamoréſque, qui ibi teſte Trogo, partim ex fremitu æſtus feruentis maris, partim ex eructatione Æthnei ignis (ergò non fuerunt gemitus & lamentationes animarum) vbi acrior per ſpiramenta cauernarum ventus incumbit, iugiter fiunt, ratus eſt (ergò fuit vana & falſa perſuaſio) cacodæmones lamentari, quòd per preces & ſacrificia Chriſtianorum animæ mortuorum ab illis ſuppliciis liberarentur: nam conſtans vulgi opinio eſt (en non veritatem, ſed vulgi tantùm, non virorum prudentûm opinionem eſſe dicit) ad Ætnam montem, vbi perpetuum incendium tot iam ſeculis flagrauit, aut ad inferos aditum patere, vel ignea voragine ſontium animas expiari. Itaque protinus egit cum ſuis monachis, vt poſtquam Calend. Nouembr. in Diuorum omnium honorem ſacrificia peregiſſent, ſequenti itidem die cunctis vita priuatis iuſta facerent. Quod inſtitutum Patres demùm receperunt anno Chriſti Domini noſtri 1002. Hactenus Polydorus. Quibus vtique ſuperiorem narrationem, vt vanam ac falſam, explodit, & huius Feſti ſtramineum fundamentum euidenter oſtendit. Cúmque ſonus ille circa Æthnam non fuerit gemitus & clamor Dæmonum, lamentantium animas ſibi precibus & ſacrificiis è manibus eripi, intelligimus Odilonis inſtitutum ſuperſtitioſum fuiſſe, & proinde in Eccleſia Chriſti locum nullum habere debere. Vnde & Cardinalis Campegius anno Domini 1524. Conuentum Ratiſpona agens, & ad reformandam Eccleſiam aliquot Canones promulgans, can. 20. in quo Feſtorum multitudinem inhibet & conſtringit, etiam hoc Animarum Feſtum omittit: quemadmodum etiam Concilium Lugdunenſe anno Chriſti 1244. celebratum. Progreſſu temporis quibuſdam Diabolicis illuſionibus, ſi non fabulæ otioſorum Monachorum ſunt, hoc Feſtum confirmatum fuit. Benedictus 10. Papa opimè apparuit Ioanni Portuenſi Epiſcopo, dicens: Æterna pœna damnatus eſſem, niſi Odilonis merita & preces obſtitiſſent. Quæ quum*

Feſti Omnium animarum fundamentum.

Feſti huius confirmatio.

Ioannes Epiſcopus Abbati indicaſſet, Odilo pro Papa orauit, & cunctis fratribus ſui Ordinis idem impoſuit. Poſt paucos dies Edelberto Monacho Papa Benedictus apparuit, nimiùm fulgens, aſſerens, ſe ipſius & eius Ordinis ſuffragiis à pœnis purgatorij liberatum: & Odilonis Monaſteriū ingreſſus cunctis gratias egit. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 26. Similem fabulam narrat etiam Sigebertus. Ioanni, inquit, Romanorum Pontifici Stephanus frater apparuit, qui ſe inferni pœnis torqueri querebatur: ſed tamen precibus Abbatis Odilonis Cluniacenſis ſe liberari poſſe. Itaque Odilo à Pontifice monitus, tamdiu oranda inſtitit, donec per reuelationem ſe exauditum cognoſceret. His igitur ſimilibúſque miraculis, ad ſtabiliendam Idololatriam confictis, Ioannes, quem alij XVI. alij XVII. nonnulli XVIII. Platina autem, Stella & Balaus XIX. vocant, motus, Feſtum Omnium Animarum, ab Odilone inſtitutum, approbauit, & ab vniuerſa deinceps orbe Chriſtiano poſtridie Omnium Sanctorum obſeruandum ſtatuit. Stella. Ioannes de Oppido. Polydorus. Robertus Barus & Balaus in vita Ioannis.

3. Theophilvs *martyrio coronatus eſt apud Cæſaream Cappadociæ, vt Vincentius indicat lib. 11. cap. 52.*

4. Hierivs *Alexandria Presbyter, vir in omni genere ſcientiarum praſtantiſſimus, in pace quieuit tempore Philippi Imp. prid. Non. Nouemb. Hieronymus de Viris illuſtribus, & Pet. de Nat. lib. 10. cap. 23.*

5. Malachias *in Hibernia natus fuit, Parentibus genere & potentia clarus, anno Domini 1094. in patria aliquandiu ſolitarius vixit, ſed inde ad ſacerdotale munus vocatur. Poſteà electus eſt Epiſcopus in Connereth, anno ætatis ſuæ 30. Denique à Celſo Archiepiſcopo totius Hiberniæ ſucceſſor declaratur. Strenuus fuit Pontificiarum ſuperſtitionum Promotor. Profectus eſt Romam pro impetrando Archiepiſcopali pallio, vbi omnes penè Angulos ex ſuperſtitione perreptauit. Impetrauit etiam à Papa vt nonam in Hibernia Metropolim confirmaret. Author fuit impuri cœlibatus Sacerdotum in Hibernia, quo ad hac vſque tempora caruit: nam Sacerdotes cum legitimis viuebant vxoribus in coniugio: Balaus Cent. 14. cap. 85. Monachatum etiam, quantum potuit, promouit. Mortuis viuorum preces ſubuenire putauit: & in monachis gentes benedici cenſuit. Moritur Nonis Nouemb. ſecundùm Petrum de Nat. lib. 10. cap. 27.*

6. Leonardvs *patria Cenomanenſis, Diſcipulus Remigij fuit, & tandem factus Epiſcopus Lemouicenſis. Henricus de Erdfordia cap. 49. Impetrauit à Rege Francorum Clodoueo, nuper ad Chriſtum conuerſo, vt quicunque in carceribus detinerentur, ſi eos ipſe viſitare vellet, continuò ſoluerentur. Et vbicunque captiuos eſſe audiebat, ad eorum liberationem feſtinus properabat: Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 29. Surius autem in eius vita dicit, Deum ſic ornaſſe & illuſtraſſe Leonardum, vt ſi quis in carcerem coniectus eius nomen inuocaſſet, ruptis catenis, nullo impediente, liber diſceſſerit: indéque accidiſſe, vt multi etiam ex longinquis regionibus à vinculis & carceribus per eum liberati, ad eum venirent, & compedes atque catenas ſecum ferrent. Vnde apud Pontificios à captiuis, tanquam Deus inuocari ſolet. Mortuus eſt 8 Id. Nou. circa annos Domini 500. P. de Nat. vt ſuprà.*

7. Florentivs *Scotus Nobili Familia natus, oratorium ſibi apud Haſelium fluuium condidit. Dagoberti Regis Filiam cæcam & mutam oratione ſanaſſe dicitur, ob eámque cauſam Dagobertum ei cœnobium Haſelachium extruxiſſe. Rotario mortuo Argentinenſis Epiſcopus ordinatur, anno Chriſti 663. cui præfuit annis 12: obiit anno 675. 7. Idus Nou. Irenicus lib. 3. cap. 49. Balæus Cent. 14. cap. 22.*

8. Severvs, Seuerianus, Carpophorus & Victorinus, *Fratres in perſequutione Diocletiani, Deorum cultum liberè deteſtantes, plumbatis caſi in verberibus vitam pro Chriſti nomine profuderunt, 6. Idus Nouemb. Quorum corpora canibus obiecta, quum ab iis intacta manſiſſent, tandem à Melchiade Papa & Beato Sebaſtiano ſepulta fuerunt. Eorum nomina quum diu non potuiſſent inueniri,* Quatuor Coronati, *vocati ſunt, quemadmodum etiamnum hodie. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 37.*

9. Theodorvs *natione Græcus, quum propter Chriſtum horrendos cruciatus ſuſtinuiſſet, tandem in mediis flammis animam Deo reddidit, flammis tamen corpus non abſumentibus 5. Idus Non. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 39.*

Festvm Passionis Dominicæ Imaginis.

Sigebertus narrat, anno Chriſti 765. in Beryto vrbe Chriſti imaginem à Iudais contumelioſè tractatam, aperto latere ſanguinem effudiſſe: quo miraculo territos Iudæos & ad pœnitentiam conuerſos, Adeodatum Epiſcopum Beryti baptizaſſe, & ſanguinem ab eis acceptum in ampullas diſtribuiſſe, ac ad plurimos Epiſcopos in diuerſa loca miſiſſe, obteſtatúmque omnes, vt ſingulis annis 5. Idus Nouembris in huius rei memoriam Feſtum agant. Patres verò in Nicæna Synodo 2. vt commento maiore cum authoritate poſſent vti, finxerunt id accidiſſe tempore Athanaſij Alexandrini: quo tempore nimirum imago Chriſti, quam Nicodemus manibus ſuis fecerit, & moriturus Gamalieli tradiderit, qui eam Iacobo reliquerit, à quo Simeoni & Zachæo commendata & tandem Berytum abducta fuerit, à Iudæis quibuſdam crucifixa ſit, conſtitutúmque à

Metropolitano

Metropolitano Berittenſi, vt illa dies qua hoc factum, 5. Idus Nouemb. videlicet, non minore venerentia, quàm Natalis Domini vel Paſchalis præcipua obſeruatione coleretur. Libellum autem, in quo hiſtoria hæc continetur, & qui inter Athanaſij opera numeratur, ſuppoſititium eſſe, ne ipſe quidem Nannius Louanienſis, qui Athanaſij opera in tomos digeſsit, negare audet. Et qui eum paulò diligentius inſpexerit, niſi vehementer hebes fuerit, iſtius fabulæ futilitatem mox perſpexerit. Homo quidam Chriſtianus Beritto cum familia ſua aliò conceſſerat: is cùm domi ſuæ Chriſti imaginem haberet, ipſi Chriſto & longitudine, & latitudine, & cætera magnitudine æqualem, eam in loco quodam occulto obliuione reliquit. Iudæus poſtea eam domum longo tempore inhabitauit, nec tamen imaginem vnquam vidit: alius quidam peregrinus Iudæus diſcumbens in prandio, eam ſtatim aſpexit apertam, & ad parietem inclinatam, &c. Hæc iſto modo refert fictus ille Athanaſius. Ita verò & ſtat aperta, & tamen occulta iacet: & occulta cùm ſit, tamen aperta & ad parietem inclinata eſt: nec eam vnquam vidit, qui longo tempore domum illam, in qua latuit inhabitauit, alius quidam peregrinus menſæ accumbens, mox illam conſpexit. Scilicet iſta conueniunt. Deinde Sacerdotes, Magiſtratúſque Iudæorum eò conueniunt, & imaginem indigniſsimis contumelioſiſsimiſque modis tractant, ſpina coronant myrrham & fel ad bibendum porrigunt: denique cor lanceâ perfodiunt: ſanguis abundè effluxit: poteſtates cœli commouentur: Sol obſcuratur: Luna amittit ſuum lumen: plura & maiora miracula fiunt in Paßione Imaginis mutæ, ſurdæ, cæcæ & omni ſenſu carentis, quàm cum verus ille Ieſus crucifigeretur. Atque inde fluxit etiam omnis ille per totum terrarum ſanguis. Mirum eſt autem alios multos, doctos & præſtantes viros, qui eo tempore & paulò poſt vixerunt, & quorum ſcripta ad noſtrã vſque ætatem peruenerunt, mentionem huius fabulæ ne verbo quidem fecere: qui certè ſi tanta res tunc accidiſſet, eam in ſuis libris & hiſtoriis nequaquam ſilentio præteriiſſent. Credendum igitur, hunc libellum quendam nomine Athanaſium conſcripſiſſe & Magno illi Athanaſio poſtea tribuiſſe vt ſic ſpecie & authoritate aliqua eum ſimplicioribus obtruderent.

10. MARTINVS *primus Papa, pro Sancto à Pontificiis habetur. In Romana Synodo leges quaſdam de Feſtis diebus ac templis ornandis conſtituit: & vt ſacrificuli comas raderent arctè præcepit. Epiſcopis mandauit, vt Chriſma Sacrum ſingulis annis conficerent, & ad omnes ſuarum diœceſium Eccleſias mitterent. Votum cælibatus Clericis impoſuit: & poſt initum matrimonium, ante carnalem copulam ſponſum ac ſponſam benedici iuſsit. Paulum Conſtantinopolitanum Patriarcham depoſuit, propterea catenis vinctus, & Conſtantinopolim perductus, in exilium à Cæſare Conſtantio pellitur, in quo anno Chriſti 653 pridie Idus Nouemb. mortuus eſt, vt Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 52. indicat: quum tamen in vulgatis Calendariis ad 4. Idus Nou. ponatur.*

MARTINVS *Epiſcopus in Pannonia non obſcuris Parentibus natus, ſed intra Italiam Ticini enutritus fuit. Anno 15. ætatis ſub Conſtantino & Iuliano quod tamen cum veritate hiſtoriæ non congruit, ad militiam à parente Ethnico adactus dicitur. Poſt aliquot annos ea moleſtia liberatus, ad Hilarium Pictauienſem Epiſcopum ſe confert: mox ad gubernationem Eccleſiæ Turonenſis vocatur, in quo munere diligens fuit. Cùm pingitur, partem ſuæ clamydis gladio abſciſſam pauperi tradit, talem ob cauſam: Cùm adhuc militem ageret, occurrebat ei in porta Ambienſi pauper nudus ſtipem petens. Verùm quum præter arma, veſtémque militarem, eámque ſimplicem, ei ſuppeteret nihil: arrepto gladio, quem geſtabat, chlamydem mediam diuidit, partémque pauperi dedit. In agone mortis conſtitutus, & Diabolum propè aſtare videns, ei dixit: Quid tu hîc aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies: Abraha me ſinum recipiet: atque hoc dicto ſpiritum ſimul reddidit, cùm per dies aliquot febre orationibus & vigiliis luctatus eſſet: anno ætatis 81. Epiſcopatus 36. anno verò Domini 404. vt ex Sulpitij Dialogo 2. & 3. in quibus vitam eius deſcripſit, colligitur: vel anno 410. iuxta Bergomenſem, 3. Idus Nouemb. Nam quòd Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 47. annos Domini numerat 480. falſum eſt. Inſtituit autem eius Feſtum Martinus Papa circa annos Chriſti 650. vt Martini Chronicon teſtatur. Cùm verò negligentius celebraretur, Synodali authoritate decretum eſt circa annos Domini 883. ab Adalardo Archiepiſcopo Turonenſi, & prouincialibus ſuis Raymone Aurelianenſi fratre Adalardi, Mainaldo Cenomanenſi, Lupa Andegauenſi & ſuffraganeis totius prouinciæ Epiſcopis, vt deuotè obſeruetur. Vincentius lib. 25. cap. 54.* 11.

In profeſto autem Martini mos eſt apud Chriſtianos anſere & muſto liberaliter per ſingulas ferè ædes fruendi. Vnde & Martinianus anſer ille appellatur: & muſtum credunt mox ſequenti die in vinum verti. De hoc ritu ita canit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papiſtici regni: Ritus huius Feſti.

Altera Martinus dein Bacchanalia præbet,
Quem colit anſeribus populus multóque Lyæo,
Tota nocte diéque. Aperit nam dolia quiſque
Omnia, deguſtátque hauſtu ſpumoſa frequenti
Muſta ſacer quæ poſt Martinus vina vocari
Efficit. Ergo canunt illum, laudántque bibendo
Fortiter anſatis pateris, ampliſque cucullis.
Quin etiam ludi proſunt hæc Feſta magiſtris.
Circumeunt etenim ſũpto grege quiſq; canoro,

Non

Non ita Martini laudes Feſtúmque canentes,
Anſerem vt aſſatum ridendo carmine iactant.
Cuius nonnunquam partem, nummoſúe viciſſim.
Accipiunt, celebrántque hoc Feſtum muſicè & ipſi.

Verùm mos iſte compotandi hoc Feſto die infeliciſſimè ceſſit Chriſtianis in Syria tempore belli ſacri. Nam quum circa annum 1179. *Germani Ioppen tenerent firmo præſidio, & nec minis nec promiſſis adduci potuiſſent vt vrbem Barbaris traderent, tandem quum Germani ad S. Martini Feſtum pro more lautius cœnarent, poculíſque coronatis certarent, vinóque & ſomno ſepulti in ſtratis ſterterent, ita vt & vigiles portarum cuſtodiam negligerent, proditor quidam Syrus hac occaſione obſeruata hoſti portam vnam aperuit. Barbaris ergò ex improuiſò irruentibus omnes Chriſtiani ad vnum occiſi ſunt, vrbs etiam in aream ſolo æquata, fundamentis murorum vbique euulſis, vt narrat Panthaleon libro ſecundo de Geſtis Ioannitarum. Videntur autem Chriſtiani morem hunc ab Ethnicis didiciſſe. Nam, vt Arnobius libro ſeptimo contra gentes indicat, Vindemia Æſculapij Feſtum fuit, quod celebrarunt vindemiatores poſt vinum expreſſum. Hanc conſuetudinem veteres abrogare cupientes, in eius locum S. Martini Feſtum, in eóque compotationes iſtas, Ethnicorum ſimillimas, inſtituerunt. Apud Athenienſes quoque vndecima die Antheſterionis, qui Martio noſtro vt plurimùm reſpondet, Pithœgiam Feſtum celebrarunt, in quo dolia primum relinebant, & vina noua guſtabant: vnde & Πιθοιγία, quaſi πίθων ἀνοιγὴ dicitur: vt Plutarchus refert lib.* 3. *Sympoſ. & ad has compotationes non amicos ſolùm, ſed etiam ſeruos, mercenarios, clientes & ruſticam turbam vocabant. De hoc ita etiam cecinit Mantuanus lib.* 11. *Faſtorum:*

Hæc eſt læta dies: iſta Populúſque, Patréſque
Luce cados relinunt, & defecata per omnes
Vina ferunt menſas: ac libera verba loquuntur.
Talis apud veteres olim ſacrata Lyæo
Lux erat à Priſcis vocitata Pithœgie Graiis
Quòd ſignata dies aperiret dolia Feſtis.

Moris etiam eſt plurimis in locis, vt ad diem Martini cenſus debitáque ſoluantur. Coniecturam meam, vnde hic mos originem traxerit, recitabo, quanquam non ignorem coniecturas veritate occulta bonas, eadem patefacta ridiculas plerunque eſſe. Clodoueus Magnus paulò ante prælium cum Viſigothis commiſſum, equum ſuum D. Martino vouerat, ea tamen conditione, vt eum centum aureis redimere ſibi liceret: quibus miſſis, nunciatur ei equum procedere nolle: miſit igitur adhuc centum, tuncque proceſſit. Ac Clodoueus, S. Martinus, ait, Bonus eſt in conſilio, ſed carus in negotio. Mirum vtique videbatur Regi Sanctos Cælites auri tam cupidos eſſe, quod tamen, dum in terris agerent, contempſerint, & pro nihilo duxerint. Non cogitauit optimus & piiſſimus Rex, hoc viuentium coruorum aucupium eſſe, non Sanctorum mortuorum. Nauclerus Gener. 17. *& Stumpſius in Chron. lib.* 3. *cap.* 60. *Quoniam igitur pecuniæ tam auidus, eiúſque tam rigidus exactor viſus fuit Martinus, ob eam cauſam à veteribus exactiones & ſolutiones cenſuum & debitorum eius diei Feſto deſtinatas reor. Hæc tamen nolim cuiquam eſſe præiudicij loco, ſed ſolùm dicta, vt alij acutiùs & diligentiùs rem veſtigent, ſi modò tanti æſtimabunt. Audientes igitur aliquando ruſtici hoc die cantare Reſponſorium de B. Martino, quod eſt, Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur, &c. cum indignatione dixerunt, & adhuc dicunt,* Martinus iſt aber hie: *in ſuum damnum commutantes nomen iuſti Abrahæ, in vernaculum* Aber hie, *quòd citius quàm vellent appropinquet.*

Dies etiam hic à plebe criticus cenſetur. De quo Mantuanus eodem loco ſic canit:

Sol hodiè ſi clarus obit, denuntiat acrem
Atque moleſtam hyemem. Si nubilus, aëra mitem
Prædicat hybernum. Dant hæc prognoſtica natis
Paſtores ouium, cùm ſeria fantur ad ignem.

CHVNIBERTVS *filius Grallonis Ducis Lotharingiæ, Colonienſis fuit Epiſcopus, temporibus Heraclij, Conſtantini & Conſtantis Imperatorum. Mortuus eſt pridie Idus Nouemb.* 12.

PASCHASIVS *Hiſpanus, quum Arrij doctrinæ adhærere nollet, à Genſerico Rege primò proſcriptus, deinde in exilium actus, demùm atrociſſimis ſuppliciis cruciatus moritur Idibus Nou. Ado in Martyrologio.* 13.

VENERANDVS *apud Trecaſinam ciuitatem paſſus eſt ſub Aureliano Imperatore,* 18. *Calend. Decembris. Pet. de Nat. lib* 10. *cap.* 60. 14.

LEOPOLDVS *Auſtriæ Marchio, cognomento Pius, ob liberalitatem in Sacrificulos & Monachos, ab Innocentio octauo Friderici tertij Imperatoris precibus inter Sanctos refertur circa annos Chriſti* 1488. *quum mortuus eſſet anno* 1136. *Panuinius in Appendice ad Platinam.* 15.

OTHMARVM *primum Sangallenſis cœnobij Abbatem, Solomon Conſtantienſis Epiſcopus in numerum Diuorum retulit anno Domini* 864. *eiúſque Feſtum per totum ſuum Epiſcopatum celebrare præcepit quotannis* 16. *Nouemb. annis à morte eius* 139. *authore Iſone Monacho Sangallenſi in Othmari vita apud Surium tomo* 6. *In Legenda eius indicatur,* 16.

quòd lagenam habuerit, quæ nunquam euacuata ſit quantumcunque pauperibus ex ea diſtribuerit. Vnde prouerbium apud Germanos ortum: vt ſi quis habeat vas aliquod, diutiùs quàm ſperabatur, copiam eius rei quæ in eo continetur, ſubminiſtrans, dicant, Es iſt S. Othmars legelen: & huius rei in Othmari Feſto præcipuè quóque fit mentio. Vualafridus Abbas Augienſis in Vita Othmari apud Surium tomo 6. hoc miraculum aliter recitat. In Tranſlatione, inquit, corporis Sancti Othmari quum ex nimia remigandi inſtantia feſsi, aduenientе refectionis hora ad recuperandas alimento corporeo vires, conſediſſent, tandémque felici conuiuio intermiſcere potus ſolatio commouerent, vnus miniſtrorum intulit, nil ibi iam potuum ſupereſſe, præter quod in Flaſcone paruo ſeruabatur. vnde vix vnicuique quidpiam ad guſtandum potiùs, quàm ad bibendum præberi potuiſſet. Illi verò ex eo paruo vaſe cunctis qui aderant diſtribui iuſſerunt. Et mirum in modum cœpit in eodem vaſculo ita liquoris hauſtus creſcere, vt continua effuſione nihil minui videretur, quoad vſque bibentes poculorum copia vincerentur. Æditues verò in Chronico ſuo dicit, poſt mortem Othmari lagenam eius ſæpius à Monachis exhauſtam nunquam defeciſſe. Apud Ethnicos quoque fuerunt λαγυνοφορείων Lagenophoriorum ſacra, quæ à Ptolemæo primùm, multorum aliarum quoque ceremoniarum ad Bacchi Cultũ pertinentium inuentore, inſtituta, & ab Alexandrinis cultu atque celebrata fuerunt, vt Athenæus Plutarchi teſtimonio comprobat. Idem author ſcribit lib. 1. in loco quodam, qui octo ſtadiis ab Elia diſtat, incolas in Bacchanalibus ſolitos fuiſſe tres lebetes vacuos præſentibus externis recludere, quos iterum aperientes vini plenos inuenerint.

17. ANIANVS Aurelianenſis fuit Epiſcopus tẽpore Martiani & Valentiniani Imperatorum, deceſsitque ex hac vita 15. Cal. Decemb.

18. GELASIVS primus Pontifex Romanus Manichæorum libros combuſsit: hymnos, præfationes, gradualia, collectas & orationes ſcripſit: libros apocryphos ab authenticis diſcreuit, ac bigamos ad Sacerdotium admiſit: Clericorum quoque ordinationes quater in anno fieri præcepit. Precum clauſulas, Verè dignum, ac Te igitur, Miſſæ adiecit: ſeque ac ſucceſſores ſuos à nemine iudicandos aſſeruit. Mortuus eſt anno Domini 497. 14. Cal. Decemb. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 77.

19. ELISABETHA Andreæ Regis Vngariæ filia. Vxor verò Ludouici Haſsiæ & Thuringiæ Landgrauij fuit, Fœmina Sanctiſsima: mortua eſt anno Domini 1231. 13. Cal. Decembris. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 79. Eo die Feſtum eius celebrandum Gregorius IX. præcepit, vt Herman. as Schadel ætate 6. Bergomenſis libro decimotertio, Sabellicus Enne. 9. libro ſexto referunt. De hoc Cranzius libro ſeptimo capite quadrageſimo octauo Metropol. ita ſcribit: Beata Eliſabeth in Marpurg canonizata extollitur, præſente Imperatore & multis Principibus, anno Chriſti 1236. Tanta ibi erat hominum multitudo, quantam ſe nemo vnquam meminerat vnà conſpexiſſe. Oblatio auri & argenti ſine fine pro miraculis quæ creſcebant circa Dominam illam. Trithemius verò in Hirſaugienſi Chronico ita ſcripſit: Anno Domini 1236. Calend. Ma. Sancta Eliſabeth in Marpurg per Archiepiſcopos Moguntinum & Treuirenſem, & Epiſcopum Hildesheim. Commiſſarios Apoſtolicos, de tumba ſubterranea leuata fuit, in præſentia Friderici Imperatoris, & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, Nobilium ac Ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æſtimatus. Imperator primum lapidem de ſarcophago leuauit, & productum ex theſauris ſuis coronam auream S. capiti S. viduæ reuerenter impoſuit: Corpus autem eius ad tumbam auream reconditum eſt. Refert idem Iacobus Montanus Spirenſis in eius vita apud Surium tomo 6.

EVGENIVS apud Lutetiam Pariſiorum paſſus eſt. Quum enim eſſet S. Dionyſij eius vrbis Epiſcopi Diſcipulus, ab eo Toletanus Pontifex ordinatur: quo in munere quum ſeſe ſtrenuè geſsiſſet in conuertendis Ethnicis, deſiderio videndi Magiſtrum Lutetiam redire contendit: non procul autem ab vrbe comprehenſus à Paganis interficitur 7. Calend. Nouemb. Petrus de Natalibus libro 10. capite 62. In vulgatis verò Calendariis dies paſsionis eius eſt 12. Calend. Decemb. 20.

PRÆSENTATIONIS Beatæ Mariæ Virginis Feſtum. 21.

CONſtantinopoli Præſentationis Beatæ Mariæ Feſtum in Nouembri celebratum circa annos Chriſti 730. Metaphraſtes tomo 5. de Vitis Patrum indicat. Et vt ex Concione Germani Conſtantinopolitani Epiſcopi apparet, celebratum fuit in memoriam eius, quòd Maria ex Matre ſua Anna ſterili nata, triennis abſque ductu aſcenderit per quindecim gradus templi, & quòd à Zacharia Propheta, quum nouo ac inaudito hactenus exemplo Deo dicata eſſet, in Sanctum Sanctorum abducta ſit, ibique ad ſecundam vſque ætatem manſerit, ac tum ſorte à Sacerdotibus miſſa, Ioſepho commendata ſit. Extat apud Surium tomo 6. de Vitis Sanctorum eiuſdem argumenti Oratio Gregorij Nicomediæ Epiſcopi. Sed hæc nullo idoneo teſtimonio antiquitatis probari poſſunt. Ipſe quoque Ianſenius

Digitized by Google

in Pſalm 119. *quæ de quindecim gradibus dicuntur, planè incerta eſſe annotauit. Non legitur autem apud probatos hiſtoricos, quòd alibi quoque à Chriſtianis hæc Feſtiuitas celebrata fuerit. Ac videtur ab idololatris in Regia illa vrbe inſtituta paulò ante Nicænam* 2. *Synodum. Progreſſu verò temporis Idololatria creſcente in aliis etiam Eccleſiis celebrari cœpit, non quidem mandato aliquo, ſed ex conſuetudine. Intelligitur hoc ex Bulla Pauli ſecundi, quæ extat in Lombardica hiſtoria capite* 84. *in qua ſcribitur, Guilhelmum Saxoniæ Ducem à Pio ſecundo petiiſſe, vt Feſtum Præſentationis Mariæ, quod annis ſingulis in terris ac dominiis ſuis* 21. *Nouemb. de conſuetudine celebretur, etiam ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ decreto & ſtatuto dicta die obſeruetur: & Pontificem quidem eius petitioni annuiſſe, ſed morte præuentum decretum non publicaſſe. Paulus igitur Papa id confirmauit & publicauit,* 1464. *anno, Cal.* 16. *Octob. Pœnitentibus etiam & Confeſſis, qui die prædicta in ſingulis Eccleſiis, Monaſteriis & aliis locis Eccleſiaſticis in quibus officium Beatæ Virginis celebrari contigerit, diuinis interfuerint, vel in vigilia eius Feſti ieiunarent, annuatim centum dies de iniunctis eis pœnitentiis relaxauit. Extant ibidem etiam literæ Adolphi Moguntini Archiepiſcopi, anno* 1468. *datæ, penultima Aug. in quibus mandat, vt Feſtum Præſentationis Mariæ quod ſingulis annis* 21. *Nouemb. celebretur de conſuetudine, deinceps annuatim perpetuis temporibus per omnes ſuas Diœceſes ſolenniter celebretur, cum propria hiſtoria de eodem Feſto, vel vbi ea non habeatur, hiſtoria de eiuſdem Natiuitate recipiatur. Platina inſtitutionem huius Feſti ex peculiari Sedis Apoſtolicæ mandato Sixto* 4. *adſcribit in Vita eius, circa annos Chriſti* 1475.

22. COECILIA *nobiliſſimi generis Romæ habuit Parentes. De ea multa nugantur Iac. de Voragine, Pet. de Natalibus, & alij quibus Lectori moleſtus eſſe nolo. Mantuanus lib.* 11. *Faſt. de eius cruciatibus quos propter Chriſtum pertulit, ſic canit:*

Almachium Virgo ferrum flammáſque minantem
Irridebat, vti cautes Marpeſia ventos.
Nupta virum fratrémque viri conuertit, & ambos
Miſit ad Vrbanum, docuit ſeruare pudorem,
Dedere ſe Chriſto, cultúmque negare Deorum.
Feruentes deriſit aquas ludebat in illa
Mortifero & bullas extrà ſaciente lauacro:
Romanaque loquens ad circumſtantia gentis
Agmina, damnabat Martem, Phœbúmque Iouémque,
Et Saturnigenas alios quos Roma putabat
Eſſe Deos: potuit Chriſtum ſuadere Latinis
Fœmina, & à veteri larnarúmque auertere cultu.
Non timuit gladios, ſed merſa in guttura ferro
Et per pulmones vſque ad nuda inguina miſſo
Inuulgabat adhuc Chriſtum, &c.

Et mox:

Denique compoſitis rebus Chriſtique ſuiſque
Ad ſuperos victa fugit virguncula Roma.
Hanc decimi menſis decimo vetus ante Calendas
Mos celebrat: Romæ Matres delubra frequentant
Transtyberina manu faculas & vota ferentes.

Quidam Guilelmus Paderbornenſis Eccleſiæ in Saxonia Epiſcopus conſtituit cum ſuo Capitulo, vt dies Cæciliæ Dominico æquaretur, ob victoriam, quæ hoc die potitus fuerat. Crantzius lib. 11. *cap.* 16. *Metrop.*

CLEMENS *I. Romanus & in patria Epiſcopus, Religionem Chriſtianam plurimùm promouit, fuit enim doctiſſimus. A Traiano Imp. ad marmora ſecanda in exilium propter Chriſtum pulſus, & anchora ad collum eius appenſa in mare tandem præcipitatus eſt anno Domini* 102. *In Epiſtolis decretalibus multa extant leges quas illi affingunt, de puerorum Confirmatione, Miſſa, Veſtibus, Papiſticis ſacris & aliis, quæ tamen cum ratione illorum temporum non congruunt.* 23.

CHRYSOGONVS *Roman. Aquileiam vinctus ductus iuſſu Diocletiani Imp. quòd Diis ſacrificare nollet, decollatus eſt* 8. *Cal. Decemb. Pet. de Nat. lib.* 10. *cap.* 101. 24.

CATHARINA *Alexandriæ nata, in Philoſophiæ ſtudiis ab ineunte ætate diligenter erudita dicitur. Poſtea ad fidem Chriſti conuerſa eſt. Narratio autem de eius vita & martyrio Petri de Natalibus lib.* 10. *cap.* 105. *& aliorum, multa habet palàm impudentia & blaſphema. Bergomenſis, Iacobus de Voragine & hic Petrus de Natalibus referunt etiam eam ad conſpectum multorum Chriſtianorum, qui ad Ethnica Sacrificia cogerentur, infremuiſſe, & in faciem Maxentio Imperatori reſtitiſſe, ac de crudelitate liberrimè eum obiurgaſſe, eámque ob cauſam illicò in carcerem iuſſu eius coniectam fuiſſe: Tandem verò ipſam tormenta varia, vt equuleum & gladios diſtentos per rotam, expertam, obtruncatione capitis martyrium ſuum compleuiſſe* 7. *Calend. Decemb. circa annos Chriſti* 310. *vt Antoninus arbitratur. Simplex eſt hæc narratio de vita & martyrio eius: cætera nimis credulis relinquimus: quemadmodum & illud, quod ex truncato eius corpore lac effluxerit, & Angeli cadauer eius in montem Sinai geſtarint ibique ſepelierint. Eam ſuperſtitioſa vetuſtas artibus & Philoſophiæ* 25.

præfecit, loco Palladis Ethnica, quòd Literarum & Philoſophia ſtudioſa fuerit.

26. CONRADVS Comes de Altorf ex illuſtri Guelforum genere natus, Nothingere Epiſcopo Conſtantienſi, cuius domeſtica conſuetudine & inſtitutione fideli, à teneris annis familiariter vſus fuerat, ſucceſſit. Omne patrimonium, quod habuit ampliſſimum, in ædificiorum ſplendorem expendit. Varia enim templa, pauperum etiam & ad loca Sancta peregrinantium domicilia, de ſuo extruxit. Ex terra Sancta, tertia vice reuerſus, ſepulchrum Domini in Conſtantienſi æde, quòd Hieroſolymitani illius formam ad amuſſim exprimeret, adornari fecit, Bruſchio & Schedelio teſtibus. Siccis eum pedibus in lacu Acronio ambulaſſe Nauclerus & Schedelius nugantur. Epiſcopatum rexit 42. annis. Mortuus eſt anno Chriſti 976. vel iuxta Lombardicam hiſtoriam 966. 6. Calend. Decembris.

27. MAXIMVS in vico proprio, cui Decomere nomen, eſt natus & in lucem editus à Chriſtianis Parentibus. Lirinenſe Monaſterium ingreſſus ita ſe geſſit ibi, vt S. Honorato Abbati mortuo ſuccederet, indéque ad Rhegienſem Epiſcopatum vocaretur, in qua functione mortuus eſt 5. Calend. Decemb.

28

De Adventv.

Maximus Taurinenſis Epiſcopus homiliam habet in Aduentu Domini: vnde apparet, circa annum Domini 450. quo tempore Maximus ille claruit, in vſu hoc Feſtum fuiſſe. Quando autem cœperit celebrari incertum eſt. ipſo quoque Eckio teſte qui homilia ſecunda de Aduentu, de hoc nihil certi conſtare fatetur: credendum igitur eſſe inquit, hoc Feſtum ex ipſa Apoſtolorum inſtitutione promanaſſe. Egregia ſane argumentatio. Quæ ſi verò credere opus habeamus, omnia ea de quibus ratio certa nulla reddi poteſt, quod ad originem eorum attinet, ab Apoſtolis inſtituta eſſe. Habet hoc fortaſſe ex Durando, qui libro ſexto capite ſecundo refert, ſed ſine omni authore, Diuum Petrum inſtituiſſe tres ſeptimanas integras ante Natale Chriſti venerari, in commemorationem Aduentus eius.

Habet autem nomen ab Aduentu Domini in carnem. Etſi enim hoc die Chriſtus homo factus non ſit inſtitutum tamen eſt hoc Feſtum, vt toto hoc tempore, quod eſt ab hoc die ad Natalem Domini vſque, præparentur Chriſtianorum animi ad ſobriam vitam, piámque meditationem Natiuitatis Chriſti. Vnde etiam mos ortus eſt & conſuetudo in Papatu, vt tribus diebus Iouis, proximè Natalem Chriſti præcedentibus, pueri & puellæ noctu diſcurrant & oſtia pulſent, ſic Natiuitatem Domini hominibus in memoriam reuocare volentes. De hoc neſcio quàm Chriſtiana conſuetudine Naogeorgus lib. 4. Regni Papiſtici ſic canit:

Das böcklein vor Weinacht

Hebdomadas tres ante diem qua natus Ieſus
Creditur, atque die Iouis, & pueri atque puellæ
Diſcurrunt, pulſántque palàm oſtia cuncta domatim,
Aduentum Domini clamantes, forſitan haud dum
Nati, ac optantes felicem habitantibus annum.
Inde nuces capiunt, pira, nummos, poma, placentas:
Quiſque lubens tribuit. Tres illæ nánque putantur
Noctes infauſtæ. Satanæ nocumenta timentur,
Sagarúmque artes, odiumq́; immane, Papiſtis.

Superſtitio hæc eſt planè Ethnica. Apud Romanos enim Lemuria celebrata fuiſſe ſuo loco diximus, tribus quoque noctibus, ad placandos Manes, eóſque ex ædibus abigendos. Vide noſtrum librum de origine Feſtorum Ethnicorum fol. 93. vbi inter cætera quoque ex Ouidio indicauimus, non licuiſſe toto Lemuriorum tempore nuptias celebrare, quòd infauſta haberentur: idque etiam in Religionem Chriſtianam tranſlatum eſſe, ex Ilerdenſi Synodo conſtat, in qua decretum fuit, ne ab Aduentu Domini vſque ad Epiphaniam nuptiæ celebrentur. 33. q. 4. Non oportet. Legitur etiam in Decreto Iuonis lib. 6.

Obſeruatur portò hoc tempore alia quóque profana & impia conſuetudo à Chriſtianis, de qua Naogeorgus eodem loco ſic etiam canit: Das loſen vor Weinacht.

Illis diuinant etiam inquirúntque diebus
Apta connubio tam laſciuaque Puella
Nomine deſponſi, quicúnque eſt ille futurus.
Quatuor accipiunt capas, vel quinque, vel octo,
Atque indunt certum nomen, pro altiſque capitum
Cuique: dein propter fornacem ex ordine ponunt.
Et quæ prima ſuum protrudit capula germen,
Illius haud dubiè nomen quóque ſponſus habebit.
Inquirunt etiam ſponſi moreſq́; animúmque:
Sol poſtquam occiduus cœlum terráſque reliquit.
Nánque ſtruem lignorum adeunt tum, pérque tenebras
Fortuitò inde ſudem caſu quaq́; extrahit vnã:
Quæ fuerit ſi recta, & nullis horrida nodis,
Commodus ac comis ſperatur ritè maritus:
Sin verò praua, & nodis incommoda duris,
Improbulum ac prauum ſperant obtingere Sponſum.
Iſta ferunt & alunt ſcelerati impunè Papiſtæ,
Quòd fidei ignorent vera fructumq́; ſcopumq́;

Et

Et quiduis malim indoctam ludere plebem,
Quàm verum noſſe; atque Deo ſua credere tantùm.

De numero verò & ordine Dominicorum Aduentus, orta eſt poſt annum Chriſti milleſimum inter nonnullas contentio & diſceptatio. Quidam enim, ſi Natalis Domini in ſecundam incideret feriam quinque numerabant, alij verò quatuor: & hi tuebantur ſe authoritate Gregorij Magni, qui in libro Sacramentorum ſeu Miſſali, quatuor tantùm Dominicarum Aduentus mentionem facit: illi verò nitebantur Lectionario Hieronymi Presbyteri, vbi quinque recenſentur Dominica Aduentus, & ea qua Gregorio eſt quarta, nuncupatur prima. Berno autem in Epiſtola ad Aribonem Archiepiſcopum Gregorij ſententiam retinendam teſtimoniis & rationibus probat. Verùm neque ſecundùm Gregorium quatuor ſemper ſunt ab Aduentu vſque ad Natalem Chriſti hebdomada, niſi ſeptima quoque anno: ſed fit, vt interdum vna tantùm dies computetur pro tota hebdomada, quando nimirum Natalis Domini in feriam ſecundam inciderit: quandóque duo tres, ſi Natalis in tertiam, quartam inciderit, & ſic deinceps. De quo eleganter Mantuanus libro duodecimo Faſt. ſic canit:

Tempus id Aduentum dicunt modò quatuor vſque
Tendit in hebdomadas, modò tres: ſed ſemper oportet
His tribus hebdomadis partem ſuper addere quarta,
Ad ſex vſq; dies, quod ſexto implebitur anno.
Septimus hebdomadum cùm iam compleuerit annus
Ad tres hebdomades lucemq; reueſtitur vnã.
Hac via perpetuum varians decurrit in orbem.
Meta dies Natalis erit: mutabile verò
Principium quandóque opus eſt intrare Nouembrem,
Atque dies auferre aliquot: quandóque December
Sufficit. Hac autem fluit inconſtantia ab ipſo
Natali, quem fert modò Sol, modò Cynthia, & Aſtra
Catera, qua ſeptem nomen fecere diebus.
Cùm ſolenne Dei Titan Natale repartat
Maximus Aduentus: cùm Luna, breuiſſimus exit
Mars & Atlandiades, & Iupiter, & Venus addunt
Vnum quiſq; diem: dat lux Saturnia ſextam:
Cuius apud Solymam manet obſeruantia gentem.

Agitur autem in Dominica prima Aduentus de ingreſſu Meſſia in vrbem Hieraſolymam. Secunda, de aduentu eiuſdem ad iudicium extremum. Tertia, de aduentu eius ad miniſterium, cuius Pracurſor fuit Ioannes. Quarta Dominica agitur de praparatione ad Chriſti aduentum, iuxta doctrinam Propheta: Parate viam Domini.

SATVRNINVS *Presbyter cum aliis 366. paſſi ſunt 17. Calend. Nouemb. iuxta Petrum de Natalibus lib. 11. cap. vltima. In vulgatis verò* 29
Calendariis ponitur ad 3. Calend. Decemb.

ANDRÆAS *natus eſt in Bethſaida vico* 30
Galilae, patre Iona: Frater fuit Simonis Petri, profeſſione Piſcator, à qua ad Apoſtolatum vocatus eſt, Matth. 4. Accepta Spiritu Sancto in Scythia, iuxta Euſebium lib. 3. cap. 1. vel ſecundùm Nicephorum, in Cappadocia, Galatia, Bithynia & Scythia Euangelium docuit & propagauit. Sub Imperatore Veſpaſiano anno Chriſti 80. in crucem actus eſt ab Ægeo Edeſſenorum Praefecto, in Achaia vrbe Patris. Anno 20. Conſtantij, Chriſti verò 359. tranſlata ſunt eius reliquia Conſtantinopolim, & collocata in magno SS. Apoſtolorum templo: ex quo tempore credibile eſt memoriam eius ſolenniter celebratam. Theod. Lector lib. 2. Collectan. & Platina. Huic Apoſtolo Gregorius Magnus adeò fuit addictus, vt primum eius fecerit Officium. Beleth in Ration. cap. 164.

De ritu qui in Papatu obſeruatur in D. Andraa Feſto ſic Naogeorgus libr. 4. Regni Papiſtici canit:

Andraa Amatores vulgò turbaq; procorum
Dona ferunt, credúntque illius numine dextro.
Praſtigiiſque aliis tacita ſub nocte peractis
Spem rectam fore, ſeque frui re poſſe cupita.

DECEMBER.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ menſe DECEMBRI à Chriſtianis celebrantur.

ELIGIVS *Lemonicenſis Aurifaber, tandem* 1
fit Epiſcopus Viromanduenſis ſeu Nouiomenſis, & mortuus eſt anno atatis 80. Col. Decemb. Petrus de Natal. lib. 1. cap. 27.

CANDIDVS *Eccleſiaſticus Scriptor claruit* 2
tempore Seueri Imp. Meminit eius Euſebius lib. 5. cap. 27.

CASSIANVS *ex Ethnico Chriſtianus* 3
factus Martyrium propterea paſſus eſt in ciuitate Tingitona metropoli Mauritania, 3. Non. Decemb. Petrus de Nat. lib. 1. cap. 21. ex Martyrologio Adonis.

BARBARA *Patrem habuit Nobilem* 4
quidem Virum, ſed Ethnicis ſuperſtitionibus maximè deditum, à quibus Barbara Chriſtiana facta vehementer abhorruit. Ob forma elegantiam turri eam incluſit Pater ne à quoquam videri poſſet. Cùm verò nullo modo à

propoſito dimoueretur puella, crudeliſſimè eam tractat Pater: tandem eam Præſidi Prouinciæ Martiana tradidit. Is eam quam fruſtrà blanditiis emollire ſe cerneret, nudatam neruis bubulis grauiſſimè cædit: dehinc ferreis vngulis dilaceratæ faces accenſas admouet: tum & caput malleolis pertundit, ac poſtremò vbera præſcindit, & gladio eam feriri iubet. Martyrij & cædis Miniſter fuit Parens eius, qui & mox fulmine de cœlo percuſſus fuit. Paſſa eſt Nicodemiæ ſub Imp. Maximiano prid. Non. Dec. Pet. de Nat. lib. 1. cap. 25. & Surius ex Petro Galeſinio.

EDMVNDVS Anglus, quem alij Oſimundam vocant hoc ipſo quoque die colitur. Procurata fuit eius canonizatio vſque ad tempora Gregorij IX. ſed morte Gregorij impedita fuit. Idem tentatum fuit ſub diuerſis Romanis Pontificibus. Demum per Calixtum 3. fuit opus conſummatum, & aſcriptus ſolenniter Catalogo Deorum Pontificiorum anno Domini 1457. & ordinatum de eo fieri officium, ſicut de Confeſſore Pontifice, prid. Non. Dec. quo die migrauit ad ſuos Patres. Antoninus tit. 24. cap. 12. Sabellicus Enne. 10. lib. 6.

5. SABINA paſſa eſt Abella vrbe Hiſpaniæ ſub Datiano Præſide. In equuleo adeò fuit extenſa primò, vt omnes compages membrorum eius ſoluerentur. Deinde caput eius lapidibus ſuppoſitum vſque ad excuſſionem cerebri validiſſimis vectibus fuit contuſum, atque ita martyrium ſuum compleuit 6. Calend. Nouemb. vt Petrus de Natalibus ex Adone refert lib. 9. cap. 114. In vulgatis autem Calendariis memoria eius feſtum ponitur ad Non. Decemb.

DE SANCTO NICOLAO

NICOLAVS natus eſt Patara vrbe Lyciæ, & ex Laico factus ob pietatem Epiſcopus Myrenſis, mortuúſque eſt anno Chriſti 343. 8. Idus Decemb.

Ritus in hoc Feſto. Mos eſt plurimis in locis, vt in Vigilia Sancti Nicolai parentes pueris ac puellis clàm munuſcula varij generis dent, illis opinantibus, S. Nicolaum cum ſuis famulis hinc inde per oppida ac vicos diſcurrere, per clauſas feneſtras ingredi, & dona ipſis diſtribuere. Originem duxit hic mos ex fabella, quæ S. Nicolao affingitur, quòd dotem dederit tribus filiabus egeni cuiuſdam ciuis, ipſas ob egeſtatem proſtituere volentis, hoc modo: Coniecit crumenam pecunia refertam clàm, noctu per feneſtram in cubiculum Patris earum, vnde honeſtè eas elocare potuit. Extat hiſtoria prolixè deſcripta apud Antoninum parte 2. tit. 9. cap. 3. §. 5. Vincentium in ſpeculo hiſtor. lib. 14. cap 68. Ioannem Iuſtinianum Cretenſem in Sermone de hoc Sancto: ſed ita, vt meram fabulam eſſe quiuis facilè intelligat. Antoninus enim haud obſcurè aſſerit, hoc accidiſſe Pataræ ante Epiſcopatum: Iuſtinianus autem videtur innuere, hoc accidiſſe quum iam Epiſcopus fuiſſet electus: quin etiam dubitat, verum nè ſit an non, quod Antoninus & alij confidenter affirmant, pauperem hunc hominem de proſtituendis Filiabus cogitaſſe, vt ſibi victum inde parare poſſet. Vt de charitate Sancti Nicolai, inquit, conſtat, ita de inito conſilio, aut etiam de cogitatione tanti ſceleris, in medio à me relinquetur. Neque enim ego mihi id ſumam, vt vel negare auſim, quod iam diu eſt receptum: vel prorſus affirmare, quòd adeò eſt enorme, vt laboret à fide. Solet etiam S. Nicolaus à periclitantibus in mari aut quauis alia aqua, inuocari. Huic idolomaniæ fabula originem dedit, quæ extat apud Vincentium lib. 14. cap. 70. & Mantuanum lib. 12. Faſt. vbi ſic canit:

> Cum turbine nautæ
> Deprenſi Cilices magno clamore vocarent
> Nicolai viuentis opem, deſcendere quidam
> Cœlituum viſus Sancti ſub imagine Patris:
> Qui freta depulſo fecit placidiſſima vento.

Alia fabula, quæ ſimplices in eundem errorem induxit, extat quoque apud Vincentium libro eodem cap. 76. de puero cum aureo vaſe in mare ſubmerſo, ſed à Nicolao Patri reſtituto.

Quidam Prior hiſtoriam S. Nicolai in ſua Eccleſia legi noluit quæ res tamen ei malè ceſſit, vt Durandus nugatur lib. 7. cap. 39. Rational. Cum in quadam, inquit, Eccleſia, quæ dicitur Crux, ſubiecta Monaſterio Beatæ Mariæ de Charitate, nondum hiſtoria Sancti Nicolai cantaretur, fratres Priorem eius loci, vt eam ſibi cantare liceret, inſtanter rogarant: ille verò hoc præcisè negauit, incongruum fore dicens, priſtinam morem nouitatibus immutare. Illis verò inſtantibus indignatus reſpondit: Recedite à me, quia noua cantica, imò ioculatoria quædam in mea Eccleſia non cantabuntur. Adueniente autem eiuſdem Sancti Feſtiuitate, quum fratres omnes cum quadam animi triſtitia ſe in lectum recepiſſent, ecce B. Nicolaus (non verus, ſed vnus ex Fratribus aut Monachis iſtis) Priori viſibiliter terribilis apparuit: quem è lecto extrahens per capillos, dormitorij pauimento alliſit, & incipiens Antiphonam, ô Paſtor Æterne per ſingulas vocum differentias virgis, quas in manu tenebat, grauiſſimos ictus ſuper dorſum illius ingeminans, per ordinem moroſè cantando Antiphonam ipſam ad finem vſque perduxit. Omnibus ergò clamoribus illis excitatis, ſeminiuus ad lectum deportatur, qui tandem ad ſe rediens, dixit: Ite, & hiſtoriam nouam S. Nicolai decantate.

AGATHON Martyr Alexandriæ ſub Decio Imp. paſſus eſt. Is quum eſſet miles, & prohiberet quoſdam Gentiles illudentes cadaueribus Martyrum, clamor repentè totius vulgi aduerſus eum extollitur, Oblatúſque iudici, quam in confeſſione 7.

Digitized by Google

feſſione Chriſti perſiſteret, capite damnatus eſt 7. Idus Decemb. vt Pet. de Nat. lib. 1. cap. 37. ex Adone refert.

1. ## Conceptionis B. Mariæ Feſtum.

Feſti huius Antiquitas.

C*Onceptionis B Mariæ Feſtum recens eſſe Bellarminus Ieſuita quoque fateri cogitur, tomo 1. Diſputationum colum. 2271 vbi dicit, D. Bernardi tempore cœpiſſe, qui claruit circa annum Domini* 1120. *Anſelmus autem Cantuarienſis Archiepiſcopus ad paulò altiorem originem refert, in Epiſtola ad Coepiſcopos ſuos cunctóſque orthodoxas, quæ extat apud Iacobum de Voragine in Legenda aurea, ſeu Lombardica hiſtoria, cap. 188. in qua de Origine & prima inſtitutione huius Feſti ſic ſcribit: Conceptio veneranda Dei Genetricis & perpetuæ Virginis Mariæ, dilectiſſimi Fratres, quemadmodum per multorum ſignorum experimenta in Anglia & Francia, cæteriſque conclimatibus celebranda ſit olim declarata me narrante audiat dilectio veſtra Tempore nánque illo, quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis corrigere, ſuaque ſeruitutis officiis arctius adſtringere, glorioſiſſimo Normannorum Duci Gulielmo eandem patriam debellando ſubegit. Et Regi eorum Haraldo nomine impio & tyranno, Clerique perſecutori, & honoris Eccleſiaſtici ſubuerſori, reddidit in bello pro meritis talionem. Quo caſo, Guilelmus factus Dei virtute & induſtria ſua Anglorum Rex, totius Eccleſiaſtica dignitatis honores in melius reformanit. Audientes autem Daci Angliam ſubiectam eſſe Normannis, grauiter indignati ſe ſuo quaſi hæreditario iure priuari, arma præparant, claſſem aptant vt eos adeuntes à data ſibi diuinitus patria expellant. Hoc comperto, Guilelmus Rex prudentiſſimus Helſinum quendam religioſum Abbatem Rameſienſis cœnobij ad Daciam dirigit. vt inquirat veritatem huius rei. Hoc Regis negotium ſtrenuè ille perſequitur Quo fideliter peracto ad Angliã reuerti cupiens mare ingreditur, & iam maximam partem maris proſpero curſu tranſierat,*

Quum ſubitò denſis ſurgentibus vndiq; ventis,
Horrida tempeſtas cœlum commouit & vndas.

Fatigatis igitur Nautis, nec vltrà valentibus obniti. fractis remis funibus ruptis, cadentibus velis. ſpes ſalutis amittitur: Cúmque animarum curam Creatori ſuo magnis clamoribus commendarent, & Beatiſſimam Dei Genitricem Mariam deuotè inuocarent, ſubitò quendam venerandæ beatitudinis virum Pontificali infula decoratum, quaſi inter vndas naui proximum viderunt. Qui aduocans ad ſe Helſinum Abbatem, his verbis cœpit compellare eum. Vis, inquit, periculum euadere? vis ad patriam ſanus ire? Cúmque ille cum fletu in toto corde deſiderare id ſolum reſponderet: tunc ille Scias, inquit, me ad te à Domina noſtra Dei Genitrice Maria ad quam dulciter reclamaſti directum: & ſi dictis meis obtemperare volueris ſanus cum comitibus imminens euades periculum maris. Spondet ille illicò ſe ei in omnibus obtemperaturum, ſi hoc euaderet periculum. Promitte, inquit, Mihi & Deo quòd diem Conceptionis & Creationis Matris Chriſti celebrabis & celebrandum prædicabis. At ille, ecquis, inquit, mihi dies hoc Feſto erit celebrandus? Sexto. ait, Idus Decemb. hoc Feſtum tenebis. Et quo inquit Abbas, officio vtemur in Eccleſiaſtico obſequio. Omne, inquit, officium quod dicitur in Natiuitate eius, dicetur in Conceptione excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille diſparuit: & citius dicto ſedata tempeſtate, Abbas cum ſuis incolumis concito flatu applicuit Anglicis littoribus: & quæ viderat, & audierat quibus potuit notificauit. Statim autem illud Feſtum in Ramſienſi cœnobio ſolenniter celebrari, & ipſe quoad vixit deuotis obſequiis ſolenniter celebrauit Facta ſunt hæc ſi vera dicuntur anno Chriſti 1068. *Nam, vt Polydorus Vergilius in fine libri octaui Anglicæ hiſtoria teſtatur, cæſus eſt Haraldus Angliæ Rex à Gulielmo Normanno anno Domini* 1067. *pridie Idus Octob is, & ipſe Angliæ Regno potitus eſt. Sed inſunt huic narrationi multa, quæ non immeritò fidem huius epiſtolæ eleuant, vt vix credatur ab Anſelmo ſcripta. Primò rei huius geſtæ ne verbulo quidem meminit Polydorus, diligentiſſimus Anglicarum rerum Scriptor Deinde, quæ de Halardo referuntur, quòd fuerit impius, tyrannus, Cleri Perſecutor & honoris Eccleſiaſtici Subuerſor, falſiſſima ſunt, ſi Polydoro credere voluerimus: nam libro octauo dicit, Haraldum, ad promerendam ſuorum beneuolentiam, neque liberalitate, neque clementia, nec comitate viendi vllam occaſionem omiſiſſe: vectigalia aut aboleuiſſe, aut minuiſſe: militibus ſtipendia, miniſtris mercedem adauxiſſe. De Guilelmo autem Normanno, quem fictus ille Anſelmus tantúmnon ad cœlum extollit, ſcribit libro nono, quòd durè cœperit in Anglos dominari, arbitrans poſſe ſe faciliùs ita eos in officio continere, ideóque plurimis Optimatibus ac priuatis ciuibus bona cum honoribus adempta Normannis diſtribuiſſe, noua quotidiè vectigalia impoſuiſſe, nobilitatem nullo numero habuiſſe, ita vt vniuerſis perniciem per hoc machinari viſus fuerit. Ignorauit etiam hoc ſcriptũ Anſelmi Petrus de Natalibus, qui libro primo Catalogi Sanctorum capite decimo tertio, primam inſtitutionem huius Feſti ipſi Anſelmo adſcribit, tum etiam, quæ fictus Anſelmus Helſino in mari accidiſſe refert, ea omnia Anſelmo eueniſſe ſcribit. Huius inquit, celebrationis Feſti principium fuit B. Anſelmus Prior monaſterij Beccenſis, poſtmodum Cantuarienſis Epiſcopus,*

propter tale miraculum, quod ei apparuit. Dum ipſe monaſterij Prior, pro quibuſdam vrgentibus ad partes Britanniæ nauigaſſet, diſpoſitiſque agendis repatriaret, contigit tempeſtate nimia exorta, & intumeſcente procella nouem periclitari. Et dum cuncti in diſcrimine nimio poſiti, omnique ſpe humana deſerti Diuinum adiutarium, & B. Virginis flagitarent, potiſſimè autem Prior Anſelmus, qui Beatæ Dei Genitricis fuerat ſingularis deuotus, ſubito conſpiciunt quendam mirabili claritate fulgentem, Pontificabili habitu decoratum ſuper vndas maris verſus nauem ambulando venire. Qui proximus naui Anſelmum vocat, eúmque alloquitur, vt ſi periculum maris euadere cupiat, & in patriam ſaluus redire, eidem promittat coram Deo, quòd Feſtum Conceptionis Mariæ, annis ſingulis ſolenniter celebraret, & celebrandum quibuſcúnque poterit ſuaderet. Et quum ille de die Feſti & officio fiendo interrogaſſet? Reſpondit quòd 6. Id. Decemb. Feſtum illud celebrari debeat, qua die Beata Virgo concepta ſit, & quòd idem officium, quo Eccleſia vtitur in eius Natiuitate, in hoc Feſto dicendum ſit, mutato ſolo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis. Et quum Prior de nomine Nuncij interrogaſſet, reſpondit, ſe eſſe Nicolaum Epiſcopum à beata Dei Genetrice pro tali reuelatione & eorum liberatione tranſmiſſum. Mox Anſelmus iuſſa promiſit, & voto interpoſito confirmauit, ſtatímque ſedata eſt tempeſtas, & ſtante vento proſpero ad propria redierunt. Et ſic ab eadem Anſelmo prius in Monaſterio ſua, & deinde in Eccleſia Cantuarienſi, cui præfuit, dictum Feſtum celebrari cœpit. Prior autem fuit Monaſterij Beccen. ante annum Domini 1080. quo Abbas factus eſt, & anno ſalutis 1094. Epiſcopus creatus fuit, vt Dodechinus refert. Ex hoc verò tempore pluribus quoque in Eccleſiis aliis hæc conſuetudo inoleuit, vt Feſtum Conceptionis B. Mariæ Virginis, 6. Idus Decemb. & in Calendariis aſcriberetur, & ſolenni officio celebraretur, non quidem ex generali Eccleſiæ inſtitutione, ſed ex ſpeciali quorundam deuotione, vt Petrus de Natalibus dicto loca teſtatur. Vnde & in Oxonienſi ſynodo, anno Domini 1222. celebrata, ſancitum fuit, Conceptionis feſtum nemini vt neceſſarium imponendum.

Feſtum hoc initio inſtitutum non propter immaculatam Conceptionem Mariæ.

Obſeruandum verò, Feſtum hoc à principio inſtitutum non fuiſſe ob conceptionem immaculatam B. Mariæ Virginis, quod ex Petro de Natalibus clarè intelligitur, qui dicit, celebrari cœpiſſe ab ſanctificationem eius in vtero: quia verò tempus ſanctificationis huius fuerit ignotum ſub nomine & vocabulo Conceptionis inſtitutum Feſtum de tali ſanctificatione Bellarminus quóque fatetur tomo 1. Diſput. col. 2270. fundamentum huius Feſti præcipuum non fuiſſe Conceptionem Immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ: qualiſcunque enim fuerit illa Conceptio, eo ipſo quòd Conceptio ſit matris Dei, ſingulare gaudium afferre mundo eius memoriam, tunc enim primùm habuimus pignus certum Redemptionis, præſertim cùm non ſine miraculo ex matre ſterili concepta fuerit: ideóque etiam illos celebraſſe, ait Bellarminus, hoc Feſtum progreſſu temporis, qui putarint Virginem in peccato conceptam. Hæc verò res ſuperſtitioſis hominibus mox anſam & occaſionem præbuit, diſputandi de Conceptione Beatæ Virginis, qualis illa fuerit puráne an impura? Magiſter ſententiarum, Petrus Lombardus, qui claruit anno Chriſti 1160. arrepta occaſione ex Auguſtini verbis, vt Cemnitius indicat parte 1. Examinis Tridentini Concilij, incepit ſine verba Dei diſputare, fieri potuiſſe, cùm Maria ex Spiritu Sancto conciperet Chriſtum, quòd & ipſa ſimul tota ab omni peccato, etiam ab ipſo fomite mundata, & penitus liberata fuerit. Qui verò Lombardum ſequuti ſunt, non contenti fuerunt illa opinione, ſed longiùs progreſſi, cœperunt diſputare, Mariam cùm primùm in peccato originali concepta fuiſſet, poſtea in vtero Sanctificatam, ſine peccata natam fuiſſe. Et cùm nulla Scripturæ teſtimonio hoc probari poſſet, apocrypha hiſtoria Natiuitatis Mariæ, quæ nunc in Proteuangelio Iacobi extat, primò tanquam opinio non omninò improbanda propoſita poſteà verò tanquam canonica veritas approbata fuit. Cúmque iam in duabus de Maria Virgine quæſtionibus, extra ſcripturæ limites exceſſum fuiſſet, in Scholis quidam longiùs progreſſi diſputare cœperunt, Mariam Virginem etiam conceptam fuiſſe ſine peccata originali: quam ſententiam publicè defendit Scotus Minorita, qui celebris fuit circa annos Domini Milleſimum, treceteſimum, decimum. Vnde intelligit Lector, quid tandem conſequatur quando primùm, ſpecie aliqua bonæ intentionis à Scripturæ teſtimoniis paululùm diſceditur: illud nimirum, quod Dialecticorum regula docet, vt vna inconuenienti dato, multa alia ſequantur. Fuerunt tamen plurimi, qui Scoto eiúſque ſectatoribus non in Scholis tantùm, ſed etiam coràm populo contradicerent, réſque magnis contentionibus acta fuit vſque ad Baſilienſe Concilium anno Chriſti Milleſima, quadrageſimo, trigeſima nono celebratum, quod hanc quæſtionem decidit. Nam Seſſione trigeſimo ſexta manifeſtè docet, Mariam nunquam ſubiacuiſſe originali peccato, nullique de cætero licitum eſſe debere, in contrariam partem prædicare vel docere: Feſtum etiam in memoriam puriſſimè eius Conceptionis poſthac ab omnibus Eccleſiis Sanctè celebrandum decreuit, multis additis indulgentiis. Verba Concilij hæc ſunt: Hactenus difficilis quæſtio in diuerſis partibus, & coram hac Sancta Synodo ſuper Conceptione glorioſæ virginis Mariæ Matris, & exordio Sanctificationis eius Facta eſt, quibuſdam dicentibus,

Digitized by Google

dicentibus, ipſam Virginem & eius animam per aliquot tempus, aut inſtans temporis ſubiacuiſſe actualiter originali peccato: aliis autem è conuerſo dicentibus, à principio creationis ſuæ, Deum ipſam diligendo gratiam eidem contuliſſe, per quam à macula originali illam Beatiſſimam Perſonam liberant & præſeruant, Sublimiori Sanctificationis genere redemit, cùm fundaret illam altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret filius Dei Patris, vt eſſet Mater eius in terris. Nos verò diligenter inſpectis authoritatibus & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriuſque doctrinæ coram hac Sancta Synodo allegata ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis doctrinam illam, aſſerentem glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam, præueniente & operante Diuini Numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctámque & immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi & ſacræ Scripturæ, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, definimus & declaramus, nulliique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere. Renouantes interea inſtitutionem de celebranda Sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias 6. Idus Dec. antiqua & laudabili conſuetudine celebratur, ſtatuimus & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis & Conuentibus Chriſtianæ Religionis, ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendum eſſe, cunctiſque fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ea die Miſſarum ſolenniis centum, primis autem vel ſecundis veſperis totidem ſermoni verò verbi Diuini de ea feſtiuitate intereſſentibus 150. dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis ſibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus elargitur. Anno Domini 1466. *Sixtus* 4. *decretum edidit, quod extat in Extrauagantibus libro* 5. *de Reliquiis & vener. Sanct. in quo conſtituit Feſtum de mira Conceptione B. Mariæ, cum peculiari officio, quod compoſuit Leonardus Nagarolus Italus, in eóque docet, ſine peccato originali Mariam conceptam, ab omnibus Fidelibus celebrandum eſſe, additis iiſdem indulgentiis, quas conſequuntur homines in Corporis Chriſti ſolennitate. Rursùs verò anno* 1483. *in alio decreto vtranque ſententiam liberam relinquit, & excommunicat tam eos, qui docent, omnes illos, qui aſſerant, Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam hæreticos eſſe: quàm illos qui audeant dicere, contrariam opinionem tenentes, mortaliter peccare: idque propterea, quod à ſancta Romana Eccleſia lis hæc nondum ſit deciſa. Hanc conſtitutionem Sixti obſeruandã eſſe, Synodus quoque Tridentina decreuit Seſſione quinta.*

Sed dum excommunicant eos, qui docent Mariam in peccato originali conceptam, certè damnant, PRIMÒ, *verbum Dei, quod ab originalis peccati macula ſolum excipit Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum Deum & hominem. De reliquis generaliter dicit Paulus Rom.* 5. *In omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccauerunt. Item, per vnius delictum propagatum eſt malum in omnes ad condemnationem. Cap.* 3. *dicit, Omnes peccato ſunt obnoxij, ſicut ſcriptum eſt. Non eſt iuſtus, ne vnus quidem. Non eſt qui intelligit. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui exerceat bonum, non eſt vſque ad vnum, &c.* SECVNDÒ, *damnant etiam omnes Sanctos Patres, qui iam inde ab Apoſtolorum ætate, idem quod verbum Dei docuerunt, vſque ad Scholaſticorum tempora. Author Sermonis de Circumciſione Chriſti, qui apud Cyprianum extat, peccatum originale dicit, de primis parentibus in totam humani generis ſucceſſionem defluxiſſe. Origenes homilia* 10. *in Num. & homilia* 12 *in Ioſue, Sancti, inquit, non ſunt ſine peccato. Cyprianus Serm. de Tentatione Chriſti: Fuere, ait, & ante Chriſtũ viri inſignes, & Prophetæ & Sacerdotes, ſed in peccato concepti & nati, nec originali nec perſonali caruerunt delicto: & inuenta eſt in omnibus vel ignorantia, vel inſufficientia, &c. Rursùs Origenes homil.* 8. *in Leuit. legem ait de immunditia puerperarum oſtendere, quòd quæcúnque anima in carne naſcitur, iniquitatis & peccati ſorde polluatur: & neminem mundum eſſe à ſorde, nec ſi vnius diei ſit vita eius. Idem docet homilia* 3. *in Num. Lactantius lib.* 6. *contra Gentes cap.* 13. *Nemo, ait, ſine delicto eſſe poteſt, quandiu indumento carnis ornatus eſt. Baſilius in Serm. de Pœnitentia. Nemo hominum ſine peccato eſt. Gregorius Nazianzenus in Epiſtola conſolatoria de Patre tacente: Cognoſcimus, quòd penitùs nil peccare, ſupra hominis ſit vires, ac Dei ſolius. In Oratione infamatrice* 2. *in Iulianum: penitùs à peccato liberum eſſe, Deus ſupra humanam naturam ordinauit. Ambroſius libro primo, capite ſecundo: Quis eſt qui mundum cor à peccatorum habeat colluuione? aut non delinquat in lingua ſua? In Apologia Dauid, capite ſexto: Non inuenitur quiſquam illibatus à culpa. Auguſtinus de fide ad Petrum capite vigeſimo tertio: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum & ob hoc natura filium iræ naſci. De nuptiis & concupiſcentia: Ideò Chriſtus non de concubitu naſci voluit, vt hinc etiam doceret, omnem qui de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati, quandoquidem ſola, quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati. De perfectione*

Omnes homines in peccato concipi.

iuſtitia: Quiſquis eſſe vel fuiſſe in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat excepto vno Mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuiſſet Remiſſio peccatorum, contrarius eſt Scripturæ vbi Apoſtolus ait: Per vnum hominem peccatum intrauit, &c. Et contra Iulianum lib. 5. cap. 9. dicit, qui aliter ſentiat hæreticum eſſe: cum enim dixiſſet, Si abſque dubio caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati, quid reſtat vt intelligamus, niſi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem eſſe peccati? mox ſubiicit, Quiſquis hoc negat deteſtandus hæreticus inuenitur. Affirmat ibidem, Mariam in concupiſcentia originali conceptam: ſic enim ait. Hinc apparet, illam concupiſcentiam per quam Chriſtus concipi voluit, feciſſe in genere humano propaginem mali: Quia Maria corpus, quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. De Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 86. ait: Nullus Sanctus & Iuſtus caret peccato. Theodoretus inquit quæſt. 9. in Num. Cùm hominum natura mutationi ſit obnoxia, ab omnibus immunem eſſe peccatis eſt impoſſibile. Beda libro 3. in Marcum cap. 9. ait: Confiteatur Catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis naſcitur. Albinus libro 5. in Ioannem, cap. 9. Omnes homines, præter illum ſolum, qui ex Virgine natus eſt, Originali peccato cæci, id eſt, cum peccato nati ſunt. Rabanus libro 9. in Eccleſiaſticum, cap. 2. Omnis homo ex viri ſemine & mulieris natus, cum peccato naſcitur. Remigius in Pſalm 98. Nullus eſt ita Sanctus, vt omninò careat peccato. TERTIÒ, damnant etiam Doctores qui poſt hæc tempora claruerunt, & magnam Scholaſticorum partem, qui neminem quantumuis ſanctiſſimum ab Originali peccato exceperunt. Et de Maria quidem disertè Anſelmus Cantuarienſis, quem Petrus de Natalibus authorem Feſti Conceptionis facit, ita ſcribit libro 2. cur Deus homo, cap. 16. Primùm quæro, qualiter de maſſa peccatrice & humano genere quod totum infectum erat peccato hominem ſine peccato, quaſi Azymum de fermento, Deus aſſumpſit? Nam licet ipſa hominis eiuſdem conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipſa, vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam Mater eius: & cum Originali peccato nata eſt: quia & ipſe in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. At poſtquam conſtat hominem illum eſſe Deum, ac peccatorum Reconciliatorem: dubium non eſt eum omninò ſine peccato eſſe: non autem eſſe, non valet, niſi abſque peccato de Maſſa peccatrice ſit aſſumptus. Bernardus in Serm. de excellent. & Sanctitate B. Ioan. Baptiſtæ: Quicunque de Maſſa præuaricante mundum ingredimur, longam reſtem Originalis peccati nobiſcum trahimus: Solus ille qui peccatum non fecit, excipitur, &c. Serm. 78. ſuper Cantica: Sine quo generalis velamine confuſionis nemo filiorum hominum intrauit hanc vitam, vno ſanè excepto qui ingreditur ſine macula. Lombardus libro 3. diſtinct. 3. inquit: Sanè dici poteſt & credi, iuxta Sanctorum atteſtationes conuenientiam, ipſam verbi carnem prius peccato fuiſſe obnoxiam ſicut reliqua Virginis caro: ſed Spiritus Sancti operatione mundatam, &c. Thomas in librum Iob capite ſexto: Certum eſt, quod ex conditione fragilitatis humanæ nullus homo eſt immunis à peccato, quantumcunque iuſtus appareat. Et prima ſe. vndæ, quæſtione 81. articulo tertio. Secundum fidem catholicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines, præter ſolum Chriſtum ex Adamo deriuati, peccatum Originale ex Adamo contrahant: alioqui non omnes Redemptione indigerent. Albertus ſuper 2. Sent. diſtin. 30. Originale peccatum eſt in omnibus lege concupiſcentiæ ab Adam progenitis. Fuit igitur Alberti adhuc ætate ignota apinio, Mariam ſine peccato originali conceptam eſſe. Poſt hæc etiam tempora contradixerunt huic opinioni Dominicani ferè omnes, & publicè docuerunt, omnes aſſerentes, Mariam abſque originali macula conceptam hæreticos eſſe, vt intelligitur ex decreto Sixti 4. Catharinus quoque Archiepiſcopus Compſanus teſtatur, in Concilio Tridentino deliberatum eſſe de hoc dogmate, An Diua Virgo in Originali peccato ſit concepta, ſed aliud aliis viſum fuiſſe, tandem in Sixti 4. ierunt ſententiam Ieſuitæ etiam affirmare non audent, Mariam ſine Originali peccato conceptam, ſed tantùm dicunt, HOC piè credi.

Quemadmodum verò ſententia, de immaculata Mariæ Conceptione veneranda antiquitati fuit incognita, & poſtea, cùm in lucem prodiiſſet, à pleriſque doctoribus impugnata, ita etiam Feſtum ipſum, licet ab initio non propter puram conceptionem Diuæ Virginis, ſed propter Conceptionem eius ſimpliciter inſtitutum eſſet, iam inde à prima ſua origine improbatum fuit. D. Bernardus epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes, dicit, errorem & ſuperſtitionem ſapere hoc feſtum quia in eo vel peccatum honoretur, ſine quo Conceptio iſta non fuerit, vel falſa inducatur Sanctitas. Pothon etiam Prumienſis Presbyter, qui claruit circa annos Chriſti 1150. lib. 3. de Statu domus Dei: Miramur, ait, ſatis, quid viſum fuerit HOC tempore quibuſdam monaſteriis, mutare colorem optimum, nouas quaſdam inducendo celebritates. Nunquid Patribus doctiores aut deuotiores ſumus? Superba mente præſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia præterinit, Neque verò nos in huiuſmodi aliquid inuenire poſſumus, quod illorum quiuerit diligentiam præteriiſſe. Quæ igitur ratio hæc Feſta celebranda nobis induxit? Feſtum videlicet Trinitatis & Transfigurationis Domini. Additur his à quibuſdam, quod magis ABSVRDVM videtur,

Feſtum de Conceptione Mariæ improbatum.

videtur, Feſtum quóque CONCEPTIONIS *S. Maria. In Oxonienſi quóque Synodo anno* 1222.*celebrata,omnia Feſta Maria præter Conceptionis,de neceßitate ſeruari mandatur.*

Rationes pro puriſſima Mariæ Conceptione & ad eas reſponſio.

Rationes autem,quibus probare conati ſunt puriſſimam ab omni labe conceptionem D. Maria,ha ſunt.Prima,potuiſſe Deum hoc efficere. Sed à potentia ad ineſſe non valet conſequentia. Secunda.Cùm Chriſtus non venerit ad ſoluendam ſed potiùs implendam legem:in lege autem præceperit honorare parentes, ideò credendum, ipſum etiam Matrem in hoc potißimùm honoraſſet.Reſpondet Petrus de Natalibus: Honorauit eam in quantum fuit conueniens,non tamen tantùm,quòd ipſe ex hoc exhonoraret ſeipſum. Dicere autem, quòd virgo Maria eſſet aqualis in gratia humanitati Chriſti eſſet ignominia ipſi Chriſto.Obiicitur etiam Auguſtinus, qui in lib. de Natura & gratia cap.36.dicit:De Sancta Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsùs, quum de peccatis agitur, habere volo quaſtionem. Inde enim ſcimus,quòd ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere aut parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Quia verò manifeſtè dicit, Maria gratiam collatam ad vincendum peccatum, intelligitur, quod non ſentiam Mariam ſine peccato conceptam fuiſſe, alioquin non opus habuiſſet gratia, qua vinceret peccatum. Et qua Auguſtini hac de re fuerit ſententia ſuperius ſatis intelleximus.

9. IOACHIMVS *Pater fuit Maria Matris Domini,quam ex Anna coniuge conceperat.*

10. MELTIADES *Papa & Succeſſor Euſebij, conſtituit, die Dominica & quinta feria ieiunium non celebrandum propter Ethnicos iiſdem diebus ieiunantes.Martyrio coronatus eſt* 4.*Idus Decemb.*

11. DAMASVS *Hiſpanus in quadam contentione Epiſcopus Rom.factus,& de adulterio grauiter accuſatus,Liberij facta damnauit, templa ædificauit & redditibus auxit,Miſſa Confeßionem addidit, Pſalmorum cantiones inſtituit: myſterium enim iniquitatis ſeſe eo tempore nonnihil exerere cœpit. Vitas etiam ſuorum prædeceſſorum Epiſcoporum Rom. eorúmque ſtatuta, non ſine impudentißimis mendaciis conſcripſit, atque tandem anno Domini* 384. *obiit, in pace octogenarius,*3.*Idus Decemb.Balaus.*

12. EPIMACHVS *Martyr apud Alexandriam paſſus eſt.Is cùm longo tempore in vinculis fuiſſet,& diuerſis confectus ſuppliciis in fide perſtitiſſet,igne tandem comburi iubetur, pridie Idus Decemb.Petrus de Natalibus libro primo, cap.* 62 *ex Adonis Martyrologio.*

13. IODOCVS *filius fuit Rhetaëli Regis Britonum.Reliquit autem ſeculum & eremiticam vitam elegit,in qua & mortuus eſt Idibus Decemb. Florentius abbas apud Surium tom.*7.*& Pet. de Nat.lib.*1.*cap.*65.

LVCIA *virgo Syracuſana deſponſa fuit iuueni Nobilißimo:ſed incenſa confeßione & martyrio Agatha.perſuaſit matri,vt quam dotem ſibi datura eſſet,pauperibus elargiretur.id verò ægerrimè ferens ſponſus accuſauit eam Chriſtianiſmi apud iudicem Paſchaſium. Is ergò comprehendi Luciam,& niſi idolis ſacrificare vellet ad lupanar rapi iuſſit:ſed quum loco moueri non poſſet, variis affecta cruciatibus ſpiritum tandem emiſit.Idibus Decemb.circa annos Domini* 310. *Pet. de Nat.lib.*1.*cap.*64.

OTTILIA *filia fuit Adalrici ſiue Athici, & Bethſuinda ſeu Berſinda, ſed caca nata, ob eam cauſam occidi iubetur à patre. Mater verò auffugit longißimè cum filia, eique ab Erhardo Bauaria Epiſcopò viſus reſtituitur.Reuocata autem à fratre is propterea ita caſtigatur à patre, vt paulò poſt moreretur. Facti verò huius cum pœniteret eum,ingreditur monaſterium ſanctimonialium, quod iam antea in honorem B. Maria in ſummitate montis Hohëburg maximo ſumptu conſtruxerat,idque tandem filia tradidit, in qua Abbatiſſa* 130.*Nonnarum facta moritur in pace. Iacobus de Voragine Legenda* 199 *vbi prodigioſa mendacia huic narrationi aſpergit.*

NICASIVS *Remenſis Epiſcopus, occupata vrbe à Vuandalis, in ipſo templi limine trucidatur ab hoſte cum ſorore Eutropia. Petrus de Natalibus lib.* 1. *cap.* 69. *Hac die ſi quis nomen Nicaſij inſcribat poſtibus conclauium, eius vi mures inde abigi ſuperſtitioſi homines arbitrantur,ſed myſterium me latet.* 14.

ABRAHAM *Patriarcha fuit Veteris Teſtamenti,cunctis Fidelibus ex hiſtoria notus.* 15.

ADELHEID *patrem habuit Mengegerem Comitem,matrem Gerbergam. Hac eorum filia Colonia Agrippina monaſticum vita inſtitutum complexa eſt in cœnobio Monacharum ſub Regula D.Hieronymi. Extructo autem à parentibus Vilecenſi cœnobio ab iis eò vocatur, in quo multis Nonnis ſub Benedicti Regula præficitur. Tandem etiam inde Coloniam ab Heriberto Archiepiſcopo vocatur & in ſororis ſua Bertrada locum ſurrogatur,vbi & moritur.Surius tomo* 7. 16.

LAZARVS *ille rediuiuus, Maria,& Martha frater,Hieroſolymis fugiens ob perſequutionem Iudaorum,cum ſororibus & aliis Maßiliam appuliſſe,eiúſque vrbis Epiſcopus factus narratur,vbi & in pace quieuit,*16.*Cal.Ian. Pet. de Nat.lib.*1.*cap.*72. 17.

RVFVS *ex numero Diſcipulorum fuit, per quos primitiua Eccleſia in Iudæis & Gracis fundata eſt.Paſſus eſt Philippis vrbe Macedonia* 15. *Cal. Ian. Meminit eius martyrij Polycarpus in Epiſtola ad Philippenſes,hortatúrque fideles, vt ſequantur veſtigia martyris in conſtantia.* 18.

NEMESIVS *primò Æmiliano Proconſuli Ægypti per calumniam quaſi latro delatus,ſed ab eo crimine purgatus & abſolutus eſt. Deinde* 19.

ab

Digitized by Google

ab eodem iudice tanquam Chriſtianus compraehenſus, geminatis ſupplicüs excruciatus, cum latronibus igne combuſtus eſt, 14. Cal. Ian. vt P. de Nat. ex Adone refert lib. 1. cap. 77.

20. AMMON pro tribunali ſtans, quum quidam Chriſtianus à iudice tortus in ſupplicüs trepidaret, & iam penè ad negationem deflecteret, ad conſtantiam illum hortabatur, plebs autem idcircò frendens manus illi iniecit, & occidit, 13. Cal. Ian. Pet. de Natal. lib. 1. cap. 78 ex Adone.

xxi THOMAS fuit vnus ex Apoſtolis Chriſti, qui & Didymus dictus eſt. Quibus autem parentibus ſit natus, & quomodo conuerſus ac vocatus, nihil extat. Poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlos in Parthiam abiit: inde ad Medos, Perſas, Hyrcanos, Bactros & Indos profectus eſt, & vbique Euangelium Ieſu Chriſti docuit. Fictitius Abdias in ſuo libro indicat, lanceis Thomam tranſuerberatum eſſe. Alij gladio eum percuſſum eſſe ſcribunt. Hieronymus dicit, eum dormiuiſſe in Calatrina vrbe Indiæ. Edeſſam Meſopotamiæ reliquias Thomæ eſſe tranſlatas anno Domini 230. Alexandri Imp. permiſſu, Ruffinus libro ſecundo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, capite ſecundo affirmat: & Socrates libro 4. cap. 18. ſcribit, Martyrium Thomæ eſſe in ea vrbe.

22. CHIRIDONIVS quum ad ſacrificia idolorum primò blanditiis inuitaretur, deinde iniuriis, comminationibus & tormentis cogeretur, & nihilominus ſacrificare eis nollet, gladio per viſcera tranſuerberatus occubuit Alexandriæ, 11. Calen. Ianuar. Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 82.

23. DAGOBERTVS cognomento Magnus Francorum Rex II. ex Francia omnes Iudæos eiecit baptiſmum ſuſcipere nolentes. Cum Sclauonibus Paganis feliciter pugnauit, & Vaſcones rebellantes compeſcuit. Mirum eius ſtudium fuit in ampliandis & propagandis Papiſticis ſuperſtitionibus. Rubeacum oppidum, cum omnibus ſuis redditibus & facultatibus, Argentinenſi Eccleſiæ donauit. Fundauit & dotauit munificentiſſimè Vueiſſenburgenſe & Theologienſe cœnobia. Extruxit etiam magnificentiſſimum S. Dionyſij Lutetiæ Pariſiorum cœnobium atque ad id exornandum ex Pictonibus rebellibus ſacrorum locorum nobilia ornamenta eò aſportari curauit, vt id vnum ditaret: templi eius aureum tectum obduxit: annuos prouentus, 200. millia ſolidorum, ad Sacerdotū victum ordinauit, & eleemoſynas pro pauperibus. Templa quoque plurima per vniuerſum Regnum ſuum è fundamentis ædificauit. Hinc poſt mortem eius à Sacerdotibus inter Deos relatus, & diuinis honoribus affectus fuit. Goguinus, Reginæ, Æmilius, Tillius & alij.

24. ADAM & EVA qui fuerint ex hiſtoria Sacra notiſſimum eſt.

DE NATALI DOMINI AC SERVATORIS noſtri IESV CHRISTI.

Feſtum hoc à veteribus variè appellatum fuit. Baſilius in Sermone De humana Chriſti generatione Θεοφανίαν appellauit: ait enim, Theophaniam hoc noſtrum Feſtum nominamus, in quo mundi ſalutarem concelebramus diem Domini natalem. Significat autem Θεοφάνια ſeu Θεοφανία Dei Apparitionem. Gregorius Nazianzenus in Oratione in Natalem Chriſti, præter Theophaniam, etiam Γενέθλια τοῦ σωτῆρος Natale Seruatoris, & Ἐπιφάνια Aduentum ſeu Apparitionem vocat: & rationem iſtorū nominū affert: dicit enim ſic appellari, ὅτι ἐφάνη θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως, id eſt, quòd apparuit Deus hominibus per Natiuitatem. Inſcriptio Orationis ſecundæ Nazianzeni In Sancta Epiphaniarum lumina, indicat, etiam Luminarium diem idem Feſtum appellatum fuiſſe, fortè propter lumina vbique accenſa in vigiliis quæ ante hoc Feſtum celebrata ſunt, vt indicant homilia Maximi Taurinenſis, & Gregorij Turonenſis. Chryſoſtomus in Oratione de Philogonio, Feſtum hoc Metropolim reliquorum omnium Feſtorum vocat. Beda lib. 4. cap. 19. Natalem Domini, ſicut & Paſcha & Pentecoſten Maiora Solennia nominat. Germani hoc Feſtum vocant Weihenacht/ hoc eſt, Sanctam Noctem, propter Chriſtum in illa natum. Siquidem Maiores noſtri Weihen ſacrare dicebant. Vnde in Precatione Dominica antiquis rythmis expoſita, Weyhe ſey namo theiner / Sanctificatum ſit nomen tuum: & Kyrchweihe / templi conſecratio. De hoc etiam Matthæus Dreſſerus in libello de Feſtis ita ſcribit. Germani, ait, hoc Feſtum vocant Weinacht/ veteri conſuetudine Germanorum & Gallorum, qui temporis ſpatia non dierum, ſed noctium appellatione efferunt. Dicitur autem Weihenacht/ ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι: id eſt, ab initiando ſeu conſecrando, quòd illa nocte per Sacroſanctam Chriſti Natiuitatem omnes initiati ſumus Sacris Chriſti, Deóque in æternum conſecrati. Veteres Germani in idolomania Ethnica vocarunt Weinnachten/ à vino, quòd alius alium bono vino id temporis donarit.

Quando verò & à quo hoc Feſtum inſtitutum ſit, certò ſciri non poteſt. Mentionem eius facit primò, quod equidem ſciam, Theophilus, qui circa Commodi & Seueri Impp. tempora vixit, in Paſchali Epiſtola, quemadmodum mox indicabimus. Deinde hiſtoria perſecutionis Maximini Imp. qui in ipſo Natalis Dominici die, Nicomediæ Chriſtianos, Feſtiuitatem celebrantes, ſuccenſo templo concremauit, vt Nicephorus refert libro ſeptimo, capite ſexto.

Non

Non vno eodémque etiam die à principio obſeruata eſt hac Solennitas ab omnibus Chriſtianis.

Feſtum hoc ab initio non eodem die celebratum.

Celebrata fuit à nonnullis 25 die Decembris, iam inde ab antiquiſsimis temporibus. Intelligitur hoc ex Theophilo Cæſarea Paleſtina Epiſcopo, qui docet, Gallos diem vnum anniuerſarium, qui fuit 8. Calend. Aprilium, in celebratione Paſchatis obſeruaſſe, idque hac ratione defendiſſe: Sicut Domini Natalem, quocunque die 8. Calend. Ianuarij venerit, ita & 8. Calend. Aprilis, quando Reſurrectio accidit, Chriſti debemus Paſcha celebrare. *Ex Caßiani verò argumento Epiſtolarum Theophili, libris Paſchalibus præfixo, apparet, Ægyptios Natiuitatem Domini & Baptiſmum eiuſdem, eodem die, quem Epiphaniam appellat celebraſſe: quod etiam Hugo in cap. 1. Matthæi de Armenijs teſtatur.*

Chriſtū non natum 25. Decembris.

Receptu eſt autem poſterioribus ſeculis in omnibus Occiduis Eccleſijs eorum conſuetudo, qui Feſtum hoc 25. die Decembris celebrarunt, quòd tunc natum eſſe Dominum crederent. Sed hanc ſententiam firmis rationibus improbari poſſe Henricus Vuolphius libro 1. Chronol. docet. Inter quas, inquit, non poſtrema eſt Cenſus ille à Romano Imp. toti orbi imperatus, & à Cyrenio Præſide Syriæ tempore Natiuitatis Domini actus. Non enim res tanti momenti ac toti orbi communis tam incommodo tempore ſuſcepta videtur. Erat omnibus cum familiis ſuis in patriam terram proficiſcendum, vt ibi cenſerentur vnde oriundi eſſent. Itineribus autem longinquis obſtabant frigora, & pluuiæ hyemales, & quòd in irriguis illis & calidis regionibus (quæ non ita glacie durantur, vt noſtræ ſeptentrionales) qualis Palæſtina fuit, itinera hyberno tempore non ſunt peruia. Quamobrem Deus in lege nullas Feſtiuitates hoc tempore celebrare iußit. Deinde prudentes Magiſtratus, quales certè Auguſtus fuit, non in media hyeme, quando fruges iam bona ex parte conſumpta ſunt, ſed in autumno, quum primùm in horrea colliguntur, cenſus agere ſolent. Alia etiam ratio à Paſtoribus ſumi poteſt, qui nocturno tempore pauerunt greges ſuas quum Chriſtus naſceretur. At conſtat oues frigoris impatientiſsimas eſſe, & proinde menſe Decembri hæc, quæ Lucas narrat, non accidiſſe. Vnde etiam Heſiodus lib. 2. Operum de hoc menſe ita canit:

Μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος
Χειμέριος: χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις. *Hoc eſt:*

Menſis enim difficillimus hic
Hybernus: difficilis ovibus, difficiliſque hominibus.

Et ob hanc cauſam oues hoc tempore plerunque intra tecta vel ſtabula paſci Columella docet libro ſeptimo cap. 3. & Vergilius libro tertio. Georgicorum. Adhæc ex antiquißimis iiſdémque probatiſsimis Eccleſiaſticis Doctoribus nihil certi haberi poſſe de menſe & die Natiuitatis Domini Alexandrini locus ſatis declarat, qui libro primo. Strom ſic habet. Sunt qui curioſiùs Natiuitati Domini non annum ſolùm, ſed etiam diem addunt, quem dicunt Anni 28. Auguſti 25. menſis Pachen fuiſſe. Baſilidis autem ſectatores eius quoque Baptiſmi diem celebrant præcedentem noctem lectionibus tranſigentes. Dicunt autem eſſe 15. annum Tiberij, menſis Tibi 15. diem: quidam autem eiuſdem menſis diem 11. Et mox: Sunt, ait, qui 14. vel 15. Pharmuti natum dicant. Hinc intelligimus Clementis Alex. tempore, hoc eſt, circa annos Domini 195. tres ſententias de Natali Chriſti fuiſſe: prima eorum, qui 25. die Pachon: ſecunda & tertia qui 14. vel 15. natum dixerunt, id eſt, iuxta nonnullorum computationem ad Iulianum annum, 14. Maij: 3. & 4. Aprilis. Epiphanius verò, qui ducentis annis poſterior Clemente fuit, Natiuitatem Domini 11. diei menſis Tybi, id eſt, 5. Ianuarij adſcribit, tomo primo, libro ſecundo, vbi ſic ait: Reuera Natiuitas Chriſti certa contigit vndecima die menſis Tybi. Middelburgenſis autem cap 4. libro 19. de die Paßionis Domini agens vult Natalem eiuſdem fuiſſe diem æquinoctij vernalis qui fuerit anno Natiuitatis Dominica 8. Calend. Aprilium, quemadmodum per obſeruationes Ptolemai & ſcripta aliorum Aſtrologorum demonſtrari poßit. Ratione autem tali vtitur: Si venit Ieſus in mundum, vt ſaluum facere eum Adami peccato contaminatum, & in melius ipſum reformaret debuit reſumere omnia illa tempora, quæ in prima mundi creatione per Deum Patrem aſſumpta, Adami peccato inquinata fuerunt: nam idem modus eſſe debuit reformationis mundi, qui fuit prima eius Creationis. Mundus autem creatus eſt in æquinoctio vernali. Congruebat ergo pro inſtauratione mundi eadem hæc tempora præuaricatione primi parentis contaminata, à Chriſto purificanda reſumi. Sed valdè eſt infirma hæc ratio: & multa habet vitia, quæ Lector facilè videt. Adhæc ſi homines illos, qui ſeculo Domini admodum vicini fuerunt, Natalis Domini latuit, quid obſecro credas Epiphanio? quid Middelburgenſi? quid etiam ijs, qui vigeßimo quinto Decembris natum Dominum contendunt?

Sunt tamen hodie qui rationibus non contemnendis probare conantur, Chriſtum in Autumno natum fuiſſe: ex quorum numero eſt Matthæus Beroaldus, qui ad hanc rem probandam citat verba Danielis nono capite. In dimidio hebdomada ceſſare faciet ſacrificium & oblationem. Loquitur hic Propheta de vltima hebdomada, quam, quia definit in menſe Niſan, quo paſſus eſt Dominus, ſi diuidas in duas partes

P æquales,

æquales, medietatem ſuam in anni quarti menſe Tiſri habere deprehendes. Aboleuit autem Dominus ſacrificium & oblationem, primò prædicatione ſua, quam à Baptiſmo inchoauit, & in paſſione compleuit. Cœpit autem prædicare Chriſtus, cùm primùm triginta annos compleuiſſet vel aſſequutus eſſet, vt Lucæ tertio ſcribitur, Cùm triginta annorum eſſe inciperet. Non incipit eſſe anniculus, qui primùm natus eſt, nec poſt ſex menſes aut plures, ſed cùm dies natalitius anno ſequenti reuertitur. Cum autem Dominus triginta annorum eſſe inceperit in medio hebdomadæ vltimæ, & hebdomadarum initium ſit menſis Niſan ſeu vernum tempus, in quod deſinunt: ſequitur circa autumnum natum eſſe Dominum, in quem medium hebdomada incidit. Henricus Vuolphius in Chronologia id ipſum duabus aliis probat rationibus. Primam ſumit ab vmbris legalibus. Notum eſt enim, vt vmbras Dominus iiſdem ferè diebus Feſtis impleuit & abrogarit, quibus olim celebrata fuerunt. In Feſto Paſchatis noſtrum Paſcha factus eſt per Paſſionem ſuam. In Feſto Pentecoſtes legem Spiritus illam nouam nobis dedit. Nullus autem menſis plura Feſta continuit quàm ſeptimus, quæ omnia Chriſtum adumbrarunt. Omninò ergò hoc menſe in carne natus videtur. Alteram rationem ducit ab æra. Numerant Iudæi ad æram Chriſtianam, id eſt, ad annum quo natus eſt Chriſtus 3760. At is annus, vt ex ætate Domini, & ex Cyclo lunari colligi poteſt, fuit annus primus Chriſti, & annus 3761. annus nati Chriſti ſecundus. Vnde colligitur annum primum Chriſti in anno ter milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo completum, & in principio eius Dominum natum eſſe.

Natalis Domini cur in Decembri inſtitutus.

Arbitror autem eos qui primò Feſtum hoc menſe Decembri celebrandum inſtituerunt, non id propterea feciſſe, quòd tunc natum Dominum crederent, ſed vt Saturnaliorum ſolennitatem, quæ Romæ hoc ipſo tempore celebrabatur, in hoc Feſtum commutarent: hac enim occaſione plurima in veteri Eccleſia Feſta inſtituta fuiſſe ſuprà indicauimus. Innuit hoc non obſcurè Paulus Iouius libro 38. hiſtor. vbi dicit, Vaſtium Mediolani veterum Saturnaliorum more Natalitia Dei Chriſti celebraſſe. In hanc etiam ſententiam me adducit ſimilitudo vtriúſque Feſti, & plurima quæ inter ſe habent communia. Primò nánque & Græci & Romani veteres Saturnalia lautiſſimis lætiſſimíſque epulationibus celebrarunt, quandò non ſolùm ſerui à dominis conuiuiis excipiebantur, ſed etiam amici atque familiares mutitabant, hoc eſt, mutuas inter ſeſe cœnas epulationéſque agitabant. Idem verò à Chriſtianis in Chriſti Natali olim factitatum quoque, innuere videtur grauis illa adhortatio Gregorij Nazianzeni in præclara illa Oratione ſua in Natalem Domini, vbi inquit: Hanc Feſtiuitatem celebremus non Panegyrico, ſed diuino: non mundano, ſed ſupermundano modo. Nequaquam fores coronemus (obſerua quibus ritibus celebratum ſit hoc Feſtum olim) non choros inſtauremus, non compita viarum exornemus, non oculos paſcamus, non auditum oblectemus, non odoratum effœminemus, non guſtui lenocinemur, non tactui obſequamur, non veſtimentis teneris ac fluidis, ex quibus id quod pulcherrimum, planè eſt inutile, molliter induamur, non gemmarum ſplendoribus, non auri fulgoribus, non colorum fucis naturalem mentientibus pulchritudinem, & propter imaginem repertis: non commeſſationibus & ebrietatibus, quibus cubilia & libidinem ſcimus eſſe coniunctam. Addit: non thoros altos, veluti delitias concinnantes ſternamus, non vini fragrantiam, coquorum commenta, vnguentorum ſumptus honoremus. Clariùs Luithprandus indicat conuiuia celebrata eſſe, in ea quæ ſecundùm carnem eſt Chriſti Natiuitate, apud Conſtantinopolitanos, libro ſexto, capite tertio & quarto. Refert enim tunc nouendecim menſas apponi, in quibus Imperator pariter & conuiuæ non ſedendo, ſed recumbendo epulentur, nec argenteis, ſed tantùm aureis vaſis miniſtrari. Quin ludos eo tempore publicè exhibitos, idem indicat notato loco, vbi etiam vnum ob admirationem deſcribit. Huc pertinet etiam publica vel ſolennis compotatio, ſiue collatio, quam Pontifices Romani in prima aula Palatij hoc die vel in veſperis eius celebrare ſolent, quæque deſcribitur libro ſecundo, Ceremonialis Rom. Eccleſiæ. Hodiè quóque hunc diem plurimi Chriſtianorum diurnis nocturníſque compotationibus, comeſſationibúſque peragunt, ita vt non Chriſti Natalia, ſed Bacchanalia potiùs, atque Lupercalia agere videantur, & meritò nox illa, cuius memoria celebratur ob Chriſtum in illa Natum, Weihenacht, hoc eſt ſancta, vernacula noſtra linguâ appellata, potiùs Weinnacht, hoc eſt, vini nox, Epicuræorum illorum reſpectu, ſit dicenda. Secundò in Saturnalibus exæquato omnium iure domini ſeruos ſuos lautiſſimis conuiuijs excipiebant, ipſi ſeruorum officio in miniſtrando fungebantur, ac ſeruis impunè licebat quicquid liberet loqui, vt refert Iuſtinus ex Trogo, Macrobius libro primo, & Athenæus libro decimo quarto. Hic mos etiam in Feſto Natiuitatis Chriſti à multis obſeruatus eſt. Durandus enim in Rationali libro ſexto, capite octuageſimo ſexto indicat, in quibuſdam locis Prælatos cum ſuis Clericis in Natali ludere, vel in domibus Epiſcopalibus, vel in clauſtris: ita vt etiam deſcendant ad ludum pilæ, vel etiam ad choreas & cantus. Eundem quoque Saturnaliorum veterum morem, quo ſerui dominis imperabant, & epulis opiparis ab illis excipiebantur, apud Anglos ſuos obtinere, Polydorus Vergilius teſtatur. Eſt & illud, inquit, ab Ethnicis profectum,

Similitudo inter Natalem Domini & Saturnalia Rom.

fectum, quòd nunc per Dominica Natalitia noſtri Miniſtri poteſtatem in Dominos habent, atque vnus eorum dominus creatur, cui cuncti familiares, laſciuientes ſimul parent, vnà cum ipſis dominis & patribus familiarum. In Saxonia quoque moris olim fuit hac nocte ſaltare & cantare, qui tamen mos Othero cuidam laico cum quindecim viris & fœminis tribus malè ceſsit: quum enim Sacerdos Rupertus mandaret eis per æditum, vt ab huiuſmodi leuitate in nocte tam Sancta deſiſterent, illique præcipienti non obtemperarent, commotus ille ſtans ad altare dixit: Faciat Deus omnipotens, vt per annum totum ſic ſaltantes manere vos oporteat. Et per totius anni ſpatium ſaltarunt ſine intermiſsione die ac nocte, Trithemio authore in Chron. Hirſaug. Tertiò, in Saturnalibus munera ſibi vltrò citròque mittebant, quæ Tertullianus in libro de Perſecutione Saturnolitia vocat, Hieronymus autem Saturnalium ſportulas. Similiter Chriſtiani à Natali Chriſti vſque ad Calendas Ianuarias ſibi inuicem munera, quæ Strenas vocamus, mittunt. Dant etiam in vigilia huius Feſti parentes ſuis liberis varia dona: crepundia, ciſtellas, veſtes, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus alia: additur etiam plerunque virga, vt metu caſtigationis faciliùs ſe regi patiantur. Dantur autem hæc eis nomine Chriſti, quem arbitrantur alij per tegulas & feneſtras clauſas ingredi: alij cum Angelorum comitatu ſolenniter ſingulas domos obire opinantur. Quartò, vno eodémque menſe Ethnici Saturnalia & Opalia, in honorem Saturni & Opis eius Vxoris celebrarunt. Hunc ritum in Natalitiis Chriſti Conciliũ Baſilienſe confirmauit, quando Seſsione 36. præcepit, vt ante Natalem Domini Conceptionis Feſtum Matris eius Virginis Mariæ, in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis & Conuentibus Chriſtianæ Religionis 6. Idus Decemb. Feſtiuis laudibus colatur.

26. S. STEPHANI FESTVM.

STephanus Diaconus fuit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, in hoc ordinatus, vt bona communia curaret, eáque viduis & pauperibus rectè diſtribueret. Refutauit magno zelo erroneas opiniones de Meſsia, affirmans Ieſum Chriſtum Nazarenum verum eſſe Meſsiam à Prophetis promiſſum. Accuſatus igitur blaſphemiæ, & dãnatus, lapidibus obrutus eſt 3. Non. Auguſti, & corpus eius inuentum poſterioribus ſeculis 7. Calend. Ianuarij. Sed Feſta hæc ſunt commutata, vt dies Paſsionis eius ſolenniùs celebraretur, quàm inuentionis. P. de Natalibus lib. 2. cap. 4.

Feſto hoc quiſque caballos
In campo exercet curſu, ſaltúque volucri.
Dum fluat è toto feſſorum corpore ſudor,
Atque Fabros ductu mandant pertundere venam.
Scilicet hoc prodeſſe ferunt, hac luce peractũ,
Ne morbis vllis illo tententur in anno:
Cornipedum Stephanus ceu curam geſſerit vnquam:

vt Naogeorgus canit.

S. IOANNIS Apoſtoli & Euangeliſtæ Feſtum. 27.

IOannes Apoſtolus & Euangeliſta, natus eſt Patre Zebedæo, & Matre Salome. Vocatus autem à Chriſto, quum Piſcationi intentus eſſet, ſecutus eſt illum, ab eóque plurimùm amatus. Cùm poſt Aſcenſionem Chriſti Apoſtoli ad prædicandum Euangelium in orbis varias digrederentur regiones, Aſiam Ioanni obtigiſſe, Euſebius libro 3. capite 1. refert, quamuis toto illo tempore, quo Paulus Aſiam peragrauit, non fiat alicubi Ioannis mentio. Epheſi tanquam Paſtorem eum conſediſſe nonnulli affirmant quod tamen incertum quoque eſt. Illud conſtat Paulum huic Eccleſiæ Timotheum præfeciſſe. Fortè igitur in extrema ſenecta, poſt Timothei mortem, eò ſe contulit, quum priùs paſsim per Aſiam Euangelium annunciaſſet. Irenæus libro tertio capite 3. ſcribit, Paulum quidem fundaſſe Eccleſiam Epheſinam, ſed Ioannem ibi permanſiſſe vſque ad Traiani tempora. Certamina illi grauia fuiſſe cum Ebione & Cerintho contra quos etiam ſuum Euangelium ſcripſit, hiſtoriæ indicant. In Pathmo eum fuiſſe, ibique viſiones illas vidiſſe, quas liber Apocalypſeos complectitur, cap. 1. eiuſdem libri ipſemet teſtatur. Quod autem Tertullianus narrat, in vas oleo calefacto plenum Ioannem immiſſum, incertiſsimum eſt: adeò vt quidam de loco ambigant, Epheſi ne an Romæ factum ſit. De Ioannis obitu ſimiliter nihil certi habetur. Hieronymus ſimpliciter dicit, mortuum eum poſt Aſcenſionem Chriſti anno 68. Epheſi, & iuxta vrbem illam ſepultum eſſe, anno ætatis 89. iuxta Iſidorum. Monachorum verò Legenda nugantur, Ioannem viuum in ſepulchrum, quod iuſſerat à ſuis præparari, ingreſſum fuiſſe, & mandaſſe, vt ſe terra obruerent: quo facto, mox inde & ſplendorem inſignem, & manna prodiiſſe. Sepulchrum etiam hoc narrant, paratum fuiſſe Epheſi in Baſilica, quam ipſo adhuc viuo, in eius nomine ibi extruxerint. Sed quis ſomnium hoc Monachorũ eſſe non intelligat? quum poſt Conſtantini Magni demum tempora, templa in memoriam Diuorum mortuorum ſumptuosè ædificarint: ex Nicephoro etiam lib. 17. cap. 31. intelligitur, templum hoc à Iuſtiniano Imp. demùm extructum fuiſſe. Obiiſſe autem eum aiunt illo ipſo die, quo ante multos annos Ioannes Baptiſta, & ideò eo die Feſtum eius celebrari deberet: ſed translatum eſt ad tertium diem Natalis Domini. Si roges, cur Euangeliſta Baptiſtæ debuerit cedere? fabulæ ſimillimam narrabit tibi hiſtoriam Durandus

lib.7.cap.42.Ration.Cùm duo Magiſtri, inquit, quorum vnus Baptiſtam, alter Evangeliſtam præferebat,ſolennem ad hoc indixiſſent diſputationem,& ambo inveſtigaſſent ſolicitè authoritates & rationes,quibus ſuum Ioannem præferre poſſet, quilibet Sanctorum æmulatori ſuo apparuit,dicens,Benè concordes ſumus in cœlis:de nobis non diſputetis in terris. Alij volunt hoc factum,quòd illa die dedicata ſit ei Baſilica Epheſi:alii,quòd hac die redierit de Pathmo: Durandus ibidem.

Faſtum hoc religioſiſſimè celebratur à Genuenſibus,quòd hoc die Philippi Medialanenſium Ducis iugum excuſſiſſent,& libertatem recuperaſſent,anno Chriſti 1436.ut Bracellus indicat lib. 4.belli Hiſpanici.

Maris fuit apud veteres Germanos, adhuc in Ethnica Idololatria conſtitutos, initio Ianuarii vinum honorarium diſtribuere, vt recordarentur Iani,hoc eſt,Noachi Patriarchæ, vitium ſatoris, & amoris benevolentiæque mutuæ documenta ſic ederent.Inde verò S.Ioannis Hauſtus S.Johans trunck/ originem traxiſſe videtur, quem poſterioribus ſeculis S.Ioannis benedictionem,S.Johans ſegen/nominarunt.

Innocentum Dies.

FEſtum hoc nomen habet ab Infantibus Maſculis,quos,inaudita crudelitate & immanitate, Herodes Rex ad vnum omnes bimulos & maioris ætatis, quotquot erant in vrbe & circa Bethleem, partim in cunis vagientes, partim à matrum vberibus aut manibus avulſas, ante ora & oculos parentum trucidare & iugulare mandavit,poſt abitum Magorum,& fugam Chriſti in Ægyptum. Cùm enim ex Magis natum Regem Iudæorum intellexiſſet,& quadam ex Phariſæis de Regni ſui mutatione cognoviſſet,ne Regno vix pacata excideret,promiſcua cæde in omnes infantes Bethleemiticos ſæviit (quòd in vrbe illa naſciturum Meſſiam Michæas Propheta prædixiſſet) inter quos & Herodis filius fuit,ſperans fieri non poſſe,quin inter iſtos etiam occideretur Rex ille,
Kindlein quà tamen ſpes illum fefellit.Huius laniena truculentiſſima vt pueri Chriſtianorum recordentur, & ſimul diſcant aditum, perſequutionem, crucem,exilium, egeſtatémque ſtatim cum nato Chriſto incipere,virgis cædi ſolent in aurora huius diei adhuc in lectulis iacentes à parentibus ſuis. Hunc diem Ludovicus 11. Gallorum Rex tam ſanctè & religiosè coluit, vt in illo nemo quidquam ad eum de negotiis deferre auderet, & mali ominis eſſe putaret,ſi quis vlla de re gravi & ſeria cum ipſo loqueretur: iis etiam, qui hunc ipſius morem non ignoraſſent,ſi quando interpellaſſent, valdè iraſcebatur, Cominæo authore.

Hæc verò tria Feſta Stephani, Ioannis Evangeliſtæ & Innocentum puerorum Hugo in cap.2. Matth: ordinata à Priſcis fuiſſe dicit ſecundùm maiorem & minorem dignitatem.Quia enim digniùs ſit eſſe martyrem actu & voluntate, quàm voluntate ſolùm,ideò antecedere Feſtum B.Stephani, Feſtum B. Ioannis Evangeliſtæ. Quia etiam plus ſit eſſe martyrem voluntate, quàm actu & non voluntate ideò præcedere Feſtum Ioannis feſtum Innocentum.

THOMAS Becketus,ex parentibus ſuperſtitioſis natus, quum petulantia juvenili, effrenatáque laſcivia adoleſcentiam ſuam tranſegiſſet, XXIX.
factus eſt primò ſub Archiepiſcopo Theobaldo, Archidiaconus Cantuariæ: poſteà ſummus Regni Cancellarius, ac tandem Archiepiſcopus, primas totius Angliæ,& Apoſtolicus Legatus.Ex eo tempore maieſtatem Regis minuere cœpit & Antichriſto ſubijcere, vnde Balæus eum proditorem Regis & Regni totius nominat. Noluit à magiſtratu puniri Sacerdotes & Clericos ob homicidia,latrocinia,furta,adulteria,ſtupra & ſimilia horrenda facta:ipſe contrà,fulmine excommunicationis,quam Eccleſiaſticam cenſuram vocant, erga nonnullos,Regis amicos truculentiſſimè ſæviit,& propterea ab iis cæſus eſt, anno Domini 1171.ætatis ſuæ 53.4. Calend. Ianuar. Petrus autem de Natalibus refert eum interfectum anno 1156.ſub Friderico I.Ac refert Balæus ex Dialogorum lib.8.c.69. Cæſarij Monachi, anno 1220. Parÿs in diſputatione Magiſtrorum, Rogerum quendam Normannum publicè defendiſſe hunc Thomam morte & damnatione æterna dignum eſſe. Quia verò fidelem operam navarat in promovendo, amplificandóque Antichriſti regno, ideò ab Alexandro III. canonizatur, & Anglis præſertim,in perpetuum triumphi ſignum adverſus Regem præcipitur,vt natalis eius dies ab omnibus ageretur Feſtus. Sigeberti Continuator. Balæus Centuria 3.c.100.& Cent.3.in Appendice cap.4.In tanta veneratione à Papiſtis habitus fuit, vt in derogationem Sacroſancti ſanguinis filij Dei, per ſummam blaſphemiam, in quadam precatiuncula ſic Deum orent: Tu per Thomæ ſanguinem,quem pro te impendit,Fac nos Chriſte ſcandere,quò Thomas aſcendit: Balæo eodem loco teſte.

DAVID,cuius Feſtum hoc die celebratur,non Rex & Propheta ille Sanctiſſimus Veteris Teſtamenti,ſed Menevienſis,Britannus,Xanthi,Cerethicæ Provinciæ adulteri, ex Melaria Veſtali Virgine filius,& 12.monaſteriorum conditor fuit. XXX.
Mortuus eſt anno Chriſti 580.ſed demùm canonizatus à Calixto 2. Hunc deteſtandæ libidinis ac prohibiti adulterij filium iactant,Ioanni Sanctiſſimo Zachariæ filio,in gratuitis Dei donis æqualem fuiſſe: ſuarum Monialium inceſtui tantùm tribuentes fœdiſſimi Cœlibatus patroni. Dicunt inſuper,quòd fuerit à patribus prophetatus, ab Angelo prænunciatus, in vtero materno ſanctificatus, à Spiritu Sancto in columba ſpecie edoctus,

edoctus, & quòd Angelum ſemper habuerit familiarem, atque in itineribus Comitem. Sed in his omnibus, & quòd Bathonia thermas perpetuo calore donauerit, egregiè ſibi mentitur iniquitas. Balæus Centuria 1.cap.55.

XXXI. SYLVESTER *Epiſcopus Romanus conſtituitur in Meltiadis locum. Permulta eius feruntur inſtituta & decreta, de Chriſmate conſecrando, ordinibus dandis, pueris confirmandis, Templis ornandis, altaribus tegendis, miſſatoribus conſtituendis, vngendis, veſtiendis: hoſtiiſque deificandis, adorandis, & ſeruandis. Item de Dalmaticis, cappis, corporalibus, albis, mitris, pallys, pannis, peplis, ſindonibus, ſacrificijs, ceremonijs, aſylis, extremis vnctionibus, aliiſque ritibus non ſolùm Iudaicis, ſed etiam Ethnicis. Quæ omnia ſi vera ſunt iam tùm myſterium iniquitatis apertè agere cœpit. Mortuus eſt tandem anno 334. Petrus de Natalibus lib.2.c.22. falsò annotat annum 390. Prid.Cal.Ianuar.*

APPENDIX AD FESTA CHRISTIANORVM.

De Encæniis.

Encænia vnde dicta. ENcæniorum *nomen Græcum eſt, ab innouando deductum, quòd res innouentur vel ex prophano vſu, vel ad eum vſum, in quem primitùs erant inſtituta, reducantur. Latini* Dedicationes & Conſecrationes *vocant,* *Dedicandi conſuetudo.* *quòd res ab vſu hominum prophano eximerentur, & Deo, vſibúſque ſacris dedicarentur. Sic autem apud veteres templa, altaria, ſtatuas, vaſa & inſtrumenta ſacra, Sacerdotes ac Leuitas, veſtes, donaria, domus etiam priuatas & publicas innouari, conſecrari & dedicari conſueuiſſe legimus: quin mœnia quoq; vrbis Hieroſolymæ apud Nehemiam dedicata dicuntur, quando Sacerdotes & populus de eo gratias agebant Deo, quòd ope eius reſtaurata vrbs eſſet: tùm orabant vt ſibi reſtituta ciuitatis ac libertatis fruitio tranquilla pacataq; concederetur. Poſterioribus autem ſeculis, quando templa conſecrarentur inter Chriſtianos, mos & conſuetudo, ſeu potiùs Feſtiuitas illa peculiariter* Encæniorum *nomine appellabatur, vt olim Saturnalia & Bacchanalia, quibus Feſta ipſa exprimuntur.* *Encænia quid hodie.* *Vnde nos Germani ea vocamus* Kyrchweihe / *vel corruptè* Kyrwi/ *auch* Kylwi: *quo ſignificamus, Feſta hæc, de quibus nos in ſequentibus potiſſimùm agemus, originem ſumpſiſſe à templorum Dedicationibus, in quibus populus frequentiùs concurrere ſolebat ad audiendum verbum Dei.* *Encæniorum origo.* *Teſtatur autem hiſtoria Eccleſiaſtica, hujuſmodi Dedicationes templorũ Apoſtolicæ & veræ primitiuæ Eccleſiæ per annos trecentos incognitas fuiſſe. A Conſtantino Magno demùm pace reddita Eccleſiæ, templa vel de nouo extructa, vel hinc inde idolis ſeruientia meliori vſui conſecrare cœperunt, certa die ad id indicta & conſtituta. Sic Athanaſius de Alexandro Alexandrino Epiſcopo refert, in Apologia ad Conſtantium, eum abſolutis templorum operibus, Encænia & Dedicationes per conuentus celebraſſe. Euſebius etiam lib.9.cap.10. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & lib. 4. de Vita Conſtantini ſcribit, hunc Imperatorem Hieroſolymam profectum, templum admodum ſumptuoſum & magnificum Chriſto extruxiſſe, ornaviſſéque Anathematis precioſis, auro inquam, argento & gemmis: conuocaſſéque illos Epiſcopos, qui Tyri in Concilio congregati tùm fuerint, vt ad ipſum Dedicandum venirent. Atque hoc fuit caput initiúmque Encæniorum ſeu Dedicationum templorum apud Chriſtianos. Quamvis autem Sozomenus lib.2.cap.26. & Nicephorus lib.8.c.50. referant, hunc diem, quo templum hoc Saluatoris conſecratum eſt, quique fuit 14. menſis Septembris, ab eo tempore in Eccleſia Hieroſolymitana quotannis publicè ab omnibus Feſtum & Celebrem agitatum fuiſſe, nondum tamen in aliis Eccleſiis ſolennes & anniuerſariæ fuerunt, ſed mos hic poſterioribus increpſit, ex Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudine. Gratianus quidem Diſtinctione prima de Conſecr.cap. Solennitates. indicat, Felicem primum Epiſcopum Romanum circa annos Chriſti 277. decreuiſſe, vt ſolennitates Dedicationum per ſingulos annos celebrentur: refert etiam Crantzius lib.1.c.1. Metrop. fortè à Gratiano deceptus. Quis enim credat in tam diris illorum temporum perſequutionibus, hoc Chriſtianis licuiſſe? Antoninus igitur tit.9.cap.2. & Balæus in Vitis Pontificum hoc Felici tertio tribuunt, qui claruit circa annos Chriſti 525. Hermannus Gigas autem & N.Doardus in Annot. ad Durandi librum Diuinorum Officiorum Felici IV. Confirmauit hunc morem Gregorius M. vt eſt videre de Conſecrat.diſt.1.cap. Solennitates.*

De origine diximus, videamus porrò quis fuerit olim, quique hodie ſit vſus & forma huiuſmodi Encæniorum & Dedicationũ. In primis igitur *Encæniorum vſus & forma.* *hoc ſeruatum fuit in veterũ Dedicationibus, vt templa vni & vero Deo conſecrarent. Sic enim Conſtantinus Magnus Templum illud magnificum Hieroſolymis* SALVATORI *mundi dedicauit. Deinde ad huiuſmodi Dedicationes Sacerdotes ex diuerſis locis vnà cum populo vicino conueniebant. Euſebius lib.9.c.10. Nimirum vt publica congratulatione ſeſe mutuò hortarentur, ſéque eiuſdem Eccleſiæ membra, ejuſdem item fidei & ſpiritus conſortes eſſe teſtarentur. Tertiò, in his Feſtiuitatibus admonebatur populus de promiſſionibus, de vera innouatione, legebatur etiam verbum Dei. Sub Conſtantino M. Euangelium inferebatur in templa, audiebantur conciones ex verbo Dei, vt eſt videre apud Euſebium citato loco, & Athanaſium in Apologia ad Conſtantium Imperatorem. Gregorius Nazianzenus etiam in Concione de vſu Encæniorum habita*

declarat, auditoribus cogitandum eſſe de innouatione hominis Chriſtiani, de qua David Pſal. 51. & Paulus Epheſ. 4. & Coloſ. 3. loquuntur. Quartò, Pſalmi canebantur, quibus Deo gratias agebant: Euſebius lib. 9. c. 10. Sic Alexander Alexandrinus, Athanaſio teſte, Encania & Dedicationes per canaenius, laudes & gratias Deo canentes, celebrauit. Quintò huiuſmodi Feſtiuitates conuiuiis, commeſſationibus & magna lætitia peragebantur, quod Euſebius teſtatur lib. 9. cap. 10. inquiens: Feſtiuitates à noſtris frequentiſſimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione: per vrbes & loca ſingula Eccleſiarum Dedicationibus celebratis. Mos hic non tam inde natus videtur, vt congratularentur ſibi Fideles de religionis exercendæ reddutis locis poſt immaniſſimas perſequutiones, quàm quòd vetuſtiores Chriſtiani Memorias Martyrum & Natalitia Sanctorum conuiuiis & ſumma lætitia celebrarunt: primò quidem, vt ſaturarent egenos & pauperes: deinde verò vt ipſi genio indulgerent, & ſic Martyribus de ipſorum felicitate quaſi gratularentur. Hujuſmodi epularum ad Memorias Martyrum meminit Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. vltimo: & in 6. Confeſſionum, vt ſuprà in Martyrum Memoriis indicauimus. Ex Origine quoque lib. 3. in Ioelem colligitur, Chriſtianos ſuo tempore ad defunctorum Memorias cibos aliáque donaria contuliſſe. Author eſt etiam Pontius Paulinus, qui claruit circa annos Domini 420. populum, qui ad Natalem D. Felicis Nolam confluebant, epulari ſolitum in æde ſacra: eamque ob cauſam ſe parietes templi picturis ex Veteri Teſtamento deſumptis, ornandos curaſſe, vt accumbentes in communi menſa ſpectandis illis occupati, temperantiùs conuiuium exigerent. Quod propterea refero pluribus, vt mox commeſſendi in Dedicationibus templorum & Natalibus Diuorum antiquus eſſe cognoſcatur. Hanc autem conſuetudinem Ethnicam, ſic enim Rhenanus illam nominat in Annot. ad librum Tertulliani de Corona militis, etſi diu tollerauit Eccleſia, quòd opus eſſe putaret, multa Chriſtianis indulgere, qui plerunque tam ſenes de Paganiſmo ad Chriſtum conuertebantur tamen eam Concilia nonnulla progreſſu temporis apertè damnarunt, & tollendam eſſe præceperunt. Rursùs verò confirmauit hunc errorem, vt multa alia ſuperſtitioſa Gregorius M. Quia enim Saxones in ſuis Sacrificiis boues multos mactabant: juſſit vt in die Dedicationis, vel Natalitijs Sanctarum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponerentur, tabernacula ſibi circa templa de ramis arborum facerent (vnde etiam Mercatus rerum venalium in his ſolennitatibus circa templa originem traxiſſe puto) & Religioſis conuiuiis feſtiuitates debitas celebrarent: vt eſt videre in eius epiſtola ad Auguſtinum Saxonum Apoſtolum.

Etſi verò prima exercitia in huiuſmodi Dedicationibus pleráque, ſi luxurioſa conuiuia & commeſſationes, Encania item quotannis repetita excipias, pia & ſancta fuerunt, debent enim actionum omnium initia cum gratiarum actione & precibus fieri, quandò conſtat ſine Dei auſpicijs nihil rectè aut feliciter fieri: dies tamen non poteſt, vt hæc omnia à ſuperſtitioſis hominibus progreſſu temporis immutata, & quàm non diſſimulandi abuſus in his feſtiuitatibus paulatim exorti ſint.

Encæniorum initia.

Primò enim Pontifex Romanus poteſtatem dedicandi templa ſibi vendicauit. Gelaſius namq; de Conſecr. diſtin. 1. c. præcepta ſynodalia decreuit, Eccleſiam ſine Papæ authoritate recens extructam dedicari non poſſe. At in primitiua Eccleſia hæc poteſtas penes Sacerdotes ſolos non fuit. Ad dedicationem tēpli Hieroſolymitani Conſtantinum Imperatorem Epiſcopos conuocaſſe Euſebius teſtatur, nec Syluestri vel alterius Papæ meminit. In Veteri quoque Teſtamento Templum Solomon & populus ſimul conſecrarunt: 3. Reg. 8. Id quum poſtea ab Achaſo rege pollutum eſſet, Ezechias aperuit, & ſacerdotibus, vt denuò perpurgarent ac conſecrarent, imperauit. In lib. Eſd. 6. c. nō ſummus Pontifex, licet Meſſiæ typum gereret ſed filij Iſrael & Sacerdotes vnà templum poſt Babylonicam captiuitatem extructum dedicaſſe dicuntur. Et quamvis credibile ſit, ipſum in hac actione non poſtremas partes obtinuiſſe, tamen eius perſona perinde ac reliquorum Sacerdotum ipſius ordinis tantùm nomine notatur. Quemadmodum igitur C. Iul. Cæſar olim, quicquid Pontificibus, Tribunis, Dictatoris poteſtatis & dignitatis in Romana Repub. fuit, id omne ſibi vendicauit, vt ne quid ei ad ſummam deeſſet potentiam: ſic Pontifices Rom. quicquid in ſacris literis in Eccleſia veteri, in aliarum gentium ritibus ac legibus vnquam fuit, quod quidem ipſis ad augendam potentiam pertinere videretur, id omne per fas & nefas attraxerunt. Deinde, in veteri Eccleſia Dedicationes Templorum fiebant, auditu verbi Dei, precibus & Pſalmis. Hodie verò Baſilicam conſecrandam Pontifex ter circuit, eòque effingit triplicem circuitum Chriſti, de cælo in mundum, de mundo ad limbum, de limbo ad cælum. Ter Pontifex oſtium pulſans, ait, Attolite portas. III. Aquam aſpergit. IV. In pauimento literarum characteres ſcribit in cineres ibi ſparſos, ad crucis formam ductis lineis à dextra ſiniſtrorsùm & contrà. V. In parietibus intùs Cruces pingit. VI. Luminaria ante cruces ponuntur. VII. Inungit cruces chriſmate. Hæ verò ineptiæ omnes non ſolùm carent præcepto Dei, ſed etiam exemplo Apoſtolica & primitiuæ Eccleſiæ. Tertiò, prima tantum cuiuſque Eccleſiæ Dedicationes Feſtiuæ erant: hodiè verò ſunt omnes anniuerſaria. Quartò, cùm initio Templa, Oratoria & Dominica domus dicerentur, vt quæ ſoli Domino Ieſu Chriſto ſacra eſſent, & publicis precibus, aliíſque Diuini cultus exerci-

exercitijs eidem dedicarentur, tandem in his Encæniis Sanctis mortuis dedicari cœperunt, & Diuorum Diuarumq́; nominibus appellari. Peperit hic error mox alium, vt Dedicationis Feſta in Diuorum honorem inſtitueretur contra legem Dei, qui Sabbatha & dies Feſtos ſibi ſoli ſacros eſſe jubet. Nulla itaque ampliùs habita fuit Diuinorum beneficiorum recordatio, non gratiarum actio, ſed conciones inſtitutæ non minùs ineptæ quàm ſuperſtitioſæ, de Diuorum laudibus & miraculis, quorum pleráque aut à Monachis conficta aut in alienum ſenſum detorta fuerunt. Vnde fit, vt hodiè in hujuſmodi Feſtiuitatibus Deo nullus, Sanctis maximus habeatur honos: Christi rara fit inuocatio, Sanctorum contrà frequentiſſima & ſolennis maximè: detinetur populus non Verbi Diuini prædicatione, ſed inani & plus quàm puerili ſpectaculo, boatu item ſacrificulorum & cantu qui per Organa (vt vocant) & alia inſtrumenta muſica fit & editur. Hinc etiam natum, quòd in hujuſmodi Encænys Sanctorum reliquias circumgeſtare cœperunt, quòd Menas Conſtantinopolitanus Epiſcopus primus feciſſe legitur: is enim Conſtantinopoli in Dedicatione templi Sanctiſſimorum Apoſtolorum die 29. Iunij reliquias Andreæ & Lucæ circumuehi curauit aureo curru circa annum Domini 550. vt Nicephorus lib. 17. c. 26. Paulus Diaconus lib. 16. Rerum Rom. & Vrſpergenſis referunt. Accedit ad ſuperſtitionem hanc Quæſtus: nam & vanales tùm exponuntur Indulgentiæ: & pro Dedicationibus iſtiuſmodi magnam vim pecuniæ ſoluere cogitur miſera plebecula. In agro Tigurino accidit, vt ſuffraganeus quidam totum cœmeterium luſtrarit: poſteà cùm agricolæ interrogarent vbi ſepeliendi eſſent infantes, qui abſque Baptiſmo decedunt, mox angulum quendam cœmeterij juſſit non eſſe Sacrum, vel prophanauit, ſed neque hoc gratis, denuò enim pecunias ei numerari oportuit. Quandò etiam templum conſecratum cæde, libidine aut excommunicato ibi ſepulto prophanatum eſt, iterum illud oportet reconciliare, & Epiſcopo numerare pecunias, alioqui Miſſæ in illo non celebrantur, ſed oſtia illius clauduntur, & Dei cultus intermittitur. Talis quidam Epiſcopus in agro Tigurino olim accepta pecunia, duo templa conſecrauit, Sacerdote verò quodam eum Simoniacum eſſe dicente, quòd dona ſpiritus venderet, ille reſpondit ſe non paciſci cum ruſticis, vt Simon fecit cum Petro, ſed ne hoc ſcelus incurrat, ſe ipſis diſertè præcipere; vt tantùm ſibi pro illa luſtratione numerent. Acceſſit etiam Mercatus, vt circa templa, nec non in templis & cœmeteriis forum rerum vanalium videas. Denique nullo vnquam tempore luxu, crapula, ebrietate, libidine, ſcortatione, laſciuia, ſaltatione, alea & infinitis aliis ſceleribus peccatur, quàm hoc ipſo, quando Dei beneficia putatione, debebant celebrari inprimis. Quæ certè magis Bacchi quoddam Feſtum, à Mænadibus celebrandum, quàm piam Chriſtianiſmi antiquitatem ſpirant.

Adſcribam autem ex Thoma Naogeorgij lib. 4. Regni Papiſtici quàm turpia, obſcœna & iccircò non ferenda in hujuſmodi Dedicationum Feſtis ac Solennitatibus, paſſim fiant. Ita ergò canit:

Templi ſacrati celebrantur Feſta quotannis,
Catholicè nimis. E turri ſuſpenditur alta
Vexillum crucis, & redolenti gramine templi
Sternitur omne ſolum: ramiſq; virentibus ara
Suggeſtúmq́; nitet, ſellæq́; omnéſque columnæ.
Panduntur tabulæ, Idolorum armaria, picta,
Præcipuè verò ſertis habitúque Patronus
Excolitur diti, atque ſua reſplendet in ara,
Menſula Pontificum bullas, indutáque multis
Suſtentat ſignis, Feſtum celebrantibus illud,
Conceſſa: idolum quoque patroni oſtia circa
Suſtinet hac eadem mendicans: quod quia mutum eſt,
Aut nondum populi linguam oráque barbara nouit,
Aſſidet Interpres quidam, clamanſq; rogansq;
Intrantés atque egredientes, munera præſtent
Patrono, & nummis redimant indulta Paparum.
Paſtor Paſtores alios inuitat, & ipſa.
Scorta jubet ſimul adduci, turbáſq; nothorum.
Vndique conueniunt quoq; vicini, atq́; remoti
Ruricolæ pars ſponte ſua, partímque vocati.
Arma ferunt omnes, gladios, venabla ſecures,
Bombardas, faſtes ferratas, atque bipennes.
Adueniunt juuenes culti, comptæque puellæ.
Adſunt & mimi, mendicique atque choraules
Inſtitor expanit nitidas ex ordine merces.
Caupo diſponit menſas, & pocula profert
Omnia venturis: neutrum ſpes fallit auara.
Namque ferè referunt ſumma ex hoc commoda Feſto,
Præ cunctis aliis. Igitur poſt ſacra peracta,
Aut ad cauponem properant, notoſúe ſodales,
Explentúrque omnes lautè vinóque cibiſque.
Octo ſolent ſeptémque interdum ponere miſſus,
Pontifi ̄cúmque nihil veterum concedere cœnis.
Sublatis tandem menſis conſurgitur, & mox
Orcheſtram juvenes adeunt, aſcaule vocato:
Qui poſtquam inſonuit raucum, ſignúmque choreis
Vtre dedit, veniunt illuc pueri atque puellæ,
Longæuíque ſenes, mediáque ætate mariti.
Spectatum accedunt & anus, juvenéſque maritæ.
Tum varij ſurgunt ludi, turpéſque choreæ
Amadidis, nec non rixæ pugnæque cruentæ.
Fervent, vt digiti, palmæ, calcentur & aures,
Et capita & facies & brachia ſanguine manent
Nonnunquam & caſus media linquatur arena.
Multi, quod placeat, cupida mercantur amica.

Multi

Multi cauponam repetunt, potantq; gregatim,
Inſipido adjuncto cantu, clamoréque ſummo.
Ludúntque interca chartis, rapidóque fritillo.
In cauponam etiam eſt Paſtorem accerſere moris,
Quo præſente putant compleri deníque ludum.
Is ſuperat clamando omnes, calicéſq; frequentes
Siccando, Rex quidem eſt: vinóque vomenti
Sinciput apprendit, nimiùm officioſus & æquus,
Et tenet, ima quoad ſtomachi fundamina vertit.
Hinc eſt vicinis gratus, charúſque ſodalis.
Cui ſi quando nocent Euantica dona viciſſim
Debilitantq; gradum, ne poſſit adire Penates
Ipſe ſuos (quod non rarò contingere notum)
Quadrupedem grati vice verſa in tecta reducunt:
Catholicum hunc ſeruat veneranda dicatio morem.
Effuſum noſtra pro libertate cruorem.
Balæus Cent. Script. Brit. 2. folio 107. in Vita Leonis.

Sanguinis Chriſti Feſtum.

L*Eo III. Papa Sanguinem adulterinũ quem* è Crucifixo quodam ligneo fluxiſſe *impoſtores dixerant, vt Statuarum Idololatrias, dum adhuc eſſent in quæſtione, confirmarent, pro vero Chriſti Sanguine haberi voluit. Et Mantuam profectus (vbi hucuſque ſeruatur, ſalutatur, adoratur,) ſic eſſe, ſua authoritate approbauit, ac bullis confirmauit: addito illi quotannis, in maximam Chriſti derogationem, ſolenni die Feſto. Ita tunc præualuit poteſtas tenebrarum. Vnde Baptiſta Mantuanus, eadem etiam eluſione olim deceptus, de ejus ad Carolum ſic ſcribit itinere:*

Dum meat audito ficti rumore Cruoris
Nuper aduenti. greſſum conuertit ad vrbem,
Nomina cui fecit Virgo Cadmeia Manto.
Et quæ purpureus ſanguis fatebat in horas,
Mira opera intuitus: credi debere putauit,

Pazinacarum Feſtum.

P*Arta de Schytis victoria, & inſigni adita inter eos ſtrage, Ioannes Imperator Conſtantinopolitanus vota Deo perſoluit, & in rei geſtæ monumentum, & grati animi teſtimonium Feſtum inſtituit, quod* Pazinacarum *dicitur.*

Saturni diei Feſtiuitas.

I*N Scotia anno Salutis 1203. Guilelmus Rex Primorum Regni ſui Concilium cogit, cui etiam interfuit Pontificius Legatus, in quo decretum eſt, vt* SATVRNI *dies ab hora* XII. *meridiei ſacer eſſet, neque quiſquam res prophanas exerceret, quemadmodum aliis quoque diebus Feſtis vetitum id erat: idque campanæ pulſu populo indicaretur, ac poſteà ſacris rebus, vt diebus Feſtis operam darent, concionibus intereſſent, Veſperas audirent, idque vſque in diem lunæ facerent, conſtituta tranſgreſſoribus graui pœna. Boetius lib. 13. de Scotis.*

Duplex Maius.

B*Onifacius VIII. decreuit Feſta Apoſtolorum, Quatuor Evangeliſtarum, & Quatuor Doctorum, Gregorii, Auguſtini, Ambroſii & Hieronymi, ſub honore Feſti duplicis per vniuerſas orbis Eccleſias annis ſingulis celebrare & honorare. Extra de Reliq. & Vener. Sanct. Glorioſus. lib. 6. Decretalium. Appendix Martini Poloni, Stella, Faſciculus Temporum, Platina. Quia verò in Bulla de ceſſatione ab operibus nihil dicitur, Antoninus putat hoc non eſſe ſub præcepto, tit. 20. cap. 8. §. 1. Genebrardus in Chronico ſuo vocat hoc Feſtum Duplex Majus.*

De Anno Ivbilæo *alio locò dicturi ſumus.*

FINIS.

ADDE

PAG. 121. Linea 23. Col. 1. *addentur poſt verba* Celebraturque maiori cum Solennitate, quàm Decollationis. Nec moveat te quenquam Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ Nativitatem Ioannis Baptiſtæ primis temporibus ſolennitatis huius introductæ celebrauit die Aprilis 23. qui erat illis dies menſis Pharmuthi 28. Vt eſt author Cyrillus in homilia eius argumenti. Non quidem congruit hæc diverſitas Obſervationi Romanæ & Græcæ Eccleſiæ, quæ à multis ſeculis Natalem Ioannis Prodromi celebrat die 24. menſis Iunii, nam quia non ſtatim ſimul cum naſcente Eccleſia, ſed aliquanto tempore pòſt initium habuit mos celebrandi Natales Sanctorum, nemo mirari debet, in tantis primorum temporum perſecutionibus, memoriam præteritarum ita exactè ſeruari non potuiſſe, quin variæ opiniones ſuper eadem re, ſæpè exiſterent. Hoc adeò verum eſt, ut etiam de Nativitate & Paſſione Domini variæ etiam ſententiæ in Eccleſia olim extiterint: quibuſdam natum prodentibus 6. Ianuarii, quibuſdam 19. Aprilis, aliis 19. Maii: Non nullis menſe Septembri; pleriſque 25. Decembris. Poſtea igitur, cùm cœpta eſt in Eccleſia celebrari memoria non ſolùm Domini Ieſu, ſed Beatæ Mariæ, Apoſtolorum, Martyrum & aliorum Sanctorum, videntur Pii Patres non tantam verorum Natalium curam Papæ habuiſſe, quantam id ſtuduiſſe illos conſtat, ui dies Solennes ex titibus Paganorum, in meliorem uſum conuerterent: Religionem enim Chriſtianam faciliùs admiſſum iri ſperabant, ſi eâdem operâ impias Gentilium Solennitates deberent, & novas inſtituerent, quæ ad Cultum veri Dei pertinerent. Quare nihil vetat quò minùs, ſalua reuerentia, quæ priſcæ Eccleſiæ debetur, de veris Sanctorum Natalibus hodiéque poſſit quæri. Durandus Rational. 7. cap. 26. in eo verò &c.

Pagina 142. Linea 33. Col. 2. *adiungantur poſt hæc verba*, Durandus in Rational. l. 7. c. 28. teſtatur, Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ quando nimirum in hunc mundum nata fuit, olim non celebratum eſſe. Extat etiam inter lucubrationes Hieronymi liber inſulſus admodum de Nativitate Sanctæ Mariæ, quem ſuperiorum ſeculorum turba imperita maximo illi viro attribuit: de quo partu ſuppoſitio Eraſmus veram ſententiam pronuntiavit. Abundè ſatis arbitror, inquit admonere, tantum hoc opus eiuſdem artificis eſſe, cuius id quod proximè præceſſit. Præceſſit autem regula Monacharum, de qua Eraſmus ſequentem adhibet Cenſuram, Quid opus eſt, inquit, in hoc argumentis uti, regulam hanc non eſſe Hieronymi, cùm id totus ſermonis inſulſiſſimi character adeò palàm præ ſe ferat, ut vel ab indoctiſſimis ſentiri queat? Ipſe non poſſum ſatis admirari tam inſignem hominis impudentiam. Quanta cum authoritate loquitur? Putas Apoſtolum aliquem eſſe. Et hic impoſtor ipſo Paulo felicior: in corpore conſtitutus, fruitus eſt viſione Divina, totos opinor menſes inter Seraphim verſatus. Deinde corpori redditus cùm antea dixiſſet, in corpore cerni, redibat nobis præſcius futurorum. Nam huiuſmodi portenta de ſe ſcribit ſuppoſititius hic Hieronymus: qui ſi prodigioſam balbutiem ſuam, & ineptiſſimam loquacitatem mutare potuiſſet, planè Hieronymus erat. Nunc auriculæ prominentes produnt aſinum, & totus ſermo clamitat indignum fuiſſe, qui in Divi Hieronymi Culina miniſtri locum teneret.

Eraſmi judicium ſecuti ſunt Melchior Canus, Sixtus Senenſis, & Cæſar Baronius in Annalibus: Tam altas autem radices fabularum & mendacii amor in multarum animis egit, ut librum hunc palàm impium auſus ſit defendere contra prædictorum virorum juſtiſſimam cenſuram, Chriſtophorus de Caſtro, Ieſuita Hiſpanus. O tempora, ô mores, audere aliquem

quem, in hac luce literarum, ſcriptum tueri, quòd primò conſtat Pſeudopigraphum eſſe: deinde ab hæretico profectum: poſtremò nugarum & impietatum plenum. Titulum eſſe falſum ſtylus arguit: nomen enim B. Hieronymi ementitur, quum nulla ſit in toto libello periodus, quæ ἀπειρίαν, ignorantiam & fatuitatem eorum non palàm faciat, qui inter flumen aureum ditionis Hieronymianæ, & cœnum lutulentum planè illius diſtinguere neſciunt. Nec refert, quòd titulo utatur Chromatii & Heliodori, ad quos in veris libris ſcripſit Hieronymus: nam ejuſmodi fuerunt ſemper artes eorum, qui fictos à ſe libellos magnis authoribus adſcribebant, ut aliqua ſimilitudine veri, mendacium obtegerent. Ab hæretico eam ſcriptionem eſſe profectam, cur dubitemus? Ipſe doli fabricator palàm hoc profitetur: non enim libri author poſtulat haberi, ſed interpres duntaxar: verus author eſt SELEVCVS Manichæorum Apoſtolus, notiſſimus hæreticus. Hic eſt qui in libro B. Auguſtini De fide contra Manichæos bis vocatur Leucius, quod rectè Baronius monuit: ſed etiam Leontius in principio eiuſdem libri appellatur. *In Actibus*, ait Auguſtinus, *Conſcriptis à Leontio quos ipſi accipiunt:* intelligit autem cum librum de quo Pſeudohieronymus iſte initio ait, *quidam Seleucus, qui paſſiones Apoſtolorum conſcripſit, hunc libellum compoſuit:* fortaſſe ſcripſerat *Leutius*: nam etiam in epiſtola Gelaſii, ubi variè concipitur hoc nomen, prima ſyllaba ſemper abeſt. Scio tamen Seleucum hæreticum legi apud Philaſtrium, & Seleucianos ab eo denominatos, apud B. Auguſtinum. Verba Gelaſii inſignia ſunt: Libri omnes quos fecit Leucius, Diaboli Diſcipulus, apocryphi. En qualem ſcriptorem defendat Chryſtophorus à Caſtro Ieſuita. Nam, ut modò dicebamus, eius libelli, de quo agimus, iſte qui ſub Hieronymi latere voluit nomine author non eſt, ſed interpres tantùm. Vide plura apud doctiſſimum Caſaubonum Exerc. I. ad Apparatum Annalium Baronii pag. 99. & ſeq. vide eundem quoque pag. 109. Circa annum verò 695. per illuſionem Sathanicam &c. ut in materia.

INDEX AV-

INDEX AVTHORVM

QVI IN HOC LIBRO CITANTVR.

ABulenſis
Adolphus Mogunt. Archiep.
Adon
Æditiuus
Æmilius
Agapetus Papa
Albertus
Albinus
Alexander ab Alexandro
Alexander III. Papa
Alphonſus Aluarez
Ambroſius
Annales Francorum
Anshelmus
Antonius Flor. Epiſcopus.
Apulæius
Arnobius
Athanaſius
Athenæus
Auentinus
Auguſtinus

BAlæus
Bapt. Mantuanus
Bartol. Piſanus
Baſilius
B. Rhenanus
Beda
Beleth
Bellarminus
Bernardinus de Buſto
S. Bernardus
Berno
Blondus
Boëtius
Bonfinius
Bouius Epiſcopus Oſtunenſis
Bracellus
Breuiarium Carmelitarum
Breuiarium Romanum

CÆſarius
Campegius
Caranza
Carolus M.
Caſpar Bruſchius
Caſſianus Scyta
Catharinus Compiſanus
Ceremoniale Romanum
Chemnitius
Chronic. Bamberg.
Chronicon de Ducibus Bauariæ
Chryſoſtomus
Cicero
Claudianus
Clemangis
Clemens Alexandrinus
Clemens Romanus
Cælius Rhodiginus
Cominæus
Cranzius
Cromerus
Curio
Cyprianus

DAmaſcenus
Decretales Epiſtolæ
Dionyſius Alexandrinus
Dionyſius Corinth. Epiſcopus
Dodechinus
Durandus

ECcius
Egnacius
Ephrem
Epiphanius
Eraſmus
Euagrius
Eupolis
Euripides
Euſebius Cæſarienſis
Euſebius Emiſſenus.
Euthymius

FRanciſcus Maurolycus
Francolinus
Fulgoſus
Funccius

GAguinus
Genebrardus
Gregorius M. Papa
Gregorius IX. Papa
Gregorius Nyſſenus
Gregorius Turonenſis
Gyraldus

HEnricus de Erdfordia
Henricus Wolſius
Hermannus Contractus
Hermannus Gigas
Herodianus
Hieronymus
Hilarius
Hincmarus
Honorius III: Papa
Horolanus
Hugo
Hugolinus Martellus

IAcobus Montanus
Iacobus de Voragine
Ianſenius
Ieſuitæ
Ignatius
Innocentius I. Papa
Ioannes Clichtoueus
Ioannes Ferus
Ioan. Manlius
Ioan. de Monte Regio
Ioannes de Muris
Ioannes de Oppido
Ioſephus Scaliger
Irenæus
Iſidorus
Iulianus Pomerius
Iuo Carnotenſis
Iuſtinus Martyr

LActantius
Leo I. Papa
Liberius Papa
Lombardica hiſtoria
Luithprandus

MAgdeburgen. Centurię
Marianus Scotus
Marſilius Patauinus
Martinus de Arles
Martinus Polonus
Matthęus Beroaldus
Matthęus Dreſſerus
Maximus Taurinenſis
Meffreth
Meltiades Papa
Metaphraſtes
Michaël Altiſiodorenſis
Molanus
Munſterus

NAnnius Louanienſis
Nauclerus
Nazianzenus
Nicephorus
Nicetas

ŒColampadius
Oecumenius
Origenes
Otto Friſingenſis

PAlmerius
Panthaleon
Panuinius
Paulus Burgenſis
Paulus Diaconus
Paulus Æmilius
Paulus Middelburgenſis

Paulus II. Papa
Petrus de Aliaco
Petrus Cluniacenſis
Petrus Damianus
Petrus de Natalibus
Petrus Pręmonſtratenſis
Petrus Viretus
Pius I. Rom. Epiſcopus
Platina
Plutarchus
Polyd. Vergilius
Pontacus
Pontificalis liber
P. Paulinus
Pothon
Procopius

Rabanus
Ranulphus
Regino
Robertus Barns
Rogerus Bacon
Rupertus Tuitienus

Sabellicus
Schedelius
Scholaſtica hiſtoria
Scotus Minorita
Sigebertus
Sixtus IV. Papa
Socrates hiſtoricus
Sozomenus
Stella
Stumpfius
Sulpitius
Surius

Tacitus
Teleſphorus Papa
Tertullianus
Theodoretus
Theodorus Lector
Theophilus Cęſarienſ.
Theophylactus
Tillius
Thomas Aquinas
Thomas Naogeorgus
Thomas Waldenſis
Trithemius

Valentinus Munzer
victor Antiochenus
Victor Rom. Epiſcopus
Victorinus Aquitanicus
Vincentius
Vrbanus IV. Papa
Vrſtiſius
Walafridus Abbas
Witikindus

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM.

ADELBERTVS *& eius Feſtum* 106.
Adelgundis *& eius Feſtum*, 50.
Adelheit *& eius Feſtum*, 167.
Adventus 160. *eius Feſtum ibid. antiquitas ibid. Nomen unde ibid. Ritus ibidem. Numerus Dominicarum*, 161.
Æthna mons 154. *locus Purgatorii Papiſtici, ibidem.*
Agatha *& eius Feſtum*, 56
Agneti *cur agnus appingatur, & à mulieribus Rom. offeratur* 48. *eius Feſtum, ibid.*
Agnus Dei *Confectio, Benedictio, Diſtributio* 101. 102. 103. *ab Ethnicis & Iudæis ſumpta vis*, 104.
in Albis Sabbatum. *Vide Sabbathum in Albis*, 101.
in Albis ſeptimana, 99.
Alexander *& eius Feſtum*, 65. *&* 108.
Alexander III. *Papa Canonizationes Sanctorum Pontificibus* Rom. *ſolis vendicavit*, 34.
Alexius *& eius Feſtum*, 127.
Altaria *ſpoliantur ornamentis in die Cœna Dominica*, 75. *lavantur eodem die, ibid. Ritus hic unde* 76.
Anabaptiſtarum *Error de Feſtis*, 1.
Andreas 161. *eius Feſtum, ibid.* Ritus *ibidem. tranſlatio ibid.*
Angeli *non invocandi*, 109.
Angelica ſalutatio *ad campana pulſum quando cœperit.* 70.
Angliæ Regum *conſuetudo in Paraſceve*, 78.
Anicetus Papa *& eius Feſtum*, 104
Animarum omnium *Feſti origo* 153. *eius fundamentum vaniſſimum* 154. *confirmatio ibid.*
Annuntiationis Mariæ *Feſtum* 24. 69. *olim non tam Mariæ quàm Chriſto celebratum ibid. quando celebrandum ibid. Litania in eo cantanda ibid. fabuloſa de eo narratio Meſſ. etc ibid.*
Anſer Martinianus 156.
Anſhelmus *& eius Feſtum* 126.
Anitheri Papæ *Feſtum* 42.
Antichriſtus *mutabit tempora* 7
Apollonia *& eius feſtum* 57. *à quibus invocetur, ibid.*
Apoſtoli *alii obſervarunt Paſcha cum Iudæis, alij mutarunt tempus* 93. *impugnarunt legalia ibid. nullas leges ſanxerunt de Feſtis* 6. *pauci olim habuerunt feſta* 20.
Apoſtolorum Feſta 107. *natalitia* 13.
Apparitionis S. Michaëlis *Feſtum* 108. *&* 109.
de Apparitionibus Michaëlis *quid ſtatuendum* 109.
Aræ *in agris & viis unde* 21. *damnatæ ibid.*
Aſcenſionis Chriſti *Feſtum* 22. *&* 110. *eius antiquitas ibid. profani ritus ibid.*
Aſſumptionis Mariæ *Feſti Octava à quo inſtituta* 136.
Aſſumptionis Mariæ *hiſtoria* 137. *feſtum ibid. non ab omnibus receptum ab initio ibid. tandem factum omnium celeberrimum ibid. eius antiquitas ibid. origo ibid. ritus ibid.*
de Aſſumptione Mariæ *ſententia neotericorum* 137. *veterum* 138.
Aſtrologorum *vanitas* 46. *ſententia de ſtella quæ magis in Chriſti nativitate apparuit* 46.
Æthiopiæ Chriſtiani *hodie Sabbathum Iud. & diem Dominicam ſervant* 4.
Athanaſius *non author hiſtoriæ paſſionis Dominicæ Imaginis* 156.
Auguſti menſis *Calenda Sclavis ſacra* 131. *Nona ſacra Genuenſibus* 135.
Auguſtini locus corruptus 44.
Auguſtinenſes *Monachi* 112.
Aurea *Roſa. Vide Roſa aurea.*
Aureus *numerus ſæpè jam fefellit* 6. *&* 7. *id probat feſtorum obſervationes eſſe liberas ibid.*

BAcchanalia *Chriſtianorum* 58. 59. *&* 60. *eorum ritus impuri ibid. damnati* 60.
Bacchanalia C[l]ericorum *ibid.*
Baptiſterio. *ubi aqua quando conſecretur* 89.
Baptiſmus *quando olim celebratus* 89. *eius aquæ conſecrationem quis inſtituerit* 89
Barbara *& eius feſtum* 161. *& ſeq.*
Bartholomæus *& eius feſtum* 139.
Bethphania *quid* 43.
Blaſius *& eius feſtum* 56. *ritus ibid. quare ab anginæ, aut gutturis morbo laborantibus invocetur ibid.*
in Blaſii ſacris *candela offertur* 56.
Bochſilen vor Wienacht *unde* 160.
Bonifacii VIII. *Papæ facinus* 61.
Bonius Epiſcopus *Oſtienſis contra canonem conſtitutionum Apoſtolicarum* 93.
Brigida *& eius feſtum* 51.
Britanni *ut obſervarint Paſcha* 96.
Bruno *Carthuſianorum Patriarcha & eius feſtum* 148.
Burchardus *& eius feſtum* 149.

CAina *hæreſis* 109. *Angelos docet invocare ibid.*
Caius Papa *& eius Feſtum* 105.
Calendarum Ianuariarum *impii ritus à Chriſtianis obſervati* 40. *damnati* 41.
Calixtus Papa 149. *eius decreta ibid. feſtum ibid.*
Candela offertur *in Sacris Blaſii* 56.
Candelarum *conſecratarum in Feſto Purificationis vis* 55.
Candelarum dies *quæ*, 55. *quis inſtituerit ibid.*
Candelæ *extinguuntur in die Cœna Dominica* 77.
Canonizatio Sanctorum *quid* 29. *& ſeqq.*
Canonizationes Sanctorum *auxerunt numerum Feſtorum* 26. *vendicarunt ſibi primò Epiſcopi, deinde Pontifices Rom* 24 *& ſeq. ad Ethnicorum morem ibid. irriſa à gentilibus ibid. nullum commodum adferunt ibid. cur non ferenda* 21. *ad morem Ethnicum inſtituta ibid. præſumptuoſa ibid. ſeptem honores ſanctis tribuunt ibid. eorum ritus & forma* 30. *& ſeq.*

Canoni-

Canonizationis *Imperatorum Rom. Ritus* 32.
pro Canonizationibus *argumenta Ieſuitica, & ad ea reſponſiones* 33.
Canonizare *quis debeat* 34. *& ſeq. ſolus Deus ibid.*
Canonizarunt Ethnici *benemeritos* 31. *Romani ſuos Imperatores* 32.
Canonizati *ſapè damnati* 33.
Cantate *Dominica* 107.
Capitulanium *cur cœna Dominica feſtum dicatur* 74.
Captiui *inuocant S. Leonardum* 155.
Carena, *& Carrina quid* 70.
Carolus M. *& eius feſtum* 50. *primus legem de feſtis & certo eorum numero edidit* 25.
Carthaginenſe Concilium V. *damnavit feſtorum multitudinem* 27.
Caſtrum S. Angeli *Romæ* 509.
Catharina *& eius feſtum* 159. *Philoſophiæ & artium Patrona ibid.*
Catharina Senenſis *& eius feſtum* 106.
Cathedræ Petri *Feſtum* 62. *eius origo ibid. ixoletum reſtituitur ibid. ex Ethnico in Chriſtianum mutatum ibid. Petri Epularum quoque dictum ibid.*
Ceremoniæ Veteris Teſt. *ad tempus quidem ab Apoſtolis retenta, ſed poſteà abrogata* 3. *& ſeq.*
Cereus Paſchalis, *eius benedictio* 88. *non fuit Prudentij tempore* 89.
Cerei Paſchalis *benedictionem quis inſtituerit* 88. *ritus unde* 71.
Cereorum conſecratorum *in Purificationis Mariæ Feſto vis* 55.
Cereos conſecrandi *ritus in feſto Purificationis Mariæ* 52. *& ſeq.*
Chiridonius *& eius feſtum* 168.
Chriſtina *eiúſque feſtum* 130.
Chriſtophorus *& eius feſtum* 130. *fabuloſa de eo Legenda ibid. ritus feſti ibid.*
Chriſtus *nullas leges dedit de Feſtis* 7. *& ſeq. quando celebrarit Paſcha vltimum, & Sacram Cœnam inſtituerit* 78. *& ſeq. quandiu in ſepulchro manſerit & ſeq. quoto die menſis paſſus ſit* 86. *& ſeq.*
Chriſtum *cur Romani inter Deos recipere noluerint* 35. *non paſſum in die ſolemni Paſcha probatur teſtimonio Scripturæ* 79. *& ſeq. Patrum* 80. *& rationibus* 84
Ciborum diſcrimen *Sabbathum in Eccleſia Chriſti* 3. *& ſeq.*
Cinerum *diei origo* 60. *ritus ibid.*
Cineris *conſecratio blaſphema* 60.
Cinere *vt Papa & Cardinales aſpergantur* 61. *Ritus Tiguri in die Cinerum ibid.*
Circumciſionis *feſtum recens eſt* 40. *& ſeq.*
Clauorum *Chriſti feſtum* 105.
Clemangis *damnat multitudinem feſtorum* 28. *eius querela de feſtis Sanctorum ibid.*
Clemens *Papa & eius feſtum* 149. 559. *decreta ibid.*
Cletus *& eius feſtum* 106.
Cœcilia *& eius feſtum* 159. *dominico diei æquatum ibid.*
Cœleſtinus Papa *& eius feſtum* 111.
Cœlibatus Sacerdotum *impugnatur* 155.
Cœnæ Dominicæ *feſti antiquitas & origo* 73. *nomina ibid. ritus ibid. ſuperſtitiones ibid. feſtum Capitulanium cur dicatur* 74.
Cœnam ſactam *quando Chriſtus inſtituerit* 78.
Cœtus *à fidelibus in Veteri Eccleſia certis diebus ſunt habiti* 2. *quotidiani non obſtant quominus certis diebus tota Eccleſia conueniat ibid.*
Collectæ *in Memoriis Sanctorum vſurpatæ* 18.
Comeſſationes *in diuorum Natalibus unde* 17.

Commemorationes *martyrum apud ſepulchra eorum* 13. *& ſeq.*
Commemoratio *omnium Defunctorum fidelium, vide animarum omium feſtum.*
Commemoratio Pauli 123.
Commemorationis *ſeptem dolorum B. Mariæ feſtum* 105.
Compoſtellana *Peregrinatio unde* 130.
Conceptio *hominum omnium impura* 165.
Conceptio B. Mariæ *qualis fuerit* 163. *de ea controuerſia ibid. Immaculatam Mariæ probatur rationibus* 166. *earum Confutatio ibid.*
Conceptionis Mariæ *feſtum improbatum* 163. *ab initio non inſtitutum propter Immaculatam Conceptionem Mariæ* 164. *eius antiquitas* 163. *Origo & prima inſtitutio ibid. autor ib. propagatio* 164. *confirmatio* 165.
Confirmatio *quando olim facta* 89.
Conſtantinus M. *auxit feſta* 22. *& ſeq. nomina martyrum conquirere juſſit,* 23. *eius feſtum* 68.
Conuerſionis Pauli *feſtum* 49. *eius dies criticus* 49.
Convivia *in diuorum natalibus unde* 15.
Coronæ Chriſti *feſtum* 104.
Coronati quatuor 155.
Corporis Chriſti *feſtum à quo inſtitutum* 113. *eius origo ibid. ritus* 115. *eſt Ethnicus* 116. *eius progreſſus* 117. *nomen ibid. non obſervandum à Chriſtianis* 118. *eius Prognoſtica* 119. *confirmat mutilationem Euchariſtiæ* 119. *Euchariſtiam à Chriſto inſtitutam in alium vſum transfert ibid. eius celebratione perſuadentur homines panem non amplius eſſe panem ibid. abducuntur homines à vero cœnæ vſu ibid. indulgentias conſequuntur homines ibid. quibus rationibus probetur, & eorum confutatio ibid.*
Cotyttia *Athenienſium damnata* 36.
Creaturis *non feſta inſtituenda* 12.
Crux Chriſti *quando & à quo inventa* 107. *non inventa ab Helena ibid. unde Romam pervenerit* 144.
Crucis inventionis *feſtum* 107.
Crucis Exaltationis *feſtum* 143.
Cultus Duliæ & Latriæ 15. *Sanctorum verus* 13. *& ſeq.*
Cyprianus *& eius feſtum* 146. *Cyprianicum dictum ibid.*
Cypriani locus *explicatur de Sacrificiis pro Martyribus in eorum Memoriis* 18. *& ſeq.*

Dagobertus Rex 168. *eius feſtum. ibid. opera ibid.*
Damaſus *Papa* 167. *eius feſtum ibid. decreta ib.*
David Britannus 172. *& ſeq. eius Canonizatio ibid. feſtum ibid.*
Decollatio Ioannis Baptiſtæ *celebratur ob quatuor cauſas* 140.
Dedicationes templorum : *vide, Encænia.*
Defunctorum in Eccleſia *legendi nomina conſuetudo* 19. *unde orta ibid.*
Deorum Ethnicorum *Multitudinis cauſa* 35.
Dies certi *deſtinandi cœtibus ſacris* 2.
Dies *per ſe nullius myſterij nos admonent* 9.
Dies *feſtorum per ſe non ſanctiores reliquis* 4. *& ſeq.*
Dies *quotus fuerit menſis quo Chriſtus paſſus eſt* 86.
Dierum obſervatio *ſuperſtitioſa & ethnica* 3. *non eſt Cultus Dei* 11.
Dierum *certorum obſervatio Iudaica non eſt ſublata in Papatu, ſed tantùm mutata* 6. *& ſeq.*
Dierum *diſcretio & Significatio non eſt ſublata, ſed mutata tantùm ſecundùm Ieſuitas* 10.
Diviſio 12. Apoſtolorum, *eiúſque feſtum* 127.
Dominica dies *antiquiſſima* 37. *cur ſic nominata* 39.

lege ſancita ibid. qua ratione una ſabbathi dicatur 37. cur in locum Sabbathi Iudaici ſubſtituta ſit 37. & ſeq. liberè fuit obſervata ibid. non ſic nominata à Sylveſtro 2. & ſeq. deſtinata peculiariter cœtibus ſacris in Veteri Eccleſia ibid. non aſtricta certo tempori 4. ut ſit inſtituta in memoriam reſurrectionis 10.

Dominicam diem & Sabbathum indifferenter obſervavit Paulus 4. primò lege præcepit Conſtantinus M. 38. ea non flexis genibus orandū 40 proceſſiones habenda ibid. non ieiunandum ibid.

Dominica, Cantate 107. Exaudi 110. Iubilate 106. Lætare, vide Lætare. Miſericordia 105. de Panibus 66. de Roſa ibid. Quaſimodo 104. Vocem 109. in Albis 22.

Dominica in Ramis Palmarum 70. 72. Paſcha floridum etiam dicitur ibid. eius antiquitas ibid. ceremonia ibid.

Dominica Paſſio: vide Paſſio Dominica.

Dominica cur primi Chriſtiani appellarint templa ſua 38. & ſeq.

Dominicarum Adventus numerus 161. nomina ante Paſsionis Dominicam 50. & eorum ratio ibid. Quadrageſimæ nomina 61.

Dominicæ Paſsionis imaginis feſtum 155.

Dominicus & eius feſtum 134.

Dom̃ & Dom̃herren unde 39.

Dormitionis Mariæ feſtum: 137. Aſſumptionis Mariæ feſtum 137.

Dormitionis Mariæ hiſto. ibid.

Dorothea & eius feſtum 57.

Dulciaria Calendas Ianuarii dantur 40.

Dulia non vult honorari Sanctos Auguſtinus 12. nec Angelos ibid. eò gravius ſervitium præſtatur creaturis, quàm Latria Deo 12. & ſeq.

Doplex Maius 176.

EBionitæ cur Paulum apoſtatam vocarint 4. & ſeq. eorum hæreſis de feſtis ibid. errorem de feſtis refutavit Paulus 3. & ſeq. Concilium Laodic. ibid. Gregor. M. ibid.

Eccleſiæ mandata quando obligent in conſcientia 12.

in Eccleſia omnia ordine & decenter fiant 2.

Edmundus 162. eius canonizatio ibid. feſtum ibid.

Eliſabetha 158. eius Canonizatio ibid. feſtum ibid.

Encænia unde dicta 173. quid hodie ſignificent ibid. eorum origo ibid. forma & uſus 174. abuſus ibid & ſeq.

Engelweyhe 147.

Eoſter Dea qua 90.

Epiphania 21. 168. quid 43. Etymon. 42. nomina 43. quando, & ob quas cauſas celebrata 42. & ſeq. eius feſtum ibid. cur Luminarium dies dictum 43. trium Regum, ſed malè, dicitur 44.

Epiphania & Nativitas Chriſti à Græcis ſimul celebrata, in occiduis eccleſiis diverſa ſunt feſta 42. & ſeq.

Epiphaniæ feſti quis primò mentionem faciat 42. origo 43. ritus 46.

De Epiphanio iudicium 85.

Epiſcopalia templa cur Dominica dicta 39.

Epolę in Memoriis Martyrum ſacrificia dicta 19. eas allatas ad martyrum ſepulchra ſanctificari ſunt arbitrati per merita Martyrum 21. in Memoriis M. in luxurioſa convivia degenerarunt ibid.

Epularum ſepulchralium luxus damnatus ibid.

Ethnica obſervatio dierum 3.

Ethnici non Deo ſed creaturis feſta inſtituerunt 12. eorum feſta à Chriſtianis non omninò ſublata 23. Deorum multitudinis cauſa 32.

Euchariſtia quando ſumenda 97. quando primùm adiculis incluſa 117. ad ægrotos lata ibid. mulierculis domum perferenda data ibid.

Euthymij Sententia de hora reſurrectionis Chriſti confutatur 91.

Exaltationis Crucis feſti origo 143. quando in occidentem invectum ibid. eius ritus ibid.

FAſnacht 59.

Febricitantes quare Petronellam invocent 113.

Februa Romana 51. 153. in omnium animarum feſtum converſa ibid.

Feriæ cur dies Septimanæ dicantur 39.

Feria quinta Cœna Dominica. vide Cœna Dominica.

Feriæ quintæ feſtum: vide Cœna Dominica feſtum.

Feria ſecunda poſt Dominicam reſurrectionem 101. eius ritus & ſuperſtitiones ibid.

Feriarum nomen quis primò diebus ſeptimanæ dederit 38. & ſeq.

Ferias cur Ethnici feſta ſua appellarint 39.

Feſtum corporis Chriſti: vide corporis Chriſti feſtum.

Feſtum Abdonis 131. Abrahami 167. Adami & Evæ 168. Adelberti 106. Adelgundis 50. Adelheitæ 167. Adventus 160. Ægidii 142. Afræ 135. Agabi 58. Agathæ 56. Agathonis 162. Agnetis 48. Albani 121. Albini 64. Alexandri 65. Alexandri Papæ 108. Alexij 127. Amandi 151. Amati 143. Ammonis 168. Anaſtaſij 106. Aniani 158. Aniceti 104. S. Annæ 131. Annunciationis Mariæ 69. Anſhelmi 126. Antheri Papæ 42. Antonij Eremitæ 48. Antonij Minoritæ 121. Aphrodiſi 68. Apollinaris 129. Apolloniæ 57. Apoſtolorum 107. Apparitionis S. Michaelis 108. 109. Abrogaſti 128. Ariſtarchi 134 Arnemij 120. Aſcenſionis Chriſti 110. Aſſumptionis Mariæ 136. Athanaſij 107. Attali 65. Auguſtini 139. Balbinæ 73. Barbaræ 161. Barnabæ 121. Bartholomæi 139. Baſilidis 121. Beatricis 131. Benedicti 68. Bernhardi 139. Bernardini 111. Bonifacij 120. Brigidæ 129. Blaſij 56. Brigidæ 51. Brunonis 148. Burchardi 149. Caij Papæ 105. Calixti 149. Candidi 161. Capraſij 150. Cariſij 104. Caroli M. 50. Criſpini 151. Caſſiani 161. Caſti. 111. Caſtuli 70. Catharinæ 159. Catharinæ Senenſis 106. Chiridonij 168. Chriſtinæ 130. Chriſtophori ibid. Chryſogoni 159. Chuniberti 157. Circumciſionis 40. Claræ 136. Clavorum Chriſti 104. Clementis 149. Cleophæ 146. Cleti 106. Cœciliæ 159. Cœleſtini V. Papæ 111. Cœleſtini Papæ ibid. Cœnæ Dominicæ 73. Colmanni 149. Columbani 151. Commemorationis ſeptem dolorum B. Mariæ 105. Conceptionis Mariæ 163. 164. Conradi 160. Conſtantini 68. Conſtantis 148. Cordulæ 150. Corinthæ 57. Coronæ Chriſti 104. Corporis Chriſti 113. & ſeq. Coſmæ & Damiani 146. Criſpi 148. Cubertus aliàs Gubertus 68. Cypriani 146. Cyriaci 135. Cyrilli 126. Damaſi 167. Danielis Levitæ 42. Davidis Britanni 172. & ſeq. Decies mille Martyrum 122. Decollationis Ioannis Baptiſtæ 140. & ſeq. Deſiderii 112. Dionyſij 161. & 148. Diviſionis 12. Apoſtolorum 127. Dominici 134. Donatiani 112. Dorotheę 57. Edeltrudis 121. Edmundi 162. Egeſippi 101. Eligij 122. & 161. Eliſabethæ 158. Emerentianæ 49. Emerici 142. Encæniorum 173. Epimachi 167. Epiphaniæ 42. Eraſmi 113. Erhardi 47. Eugenij 158. Euphemiæ 145. Euphraſiæ 65. Euphroſinæ 57. Euſebij 136. Euſtachij 73. Europij 106. Exaltationis crucis 143. Fabiani 50. Fauſtæ 145. Fauſtini 60. Felicis Adaucti 47. Felicis & Regulæ 143. Felicitatis 64. Felicis preſbyteri 48. & ſeq. Feliculæ 121. Ferreoli 145. Fidei 148. Fideles multi mart. 62. Florentij 155. Floriani 108. Fortunati 110. Franciſci Minoritarum patris 148. Fridolini 64. Gabini 62. Gebhardi 139. Geneſij 139. Genofevæ 42. Georgij 105. Gereonis 149. Germani 131. Gertrudis 67. Gervaſij &

Prothaſij

Prothaſij 121. Gordiani 109. Gorgonij 143. Gothardi 108. Gregorij M 65. Guidonis 73. Guidonis 143. Guuiberti 68. Heguuidæ 149. Helenæ 138. Henr. II. Imp. 126. Herculani 142. Heriberti 67. Hermetis 109. Hierij 155. Hieron. 147. Hilarij 47. 127. 143. Hippoliti 136. Hoſpitij 111. Hugonis Gratianop. Epiſcopi 76 S. Huidrici 124. & ſequent. Hygini Papæ 47. Iacobi Apoſtoli 69. Ianuarij 145. Ignatij 51. Inuentionis Crucis 107. Innocentium 172. Ioachimi 167. Ioannis Apoſt. & Evang. 172. & ſeq. Ioannis Chryſoſtomi 50. Ioann. & Pauli 122. Ioannis Eremitæ 70. Ioan. Euang. ante portam Latinam 103. Ioſephi 68. Iulianæ 60. Iuliani Antiocheni 47. Iuliani 58. Iuliani Cenomanenſis 50. Iulij I. Papæ 104. Iuſtini ibid. Iuuenalis 108. Kunegendis 64. Kyliani 126. Lamperti 145. Lanceæ Chriſti 104. Laurentii 135. Lazari 167. Leandri 63. Leodegarij 148. Leonardi 155. Leonis Papæ 122. Leopoldi 157. Longini 67. Lucę Euangeliſtæ 149. Luciæ 167. Lucij 64. Lucinę 149. Ludouici Epiſcopi 139. Ludouici Regis 39. Luminum Rom. 52. Macarij 42. Macedonij 66. Magni 142. Malachiæ 155. Mammerti 109. Mammetis 138. Marcelli 48. Marcellini Anconitani Epiſcopi 47. Marci Euangeliſtæ 106. Mariæ Ægyptiacæ 87. S. Marię ad Niues 134. Marci & Marcelliani 121. Margarithæ 127. & ſeqq. Mariæ Magdalenæ 128. Marinæ 127. S. Martæ 131. Martini Papę 156. Martini Epiſcopi ibid. Materni 127. Matthæi Apoſt. 145 Matthię 63. Mauri 48. Mauritij 145. Maximi 160. Maximini 112. Medardi 120. Menradi ſeu meginradi 48. Meltiadis 167. Menardi 48. S. Michaelis & omnium Angelorū 147. Minoritarū ſeptem 149. Narciſſi 151. Naſoni 126. Natiuit. Chriſti 168. Natiuit. Io. Baptiſtæ 122. Natiuitatis Mariæ 142. Nemeſij 167. Neophyt. 100. Neſtoris 63. Nicanoris 47. Nicaſij 167. Nicomedis 145 Nicoſtrati 126. Olympię 104. Feſtū omnium Animarum 153. Omnium Sanctorum 153. Onophrij 121 Oſwaldi 134. Othmari 157. Ottiliæ 155. Ottonis Epiſcopi 147. Pamphilii 113. Pancratii 109. Panthaleonis 131. Paraſtenariorum ibid. Paraſceues 76. Paſchaſii 157. Paſſionis Dominicæ imaginis 155. patricij 67. Paulæ 121. Pauli Epiſcopi Conſtantinop. 120. Pauli Eremitę 47. Pauli conuerſionis 49. Pazioacarum 176. Pelagię 148. Pelagij Papę 139. Pentecoſtes 111. Peregrini 110. Perpetuę 64. Pet. & Pauli Apoſt. 122. & ſeq. Petri Cathedrę 62. Petri Mediolan. 106 Petri ad vincula 131 & ſeq. Petronellę 113. Petronij 148. Petri Monachi 106. Philippi Apo. 107. Phocę 64. Pigmenij 68. Pij Papę 126. Placidię 149. Polycarpi 49. Pontiani Spoletani 48. Pontij 65. Potentianę 111. Pręſentationis Marię 158. Primi & Feliciani 121. Priſcę 48. Priſci Preſbyteri 42. Priuati 139. Procopii 124. Procori 101. Protomei 150. Purificationis Marię 52. Quadraginta Martyrum Sebaſtię 65. Quadrati 112. Quatuor coronatorum 155. Quiriaę fetię 43. Quirini 120. Reginę 142. Remigij 147. Rochi 138. Rolandi 121. Romani 64. 135. Roperti 145. Rufi 167. Rufinę 127. Sabinę 162. Salome 151. Sanguinis Chriſti 176. Saturnini 161. Satyrij 48. Scholaſticæ 57. Sebaldi 139. Sebaſtiani 48. Septem dormientium 122. Septem fratrum 126. Sereni 63. Sergii 148. Seruatij 110. Seueri 155. Seuerini 58. & 151. Siluerij 121. Simeonis 61. 106. & 151. Simeonis Stylitis 42. Simplicij Papæ 64. Sixti Papæ 101. Staniſlai 109. Stephani 133. Stephani Protomartyris 171. Sulpitij 105. Symphoriani 139. Teclæ 145. Teleſphori feſtum 42. Theobaldi 127. Theodori 155. Theodoſiæ 142. Theophili 155. Theoneſti 151. Thomæ Aquinatis 65. & ſeq. Thomæ Apoſt. 168. Tiburtii 104. Timonis 105. Timothei diſcipuli Pauli 49. Torpeti 111. Torquati 110. Tranquillini 126. Transfigurationis Chriſti 135. Trinitatis 113. Valentini 13. Valerij 121. Venantij 111. Venerandi 157. Verenæ 142. Veronicæ 78. Victoriani 63. 68. Vincentii 48. Vincentij Mon. 101. Viſitationis Mariæ 123. Vitalis 106. Viti & Modeſti 121. Vrſi & Victoris 147. Vrſulæ 150. Vuenceſlai 146. Wilhelmi 112. Wilfridi 149. Wolfgangi 151. Ὑπαπαντῆς 52. Zachæi 139.

Feſta alia generalia, alia particularia 29. fixa quæ, ibid. in Nouo Teſt. eſſe libera probatur teſtimonio S. Scripturæ 5. & ſeq. Chriſti, Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ exemplo ibid. authoritate Socratis ibid. Hieronymi 4. rationibus 7. Veteris Teſtamenti quatenus abrogata 3. & ſeq. Ethnicorum non omnino ſublata 23. & ſeq. Iudæorum à Chriſtianis non celebranda 2. & ſeq. alligare certis temporibus imponit iugum Chriſtianis 6. & ſeq. & eſt Antichriſti opus 9. & ſeq. quæ Concilium Moguntinum ſeruare iuſſit 25. non ſunt libera Ieſuitis 7. & ſeq. in Nouo Teſtamento liceret transferre in alios dies 5. 9. Epiſcoporum Romanorum quando inſtituta 23. Iudæorum grauia 10. à Chriſtianis eſſe celebranda probatur Primitiuæ Eccleſiæ exemplo & rationibus 2. ea decalogi 6. Lex Deo ſoli vendicat 12. quando primum à veſpera ad veſperam celebrari cœperint 25. certa à Chriſtianis ſunt celebranda propter ordinem 2. 3. & 9. in Nouo Teſtamento non obligant in conſcientia, ſed Scandali ratione 4. & ſeq. multa Chriſtianorum feſta Ethnicorū ſimilia 20. ea inſtituerunt Concilia 11. & ſeq. pauca habuit Primitiua Eccleſia 22. Apoſtoli pauci olim habuerunt ibid. Martyrum omnium non in ſingulis Eccleſiis celebrata 22. & ſeq. Martyrum quolibet die totius anni plus quam 5000. concurrunt 14. Imperatorum quando inſtituta 26. Imperatorum ad morem Ethnicum inſtituta 25. Iudæorū obſeruare Apoſtoli in infirmioribus quidem tollerarunt, ac non in perfectioribus 4. Sanctorū Ieſuita nullo S. Script. teſtimonio, ſed tantùm rationibus probant 13. in Veteri Teſtamento ad certa tempora & temporum circumſtantias erant alligata 4. & ſeq. multa à Chriſtianis ad imitationem feſtorum Ethnicorum cur inſtituta 20. quæ ſeruare iuſſit Oxonienſis Synodus 24. auxit Laodicena Synodus 23. auxit Conſtantinus Magnus 22. particularia vel ſunt fixa, vel mobilia 29. Diuis inſtituere idololatria eſt 12. non Sanctis & Creaturis inſtituenda 12. an in Nouo Teſt. habeant ſignificationem 10. & ſeq. an à Chriſtianis celebranda 1. & ſeq. quæ Greg. 9. ſeruare præcepit 26. & ſeq. non certis temporibus alliganda 4. nulla à Chriſtianis celebranda Petrobruſiani quibus rationibus probent 1. & ſeq. & ad eas Reſponſio 1. & ſeq. cur dicantur Sacra, Myſtica, Sancta à Patribus 11. Veteris & Novi Teſtamenti ſeruanda Ebionita docebant 3. & ſeq. quæ ſeruare iuſſerit Lugdunenſe Concilium 27. quæ Carolus Magnus ſeruare præcepit 23. & ſeq. pertinent ad tabulam decalogi primam 12. in Nouo Teſtamento cur inſtituta 5. & ſeq. ut alia aliis ſint præſtantiora 11. magis Papiſtæ inſtituunt in honorem Sanctorum, quàm Dei, 12. Chriſtianorum, iugum, grauius Iudæorum 10. tria ſolennia fuerunt in primitiua Eccleſia, 22. Creaturis inſtituere aduerſatur conſuetudini Veteris Eccleſiæ 13. eſt Dulia ibid. gentiliſmum ſapit 12. & ſeq.

Feſta Ianuarij Menſis 40. & ſeq. Februarij 51. & ſeq. Martij 64. & ſeq. Aprilis 73. & ſeq. Maij 107. & ſeqq. Iunij 113. & ſeq. Iulij 122. & ſeq. Auguſti 131. & ſeqq. Septemb. 142. & ſeq. Octob. 147. & ſeq. Nouemb. 151. & ſeq. Decemb. 161. & ſeq.

Feſta ſeculi primi à nato Chriſto 22. ſecundi & tertij ibid. quarti ibid. quinti 24. ſexti ibid. ſeptimi ibid. octaui 25. noni ibid. decimi ibid. undecimi 26. duodecimi ibid. decimi tertii ibid. decimi quarti 27. decimi quinti 27. decimi ſexti ibid.

Feſtorum dies *per ſe non ſanctiores reliquis* 5. 7. 11. *an conſecrarit Chriſtus ibid. an per ſe ſint Cultus divinus ibid. non tollendi, quòd nullam habent ſignificationem ibid.*

Feſtorum Vigiliæ *vide Vigilia Feſtorum.*

Feſtorum *diviſio* 29. *præciſa Obſervationes quoad tempus in Novo Teſtamento ſunt abrogata* 5. *Multitudo unde nata* 20. *Obſervationes non ſunt liberæ Ieſuitis* 7. *& ſeq in Novo Teſtamento ratio* 5. Moſaicorum *Significatio ibid. Obſervatio apud Papiſtas non minus eſt iugum quàm apud Iudæos* 9. *Obligatio Pontificia adverſatur verbo Dei* 11. *Obſervatio nulla lege ſit neceſſaria* 8. *numerum accumularunt Canonizationes* 24. *multitudinem damnavit* Concilium Carthagin. 7. 27. *alia ratio in Novo Teſtamento quàm in Veteri* 4. *Multitudo damnatam ipſo quoque Papata* 27. 28. *Hiſtoria in Primitiva & Recentiori Eccleſia* 22. *& ſeq numerum auxerunt liberationes inſignes & victoriæ* 23.

in Feſtis *ſpectatur non ſolùm otium, ſed etiam ſanctificatio* 12.

de Feſtis *quando primùm certa leges latæ* 94.

Fridolinus *& eius Legenda* 64. *cur viator dictus ibid.*

Fron & Fronen *quid* 118.

Fron altar *ibid.*

Fronleichnam *Feſtum ibid.*

GAllicinium *& media nox differunt* 91.

Gedeon Ephod *conſecravit* 21. *fuit cauſa idololatriæ & ruinæ familiæ ſuæ ibid.*

Gelaſius Papa 158. *eius feſtum ibid. inſtituta ibid.*

Georgius *& eius feſtum* 105. *Fabula de interempto Dracone unde ibid.*

Gregorius M. *& eius feſtum* 65. *Patronus ſtudioſorum, & Ritus eius ibid.*

Gregorii IX. *decretum de Feſtorum numero* 26.

Grüner donnerſtag 74.

HAlberſtadii *Ritus in die cinerum* 61. Tiguri *ibid.*

Hauſtus S. Ioannis 171. *& ſeq.*

Hebdomada *Paſſionis* 22. *dicitur etiam magna* 69. *Paſchalis prior religioſè celebrata* 71.

Hebdomadæ *Paſchales feſtivæ* 70. *eius ritus ſuperſtitioſi* 71.

Helſenen & hels weggen *unde* 40. *dantur Calen. Ian. ibid.*

Herren faßnacht 59.

Hoendonnerſtag 74.

S. Huldricus *& eius feſtum* 124. *an Author Epiſtola ad Nicolaum I. Papam contra cœlibatum Sacerdotum ibid. Epiſtola illa congruit cum verbo Dei* 125. *eius Feſti ritus ibid.*

Huldryci diverſi *ibid.*

Hygini Papæ *Feſtum* 47.

Hymnos *ritu & lectionibus feſtorum addidit Paulus Diaconus* 25.

IAcobus Apoſt. *& eius feſtum* 107. 130. *an Compoſtellæ ſepultus ibid.*

Ianuariæ Calendæ *ethnico more à Chriſtianis celebrantur* 41. *earum ritus Ethnici damnati ibid.*

Idololatria *à Mauritiis M. olim abfuit* 19.

Ieiunia Paſchalis 71. *eorum libertas ibid. in profeſtis quando & cur inſtituta* 55. *diei Dominica & Sabbathorum vetita* 39.

Ieiunium *in die Cœna Dominica in aliquibus Eccleſiis ſeruatum in aliis non* 75. *Sabbathi* 50. *non obſervatum ab omnibus ibid. Quadrageſima non ſolvendum in die Cœna Dominica* 75. *non ſolvendum in Paraſceue ibid.*

Ieſuitæ *confutantur* 79. *& ſeq. eorum de libertate feſtorum ſententia* 7. *& ſeq. argumenta pro canonizationibus Sanctorum, & ad ea reſponſiones* 32. *& ſeq. argumenta contra anticipationem Paſchatis à Chriſto factam, & eorum confutatio* 85. 86. *argumenta quibus probant dies feſtos verè aliis eſſe ſanctiores* 10. *reſponſiones ad argumenta de libertate feſtorum, & earum confutationes* 7. *& ſeq. reſponſiones ad rationes de libertate feſtorum, & earum confutationes* 9.

Ieſuiticæ *probationes* Feſtorum *Sanctorum* 13.

Imagines *velantur in die* Cœna *Dominica* 75.

Imaginis *paſſionis Dominica feſtum* 155.

Imperatorum *Feſta ad morem Ethnicum inſtituta* 26.

Innocentum *feſtum* 172. *unde habeat nomen ibid. eius ritus ibid.*

Inventionis *crucis feſtum* 23 *&* 107.

Inventionis *S. Stephani feſtum* 134. *tranſlatio ibid.*

Invocatio *Sanctorum mortuorum unde* 20.

Invocavit, *Dominica* 62. *eius ritus ibid.*

Ioannes Apoſt. *& Evangeliſta* 171. *& ſeq. eius feſtum ibid. religioſiſſimè celebratur à Genuenſibus* 172. *ritus ibid.*

Ioannes Baptiſta *decollatus* 140. *oſſa eius concremata ibid. caput inventum ibid. digitus tranſlatus* 141. *eius Baptiſta decollationis feſtum* 140. *Nativitatis feſti antiquitas* 121. *ritus ibid. dies criticus ibid.*

Ioannes *&* Paulus *eorúmque feſtum* 122.

Ioan. Evangeliſta *ante portam Latinam & eius feſtum* 108.

de Ioannis Baptiſtæ *capitis & digiti inventione magna authorum diſcrepantia* 141.

S. Ioannis *hauſtus* 172.

S. Johans trunck vnd ſegen 172.

Ioſeph faber *ferrarius an lignarius fuerit, eius feſtum, ritus in illo obſervati* 68.

Iubilate, *Dominica* 106.

Iudæi *dies ſeptimanæ ſabbathorum nominibus computarunt* 39. *idem à Chriſtianis diu obſervatum ibid.*

Iudæorum *Feſta gravia* 10. *à Chriſtianis non omninò ſublata* 23 *à Chriſtianis non celebranda* 2. *& ſeq. quatenus abrogata ibid.*

Iudaicorum *feſtorum obſervationem Apoſtoli tolerarunt in infirmioribus, ac non in perfectioribus* 4.

Iudæorum *poteſtas in capitalibus cauſis* 85.

Iudæis *à die cœna Dominica toto quatriduo non licet prodire in publicum* 75. *non licuit crucifigere aliquem* 86.

Iudaicorum *feſtorum ſignificatio* 4.

Iudica, *Dominica* 61.

Iulianus *& eius feſtum* 58. *cur à peregrinantibus invocatur* 58.

Iuliæ *Calenda ſacra Veneris* 123.

Iulius I. *Papa & eius feſtum* 104.

KArr *quid* 70.

Karrfreytag 70.

Karrwochen *quæ* 70. *cur ſic dicta ibid.*

Kindlen *quid* 172.

LÆtare *Dominica* 66. *unde dicatur ibid. etiam de Roſa & panibus dicitur eius ritus* 66. *& ſeq.*

Lancea *Chriſti* 104.

Lanceæ *Chriſti, clavorum, & Corona feſtum* 104.

Lanceæ *Chriſti invocatio ibid.*

Lagenophoria *Græcorum in Oſchmaria Chriſtianorum mutata* 3.

Latriæ

Latriæ *cultus* 12.

Lauatio *pedum in die Cœna Dominica ſtulta æmulatio* 74.

Lectiones *& reſponſoria Feſtis quando aptata* 24. *quis collegerit* 25.

Leonardus *& eius feſtum* 155. *captiuorum patronus ibid.*

Leychpredia *vnde* 19.

Libertas *Chriſtiana circa Feſta* 4. *& ſeq.*

Liechtmeß 55.

Litaniarum *dies* 24.

Loßen vor Wienacht *vnde* 160.

Ludi *Mariarum* 55. *& ſeq. eorum origo* 56.

Lugdunenſis *concilii de numero feſtorum decretum* 27.

Luminaria *Ethnicorum quis in candelaria Chriſtianorum commutarit* 55.

Luminarium *dies* 168.

Luminum Rom. *feſtum* 52.

MAgus *quis apud Perſas* 43.

Magi *apud Perſas in magna authoritate* 43.

Magi *quibus apparuit ſtella orientalis in natiuitate Chriſti non fuerunt malefici* 43. *non fuerant Reges* 44. *ex Perſia venerunt* 45. *quando Bethleem peruenerint* 46. *eis quomodo reuelatus ſit Chriſtus per ſtellam* 45.

Magis *quo apparuit ſtella in natiuitate Chriſti qualis fuerit* 45. *&* 46.

Magorum *hiſtoria quibus apparuit ſtella orientalis in natiuitate Chriſti nomina ficta* 45. *eos fuiſſe tres Reges, unde creditum* 44.

Malachias *& eius feſtum* 155. *Cœlibatus author in Hibernia ibid. ſuperſtitionum multarum inuentor ibid.*

Mardochæus *& Heſtera obligarunt Iudæos ad feſtum ſortium* 12. *iudicium de illo facto ibid.*

Margaretha *& eius feſtum* 127. *parturientium patrona* 128.

Mariæ *aſſumptionis feſtum: vide Aſſumptionis Mariæ feſtum* 137.

Maria *an corpore & anima aſſumpta.*

Maria Magdalena *quæ fuerit* 128. *eius feſtum ibid. author ibid.*

Mariæ *commemorationis ſeptem dolorum feſtum* 105. *& ſeq.*

Mariæ *conceptionis feſtum* 163. *&* 164. *vide Conceptionis Mariæ feſtum.*

Mariæ *Natiuitatis feſtum: vide, Natiuitatis Mariæ feſtum.*

Mariæ *purificationis feſtum* 52.

Mariæ *præſentationis feſtum: vide Præſentationis Mariæ feſtum.*

Mariarum *ludi* 55. *eorum origo* 56.

Martinus Papa *& eius feſtum* 156. *decreta ibid.*

Martinus Epiſc. 156. *imago ibid. feſtum ibid. feſti eius author ibid. ritus ibid. dies eius criticus* 157. *in eius feſto compotationes malè ceſſerunt Germanis ibid. ab Ethnicis mutuata ibid. cenſus & debita ſoluuntur ibid. mos hic unde ortus ibid.*

Martini *anſer* 157.

Martyres *defuncti à fidelibus non neglecti* 13. *& ſeq.*

Martyrum *memoria: vide Memoria Martyrum.*

Martyrum *natales ſunt dies paſſionis eorum* 14.

Martyrum *nomina Conſtantinus M. conquirere iuſſit* 23.

Martyrum *omnium Feſta non in ſingulis Eccleſiis celebrata* 23.

Martyrum *cura habita in primitiua Eccleſia, dum adhuc viuerent* 13. *Paſſionis dies celebrarunt Chriſtiani* 14. *cauſa ibid. paſſionis & mortis dies cur Natales dicantur* 14.

Matthæus Apoſt. *& eius feſtum* 145.

Matthias & eius feſtum 63. *quandò in anno biſſextili celebrandum ibid.*

Mauricius *& eius feſtum* 145. *martyrium ibid.*

Medardus *& eius feſtum* 120. *dies criticus ibid. vinearum patronus ibid.*

Memoriæ *Martyrum quæ celebrantur menſe Ianuario* 40. *&c. Febr.* 51. *&c. Martio* 64. *&c. Aprili* 73. *&c. Maio* 107. *&c. Iunio* 113 *&c. Iulio* 123. *&c. Auguſto* 131. *&c. Septembri* 142. *&c. Octobri* 147. *&c. Nouembre* 151. *&c. Decembri* 161. *&c.*

Memoriæ *Martyrum* 13. *primò Polycarpo celebrata ibid. cur inſtituta* 161. *& ſeq. ſine lege Scripturæ recepta* 15. *non probant feſta Sanctorum* 21. *ea fons & origo multorum errorum* 20. *occaſio fuerunt idololatriæ & ſuperſtitionis ibid. pepererunt Feſta Sanctorum* 22. *quomodo celebrata* 25. *non omnes in ſingulis Eccleſiis celebrata, ſed in iis tantùm vbi ſepulti erant* 15. *quando & à quo inſtituta* 14. *annuæ à Græcis mutuata* 15. *quæ approbandæ* 20. *cur celebrata* 14. 3. *& ſeq. habita apud ſepulchra eorum quotannis* 14. *quorumcunque laudatorum virorum celebrare cœperunt* 14. *& ſeq.*

Memoriarum *Martyrum finis* 15. *& ſeq forma ibid. Smyrnen. Eccleſia primò facit mentionem* 14. *veſtigia nulla ſunt in ſacris literis ibid. progreſſus ſub Conſtantino M. ibid. eas præſtaret eſſe abolitas* 21.

ad Memorias M. *donaria allata ad vſum pauperum & clericorum* 15. *ſed à perfectioribus Chriſtianis id non obſeruatum ibid. epulæ in luxurioſa conuiuia degenerarunt* 21. *quæ olim facta ſunt oblationes non fuere ſacrificia Martyrum* 17. *epularum luxus damnatus* 21. *epulas allatas ſanctificatas ſunt arbitrati per merita Martyrum* 21.

Memoriis *M. homines à feſtis & ritibus ethnicis auocati* 19. *in iis Miſſæ olim non celebratæ* 15. *vſurpata collecta* 18. *conuiuia celebrata & comeſſationes* 15 *vnde mos ille ortus ibid. à melioribus Chriſtianis non vſurpatus ibid damnatus* 16. *oblationes facta* 15. *epulæ ſacrificia dictæ* 19.

à Memoriis M. *abfuerunt abuſus olim qui hodie ſunt ad ſepulchra Sanctorum* 18. *adfuit idololatria ibid.*

ex Memoriis *Martyrum Inuocatio Sanctorum* 17. *peregrinationes ad ſepulchra Sanctorum orta* 20.

S. Michaelis, *& omnium Angelorum feſtum* 147 *eius nomina ibid. origo ibid.*

Michaelis *Apparitionis feſtum* 108. *apparitiones tres ibid. de iis quid ſtatuendum* 109.

Middelburgenſis *refutatur ſententia de triduo ſepulturæ Chriſti* 91. *& ſeq.*

Mummerey *vnde* 41.

NAtalis *Domini* 12.

inter Natalem *Chriſti & Saturnalia Rom. ſimilitudo* 170.

Natales *dies ſolennes fuerunt* 24. *viuorum & mortuorum apud ethnicos quomodo celebrari ibid.*

Natalitia *Apoſtolorum* 23. *martyrum quid* 14. *ſanctorum celebriora facta* 24.

Natiuitas Chriſti *& Epiphania à Græcis ſimul celebrata ſunt, in occiduis eccleſiis diuerſa ſunt feſta* 42.

Natiuitas Chriſti *quando facta* 169 *& ſeqq. non facta hyeme ibid ſed in autumno ibid. non celebratur hodie eo die quo facta eſt* 11.

Natiuitatis Chriſti *feſtum* 169. *& ſeq. eius nomina ib. origo*

origo ibid. non eodem die olim celebratum ibid. cur in Decembri inſtitutum 170. ritus ibid.

Natiuitatis *Ioannis Baptiſta feſtum : vide Ioannis Baptiſta Natiuitatis feſtum.*

Natiuitatis *Mariæ feſti origo 142. & ſeq. octaua à quo inſtituta ibid. et vigilia addita ibid.*

Neophytorum *feſtum* 100.

S. Nicolaus 162. *à periclitantibus in mari & aquis cur inuocetur ibid. eius feſtum ibid. ritus ibid.*

Nomen *alicuius offerre quid* 18.

Nomina *Defunctorum recitata in Eccleſia cur* 19.

OBlatio *pro dormitione alicuius quid ſit* 18.

Oblationes *in Memoriis M. quid* 15. 18. *quæ factæ ſunt olim ad Mem. M. non eſſe ſacrificia* 17.

Offerre *nomen alicuius quid* 19.

Offerre *pro defunctis quid ſit* 18. *pro viuis quid* 19.

Omnium animarum *Feſtum : vide* Animarum *omnium feſtum.*

Omnium Sanctorum *Feſtum : vide Sanctorum omnium feſtum.*

Oſterlen 101.

Oſteren *vide* 90.

Oſtermontag 101.

Othmaria 157. *& ſeq.*

PAlmarum *Dominica : vide Dominica in Ramis palmarum* 72.

Pallia *Archiepiſcopalia conficiuntur ex lana agni oblati Agnetis* 48.

Pantheon Romæ 151. *& ſeq. cur ſic dictum ibi, in S. Mariæ Rotundæ templum conuerſum ibid.*

Parafrenatiorum *feria* 131.

Paraſceue *quid* 76. 79. *non ſolùm ſignificat feriam ſextam, ſed etiam profeſtum alterius feſti* 80.

Paraſceue *& feria ſexta non inuicem conuertuntur* 76.

Paraſceue *Paſchæ quando ſolennis haberi cœperit* 76. *quare ibid. eius ritus antiquiſſimus ibid. ritus ſuperſtitioſi ibid.*

Parentationes *apud ſepulchra* 153. *annua ibid.*

Parentalia *annua quæ* 143.

Pazinacarum *feſtum* 176.

Paſcha floridũ *quid* 71. *& ſeq. Iudiciale & vetus* 84.

Paſcha *Chriſtiani in memoriam reſurrectionis Chriſti ſeruant* 90. *non alligatum in Chriſti eccleſia certo tempore* 5. *die Dominica celebrandum. Pius I. primò lege ſanxit* 94. *ſed eam non curarunt Aſiatici Doctores ibid. quibus ſuperſtitionibus celebratum* 97. *quidam Chriſtiani celebrarunt cum Iudæis* 5. *ut obſeruarint Britanni & Scoti* 93. *celebratum initio à nonnullis Apoſtolis cum Iudæis, ab aliis verò tempus mutatum fuit* 93. *non lege ſancitum in prima Eccleſia* 22. *anticipauit Chriſtus* 79. *liberè obſeruatum in Primitiua Eccleſia* 6. *liberè celebratum vſque ad Pium I. Rom. Epiſcopum* 94. *vltimum quando Chriſtus celebrarit* 78. *& ſeq.*

Paſchæ *nomen cur retineant Chriſtiani* 89. *Feſtum cur celebrent Chriſtiani ibid. obſeruatio nulla lege inſtituta* 93. *Solennis dies non fuit cùm pateretur Chriſtus* 78. *legitima & illegitima obſeruatio* 83. *diverſitas in primitiua Eccleſia diu non obſeruata* 93. *vigilia & eius ritus* 88. *& ſeq.*

Paſchalem *diem inueniendi ratio* 95. *quibus ritibus primitiua Eccleſia celebrarit* 97.

Paſchales *hebdomadæ feſtiuæ eſſe quando cœperint* 70.

Paſchales *ritus* 70. *& ſeq.*

Paſchalia *ieiunia, vigilia, &c.* 71. *earum libertas ibid. origo ibid.*

Paſchalis *cereus : vide Cereum paſchalem.*

Paſchalis *Cerei ritus unde* 71.

Paſchalis *dies ſtatio Romæ* 97. *Proceſſio* 98. *Riſus* 88.

Paſchalis *hebdomada prior religioſè celebrata* 70. *ritus ſuperſtitioſi ibid.*

de Paſchali die *controverſia primitiua Eccleſia* 93. *& ſeq.*

Paſchalium *rituum libertas* 71.

Paſchatis *hebdomadæ duo feſta* 22. *obſeruatio apud Iudæos confuſa* 84 *tranſlatio* 83.

de Paſchate *certamen* 24. *renouatum* 95. *nondum ſopitum* 96.

in Paſchate *olim tantùm Euchriſtia ſumpta* 97.

Paſſio Chriſti *quoto die menſis facta ſit* 86. *in ludum ſcenicum mutata* 101. *ritus iſte damnatur ibid.*

Paſſionis *Dominica dies incerta* 11.

Paſſionis *Dominica lectio in ſeptimana Paſchali priore* 71.

Paſſionis *Dominica imaginis feſti origo* 155. *& ſeq. antiquitas ibid.*

Paſſionis *hebdomada* 11.

Pauli *commemoratio* 123.

Pentecoſte *non lege ſancitum in prima Eccleſia* 11. *quò miſſus eſt Spiritus S. fuit in die Dominica* 82. *& ſeq. an Apoſtolorum tempore Feſtus* 111. *cur à Chriſtianis celebretur ibid. eius ſuperſtitioſus ritus* 112.

Peregrinatio *Compoſtellana* 75.

Peregrinationes *ad ſepulchra Sanctorum unde orta* 20.

Perſonas *induere probroſum* 41.

Petri Cathedræ *feſtum* 61.

Petri ad vincula *feſtum* 131. *& ſeq. eius origo ibid. ſolennius obſeruatum ibid.*

Petrobruſianorum *error de feſtis* 1.

Petrus & Paulus *Apoſt. eorumque feſtum* 123. *& ſeq. eius origo ibid.*

Phagiphania *quid* 43.

Pithægia *Græcorum in Martini Feſtum mutata* 157.

Planetarum nomina *impoſuerunt Ethnici diebus hebdomada* 38.

Præſentationis Mariæ *feſtum* 158. *eius antiquitas ib. Propagatio ibid. confirmatio ibid. ob quas cauſas inſtitutum ibid.*

Proceſſio *in Paſchate* 97. *earum origo in Dominicis* 98. *habenda in Dominica die* 40.

Purgatorium Patricij 65.

Purificationis Mariæ *Feſtum* 52. *ab initio Chriſti fuit ibid. in locum ethnici feſti inſtitutum ibid. Cur ibid. candelarum & luminarium dies quare dicatur ibid. cur* Liechtmeß *dicatur* 55. *feſti origo* 52. *ceremonia* 53.

in Purificationis Mariæ *feſto ritus conſecrandi cereos* 53.

QVadrageſimæ *origo* 62. *Dominicarum nomina ib.*

Quadrageſimale *Ieiunium unde* 71. *non ſoluendum in die Cœna Dominica* 75.

Quinquageſima *inter Paſcha & Pentecoſten olim tota fuit feſtiua* 99 *quomodo celebrata ibid. eius origo ibid. libera fuit obſeruatio ibid.*

Quinquageſima *unde dicta* 58. *eius origo* 51. 58. *inſania* 58. *ritus damnati* 59.

Quinta feria *Dominica in Ramis palmarum : vide Cœna Dominica feſtum* 73. *& ſeq.*

Quintæ feriæ *hebdomadæ feſtum* 23.

REſponſoria *& lectiones feſtis quando aptata* 23.

Reſurrectio Chriſti *non facta media nocte* 90. *eius hora ibid. varia de ea Theologorum ſententia ibid.*

Reſurrectionis *Dominica dies* 89. *cur Paſcha dicatur* 90.

Riſus *Paſchalis* 98.

Rogationum *dies* 24.

Roſa *aurea quibus rebus conſtet* 66. *donantur alicui à Papa ibid. eius conſecratio ibid. & ſeq. conſecrationis author ibid. donationis ritus ibid.*

Roſæ *Dominica qua* 66. *unde dicatur ibid.*

Roſentag 66.

SAbbathum *in Albis* 101. *unde dictum ibid. eius ritus* 101. *& ſeq.*

Sabbathum *Sanctum Paſcha* 88. *ritus in eo obſeruati ibid.*

Sabbathum & diem Dominicam *indifferenter obſeruans Paul.* 4. 8.

Sabbathi *Ieiunium* 50. *non obſeruatum ab omnibus ibid. in eo non eſſe ieiunandum* 39.

Sacrificare *pro viuis quid* 18.

Sacrificium *pro defunctis in altari olim non celebratum* 19. *pro dormitione celebrare quid ſit* 18. *& ſeq.*

Sanctis *non feſta inſtituenda* 12.

Sanctorum *omnium feſti origo* 152. *dies ibid. translatio ibid. propagatio* 152. *cauſa tres ibid. prodigia quæ eius inſtitutionem anteceſſerunt ibid.*

Sanctorum *feſta ut probent Ieſuitæ* 12.

Sancti *qui imitandi* 34. *ut dii coli nolunt* 17. *quomodo honorandi* 34.

Sanctis *aſſignant Papiſtæ quod maius eſt, Deo quod minus* 12. *eorum verus cultus* 16. *inuocatio unde ibid.*

Sanguinis *Chriſti feſtum* 176.

Saturnaliorum *ritus* 170.

Saturni *diei feſtiuitas* 176.

Sebaſtianus *ſagittariorum & ſclopetariorum patronus* 48. *eius feſtum ibid.*

Sendomiriæ *ſtrages edita* 108.

ad Sepulchra *parentationes* 153.

Sepultura *Chriſti triduum ut accipiendum* 91.

Septembris *Calendæ ſacra ob victoriam* 142.

Septimana *in Albis* 99. *cur ſic dicatur ibid. tota fuit feſtiua* 100. *eius rigor remiſſus ibid. ſuperſtitiones ibid.*

Septuageſima *unde dicta* 50. *cur inſtituta ibid. eius origo* 51.

Sexageſima *unde dicta & eius origo* 50. 57.

Signiluſtrium 105.

Simboltag 101.

Socrates *hiſt. non hæreticus Nouat.* 8. *eius teſtimonium de libertate feſtorum* 6. *& ſeq.*

Statio *in Paſchate Romæ* 97.

Stella *in Natiuitate Chriſti quando primò magis apparuerit* 45. *ab aliis differt ibid. qualis fuerit ibid. non fuit meteoron. ibid. quomodo Chriſtum natum docuerit* 46.

Stephani *protomartyris feſtum* 171. *eius ritus ibid. inuentio* 134. *quando facta ibid.*

Sylueſter Papa 173. *eius decreta ibid. feſtum ibid. primò per ferias computare iuſſit ſeptimanæ dies* 39.

TEleſphorus *Epiſcopus* 42.

Templa *Epiſcopalia cur dominica dicta* 39.

Templa *vetuſtiſſima Chriſti cur dominica dicta* 39.

Tempora *mutabit Antichriſtus* 7.

Theophania *quid* 43. 168.

Transfiguratio *Chriſti quando facta* 135.

Transfigurationis Chriſti *Feſti antiquitas* 135. *author ibid. origo ibid. ritus* 135.

Triduum *Sepulturæ Chriſti explicatur* 91. *& ſeq. ſynecdochicè accipiendum* 93.

Trinitatis *feſtum* 113. *eius antiquitas ibid. improbatur ibid.*

VEneris *dies feſtus eſſe iubetur* 22.

Vetonicæ *legenda* 56. *oſtenſio & adoratio* 78.

Vigiliæ *Nocturnæ mulieribus interdictæ* 55. *ſeruatæ Apoſt. tempore ibid. ſeruata in ſolennibus paſchæ ibid.*

Vigilia Paſchæ *& eius ritus* 88. *& ſeqq.*

Vigiliæ *Paſchales* 71. *earum libertas ibid.*

Vigiliæ *Ethnicæ* 36. *eas damnarunt omnes honeſti viri* 35.

Vigiliæ *abolitæ & in earum locum jejunia in profeſtis inſtituta* 55. *earum in feſtis origo ibid. ad ſepulchra martyrum autor ibid. eius Feſtum* 33.

Viſitationis Mariæ *feſti origo* 123. *confirmatio ibid.*

Vmbhang *quid* 41.

Vna *Sabbathorum an differant* 73.

Vna *Sabbathi, & una Sabbathorũ an differant* 73. 92.

Vrbanus 112. *eius feſtum ibid. ritus ibid. dies criticus ibid.*

Weihenacht 168.

Wilfridus *& eius feſtum* 149.

ZElo *bono quæ inſtituuntur non omnia recipienda* 21.

Zimpfeltag 101.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
vtriuſque TESTAMENTI, *qui in hoc Libro explicantur.*

EX NVMER.

Cap. 24. Orietur ſtella ex Iacob. *Pagina* 46.

DEVTERON.

Cap. 16. Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus &c. 79.

2. PARAL.

Cap. 35. Dederunt ſacerdotibus ad faciendum phaſe peccota duo millia, & boues ſexcentos 79.

PSALM.

Cap. 72. Reges Tharſis & inſularum munera efferent: Reges Arabiæ & Saba dona abducent 44.

ECCLESIAST.

Cap. 44. Eccleſiaſtici caput 44. totum explicatur.

ISAIÆ

Cap. 66. Erit menſis ex menſe, & ſabbathum ex ſabbatho 4.

DAN.

Cap. 7. Putabit quod poſſit mutare tempora 7.

MATTH.

Cap. 12. Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus 91.

Cap. 26. Non die feſto ne fortè tumultus fiat in populo 79.

Cap. 26. Prima die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere paſcha 84.

Cap. 26. Magiſter dicit tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha 84.

Cap. 27. A ſexta hora tenebræ factæ ſunt 82.

MARC.

Cap 8. Oportet filium hominis pati multa &c. 91. & poſt tres dies reſurgere ibid.

Cap. 14. Prima die azymorum, quando Paſcha immolabant 84. & ſeq.

Cap. 14. Adoleſcentulus ſequebatur illum, circumamictus ſindone nudus effugit &c. 77.

Cap. 15. Ioſeph mercatus ſindonem, depoſitum eum, inuoluit ſyndoni 80.

Cap. 15. Erat Paraſceue, quod eſt ante Sabbathum 79. 84.

Cap. 16. Mulieres ad monumentum ſummo mane veniunt una die ſabbathorum 37.

LVCÆ.

Cap. 22. Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha 85.

Cap. 23. Erat autem Paraſceue, & ſabbathum illuceſcebat 79. 84.

Cap. 23. Mulieres emerunt aromata & unguenta 80.

IOAN.

Cap 13. Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus veniſſe horam ipſius 79.

Cap. 13. Quod facis, fac citius 85.

Cap. 18. Ipſi non introierunt prætorium, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha 79. 84.

Cap. 18. Nobis non licet interficere quenquam 65.

Cap. 18. Facta ſunt hæc, ut adimpleretur ſermo quem prædixerat Ieſus, ut indicaret qua morte eſſet obiturus 85.

Cap. 18. Eſt conſuetudo vobis, ut uni dimittam vobis in Paſcha 86.

Cap. 19. Propter Paraſceuen Iudæorum, ut non manerent in cruce corpora ſabbatho: erat enim magnus dies ille Sabbathi 80.

Cap. 19. Erat autem Paraſceue Paſchæ & hora quaſi ſexta 79. & ſeq.

ACT.

Cap. 15. Vt imponatur jugum ſuper ceruices diſcipulorum &c. 10.

Cap. 20. Feſtinabat Paulus ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſten faceret Hieroſolymis 111.

ROM.

Cap. 14. Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem 3. 7.

GALAT.

Cap. 4. Dies obſeruatis, & menſes, & annos timeo de vobis, &c. 3. 6. & ſeq.

COLOSS.

Cap. 2. Nemo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei feſti 1. 7. & ſeq.

FINIS.